.13.
.0.13
jj 93

GESTA PONTIFICVM ROMANORVM

AB INNOCENTIO IV.

Romano Pontifice CLXXX. vſque ad

LEONEM X.

P. O. M. CCXIX.

Additis Pontificum Immaginibus ad viuum ære exculptis, cum Hieroglificis, Nummiſmatibus, Signis, Sigillis, &c.

AVCTORE

IO: PALATIO I. V. D.

Collegiatæ S. M. Matris Domini Plebano, & Archipresbytero eiuſdem Congregationis, Ducali Canonico, in Veneto Lycæo Iuriſprudentiæ profeſſore, olim Patauij Sacrorum Canonum Publico Profeſſore, ac S. C. M. Hiſtorico, Conſiliario, &c.

OPERIS

VOLVMEN TERTIVM.

VENETIIS, M. DC. LXXXVIII.

Apud Ioanem Parè ſub Signo Fortunæ.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Chriſti Vicario
INNOCENTIO XI.
Romano Pontifici.



AD Te (BEATISSIME PATER) Chriſti Saluatoris Vicarium, & Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſorem legitimum tertia aſcendit Prædeceſſorum Tuorum Pontificum Romanorum turma, vt vel mortui tecum Romanâ communione conueniant. Meas ipſi non dedignantur ad pedes Sanctiſsimos Beatitudinis Tuæ lucubrationes exponere, teſtimonium obſequij, deuotionis, adorationis, & communicationis cum Petri cathedrâ, & principali illâ Eccleſiâ, ex quâ, teſte Cypriano, vnitas eſt exorta ſacerdotalis. Propterea Hieronymus ex Paleſtinæ antris omnes ferè libros ſuos Damaſo ſupremo tranſmittebat Pontifici, vt corâm Sole veritatis pullos ſuos legitimos experiretur, vel ſpurios, ex intimis clamans præcordijs. *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini Tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam petram Eccleſiam ædificatam ſcio. Quicumquè extrà hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arcâ Noe*

non

non fuerit, peribit regnante diluuio. O mira potentia (exclamat Auguſtinus) & ineffabilis gratia Saluatoris, quæ Regibus obſiſtit, Reges ſanctificat, Regnis omnibus imperat, Mundum refrenat legibus, Dæmones calcat pedibus, imperat Virtutibus, Cœlum aperit cum vult, claudit cum placet, immortale regnum conuerſis donat, peruerſis negat, merita Mundi cognoſcit, culpas, & crimina relaxat hominibus! De hac iam Propheta prædixit: *Si hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium?* Hinc eſt, quòd ſermo Domini tàm frequens ſolum conuertebatur ad Petrum, licèt reliqui Sancti, & Beati Apoſtoli virtute ſimiles, & pari eſſent ſanctitate ſuccincti; vt ſcilicet Capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio; & vna monſtraretur compago corporis Christi, quæ ad vnum caput glorioſiſsimâ dilectionis ſocietate concurreret: & vna eſſe Eccleſia, cui fideliter crederetur, vnaquè domus vnius Domini, & vnius Redemptoris, in quà de vno pane, & de vno calice nutriremur. Tanti arcani nè poſteros Apoſtoli, & Euangeliſtæ præterirent ignaros: Marcus cum Petro collatum voluit ſuum Euangelium. Paulus vas electionis, & doctor Gentium hoc ſolo voto aſcendit Hieroſolymam; vt cum Petro Euangelium conferret, quod Gentibus prædicabat, nè forsàn illuderetur à Principe tenebrarum, qui aliquandò transformatur in Angelum lucis. Veſtigia ergò inſequens Apoſtolorum, & ſemitas Euangeliſtarum ad Te venio, Pontifex *Innocens*, & impollute, vt poſt oſcula ſacrorum pedum Tuorum, ſymbolum conſequar communicationis Catholicæ. *Tu enim Sacerdos Magnus, Pontifex Maximus, Princeps Epiſcoporum, Hæres Apoſtolorum; primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus* (dicam cum Bernardo) vales ſolus ianuas mihi reſerare Cœlorum. Apoſtolicæ Benedictionis incapax, & indignus, quam elargitus es liberalis, vt particeps fiam: dic tantum verbo, & ſanabitur anima mea. Licet enim incongruum iuxtà Sacerdotem ſedere Cæſarem; vndè Magnus Conſtantinus Thronum Imperialem Byzantium Romà traduxit, *nè illic poteſtatem terrenus haberet Imperator, vbi Principatus Sacerdotum, & Chriſtianæ Religionis Caput ab Imperatore eſt conſtitutum Cœleſti*: fas tamen cum fœminà Chananæà, vel retrò fimbriam tangere veſtimenti, vt Fides illuceat, & nè fruſtretur Deuotio. Reſpice ergò, quià Iſrael ſum: quòd etſi Chananæus eſſem, catellus adhuc ſaturarer de micis, quæ cadunt de menſà Domini. Solem etſi ſequar à longè; Solis eſt, oriri ſuper bonos, & malos. Quicumque veneris BENEDICTVS, vel INNOCENTIVS, cum ſemper venias in nomine Domini; occurro cum ramis, & palmis, & in vià ſterno veſtimenta animæ meæ, cui vt inſideas veluti aſinæ pullo; en prouoluta iacet, donec te inſedente, & benedicente reſurgat.

Mediaſtinus
Ioannes Palatius.

INNOCENTIVS QVARTVS
PONTIFEX ROMANVS CLXXX·



IOannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ æmulus ecce Innocentius IV. Pontifex Romanus. Vità ille cum laboraret extremà, ac vix inter diſcipulorum manus ad eccleſiam deferretur, nec poſset in plura verba contexere vocem, nil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, quàm: *Filioli diligite alterutrum*. Hieronymus in *comment. ep. ad Galat.* Ita Innocentius, qui ſuprà centiès Chriſtianos declamauit ad Principes, ab hoc ſemper epiſtolarum ſuarum deſumpſit exordium: *Pacem tenete inter vos*.

Eligitur Sal. Anno 1243. Die. 24. Iunii. Obijt Anno 1254. die VII. Idus Decemb. *Cum præfuiſſet Annos XI. Menſes 5. minus dies 14. Vacat ſedes...*

E L O G I V M·

Anni Sal. In. 1243. Ii.

SInibaldum Ianuenſem, Fliſcà gente
Succeſſorem datum Gregorio
Fridericus dolet? Bonum omen
Vitium non plaudit virtuti.
Cardinalis amicus Cæſaris, Pōtifex amicus Dei,
Quē diligebat *Sinibaldus*, odio habet *Innocētius.*
Peritiſſimus marium Lygur, & Logus
Petri nauim impactam Friderici ſcopulo,
Saluam ad littora remulcauit Romana.

Infractus ipſe viſus ipſum fregiſſe ſcopulum
Cum indicto Lugdunenſi Concilio,
Armauit Cœlum aduersùs Terram.
Ibi Aquila fulminatrix percuſſa anathemate;
In ſuum contorſit fulmina Iouem.
In domo Victoriæ, quàm ipſe extruxerat
Propè Parmam amiſsà parmà, & palmà
In Apuliam fugiens, ibi vitam reliquit, & vittā.
Cōtremuit eo die terra infeſto luctata pōdere,

Anni Sal. I. In. 1243. Ii

Anni Sal.l In. 1243.l2 Volens eius veſtigia confundere,
Ne memoria poſteris ſupereſſet.
Siuè geſtiret, vt pondus abſorbèret grauiſſimũ;
Quid enim terræ grauius,
Quàm grauis viribus Imperator?
Inter ea, quæ peſſimè geſſit, hoc vnum optimè
1249. Regno liber, & liberis
Mala omnia abiecit præter maleum pęnitentię
Quo portà Cœli fęlici niſu reuulsà
Nouus Enceladus
Gradu Confeſſionis non confuſionis aſcendit.
Ne diffidite Principes:
Vſquè in Cęlum graſſari poteſtis,
Et Deus peſſimis inter opima cedet
Si optimos in fine ſaltem inueniat.
Hac in ſynodo *Ludouicũ* impulit Gallorũ Regẽ,
Cui pia arma, & armata pietas, (*tumulũ.*
Patriũ relinquere thalamũ, vt Chriſti vindicaret
Memorabilis ab hinc in vrbibus Lugdunũ erit;
Quod omniũ primũ inter Tranſalpinas gẽtes,
Hoſpiti Cœlo ſedem præbuerit,
Ac Dei maieſtatem ſinu ſuo exceperit.
Auxit ibidem Apoſtolorũ Senatũ Innocentius,
Additâ [3] galeri purpurâ,
Nõ cruore tinctà muricis, ſed sãguine Martyrũ.
Sub tyrannide Friderici
Nouis etiam auxit Cœlum Quiritibus.
Per eum ſeder [4] Stanislaus Romanis in aris,
Cracouienſis Antiſtes,
Quẽ patrocinaturi è ſepulchro ſurrexere mortui,
Sed fruſtra
Quia nec miraculis mouentur tyranni.
Inter aras laniatus à Boleslao Polonorum Duce;
Quatuor Aquilę ad tutandas reliquias volarunt
Donec mortalibus deſcendit aſſociatus Deus,
Iuuitq. ſua manu laceros colligere artus;
Ne tantæ ſupereſſet crudelitatis veſtigium.
Petrum [5] etiam coronauit *Veronenſem*:
Is Hęreticis ortus, fidem ita conſtanter aſſeruit,

A Vt etiam moriens ſymbolũ altà voce recitaret: Anni Sal.l In. 1243.l 5
Et terræ ſuo inſcriberet ſanguine.
Hũc Anno à cęde nõdũ cõpleto Diuis adſcripſit;
Suffragãte Cęli Reginà, cuius lateri adſtare viſus.
Vt, & ipſe ferro caderet.
Mente interim Palęſtinam vorabat Innocẽtius;
Miſſo Ludouico [6] Rege cum gemino vexillo
Belli, & Pietatis
Sub hoc Reges, ſub illo meruere milites.
Exhibuit in Ludouico ſeipſum Deus,
Cũ à Sarracenis in Ægypto vinctus, nõ victus
Victores docuit,
Suptà regni faſtigium eſſe conſtantiam.
Nil omiſit Inocẽtius, vt Regẽ vĩdicaret captiuũ
B Aurũ cũ deeſſet, vniones protulit lacrymarum
Quibus vniret Principes,
Ad quos ſupra centiès legitur declamaſſe,
Stylo Ioannis Euangeliſtæ.
Tantarum enim declamationũ vnum exordiũ;
Pacem tenete inter vos.
Octo Anuos [7] Lugduni ſtantem
Cum vellent officij gratià conuenire Reges,
Noluit, ad Crucifixum remiſit.
Melius orarent coram Deo,
Quàm coram homine perorarent.
Tria illi arcana, (*infideliũ*
Chriſtianorũ pax, pęnitẽtia hęreticorum, conuerſio
Reliqua vel non audiuit, vel non curauit.
C Pronus erga Principes, [8] ſi non prauos,
Legibus dixit ſolutos; ſed non Dei, nec naturæ.
Mores [9] Cleri exemplo moderatus, non lege,
Ita vixit, quaſi eà die moriturus.
Is ille, qui aperto viuens oſtio
Ianitores non ſuſtinuit,
Vel maieſtatem ſuſtinuit non ad conſcientiã.
Terra tremuir, cum Innocentius obijt,
Vt homines conuocaret ad mortem Pontificis,
A quo diſcerent, benè mori.

ADNOTATIONES IN INNOCENTIO IV. PONT. ROM. CLXXX.

Natalis Innocẽtij IV. 1 S*inibaldum* natione *Lygurem*, familià *Fliſcum*, ex comitibus *Lauania*, filiũ *Vgonis*, vel *Obizonis*, virum diuini, humanique iuris conſultiſſimum, ex Canonico eccleſiæ Parmenſis, à Gregorio IX. Vicecancellarium S. R. E. electum, ac primum Auditorem Literarum Contradictarum, deinde Cardina- Electio in Papã. lem Presbyterum tit. S. Lucinæ, tandem Romanum Pontificem nomine *Innocentij IV.* quomodò, & quando *Cœleſtino* ſubrogarint? *Matthæus Pariſius* tradit. Annus iam exceſſerat à Cœleſtini morte, & adhuc Romæ nonniſi ſeptem Cardinales conuenerant pro noui electione Pontificis, alijs in carcere detentis ab Imperatore, ægrotantibus alijs, vel latitantibus inter conſanguineos, & amicos propter diſcordiam.

D Hæc vacatio eccleſiæ Romanæ non modicam Imperatori irrogabat infamiam, quòd ipſe crederetur promotionem impedire, & eccleſiam deſiderare Friderici ep. ad Card. vacantem. Hinc ad ſedandum rumorem literas Cardinalibus dedit ſequentes, quæ ſpetiem redolent pietatis, cum vbiquè bona vſurparet eccleſiæ.

Fridericus Cardinalibus. Ex feruore charitatis intrinſeca decapitatis membris, Imperialis excellentia condolet ex indiuiſibili dilectionis adfectu, quem erga matris vbera filius gerit tam adultus. Eccleſia viduata compatitur, & compatiendo turbatur, vt cui materna ſuauitatis dulcedinis alimenta communicat, & augmenta dilectionis interiùs ſubminiſtrabat, doloris procul dubio non ſit expers: dolor eſt ſiquidem, dolor ingens, ſi Romana

mana eccleſia, quæ mater debet eſſe omnium, & magiſtra, in quâ ſicut decurſus aquarum plantata ſunt ligna fructifera, paſtoris ſolatio deſtituta careat, & quæ viam præbere tenetur aliis, penitus oberrans in inuio, ſequitur addiſcere, quæ facere debuit, & docere. Sanè contra naturalis ordinis tramites noua res agitur, dum venalitas vndique aquas abyſſus denegat, quas veſtrorum ariditas, vt credimus, iam ſiccauit, dum Petri nauicula, quam cupiditatis flamma vorans in gyrum ventorum culpâ præſidentium, procellis intumeſcentibus conquaſſatur: dum mater Eccleſia, quæ in Petro, immò in petrâ poſuit fundamentum, viro priuata proprio, remanſit vt indigena vidua. Ecce, ſiquidem perdente Chriſto vicarium, princeps Apoſtolorum perdidit ſucceſſorem: & paſtorali regimine, grex Dominicus eſt priuatus. Sed cardinales Eccleſiæ cardines, & columnæ, quas dementia capitis eclipſauit, quales caterua imperatoris exiſtitis, veritatem ipſam cum opprimitis, ac vosmet ipſos veneritis? Quales lenitas oſtenditis errantibus, qui à directionis greſſibus deuiatis? Sedentes enim vt colubri, non quæ ſurſum ſunt ſapitis, ſed quæ ante oculos ſita ſunt mundana, non ſpiritualia intuentibus prouidetis. Sitit enim quilibet præſulatum, & papalem ſitit apicem, pro vt voluntates dictant arbitrij, & merita non ſubſeruiunt rationi, quorum vultus vt candida maculis, ſic & honore cupiditatis obducitur, quod mentem vnius velut alterum, vt dum pontificatus faſtigio ſuſpirent decoratum: Mœretur igitur mater, & meritò noſtra maieſtatis induſtria, & tantò fortiùs doloris aculeo pungimur, quantò propriùs præ cunctis gentibus, & mundi principibus, Romanæ eccleſiæ imperium vicinatur. Ceſſet itaque ceſſet materia ſchiſmatum, ceſſet inter vos innata diſſenſio, non vos ſeducat angelus tenebrarum, qui ſæpe in lucis Angelum ſe transformat, & vnitatem gregis diſrumpere conſueuit, ſed pax, & iuſtitia, quæ velut duæ ſorores, ſe inuicem amplexantur, in Cardinalium collegio vendicent ſibi locum: & inuocatâ clementiâ illius, cuius eſt à ſummo cælo egreſſio, ad electionem noui pontificis vnanimiter procedentes, nobis, et mundo præſulem eligatis: vbi dominus interius vos inuitet, et pondera ſubeant æquitatis, vt à vobis, quos in opere præuios, et innocentiâ præcurſores habere debet populus Chriſtianus (cum aſſumatur à ſubditis audacius in exemplum, quod committitur irreuerentius in promotione prælatorum) non tranſgreſſionis votum accipiant ſubditi, quos regitis dirigendo, ſed promiſſionis incitati, & firmioris fidei veſtigia proſequantur. Petrus de Vineis. *lib. 1. capt. 14.* Hiſce litteris reſponderunt Cardinales, teſte *Matthæo Pariſ.* Anno Sal. 1243. *vt ſi ſe pateret, et libertatis eccleſiaſticæ haberi experet amatorem, ſub bona petitionis ſpe certiſſimâ, quos adhuc tenens incarceratos Prælatos eccleſiæ, liberos abire permitteret.* Quorum verbis fidem adhibens Imper. omnes, quos tenebat incluſos, liberos ſine redemptione, liberaliter abire permiſit. Non propterea Cardinales diſſidia, nec in electione conuenere, poſuere Pontificis. Fridericus cauſam prætexens, quòd Romani ambitione ſuâ electionem diſturbaſſent Pontificis, re verâ egregiam occaſionem arbitratus potiendæ Vrbis, validis cinctus phalangibus, è Siciliâ citeriore in Campaniam irruptione factâ, in Romanos ſigna extulit infeſta. Ciuibus autem ſe excuſantibus, ac culpam in Cardinales refundentibus, iuſſit Imperator obſidionem ſolui, ac

Romani populatur. exercitum poſſeſſiones, & eccleſias Cardinalium populari. Hinc Sarraceni, quorum maxima pars conſtabat exercitum, *Albam* nobilem ciuitatem feraliter deuaſtantes, centum, & quinquaginta eccleſias in ciuitate exiſtentes deſtruxerunt, veſtimenta, calices, libros aſportantes, & militibus in prædam diuidentes. Quæ omnia ex *Matthæo Pariſ.* Sentiis ſuæ vt aliquem colorem obtenderet Fridericus, epiſtolam Cardinalibus geminauit ſequentem, vt ex Petro de Vineis *l. 1. c. 17.*

Epiſtola Friderici ad Cardinales.

Ad vos eſt hoc verbum, filij Effrem, malè tendentes arcum, & prorſùs emittentes ſagittas, turpiter in die belli conuerſi retrorſum. Ad vos eſt hoc verbum, filij Belial, diſperſionis oues. Ad vos eſt hoc verbum, animalia capita non habentia, magni iudicis aſſeſſores. Ad vos eſt hoc verbum Cardinales obliquati, quibus malè voluitur orbis. Ad vos eſt hoc verbum, pro quibus totus mundus prorumpens in verba, obloquitur. Non ego poſſum loqui, quem obloquar, quia de mundo ſum, licèt emmundus, propter quod oportet ſtratere cum mundo, tanquàm pars ſuo toto nec diſſona, nec aduerſa ſtrictiùs. Itaquè attendite de durò, et incepta materia, vnde in epiſtolam exordij dignitate priuatum. Nam lingua mea voluntate compulſa, prius prorupit in verba, quam conciperent et ſpiritus deligaſſet, et ſic ſuperiores non expectato imperio mentis plenè concepta edere feſtinauit. Habet enim animus perturbatus, quod plerumquè ſermonem incontinentem parit, aliquando, et abortiuum. Communis namquè animorum excedit conceptio, et ſermo vulgaris, quod mediator Dei, et hominum, Ieſus Chriſtus, de ſummo cælo, qui venit ponere pacem in finibus terræ, Apoſtolorum magiſter, et dominus, ſed diuiſus in ſe ſathanas, princeps aquilonarius, ſit in medio veſtrum, tanquàm quibus monſtrat, ille perſuaſor diſcordiæ, homicida, mendacij pater, et ſpiritus temeritatis, qui poſuit linguas veſtras in diuiſiones, et in pluralitates articulos, veſtram diſgregare compulit vnitatem, dum nec vobis, nec mundo conſulitis, qui tot periculis propulſatur: et Petri nauicula, quæ per maris altitudinem ventorum flatibus rapitur, remis, et remige deſtituta, non eſt aliquatenùs vobis cura. quæ quamuis in ſe ſubmerſionem non timeat, in ſuis tamen multa, et varia patitur naufragia tempeſtatum. Sanè ſi diligenter attenderetis, qualiter nationes, et Gentes, quas iudicare ſoletis, contrà vos deriſoriè mouerent capita ſua, in ſe vnuſquiſquè palleret, et ad tam publicum, et deteſtabile opprobrium propulſandum non inueniri poſſet neceſſitatum argumentum. quia dum quilibet veſtrum aſpirat ad cathedram, vnus non conſentit in alterum: et dum alter in alterum non conſentit, nullus erigatur, cathedralis dignitas euaneſcit, et ſic ex diſſonantiâ veſtrâ, tenuerunt Eccleſiæ ſtatus confunditur, et fides, quà viuitis, deperit vacillando: per caputis quidem defectum emergit, vt vbi natura ſenſus impoſuit, monſtra reparentur quædam, et membra truncata, in cunctis ſenſibus deficiens, quoniam videtur obtenebratus viſus veſter: demonſtrat auditus, et ille, vt ſonus in fines orbis terræ, olim ſonorat, penitùs obmuteſcens, factus eſt derivſorium vehe. Nam Petri, et Pauli hodie non audiuntur tonitrua, concionatores ſunt canes muti, ad ſilentium compelluntur, fortè vobis parata ſunt munera ad reſpondendum, ſed deſunt munera, quia, qui veniebant de Sabâ aurum deferentes, modò non veniunt, cum non inueniunt Dominum in præſepio, decatum eis cæleſti ſydere denegante. Pedes etiam non habetis

ad ambulandum, & dummodò potentis vos munus coarctet, vltra quinque pedes veſtra veſtigia non mouentur, proh pudor, minima reptilium animalium in prudentia vos præcedunt, nam aues ſine ductrice non volant, apes abſquè rege non viuunt. Vos autem ſine rectoris gubernaculo fluctuatis, matrem Eccleſiam fortuitis caſibus relinquenſes, nec attenditis, quod illi errantes Iſraelitę xl. diebus abſq. duce vagantes, ad ſummam dementiam deuenerunt, pro Deo ſibi vitulum conflatilem ſtatuentes. Si papalis ceſſauit vnctio, veniet ergo alius Sanctus ſanctorum, & quis ille eſt? O inexcuſabilis culpa, Rachel virum non habet, cuius paruuli petunt panem, & non eſt qui porrigat eis: & Sion dudum pulchra facie, iacet ſicut mulier menſtruata, cuius viæ lugent, & non eſt qui veniat ad ſolemnitatem. Concidit gloria vultus eius, oculi columbarum viſu deficiunt, quia non videtis quantum proximi eſtis naufragio, dum ſine remige nauigatis. O ſi poſſetis alternatim libros conſcientia legere, quot, et quantas inueniretis in eis accuſatorias lectiones, cōtrarijs ſententiis inuolutas. Reuertatur ergo, reuertatur quilibet in ſeipſum, et ad reſumendum caput, ſenſus, et rationem induite, vt mater Eccleſia tam diu ſuo priuata lumine, decorē ſuſcipiat, et ad ſtatum priſtinum reducatur. Alia legitur epiſtola contra Cardinales nomine *Philippi* Regis filij, D. Ludouici quam habes in *Aquilà Suenà*, ſed hæc ſpuria, quia Fridericus obijt Anno 1250. Philippus regnare cœpit Anno 1271. Tantis arctati Cardinales meritò forſan anguſtijs, Anagniæ conuenerunt, & communibus calculis *Sinibaldum* Pontificem renuntiarunt die XXIII. Iunij. S. Io: Baptiſtæ ſacra, Anno Sal. 1243. Hoc cum reſciuit Imperator, mœſtà voce ſubiecit. *Optimum amicum Sinibaldum Cardinalem amiſimus: hoſtem acerrimum, Innocentium Papam nacti ſumus.* Non enim ignota erat Friderico viri conſtantia, ac virtus pro tuendis eccleſiæ iuribus. Krantzius *l.8. Saxoniæ, c.11.* Confirmatus Innocentius in die Apoſtolorum Petri, & Pauli, confirmauit ſtatim ſententiam latam à prædeceſſore Gregorio aduerſùs *Fridericum*, teſte *Matthæo Pariſ.* poſtea Principibus, ac Eccleſiarum præſulibus certioribus de ſua electione factis, literas ac legatos accepit à Friderico ſucati amoris notis aſperſas, in quibus Romanam Fridericus perſtringebat eccleſiam quam cum diu nouercam paſſus eſſet, nunc ſpe meliori ſperaret in matrem. Legati cum ab excommunicato venirent minimè in conſpectum admiſſi Pontificis. Reſpondit tamen benignè Innocentius, ac honorificà legatione rependit, miſſis . . . . Archiep. Rothomagenſi, *Vuillelmo* olim Epiſcopo Mutinenſi, Gulielmo Abbate S. Facundi (vt ex *ep.84. l.1. Innocentii*) qui Friderico deſiderium pacis ſignificarent: ab ipſo poſcerent, vt captos præſules libertati reſtitueret; ad ſatisfactionem iniuriarum prouocarent: prompta eccleſia, ſi eum aliquà affeciſſet (quod non credebat) iniurià, ad reparationem. Concilium nuntiarent æcumenicum, in quo omnes Principes rogarentur mittere ſuos oratores, vt mutuò reſarcirentur iniuriæ. Dum hæc agerentur, venère ex Inſubrià, & Taruiſio legati Innocentium rogantes, ne fœdus cum Friderico percuteret, ni & ipſi æquo iure includerentur. Placuit Pontifici poſtulatio. Viterbienſes autem ac populi circumpoſiti Friderici iugo oppreſſi grauiori, inito cū Romanis fœdere, qui partes ſequebantur Pontificis, deſecerunt ab Imperatore, qui magno impetu in eos irruens, cum nihil proficeret, Piſas ſe recepit. Anagnià verò Romam Innocentius, vbi Tartaricæ incurſionis aduerſùs Vngaros certior factus, Patriarchæ Aquileienſi Crucesignatos mandauit conſcribere, vt Vngariæ ſuccurreret periclitanti. *epiſt. 30. lib. 1.*

Scribit Crucesignatos.

Fridericus interim Interamnenſes contra Narnienſes inſtigabat, vt potentiam ſuam Romæ firmaret. Hoc voto dimidiam *Coliſæi* partem, cum domibus adiacentibus à *Comitibus* Frangipanis ſibi pretio comparauerat; quam emptionem ſeu donationem Innocentius vt extortam, & in præiudicium Romanæ Eccleſiæ, cuius ſeudum erant illa ædificia, literis conuulſit Apoſtolicis. *ep.603.* ne ex eà donatione ad Vrbis dominium occaſionem aucuparetur. Quod ægrè ferens Imperator, violato pacis tractatu, (quem iam ad finem perduxerant Balduinus Imperator Orientis, ac Comes Toloſanus eà conditione, vt Fridericus ſatisfaceret pro omnibus iniurijs ac damnis illatis eccleſiæ) inſidijs ſuis Pontificem irretire tentauit. *Matthæus Pariſ.* Quo animaduerſo Innocentius mox Principes omnes rei geſtæ certiores fecit, vt eccleſiæ adeſſent aduerſùs tyrannum. *ep.645. ad Lantgrauium Thuringię.* ipſe autem clam ſe ſubducēs ciuitatem Veterem, inde conſcenſis triremibus Ianuam, natale ſolum, vbi claſſico campanarum, concentu, ac muſicis inſtrumentis receptus, conclamantibus *Benedictus qui venit in nomine Domini*: quibus alij reſpondebant: *Anima noſtra ſicut paſcer erepta eſt de laqueo venantium; laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Furori ſuo ſibi Pontificem ſe ſe ſubduxiſſe Fridericus accepit, vt facti inuidiam in Pontificem deriuaret ſcripſit, Angliæ Regi, acerbe querens vrbes quaſdam occupare voluiſſe *Innocentium*, quæ potius ad imperium pertinerent, quàm ad eccleſiam: popoſciſſe, reſtitui captiuos, antequàm cenſuris exolueretur: paratiſſimum ſe ad pacem, cuius gratià Reges Angliæ, & Galliç poſcebat in iudices. Indè in ſuos conuerſus clientes, quod præclaram (vt aiebat) prædam è manibus euolare paſſi eſſent, itinera omnia ſepiri iuſſit, quæ ex Italià ducunt in Gallias. Sed operà Marchionis Montisferrati, ac Inſubrum, cluſà Friderici cuſtodià, plures Prælati Ianuam ad Innocentium conuolarunt. Cœterum cum ibi diutiùs tutò manere non poſſet, per Sabaudiam Lugdunum perrexit in Gallias, honorificè ſuſceptus à Ludouico Gallorum Rege, Anno Sal. 1245.

Frideri-ci inſidiæ in Innoc.

Innoc. fugit in Galliā.

Concilū Lugdunēſe

2. *Lugdunenſi indicto Concilio* pro ſacra expeditionem in Terram ſanctam, pro ſchiſmaticis extirpandis in Conſtantinopolitano imperio, ac pro Friderici cauſa in illo ſacro eccleſiæ decidendà ſenatu, literas dedit encyclicas ad Principes, ac totius Chriſtiani Orbis præſules, vt ad Concilium conuenirent. Antequàm verò Lugduni coirent Patres (teſte *Matthæus Paris.*) ob repetitas iniurias, & nouas incurſiones contra perſonas eccleſiaſticas, iterum excommunicauit Imperatorem, clementià ſemper prępoſità, vt ſi captiuos laxaret, terras redderet occupatas, antequàm celebraretur concilium, communioni reſtitueretur eccleſiæ, vt ex *ep.6. Innocentij ad Patriarcham Antiochenum l.2.* Quotieſcumquę etiam ad populum Ludgunenſem ſermonem

ha-

habebat Innocentius (habebat autem omni die ſolemni) toties Fridericum alta voce inclamando, orabat admonebat, vt pacem amplecteretur, Lugdunum ſe conferret obiectis ſatisfaceret, teſte *Blondo l. 7. decad. 2.* Creauit etiam duodecim Cardinales ex diuerſis nationibus, eiſq. poteſtatem fecit ferendi *galerum rubrum*, vt ſcirent, capita ſua pro tuenda eccleſiæ libertate, ad mortem vſq. teneri, eò præſertim tẽpore quo Fridericus ſæuiebat aduerſus eccleſiaſticos. *Fridericus* autem gnarus de dignitate ſuà in publico totius Orbi theatro diſceptandum, Veronam ex Apulià profectus, Principum ſuorum conuentum Lugdunenſi obiecit concilio. Adfuit *Conradus Epiſcopus Friſingenſis*, Otho Dux Meraniæ, *Fridericus Auſtriæ* ſplendido fultus comitatu, qui Friderici gratiam non ſolum redemit, ſed etiam impetrauit, vt in poſterum Duces Auſtriæ titulo potirentur Archiducum. Ibi Cæſar Innocentium grauiſſimè traduxit, negans ſe ſuſpecto tribunali, alıter quàm per legatos traditurum. Satis fore, ſi *Petrum de Vineis*, & *Thadæum Sueſſanum* mitteret, vt obiectis ſuo nomine ſatisfacerent. Adiunxit literas circulares plenas conuiciis aduerſus Innocentium, quas habes in noſtra *Aquilà Sacrà p. 378.* Patres itaq. cum Lugduni conueniſſent, adſtante Imperatore Conſtantinopolitano, Comite Toloſano, legatis Regum, & Principum, *Sueſſanus* audiri petiit. Iuris ille vtriuſquè peritus, ac magnæ facundiæ, promiſſis ingentibus redimendi Terram ſanctam, Græcorum Imperium ad Romanam reuocaturum eccleſiam, erepta eccleſiæ reſtiturum, pro illatis damnis Fridericum ſatisfacturum, tentauit Patrum animos aucupari. Cui breui *Innocentius* reſpondit: *O quàm multa, & quàm magna promiſſa? nunquàm vel vſquàm adimpleta, vel adimplenda. Ecquem ſponſorem tantarum rerum dabit?* Francorum Reges, & Anglorum ſubiiciente Sueſſano; *Neutrum* (inquit Innocentius) *horum accipiemus, ne Friderico fallente, in vtrumquè aduertere compellamur, ac tres terrarum Principes omnium potentiſſimos, hoſtes adipiſcamur.* Quarto itaq. poſt dies, Spiritus ſancti gratiam ſolemniter implorans, calamitates inde, quibus premebatur eccleſia, cum lacrymis cępit exponere. In perorationе verò, Friderici ſcelera, hæreſim, ſacrilegia, commercia cum Saracenis, ſcortationes cum fœminis infidelibus, ciuitates in Italià Saracenis traditas, periuria, quæ ipſius Friderici literis comprobauit, publicè expoſuit. Quibus *Thadæus Sueſſanus* rationibus plurimis ſatisfacere conatus, cum ſpecioſæ magis quàm veræ iudicarentur à patribus; ſpatium poſtulauit, monendi Fridericum, vt ipſe præſens ad dicendam cauſam veniret. Cui Innocentius: *Minimè verò, nam ſi ipſe acceſſerit, ego abibo: etenim laqueos eius, quibus me vix explicui, pertimeſco, nec me adhuc idoneum ſentio martyrio.* Duæ tamen hebdomadæ ad eum certiorandum conceſſæ. Quod vbi Fridericus agnouit, *Thadæi* repudiauit conſilium, negans *Imperatoriæ dignitatis eſſe, ſeſe in iure de crimine ſiſtere.* Quo facto Anglorum, aliorumq. animos, qui ipſi ſtudebant, à ſe ab alienauit. Cum autem tranſactis induciis, multi eum accuſarent, nec obiecta *Sueſſanus* ſufficienter dilueret; *Innocentius* frequenti concilio, XIIX. Kal. Aug. eum anathematizauit, atq. depoſuit. Sententiam excommunicationis habes in noſtrà *Aquilà Sacrà p. 384.*

Rubrũ galerũ concedit Cardinalibus.

Hæc omnia vt Chriſtianis nunciaret principibus, miſit ad Germanos *Philippum Fontanam* Ep. Ferrarienſem hortans eos, vt *Henricum Lantgrauium Thuringiæ*, Regem deligerent. Adiungit *Albertus Stadenſis* Innocentium odio tam acerbo in Fridericum flagraſſe, vt non Chriſtianos modò, ſed etiam Saracenos concitare tentaſſe. Quod veritati alienum, non ſolum probat Paruſius dicens, *inceſſit plures timor, ne Fridericus Saracenos in imperium euocaret.* Anno 1246. Sed ipſius Sultani Babylonis literæ (quæ extant apud Innocentium *l. 3. ep. 29. Stadenſem Krantzium l. 8. Metropol. c. 14.*) ad Innocentium, quibus ſe excuſat, non poſſe pacem conficere cum Chriſtianis in ſcio Friderico Imperatore, cuius veterem amicitiam, qua parenti ſuo fuerat coniunctiſſimus, religioſe colebat. Exardens itaq. *Fridericus*, cum ei nuntiaretur, in Lugdunenſi Concilio, fuiſſe ab *Innocentio* exauctoratum, ad ſuos conuerſus, inquit: *Pontifex in concilio coronam mihi detraxit, videamus an ita ſit?* ac coronam ſibi capiti imponens, dicit: *Coronam ergo nondum Concilii amiſi decreto. An verò Pontifex, cui non eſt par, de culmine Imperialis dignitatis Pontifex deturbabit? meliore nunc, quàm ante conditione ſum. Antea in aliquibus ſaltem ei obtemperare tenebar: nunc omni vinculo patri, & obedientia ſolutus ſum.* Ab hac die cępit Pontificem, affines, amicos, bona nullo diſcrimine diuexari. Principes autem vt à Pontificis amicitià ſeiungeret, literas ad eos ſcripſit dicteriis, ac maledictionibus aſperſas, quas habes in *Aquilà Sacrà p. 388.* Quibus minimè territus Innocentius, *Henricum Lantgrauium* cum in Imperatorem eligi mandaſſet, is verò vel ab hoſtibus ferro ſublatus, vel morte naturali præuentus contumaciam videretur fouere Friderici; *Vuilhelmum Comitem Hollandiæ* ſubſtituit Pontifex, firmatuſque copiis, vt Aquis pergeret ad accipiendam coronam, non ſine Friderici timore, qui vtile de reconciliatione accepto conſilio, Lugduni Pontificem conuenire cogitans, nuncium recipit in procinctu, Parmam ab eccleſiaſticis occupatam. Tunc ita ſuffuſus, mutato propoſito ad obſidionem aduolat, ſperans ſe facile potiturum, quod eam nec firmus murorum ambitus communiret, nec præparata rerum copia confirmaret. Omnia patent ex epiſtola eiuſdem Friderici *ad Capitaneum Regni Siciliæ.* Arctioris itaquè obſidionis inſtituendæ cauſa, nouo oppido *Victoria* nomine (obſeruatis felicibus de Cœlo Aſtris) conſtructo, caſtra ampliſſimo terræ ſpatio ad iuſtam vrbis magnitudinem comprehendit, ac vallo, foſſaque muniuit, eoque theſaurum ſuum, & omnia rectè inſtitutarum ciuitatum opificia tranſtulit, vt nihil à iuſta vrbe differret. Vbi ipſe cum Germanis, *Henricus* cum Mutinenſibus ſtatiua locarunt. Adfuere auxiliares numera ſexaginta mille, inter quos *Hugo Boterius* Parmenſis, qui nepos ex ſorore Pontificis nullo pacto auerti potuit à Friderici amicitià. Annus erat Sal. 1248. cum graui morbo correptus, conualuit, & animi recreandi gratià, die XIV. Kal. Martii, exiit ad aucupium, longè ab oppido *Victoria* nouiter conſtructo, tribus millibus paſſuum, rerum omnium ab hoſtibus ſecurus. Tunc Parmenſes occaſione ne abuterentur ob-

Parmã obſidens extructa *Victoria.*

Digitized by Google

oblata, vrbe cum ſenibus etiam, & pueris, mulieribus etiam adiuuantibus, ope implorata ſuperna exierunt. Quos vt vidit *Thadæus* qui oppidi cuſtos erat; *Tandem* (inquit) *exierunt mures de cauernis*. Sed eo impetu, ac fortitudine, vt oppreſſis cuſtodibus, antequàm Fridericus auxilio recurrere poſſet, vrbe, regiaq. gazà potiti Parmenſes, *Victoriam* incendio ſuſtulerint, carmine appoſito.

Per te Rex alme ceſſit Victoria Parmæ
Antiphraſi dicta, ceſſit Victoria victa.

Nuncio accepto etiam Innocentius cecinisse dicitur:

Ad laudem Chriſti Victoria victa fuiſti.

Tantà clade Fridericus affectus Cremonam venit, cui populus obuiam proceſſit, gratias Deo agēs, quòd tanto è diſcrimine eripuiſſet. Ibi certior factus de *Hencij* victorià aduersùs Mantuanos, ac filij *Richardi* aduersùs Pontificos in Marchià Anconitanà, vt habes in noſtra *Aquilà Sueuà*, Apuliam ſeceſſit, vbi veneno tentatus à *Petro de Vineis* cancellario ſuo, dolo detecto, Medicum laqueo ſuſtulit, *Petrum de Vineis* excæcauit. Conſpiratio hæc præludium fuit maiorum malorum. Nam *Hencio* Rege Friderici filio à Bononienſibus capto, & vinculis tradito, eà lege vt vſquè ad vitæ exitum aleretur in carcere, dum ipſe pro filij liberatione bellum reparat, febri correptus in quoddam caſtellulo (*Florentino* dicto, loci appellatione ad animum reuocata, (quod ei prædictum eſſet ab ariolis, *moriturum in agro Florentino*) finem vitæ ſentiens adeſse, protinùs habitu aſsumpto Ciſtercienſium, adſtante Archiep. Panormitano, ſe ſe eccleſiæ ſubiecit iurans, mandatis eius ſe obtemperaturum. Ritu tandem Chriſtiano, peccatorum expiationem eà contritione peregit, *vt vas electionis* ſit dictum. Plurima vnciarum millia auri legauit Hoſpitalarijs pro compenſatione fructuum, quos ex beneficijs in regno Siciliæ percipere non potuerant. Ad redemptionem Terræ Sanctæ magnam vim auri reliquit. Inimicis omnibus ſincerè pepercit, exceptis regnicolis quos iuſtitiæ commiſit, quòd immerentem prodere voluiſsent. Præcepit filijs, captiuos manumitti: eccleſiæ iura integrè reſtitui: *Matthæus Paris*. Conradum reliquit filios, & Henricum Regem Siciliæ, quem frater peremit Conradus, ſtatim à Manfredo Friderici notho perimendus: iuſtè Diuina Nemeſi Fridericum plectente in poſteris, vt eorum liberi, qui Pontificem patrem eiurauerant, rupto naturæ vinculo ſe ipſos perderent.

Mortuo Friderico, in *Conrado* filio recruduit perſecutio, qui parentis immanitatem non modò æquare, ſed ſuperare viſus Apuliam, Siciliam rapidà ſubegit victorià; Neapolim, Capuam, quæ clientelæ ſe addixerant Pontificiæ, arctiſſima obſidione cinctus ad deditionem compulit. Contra eius tyrannidem tentauit Pontiſex *Richardum* Cornubiæ comitem, Anglorum Regis fratrem in Italiam euocare oblato Regis Siciliæ titulo, ſed iura conſanguinitatis violare aduersùs Conradum Richardus renuit. *Pariſius Anno* 1253. Proinde ad *Carolum Andegauenſem* S. Ludouici Gallorum Regis fratrem conuerſus, eum vtriuſquè Siciliæ feudo inueſtiuit, res tamen in opus minimè perducta, quòd Ludouico Rege in Oriente agente, exercitum ex Gallijs ducere non liceret Romam ab Innocentio. Vocatus Conradus fuerat ad dicendam cauſam præcipuè de nece fratris Henrici, quam diluere miſſis Oratoribus conatus, à Manfredo regni cupido veneno tollitur, *Villanus Ricordanus*. Sublato Conrado, Conradini tutelà ſuſceptà Innocentius, *Guillelmum* Cardinalem S. Euſtachij miſit in Siciliam: ipſi ſubſequenti Manfredus occurrit, vtque ſe commendaret, ſtratoris exhibuit officium, ſed hoc in ſpetiem honoris, nam paulò poſt excitatis Saracenis, qui Nuceriæ degebant occupataquè gazà regià; quam ibi reconderant Conradus ac Fridericus, militem Pontificium donis ad ſua vexilla pellexit, ac legatum Innocentii fugauit inermem.

Innoc. ſecedit in Siciliam.

3. *Galeri purpura &c.* vide ſupra *n.2.*

4. *Stanislaus*. De Canonizatione B. Stanislai Epiſcopi Cracouienſis actà per Innocentium IV. Anno 1253. Longinum habes, atq. Cromerum.

Canonizatio S. Stanislai.

5. *Petrum Veronenſem*, qui in Dominicanà familià Bononiæ magnà innocentià tyrocinium agens, hoſpites habuit in ſub cubiculo tres Virgines de Cœlo delapſas, quæ viſæ, & à pertranſeuntibus auditæ occaſionem dedere cœnobitis, eum accuſandi quòd pellices ſubinduxiſſet in cœnobium. Crimen cum nec fateretur, nec negaret relegatur. Dedecus agitanti, & coram Crucifixo querenti, *Quare mi Ieſu, tantà ignominià affectus eſt ſeruus?* reſpondit Imago clarà voce: *Et ego quid feci, vt morte condemnarer turpiſſimà? E me Petre, ſi neſcis, diſce opprobria ferre patienter*. Fuit exin Petro mortificationis ſui ipſius incredibile ſtudium, vt ex nimio viuendi rigore in morbum inciderit. Eius vita immunis à ſorde, aduersùs hæreticos vtiliter pugnauit, quo in bello palmam nactus martyrij, anno obitus nondum completo Sanctis adſcribitur ab Innoc. IV. Anno 1251. vt ex *ep. Innocentij* 123.

S. Petrī Veronenſis.

6. *Ludouicum Gallorum Regem*; Ad mortem ægrotabat Ludouicus Rex Gallorum, Anno 1244. (quo Lugdunum fugerat Innoc. IV. à tyrannide Frideric. II.) vt vna ex matronis, quæ aſſidebat decumbenti, extremum arbitrata exhalaſſe ſpiritum, faciem linteo obuoluere deliberaret: Obſtabat altera, vt inſtar mortui componeretur: cum inter altercantium voces, collectis viribus, vocem recipiens amiſſam, crucem ſibi mandat afferri, & ſacræ ſe accingit expeditionis voto, quod Lugduni confirmauit præſente Innoc. IV. Anno 1248. Chriſto de Cœlo inuitante iter aggreſſus, fœliciter Syriam tenuit. Primo impetu expugnauit Peluſium in Nili faucibus ſitum (porta hæc erat, vnde Ægyptij militem tranſmittebant in Terram Sanctam) more Iſraelitico oratione potiùs, quàm ferro. *Ionuilleus*. Obtentà tam facilè munitiſſimà Ægypti arce, tota Ægyptus mox ſubiicienda credebatur. Æſtas ibi tranſacta, donec detumeſceret Nilus. Cadente Nouembri contra Maſſoram Ludouicus mouit, quo Ægyptiorum vires confluxerant, & obuios Sarracenos magna clade fudit. Inde fluuio ſuperato *Thaneo*, Soldani morte auctis Chriſtianorum rebus, vndiq. eis aſpirare videbantur triumphi. Aduersùs Cayrum ab Vrbis Præfecto euocati ira in Soldanum æſtuante (quod fratrem ſuum neci tradidiſſet, qui Peluſio præerat amiſso) pergebant alacres Galli. Cum ecce *Robertus* Atrebatenſis Regis Ludouici fra-

Expeditio S. Ludouici in Syriam.

frater proſpero elatus ſucceſſu, videns Sarracenos in aduerſa fluminis ripa fugientes, effuſis habenis barbaros inſecutus, eiſq. permixtus, Vrbem Maſſoram ingreſſus numero tamen impari, quod ſecunda, & tertia Chriſtianorum acies nondum flumen traiecisſet; collectis animis barbari Chriſtianos vrbe magnâ expulere clade. Occubuere viri clariſſimi *Robertus Vuillelmus longa ſpatha* regio Anglorum ſanguine natus. Augebat calamitatem morbus repentinus, qui totum exercitum inuaſerat. Peluſium redire decreuerat Ludouicus, ſed à Barbaris terra, ac flumine interceptus, inito certamine, dum fortiter pugnat, à præcone proditus, vincula ſubit barbarorum, totius exercitus clade, quorum nullus euaſit. Hac victoriâ inflati barbari, quaſi de Chriſto Domino triumphaſſent, ipſius pendentis è cruce imaginem in noſtræ religionis opprobrium flagris ceciderunt. Molliuit tamen crudelem *Sultani* animum ſuperna pietas, vt Regem liberaliter tractaret, ac cura Arabum (quibus non ignotus ille morbus) ſanaret. Eam conſtantiâ Ludouicus ſeruauit in carcere, quam martyres in tormentis. Tentatus pro reſtitutione Peluſii, ac Damiatæ negauit, donec certior factus manibus Chriſtianorum non poſſe defendi, barbaris irruentibus: animum conuertit ad inducias. Fuere, *vt Sultanus Regem Ludouicum, & Chriſtianos captiuos liberos à ſe dimitteret. Chriſtiani Damiatam redderent, retentis ſolummodò aliquibus locis Terræ Sanctæ. Decies centenna aureorum millia pro lytro ſoluerent Chriſtiani.* Ludouicus autem nolens pecuniâ æſtimari, Peluſium Ægyptijs promiſit reſtiturum iri. Qua ſinceritate captus in admirationem Sultanus, ducenta aureorum millia remiſit. *Ionuillæus.* Innocẽtius auditâ clade, omnem mouit lapidem pro ſubmittendis auxilijs, ac vt pacem inter Principes conciliaret. Quod vt facilius perſolueret

Chriſtiani victi.

S. Ludouici captiuitas.

7. *Lugduni*, Ludguno vbi per octo annos pacificè degerat, in Italiam deſcendere decreuit. Illinc antequam excederet, eum inuiſere voluit *Ericus* Rex Angliæ, ac *Blanca* Ludouici mater. Ille autem præ humilitate non ſuſtinens *Erico* ſignificauit, oportuniori occaſione, mutuo perſruendum colloquio, ne Ludouico abſente, per *Erici* aduentum pax Galliæ turbaretur. Reginam verò *Blancham* vix ex morbo conſiſtentem, quieſcere admonuit. *ep.* 60. & 68. Ita cum aulicorum moleſtias facilè euaſiſſet, *Ligurum* claſſe reuectus, Ianuam primò, inde Mediolanum venit contra *Ezelini* tyrannidem, ac Friderici ſectarios.

In Italiã deſcendit Innoc.

8. *Principes* legibus ſolutos, cum diceret Innocentius, non tamen Dei vel naturæ; *Iacobum* Regem Aragonum Anno 1246. piorum cætu ſemouit (quia Epiſcopo Gerundenſi, qui Regis crimen palam fecerat Innocentio, linguam abſcindi mandauit) donec coram Epiſcopis Rex in genua procumbens, ac verbis grauiſſimis caſtigatus, ea eſt conditione abſolutus ſi Ciſtercienſibus monaſterium ac Valentiæ peregrinis excipiendis hoſpitium erigeret. *Mariana l.* 13. *c.* 6. Ferdinando etiam Caſtellæ Regi petenti filium minorem Eccleſiæ præficere Oxomenſi, negauit Pontifex, quòd paſtorem, non puero indigeret eccleſia. *ep.* 219. Henricum Angliæ Regem, quià Epiſcopum exagitaret Vintonienſem, ita monitis corripuit paternis, vt ſummo honore, ac omnium plauſu Rex Præſulem in Angliam reuocauerit. *Pariſius*. Sanctium Regem Luſitaniæ, cuius inertiâ eccleſia Luſitana facta erat ſpelunca latronum, regni adminiſtratione priuauit, comiſſâ iuſtitiæ atq. armorum auctoritate *Alphonſo* Sanctij fratri. *Mariana l.* 13.

Principes corrigit, corripit

9. *Obiit*. Contra Manfredum inuaſorem Siciliæ cum deſcendiſſet Innocentius in Apuliam, *Theani* aduersâ implicitus valetudine ſubſtitit Anno 1254. Inde Neapolim venit, vbi morbo ingraueſcente decubuit. Eius obitum Alexander IV. ſucceſſor *libr.* 1. *epiſtol.* 2. ita refert. *Sanè fœlicis recordationis Innocentio Papa prædeceſſore noſtro, VII. Idus Decembr. in Regno Siciliæ, in ciuitate Neapolis de anguſto, & tetro carnis carcere vocato, ſicut ſperamus ad ſpatioſum, & lucidum Cœli palatium, vt de multis laboribus, quos pro eccleſiæ honore, ac libertate conſtanter pertulit, mercedem quietis percipiat ſempiternæ; ac deinde ipſius ſolemniter celebratis exequiis, eiuſq. corpore honorificè, prout decuit, tumulato; nos tunc Oſtienſis, & Velletrenſis Epiſcopus, & cæteri fratres noſtri mox prò eligendo ſucceſſore ſimul conuenimus.* Vltione extinctum cęleſti tradidit Thomas Cantipratenſis *l.* 2. *c.* 10. ob Prædicatorum, & Minoritarum abſciſſa priuilegia, repentinaquè percuſſum paralyſi, vocis officium ad mortem amiſiſſe. Adiungit *Bzonius* Anno 1254. n. 2. à Dominicanis ad cæleſte implorandum auxilium inter alias preces contra Innocentium, *Litanias* quaſdam fuiſſe inuentas, quæ dum Romæ recitarentur à fratribus Dominicanis, viſam fuiſſe Deiparam mæſto vultu ad filium conuerſam cum Dominicanis iterare preces, *exaudi eos*: nec multò poſt ad mortem contabuiſse Innocentium, vndè in prouerbium abierit: *à Litaniis Prædicatorum libera nos Domine*. Hæc *Bzonius Dominicanus* cuius in fabulis immorari ſuperfluum. Iam Literatia Reſpublica pondus librauit auctoris. Vtinam Regulares à Patrum ſuorum non aberrarent inſtitutis, & clauſtris incluſi, diuina mæditantes, ad ſæcularia non irrepſiſsent. Hæc ſordidè contrà Innocentium conficta prudens lector animaduertet, ſi regularium priuilegia ab Innocentio reuocata tantùm recenſeat. *Præcepit in virtute S. obedientiæ, vt diebus feſtis alienos Parochianos de cætero in ſuis eccleſiis ſeu oratoriis temerè non recipiant ad diuina: ad pœnitentiam non admittant ſine licentiâ ſuorum ſacerdotum. Ante Miſſarum ſolemnia in ſuis non audeant prædicare eccleſiis, pro quibus audiendis parochiani ſolent conuenire.* Hæc, & ſimilia memorat *Vuadingus* in annalibus Minorũ Anno 1254. quę non in odium Regularium (nam Confeſſor ei *Minorita* erat, ac in pręcibus legationibus Dominicanis eſt vſus) ſed ad ruendam Cleri maieſtatem Innoc. impoſuit, ne eccleſiæ parochiales abſoleſcerẽt, ſed in eis pia nobiliũ exempla calcaria eſſent minuto populo, ad legis diuinæ obſeruantiam. Plebs namq. maiorum excitata moribus, præcipuè in ſolemnioribus, erubeſcit, mores Principis non imitari. Mendacij etiam conuincitur idem *Cantipratenſis* ſcribens, vocem amiſiſſe Innocentium, nam teſte *Pariſio*; cum audiret aſtantes conſanguineos plus æquo lugentes mortem ſuam increpuit fortiter, dicens: *Quid plangitis miſeri? Nonne vos omnes diuites relinquo? quid amplius exigitis?* Monacho Paduano, ſæpiùs ea verba in ex-

Obitus Innocẽtij.

Cauſa fabulę.

Zelus religionis imminutus ex cauſâ Regularium.

extremis emiſit : *Domine propter iniquitatem eor. ripuiſti hominem* . Quæ ab omni Chriſti cultore demiſsè dicenda , ac repetenda . Liuore non vacat in Innocentium , *Matthaus Pariſius* fingens à *Roberto Lincolmienſi Epiſcopo* extrà eccleſiam deſuncto (cuius oſſa exhumari mandauerat) in ſomnis percuſſum pedo epiſcopali, hac plagà deceſſiſſe ; Addens ex viſione cuiuſdam Cardinalis,geſta Innocentij examinata fuiſſe,& damnata, vt pro meritis gehennæ mercedem apprehenderet. Hæc enim *fantaſtica* viſio , eodem Pariſio teſte ; illa fabuloſa in gratiam Epiſcopi excommunicati confictà à *Matthao Pariſio*,eiuſq.aſseclà *Philippo Morneo:* quibus auctoribus , Lincolmienſis cum quædam mandata ab Innoc. accepiſset (qualia fuerint?ignoratur) quæ ei valdè diſplicebant , ea cauſatus Patribus aduerſari antiquis,Pontifici reſcripſit inſolēter. Quibus lectis Innocentius(fabulantur impoſtores ſupradicti) exęſtuans reſpondit. *Per Petrum, & Paulum,niſi moueret nos innata ingenuitas , ipſum in tantam confuſionem pracipitarem, vt toti mundo fabula foret . Nonnè Rex Anglorum noſter eſt vaſſallus, & mancipium , qui poteſt eū nutu noſtro incarcerare?* At quis credet Innocentiū prudentià,doctrinà tam inſignem , qui à Canoniſtis dictus *Lucerna Iuris*) irà adeò excſtuaſse , vt Regem Angliæ amicum,fidelem,nil ſiniſtri meditantem , *ſuum* appellauerit *mancipium*? Nugę ſunt hæ,non hiſtoriæ. Eam perpende Cardinalis viſionem , in quà de tribus accuſatur Innocētius *Eccleſiam in ſeruitutem redigiſſe*: cum tamen tot ei diſcrimina contra Fridericum, Conradum, Manſredum,Luſitanos, Arragones ſolùm pro tuenda eccleſię immunitate. Secundò quòd eccleſiam fecerit *menſam nummulariorum*: cum tamen tota eius vita in laboribus , peregrinationibus , & anguſtijs , vnde tueri eccleſiam coactus fuerit linguà , & gladio . Tertiò, in *diſcrimen adduxiſſe fidem* ; geſta negant in Ruſsos , Græcos , vt eccleſiæ reconciliaret Romanæ . Tantæ vigilantię diplomata , ad monimentum æternitatis ſuperperuiuunt inter epiſtolas Decretales. Accedat teſtis omni exceptione maior Venetorum Reſp. fędere ei iuncta ſempiterno , ad quam excitandam in Græcos ſchiſmaticos,*Pantaleonē Iuſtinianum* patricium Venetū,capellanum ſuum,Reip.filium chariſſimum,quòd non tàm auorum meritis,quàm ſuis illuſtris, Plebanus cum eſset Eccleſiæ Collegiatæ S.Pauli, Venetas compilaſset leges , & ad vſum ſori miro ordine diſpoſuiſset (vt legimus in *probamio Veneti Statuti*) Patriarchali Conſtantinopolitanà dignitate donauit , credens rem gratiſſimam facere Reip. Chriſtianiſſimæ, vt patet ex elogio ſequenti,quod ei ipſe concinit Innoc.IV. idq. habes *l.* 10. *ep.*37. *Vt in te prouida circumſpectionis deflectamus intuitum , hac ſpecialiter ſuggerunt inter multa, deuotio videlicet Veneti populi , vndè te natales conſpicui produxerunt , que eccleſia Romana fędere inconcuſſo coharens , ab eius obedientià nunquàm euelli funditùs potuit,inundatione quacumquè in fundamentum catholica fides prò tempore irruente .* Votum quidem erat rem Venetis gratam facere,ſed magis curam agere gregis Catholici apud Orientales; propterea totius exercitus Chriſtiani , pro ipſius imperij Orientalis ſubſidio , legationem commiſit : vt ex regiſtro Innocent. IV. *epiſt.* 816. & 808. Regnabat tunc Byzantij Baldoinus Imp. quem perfidià Michaelis Paleologi imperio pulſum , in Euboeam dum Patriarcha ſequeretur fugientem (teſte Petro Iuſtiniano *l.* 3. *Hiſt. Ven.*) à latronibus captus (vt legimus apud noſtros) ære redemptus eſt Alphonſi Hiſpaniarum Regis , quem Pantaleoni Iuſtiniano conciliauerat ſama virtutis . *Mariana l.* 13. *c.*16. *de Reb. Hiſpania.*

Rex namq. gloriæ cupidus , argenti pondo viginti millia (redemptionis pretium , quod Byzantina Auguſta cum Sultano Ægijpti pro libertate Imperatoris mariti ſui , & Patriarchæ pacta , à Romano Pontifice , & Galliæ Rege impetrare non valuit ; Anno 1268. Burgos appulſa , cum tertiam tantùm pretij partem ab Alphonſo peteret , integrum pretium inſigni accepit liberalitate .

Vndè deficere videtur elogium ſepulchrale ei poſitum Venetiis, in Eccleſià S.Pauli tanquàm veritate minus habens .

D. O. M.
Panthaleon Iuſtinianus P. V.
Sacræ huius ædis antiſtes
Scientiarum Iurium Peritiſſimus
Venetorum Decretorum Codici reſtitutor
Anno MCCXLII.
A Reipublicæ Patribus præficitur
Poſtea Conſtantinopolitanæ ſedis Patriarcha
Captà
Anno MCCLXI. à Michaele Paleologo
Byzantinà Vrbe
Memorandæ perpetuò iacturæ
Conſpector męſtiſſimus
Chalcidè Euripi Citiſſimò Venetias redux
Suauiſſimo Contemplationis otio
Vitæ reliquum indulgens
Senex obijt .
Sanctus Riccius templi Antiſtes
Venetiarum Canonicus
Ad Sacelli Venuſtatem, & decorem
Piè Antonij Catti Inſtauratoris ,
Executor
Venerandæ DD. Hermagoræ , & Fortunati
Congregationis permiſſu,
Admirandis vtriſquè prędeceſſoribus
Perpetuum monumentum
Pientiſsimus
Erigi curauit
Anno ab orbe Redempto M. DC. XV.

Sed fuſiùs de hocPantaleone Iuſtiniano eiuſq;pietate erga parentes(vt ex tabulis teſtamentarijs)memoria recurret , in vità eius agnati M. Antonij Iuſtiniani regnantis Venetorum Principis (cuius religione, & pietate Leo victrix exultat) quam meditamur .

Sepultus eſt Innocentius in Cathedrali Neapolitanà, epitaphio ab *Vmberto* Archiep.Neapol. appoſito , dein ab *Annibaldo* Capuano reſtituto.

Sepultura Innocent. IV.

Hic ſuperis dignus requieſcit Papa benignus
Lætus de Fliſco, ſepultus tempore priſco ;
Vir ſacer, & rectus, ſancto velamine tectus ,

Vt

INNOCENTII PAPAE IV. MONVMENTVM. 16



Vt iam collapſo mundo temeraria paſſo,
Sancta miniſtrari vrbs poſſet quoquè teſtificari.
Concilium fecit, veteraq. iuſſa refecit.
Hereſis illiſa ex tunc extitit, atq. reciſa.
Mœnia direxit, rectè ſibi credita rexit.
Strauit inimicum Chriſti colubrum Fridericum.
Ianua de nato gaudet ſic clarificato,
Laudibus immenſis vrbs tu quoq. Partenopiſis
Pulchra decore ſatis, dedit hic ſibi, plurima gratis,
Hoc titulauit ita Vmbertus Metropolita.

Innocentio IV. Pontifici Maximo de omni Chriſtianà Republicà optimè merito, qui natali S. Io: Bapt. Anno 1241. *Pontifex renunciatus, die Apoſtolorum Principi ſacra coronatus, quùm purpureo primus pileo Cardinales exornaſſet: Neapolim à Conrado euerſam S.P. reſtituendam curaſſet, innumeriſq. alijs, præclarè, & propè diuina geſtis Pontificatum ſuum quàm maximè illuſtrem reddidiſſet Anni MCCLIV. B. Luciæ Virginis luce, hac luce ceſſit, Annibal de Capuà Archiep. Capuanus in Sanctiſſimi viri memoriam aboletũ vetuſtate epigrãma reſtituit.*

Scripta Innoc. IV. Scripſit Innoc. contra Petrum de Vineis, *de poteſtate eccleſiaſticà* Apologeticum M. S. in Vaticanà bibliothecà.

De poteſtate Imperii & eccleſia ex Poſſeuino.

A *Interpretationes in Vetus Teſtamentum.*

Vitam S. Guillelmi Epiſcopi 79. *Brincenſis*. M. S. in Vaticano.

Officium quod in Nat. B.V. Mariæ Octauà legitur, ex Baronio in *Martyrologio*, die 15. Sept.

Regulam *Clariſſarum*. M.S. in Vaticano.

Exceptionum librum.

Authenticas, quas addidit ad Greg. IX. Decretales.

Commentariu, ſeu *Apparatum* ſuper l. 5. Decretalium.

In hoc ſtudio tantum excelluit, vt *Pater Iuris, Lucerna Iuris* appellaretur.

Studio viſendi *Claram* Virg. famà ſanctitatis fulgentem Aſſiſium profectus, morbo decumbenti pedem obtulit oſculandum. Allatos cibos in prandium cum iuſsa à Pontifice virgo, Crucis formà manu efficta benedixiſset: mirum, in omnibus illis imago Crucis conſpecta, quam panis etiam in quatuor partes diuiſus, Innocentio retulit vidente. In Cęlũ paulò poſt migrante *Clarà*, ad locum, vbi conſpiciebatur cadauer, acceſſit Pontifex cum Cardinalibus: officium defunctorum recitare incipientibus, *S. S. Virginum officium* dixit recitandum. Sed reſpondente Cardinali Oſtienſi, *maturiùs procedendum*. Defunctorum eſt recitatum officium. *Surius. Vuadingus tom.* 2. Viſitat Claram Virginem.

SIGNVM INNOCENTII IV.

Notas fac mihi Domine vias vitę.

Anni Sal. 1254.

Cauſam quæris ſeceſſus?
Vmbra fuit ſe accuſans, & damnans.
Ab vmbrà Bruno honorũ ũbras timere didicit
Et ne vmbra falleret, in vmbras fugit.
Epiſcopum Hugonẽ habuit naſcentis gloria teſtem
Vidit iſte eò pergere ſeptem ſtellas.
Tot .n. fuere Brunonis ſocii, qui Cęlũ cõflarunt
Silentio, Pſalterio, Ieiunio.
Non aliud in Cælo agitur.
Aſſueti Cœli delitiis, cibo vix egent.
Ne carnem ament, odiſſe tenentur ex voto.
Hec in carnẽ inſtituta, cũ totus Orbis eſſet in carne.
Sed Virtus præualuit,
Cum cœpit regnare Alexander.

A Inter milites, quos in caſtris cẽturiauit Eccleſię
Fuit Albertus [8] *Magnus*.
Hic ſatis, vt faciat Maximum Alexandrum.
A quo coactus infulam induere Ratisbonenſẽ,
Orbem impleuit octingentis voluminibus.
Minora ſcribere non poterat dictante Deiparà.
Magnum opus meditabatur Pontifex
Italorum Pacem.
Perficere impotens erubeſcens Alexander dici,
Ex mœrore obijt [9] Anno Pontificatus ſeptimo.
Parentarunt ei paupetes [10] amiſſo parente
Voluiſsẽt etiã Bauari [11] ac Luſitani [12] iuſta ſoluere
Sed extra Eccleſiam ab Alexandro poſiti,
Lugere potuerunt non mortuum, ſed ſeipſos.

Alex. IV. natalia.

1 ALexander huius nominis *Quartus*, anteà *Reginaldus*, ſeu *Raynaldus* filius *Philippi* comitis Anagnini, *Seſſa* natus in Campanià Felici, Creatus à *Grẽgorio IX.* Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, vir doctrinà, eruditione, ac ſanctitate celebris, qui inſigni miraculo ſanitati reſtitutus à B. Stanislao Ep. Cracouienſi, eius canonizationem poſtea promouit. Rẽ narrat Longinus *l. 7. An.* 1253. *Reginaldus Epiſcopus Oſtienſis canonizationis viri Dei Stanislai præcipuus hoſtis, & aduerſarius, cuius conſilys propter notam hominis in vtràq. ſcientià ſolertiam, & probitatem Innocentius Papa differebat; graui adeò morbo correptus eſt, vt tam ſuo, quàm phyſicorum iuditio propinquam ſibi mortem imminere ſperaret: in quà cum dies aliquot laboraret, vigilanti illi, & in camerà priuatà exiſtenti ſolitario, B. Stanislaus in Pontificali* C *amictu cum magno ſplendore apparuit, & in grabato iacenti, dea ſioneque ignota perſona, & inſoliti fulgoris ſtupenti vir Dei Stanislaus ait: Agnoſcis ne me? Qui tremens, & ſtupens, ac verba vix formans: Non agnoſco reſpondit; quaſo tamen qui ſis, qui cum tantà luce clauſis etiam ianuis in cubile meum intraueris, edicas: Ego ſum, ait, Stanislaus Cracouienſis epiſcopus, prò nomine Ieſu Chriſti, eiuſque Eccleſià, & veritate glorioſo martyrio à Boleslao Rege Polonorum damnatus: cui tu te aduerſarium, non rectè de vità, & miraculis, martyrioque meo, propitià diuinitate à me patratis, ſentiendo, conſtituiſti. Ad quem Reginaldus Cardinalis ſpiritu reſumpto: Ignoſce ait, mihi, & ignorantia mea præſul ſanctiſſime, & veniam præſtare digneris meo errori: fortiorem promotorem canonizationis tua, quàm* D *impeditorem pertuleras, habiturus. Cui vir Dei Stanislaus: Vt me, inquit, in conſpecta Dei, & ſanctorum glorificationem, & ſanctificationem martyrio, quod accepi, conſecutum eſſe cognoſcas, à grabato, & ęgritudine, quibus detineris, valens, et incolumis illicò conſurge, caeq. ne canonizationi mea de catero aduerſeris; quam non in meam amplitudinem, & gloriam tantummodò, qua ego iam pleniſſimè in videndo Deo perfruor, ſed in omnium fidelium ſalutem, & profectum diuina decreuit conſumare clementia. Cardinali Reginaldo omnia, qua iubebantur, expleturam ſe pollicente, viſio diſparuit. Qui accerſitis ſeruis ſuis ſterni ſibi equum, quo ad palatium papale vehatur, imperat; qui et ſi illum primum delirare crediàiſſent, eo tamen ſine adiutorio, & de lecto conſurgente, & equum aſcendente, in magnam, & ipſi eo ſtatim de ſubità D. ſui conualeſcentià verſi, illum vſquè* B *ad papale palatium iocundi comitantur. Innocentius denique Papa Reginaldum Cardinalem veniſse, & plenè ſanum, quem propè horam morituram ſperauerat, intelligens etiam aduenienti occurrit, & quomodò ad valetudinem tam ſubitò redierit, ſolicitè inquirit. Cui Reginaldus cardinalis: Beatiſſimus inquit, martyr Dei Stanislaus Cracouienſis epiſcopus, cuius ego canonizationis apud tuam ſanctitatem ſui impeditor, hac eadem horà mihi cum claritate vix ferendà apparuit, & ignorantia mea facinore benignè correpto, etiam mihi in euidentiſſimumque ſua ſanctitatis ſignum ſanitatem, quà me ex homine paulò ante infirmo, & ad mortem iudicato, pollere video, reſtituit, & beneficium prò iniurià rependit, interminatus etiam vltionem, ſi illius canonizationi obſtitero. Scelere itaque ignorantia mea apud te recognito, & in viri beatiſſimi Stanislai canonizationem pronus, & prò illa ſupplex ad pedes tuos, ne diutiùs illam deſferas, procumbo, intercesſionem etiam ſuam prolapſu teſtatus. Id miraculum dum in Perusiorum vrbe grandi, & celebri ſermone vulgatum eſſet, & omnium mentes, ac pectora Polonorum præcipuè, et nuntiorum, atque procuratorum canonizationis vir Dei gaudio immenſo oppleſſet; virum Dei Stanislaum certatim canonizatione digniſſimum depromebant.*

Vir antiquæ ſeueritatis *Reginaldus*, in Sanctorum canonizatione adeò maturè, ac rigidè procedebat, vt ad veritatis lucidum teſtimonium ſemper aliquid obijceret. Simile quid accidit, cum Innocentium ad viſitandum cadauer nuper defunctæ Claræ Franciſci diſcipulæ, ac incipientibus fratribus Officium recitare Defunctorum; repentè Innocentius *de Virginibus*, non *de Mortuis* celebrari proloquitur, vt prius eam canonizare videretur, quàm corpus eſſet traditum ſepulturæ: *Sed reſpondente Epiſcopo Oſtienſi, moroſiùs in his agendum fore, miſſa de mortuis celebratur.* Apud Surium *tomo* 4. *Conſcidente poſtmodum Summo Pontifice, Cardinalium quoquè, & Prælatorum cœtu, Oſtienſis Epiſ.* de vanitate vanitatum *Sumptà dicendi materià, vanitatis egregiam contemptricem nobili ſermone commẽdat. Sublato itaq.* (Sũt verba Pariſienſis) *Innocẽtio IV. ſubrogatus eſt vir, ſatis benignus, et benè religioſus aſſiduus in orationib. in abſtinẽtià ſtrenuus: ſed ſibilis adulantium ſeducibilis, & prauis auarorum ſuggeſtionibus inclinatiaus* (Genio Pontificibus ſemper aduerſo indulget Pariſius) *Epiſcopus videlicet Oſtienſis, nepos Gregorij Papę pridem defuncti, qui ipſam in Epiſcopatum promouerat: & vocatus*

Electio Alex. IV. in Papam.

eſt Alexander IV. Exegerat eccleſia integros dies tredecim in luctu, cum Neapoli Cardinales ingenti metu ob acceptam à Manfredo cladem trepidantes, paribus votis *Reginaldum* die 12. Kal.Ian. elegerunt iuxta vaticininm Malachię Prophetæ, *Signum Oſtienſe*; quia *Signia*, vel *Seſſa* Comes, & Cardinalis Oſtienſis. *Scripſit protinùs cunctis Eccleſiarum prælatis, poſtulans, humiliter, orarent pro ipſo, vt Dominus daret ei poteſtatem, gratiam, & voluntatem, eccleſiam Dei congruè gubernare: et vicarius Dei, et Petri competenter appellari. In quo nouo facto, alii enim ſucceſſores nil tale fecerunt, multorum corda in ſpem erexit meliorem. Veruntamen à collateralibus fratribus ſui decipi citò ſe permiſit eius ſimplicitas. Et de bullâ ſuâ, quæ eſt pignus fidei Papalis, et teſtimonium, facta eſt, vt dicitur fraus inopinata: non tamen in his ipſum excuſo. Papa enim talis eſſe debet, vt non decipiat vel decipiatur: vtrumq. enim in tanto viro reprehenſibile eſt. Concilio nempè aliquorum, in quot confiſa anima eius requieuit confidenter, et perſuaſu prædeceſſoris ſui Innocentii IV. qui fratres Cardinales adhuc moriturus animauerat, bellum inchoatum contra Fredericales, et præcipuè* Manfredum *filium* Friderici *naturalem ſed legitimatum potenter continuare præſumpſit*. Hucuſque Matthæus Pariſius, qui ſtylo ſemper venenato aduersùs Pontificem, veritatem tamen etiam cum occulere tentat, palam facit. *Quibus cum videretur D. Papa durum in primitijs ſuis contradicere, ratum, et gratum habuit, quod viri ſæculares, et ſæcularibus pompis dediti conſuluerunt: Abſurdum eſſe, et manifeſtè eccleſiaſticæ religioni contrarium, vnam ciuitatem* Sarracenis *inhabitatam, et refertam, quam reuerà* Fridericus *fundauerat, in finibus Chriſtianorum tolerare*. Erat hæc *Nuceria*, domus refugij, & ſpes confidentiæ Friderico Conrado, Manfredo tandem aduersùs eccleſiam. Inhabitabant eam ſexaginta millia armatorum *Sarracenorum*, ad bellum apta conſerendum. Hanc ſubuertere cum decreuiſſet Alexander ex conſilio Cardinalium, *Octauianum* Cardinalem legauit cum Crucesignatis, ſed inſidijs, interceptus, exercitu diſſipato, vix ipſe euaſit. *Pariſ.* Facilè credebatur

Calumniæ in Alex. IV.

Mouet in Manfredum & Sarracenos

2. *Manfredus* ſuperandus, nec ſpes inanis, ſi cum eo milites non conſpiraſſent Pontificij. In regiam Anglorum familiam regnum Siciliæ tranſtulerat Alexander, ac per annulum *Edmundum* Henrici Regis filium, ritu induerat ſolemni: ſed Marte conuerſo, & rerum potiente Manfredo, qui ex Campaniâ in Siciliam irrumpens, Pauormum occupauerat; Anglus turpi ſegnitie conſenuit. Grauiſſimas vbiq. turbas excitabat tyrannus aduersùs Pontificem, vt Siculæ intentum exturbaret expeditioni. Ipsâ in Vrbe magiſter piſtorum (teſte *Pariſio*) concitatâ aduersùs Senatores plebe, *Brancaleonem* Manfredianæ factionis (qui detinebatur in vinculis) ſoluit, ſenatorem ſalutat, nobiles vrbe pellit. Alexander ipſe Pontifex cum Cardinalibus (Annus erat 1258) furori vt ſe ſe effrænato ſubduceret, Viterbiũ profugit. Brancaleo in vindictam anathematis, quo percuſſus, *Anagniam* Pontificis patriam delere decernit. Hinc Anagnienſium lacrymis permotus Pontifex, pacem cum *Brancaleone* non reſpuit oblatam. Anno tamen non ſuperuixit rebellis, cuius caput in pretioſo vaſe locatum, columnæ impoſitum marmoreæ populus honorauit, quia potentiorum capita decuſſiſſet. Manfredus vt ſuam compleret tyrannidem, nuntios miſit in Sueuiam ad matrem *Conradini* Reginam *Eliſabeth*, muneribus onuſtos pretioſis, à quibus cum rogaretur *Eliſabeth*, *Conradinum*, qui inter collactaneos ludebat, ſalutari permitteret, magnâ honoris ſignificatione puerum obtulit ſuppoſititium, qui deguſtatis fructibus, quos ei veneno infectos Oratores obtulerant, paulò poſt perijt. Siculi verò Oratores concito gradu Venetias regreſſi, ac publicatâ falsò *Conradini* morte, quem necaſſe putabant, triremem pullis velis, ac toto apparatu pullato ornatam, ipſi etiam attrati, in Apuliam applicuerunt, dolorem fingentes de *Conradini morte*. His Siculi circumuenti, Regem ſalutarunt *Manfredum*, qui Panormi die 1. Aug. Anno 1258. regia accepit inſignia, & vt ſabulam ſabulà exornaret, ſe à *Friderico* Imperatore vulgauit legitimatum per ſubſequens matrimonium, initum cum amaſiâ tempore obitus. Arreptæ à *Manfredo* tyrannidis, cum ſama in Germaniam emanaſſet, miſſus eſt à Conradino in Siciliam legatus, qui tyranni fraudes deregeret, ac Siculos ad obſequium pueri reuocaret. Auditis legatis *Manfredus* reſpondit, regnum Siculum ſibi gladio partum, reſtituere non teneri nec poſſe; quia Romani Pontifices Germanos iam exhæredaſſent. Cumque Orator haud finem dicendi faceret, interceptus à Manfredo obtruncatur. Quâ de causâ in iudicium ab Vrbano IV. Manfredum euocatum literæ oſtendunt. Alexãder tamen bellis ſuperioribus feſſus, ac Siculorum miſertus, qui ob defenſas Eccleſiæ partes, patriâ exulabant extorres, oratori *Manfredi* pacem obtulit eâ tamen conditione, ſi exules bonis reſtituerentur: Sarracenos Nucerianos pelleret: ac arma gereret aduersùs *Palæologum* ſchiſmaticum imperii pro *Ioanne Laſcari*. Iuſta poſtulata tyrannus renuit, in Sarracenis ſpẽ omnem collocans, quos non ſolùm retinere velle proteſtabatur Nuceriæ ſtantes, ſed plures ex Africâ acerſere, vt fecit: nam Barium impleuit, & Hydruntum, quibus crudeliùs vexaret Chriſti vicarium: ac *Gibellinæ* factionis ſuſcepto patrocinio, in Picænum irrupit, vbi conſertâ aleâ cum *Florentinis*, qui partes ſequebantur Eccleſiæ, tantâ ſtrage ſuperauit, vt præter occiſos gladio, quindecim millia numerata ſint captiuorum. *Villani*.

Pontificij conſpirant cũ Alexand. IV.

Branca leo.

Inſidiæ Manfredi in Conradinum.

Manfredi victoriæ in Eccleſiã

3. *Ezelinus*, & Albericus filij *Zelini* hæretici, quẽ Põtifici tradere ſpoponderunt, ni reſcipiſceret, & hoc, ne bonis priuarentur paternis. *ep.* 120. *Gregorij IX*. Sed, & filij in hæreſim lapſi, propterea in iudicium vocati à Greg. IX. cum plures annos ſedem eluſiſſent Apoſtolicã, ob immania tandẽ ſcelera ab Innocentio IV. Anno 1254. excommunicantur. Plures Annos Ezelinus vexauit Italiam agnatis minimè parcens, nec cognatis, homines loris conſtringẽs vt feras, in Eccleſiaſticos ſæuiens vt canes, vnde nil mirum, ſi Nemeſi exigente Diuina, vulneratus in prælio, qui viuus Dei oblitus erat, ſuæ immemor moriturus ſalutis, exerceretur ſacramenta eccleſiaſtica. *Ptolom. Lucen. Monachus Paduan. l.* 2. Eius imagini ſubſcriptum.

Sylla, Nero, Caius, Marius, Mezentius: his tu
Azoline, ipſo & ſæuiores Phalari.

Ezelinus filius Zelini hæretici.

4. *Albericus* Ezelino deleto, Taruiſio in caſtrum S. Zenonis, priuſquàm ſe reciperet, (teſte *Salimbeno*) vigintiquinque ex vrbis primoribus, nullâ prouocatus iniuriâ, laqueo ſuſpendit: mox triginta

Alberici tyrãnis.

no.

nobiles mulieres illorum coniuges, matres, filias, vel ſorores in forum produxit, quibus nares truncaſſet, ni rogatu filij ſui nothi temperaſſet. Pallas tamen vſq. ad vbera ita perſecuit, vt etiam quæ velanda erant, turpiſſimè denudaret: ac ſubinde ſuſpenſis viris, eas ſub patibulo tranſire, atq. oribus ſuis tibias tangere compulit expirantium; demum trans Silim traductas in nemore dereliquit.: vnde paruo nauigio à piſcatore Venetias traductę, & ab *Octauiano* legato Pontificis in forum productæ, Venetum populum ita ad pietatem excitarunt, vt morte *Alberici*, eiuſq. familiæ iuratà, copias citò in Albericum educeret victum cum tota familia, canibus expoſuere Filio datà veniâ, qui matronas à truncatione narium vindicarat.

Venetorum pietas.

Vberti tyrãnis.

5. *Vberto*. Marchio iſte *Fallauicinus*, qui inito fœdere cum Mediolanenſibus aduerſùs Ezelinum, in tyrannidem poſtea conuerſus, Brixiam ſuo ſubiecit imperio, ac contra Pontificios omnem exercuit crudelitatem, vnde diris deuotus ab Vrbano IV. Rom. Pontifice vnà & *Manfredus* tyrannus Siciliæ.

B

Fruſtra cogitat ſacram expeditionem.

6. *Idumaas cogitabat Alexander palmas*, miſſo legato *Iacobo* Archidiacono Leodienſi, vt ex *Alexandri epiſtola* 110. ac datis literis circularibus ad Principes Christianos, vt pro alendo milite ſtipendiario contra Sarracenos, opes ſuas dignarentur conferre. *libr.* 1. *epiſt.* 344. Oportunum ſane remedium ſi abſolutum fuiſſet; ſed pactis cum Sarracenos inducijs euanuit: digladiantibus inter ſe Venetis ac Ianuenſibus Ptolemaide ob S. Sabæ monaſterium. *Petrus Marcellus in Rainerio Zeno*: ac Manfredo fouente diſſidia.

S. Brunonis inſtitutum.

7. *Brunone*. Mortuo Pariſiis quodam Iuriſperito, moribus ac doctrina clariſſimo, ad eius exequias cum plurimi conueniſſent (inter quos *Bruno* in eadem Academià doctor inſignis) en imago defuncti, qui ternis diebus ſe excuſatum, deinde iudicatum, tertiò damnatum pronuntiauit. Tunc *Bruno* territus, & ad ſuos conuerſus diſcipulos inquit: *Quis ergo poteſt ſaluus fieri, niſi mundum fugiat?* & mox cum ſeptem ſocijs in Gratianopolitanam ſecedit eremum. Conſilium hoc Deo fuiſſe gratiſſimum, Vgoni monſtratum Ep. Diæceſano, qui per quietem vidit Deum in illa eremo ſibi palatium extruere: Deinde ſeptem ſtellas mirifici ſplendoris in ſpeciem coronæ è terrà conſurgere. Pſalterium Ieiuniũ, Silentiũ vota fuere inſtituti, cuius patronã ſe obtulit Virgo Deipara. *Platus l.* 2. *c.* 22

Albertus Magnus.

8. *Albertus Magnus Suevus*, quem *Magnum* fecit Deipara, cuius clientelæ ſe obtulerat paruulus. Eius monitis caſtra ingreſſus Dominici, quòd indolem ad ſtudia attuliſſet tardiorem, fugam parabat. Scalã iam admouenti eà iterum obijcitur Regina virgo, quæ vt animos Alberto faceret, ex ſcientijs omnibus optionem offert. Philoſophiam ille expetit; & citò, qui omnium riſus, per omnium ora nunc volare, doctorque primum Hildeſchemiũ, dein Ratiſponæ, Lutetiæ, Coloniæ, famà nominis Orbem implere. Ad Ratiſponenſem infulam ab Alex. IV. promotus, ab Ordinis Generali moderatore diſſuaſus, ne exemplo ſuo fratres prouocaret ad ambitum, renuntiauit; ſed à Pontifice coactus onus ſubire, vitam non depoſuit regularem. In vltimà ſenectà Orbis oraculum reſponſa fundit, ſubitò deficiente memorià, obticuit, viuumq. è ſchola funus diſcipulorum coronà domum cum lacrymis deducitur, ipſe forſan cum lætitia, quòd à Deiparà vocaretur in Cœlum.

D

9. *Obijt*. Viterbium Faliſcorum cum ſe contuliſſet *Alexander*, pacem inter Venetos, & Ianuenſes compoſiturus, ſed odia in diem creſcerent, ac Gibellini *Manfredi* dolo præualerent, diutiùs vexatus, animi tædio obiit, in eccleſià Cathedrali S Laurentii ſepultus Anno 1261. die 9. Kal. Iunii, teſte *Mattheo Vueſtmonaſterienſi*, & *Nangio*.

Alex. IV. obitus.

Scripſit *epiſtolas plurimas*, quarum regiſtrum extat M. S. in Vaticano, & in Palatinà Bibliothecà.

SIGNVM ALEXANDRI IV.

Suſcipe Domine ſeruum tuum in bonum.

Obiit *Alex. IV.* De Seraphico Ordine benemeritus, à cuius Generali *Io. Parmenſi* rogatus, *Protectorem* illi decernere, negauit dicens, *velle ſe eo munere fungi: Dominicanos*, & *Minores* contra Pariſienſes in Publicis gymnaſiis liberos volẽs, teſte *Vuadingo*: Impiũ libellũ Gullielmi de S. Amore contrà *Prędicatores*, & *Minores* editum igne combuſſit. Confirmauit etiam Ordinem Eremitarum S. Auguſtini poſtquàm B. Auguſtinum per quietem vidit. *To.* 1. *Bullarij*; Eius operà Templũ *Bacchi* ad cultum diuinum redactum eſt, in quo altare B. Conſtantiæ ſuis manibus conſecrauit, vt ex literis in veſtibulo templi, teſte *Ciaconio*; vel cum *Florauante Martinello*, non B. Conſtantiæ, ſed *Emerentianæ*, ac S.S. *Io: Baptiſta*, & *Io: Euangel.* ita enim legi teſtatur in tabellà marmoreà parieti ſuperpoſità cum inſignibus Alex. IV. *Aquila* ſcilicet *teſſellata*, redemità *corona aureâ in areà rubeà*. Conſecrauit etiam eccleſiam ſanctę Martinæ in foro Boario (quam Sixtus V. Pictoribus, donauit à quibus S. Lucæ dicta) vt ex inſcriptione ibidem lapideà, teſte *Victorello*.

Protector ordinis ſeraphici.

Eius pia opera.

10. *Pauperes*. *Magna huius Papa laus* (ait Genebrardus) *nam pater Pauperum Edicto aboleuit libellum contra paupertatẽ ſcriptũ à Guilielmo de S. Amore, doctus, et ſcriptor.*

Regula. ribus de paupertate parcet.

11. *Bauari*. Mariam coniugem *Ludouici* Ducis Bauariæ, falsò adulterij inſimulatam, indictà cauſà cum barbarè enecaſſet maritus, ac gynecęo præfectam veluti conſciam de turri præcipitem dediſſet, excommunicauit Alex. IV. Iuſſus tandem *Ludouicus* pro expiando ſcelere cœnobium condere, Furſtenfeldenſe monaſterium erexit tertio Monachii lapide, cuius in fronte ſequens legitur diſtichon, vt in *Annal. Erford.*

C

Iuſtitia Alex. IV. in Reges.

Coniugis innocuæ fuſi monumenta cruoris,
Pro culpę pretio clauſtra ſacrata vides.

12. *Luſitani*. Chriſtianorũ Principũ amicus, & obſeruator Alex. IV. præcipuè *S. Ludouici* Gallorũ Regis, cui cum diploma miſiſſet cum facultate diſtribuendi eccleſiaſtica beneficia; legato reſpõdit Rex pius. *Quod mihi à Pontifice munus hoc retuleris, nõ probo: ſcio enim, quãto cum periculo animæ meæ, et regni id ſuſciperem.* Et ſtatim diploma igni tradidit. *Sat mihi erit* (aiebat) *Deo de temporalibus rationem reddere*. Genebrardus. Broiman *in eius vità*. Confirmauit *Alex. IV.* priuilegia Gradenſi Patriarchæ in gratiã Venetæ Reip. vt Conſtantinopolitano imperio, vbi Veneti poſſiderent eccleſias, Ep. cõſecraret: vt ex diplomate Anagnię dato, 2. Id. Iulii, Pont. An. II. Cęterum vt piorum Principũ amator atq. obſeruator extitit *Alex.* aduerſùs facinoroſos gladium non prætermiſit exercere iuſtitiæ. *Alphonſum* Regem Luſitaniæ, quod *Matildem* legitimã coniugem thoro, & throno ablegaſſet iniuſtè, impudicis irretitus amoribus, monitus ab *Alex. IV.* ad priſtinum redire coniugium, quod Numina importunis actionibus irritanda non eſſent; monitis cum non pareret, diris deuotus, 12. annos contumax cenſuras ſpreuit eccleſiaſticas. *Mariana l.* 13.

VR-

Anni Salu Vr 1261 li Cathedram cōſcēdit Romanam iiſdē gradibus, A
Quibus conſcenderent Apoſtoli.
Fortè cum veniſſet in Vrbem,
Obuiam Deū habuit, à quo recepit Pontificatū.
Diſcordia credebatur fatigare Patres,
Et Deus erat, qui pro Vrbano vota prēnſabat.
Sortes nāq. mittūtur in ſinu, ſed à Domino tēperātur
Pontifex inauguratus,
Ad Deum redijt, vndè venerat,
Et pro votis receptis vota ſoluit, et preces.
Diſcrimen illi cū [1] *Manfredo* notho, & neſciebat:
Qui minarū plenus vīcula meditabatur eccleſię
Si Superi permiſiſſent.
Superbiſſimum tyrannum vt frangeret;
Oblatā vtraquē Siciliā [3]
Carolum Vrbanus euocat Andegauenſem.
Hinc Etna, hinc Veſuuius. B
Cum aliundè Manfredo non eſsent auxilia
Vocauit Arabes, vel Erebos.
Tenebras iſti ferebant in fronte, mortē in ſinu.
Cruce tamen expanſā fugerunt vmbræ,
Suo Lethe demerſæ.

Decennali interegno
In Tetrarchiam Monarchiā diſcerptā Ann Sal Vr 1261.li
Imperium diripiebat quadriceps monſtrum,
Conradus, Richardus, Vvillelmus, Alphonſus;
Aſtrorū iſte peritiſſimus licet aduerſis aſtris
Electores prænſabat.
Quæ cogunt Aſtra,
Non in Cœlo ſed in ambitione reperies.
Cruento, et incerto Marti aleā comiſſa,
Plagas vt ſanaret Vrbanus; Mundi Plagas 1264.li
Et prò glebā, globum exhibuit.
Eſurientes et ſaucios ſanauit, ſaturauit
Pane [5] Eucharistico.
Reſtitutā memoriā ad V. feriā poſt Pentecoſtē
Cum Spiritus ſanctus replet corda fidelium;
Vt dulciùs canerent ſacramenti myſteria.
Hūc ſāguinē cū cōiuratis propinaſset in Turcas
Vitam [6] inter pocula poſuit
Felix potus, in quo amor crapulatus Diuinus,
Mutat vinum in ſanguinem.
Huic lętas [7] fecere exequias deſides, et Arabes
Hos vicerat, eos dignitate ſpoliauerat.

ADNOTATIONES IN VRBANO IV. PONT. ROM. CLXXXII.

Vrbani IV. natalia. 1 VRbanus huius nominis *Quartus*, antea *Iacobus Pantaleo*, patria *Trecenſis* filius ſutoris veterasmentarii, Pariſios miſſus poſt liberales artes, ſcientiam Iuris Canonici, & Theologiæ aſſequutus, C ac publicè profeſſus, ſolum repetens Natale Canonicus eccleſiæ Tricaſsenſis, Laudunenſis Archidiaconus, poſtmodum Virdunenſis Epiſcopus, ſtaturā mediocri, venuſtā facie, grato aſpectu, & ſuaui, animi magnitudine, ſcientiā, conſilio cum cæteros anteiret, ab Alexandro IV. in regna legatus Septentrionalia, primò in Poloniam ab Innocentio IV. Anno 1244. & ab eodem Anno 1247. vt ex *ep. 29. l. 5.* Crucigeros, eorumq. fœderatos ad concordiam reuocauit. Anno verò 1248. Polonos ad ſubmittenda liberaliter Pontifici ſubſidia addixit: veterem conſuetudinem, quā à ſeptuageſimā carnium eſus interdictus erat in Poloniā, ſuſtulit, teſte *Longino l. 7. Cromero l. 8.* Anno 1255. Legatus Alexandri IV. in Pruſſiam, cum fęliciter attrox bellum, quod Iuuan- D topelkum ducem Pomeraniæ, & Cruciferos vexauerat, ęquis abſoluiſset conditionibus, teſte *Longino l. 7.* ab eodem in Syriam legatus mittitur (vt ex *ep. 110.*) & Patriarcha creatur Hieroſolymitanus. Vbi maximo Chriſtianæ Reipublicę incremento pręfuit, donec Pontifex Romanus creatur iuxtà vaticinium Malachiæ prophetæ, *Hieroſalem Campaniæ*, quia Campanię Galliarum natus, & *Patriarcha Hieroſolymitanus* factus. Vacauerat Romanus Pontificatus *tribus menſibus, & binis hebdomadis*, teſte *Vueſtmonaſterienſi*. (Officia.) (In Papā eligitur) Longioris in electione celebrandā moræ cauſam refert Anonymus rerum Sicularum M. S. *Cum inter eos* (inquit) *vertiginis ſpiritu, & inuidia liuore ſuffuſo non poſſent in aliquo conuenire de gremio, contigit, quòd Hieroſolymitanus Patriarcha natione Burgundus* (in hoc fallitur, quia Trecenſem cæteri dicunt) *qui tunc ad curiam pro eccleſia ſua promouendis negotiis acceſſerat, concorditer ad apicem Apoſtolicæ dignitatis aſſumptus ſit, factus de petitore conceſſor, de ſubdito dominus, de filio pater, Papa Vrbanus IV. meruit nominari.* Concordant Monachus Patauinus, Ptolomæus Lucenſis, Longinus, Theodoticus Vallicolor, qui apud *Maſſonium l. 5.* rem cæteris deſcribens acuratior, Cardinalium nomina, qui tunc octo tantùm erant, recenſet.

Iſti Pontifices, prior Odo, Stephanus alter
Gallicus iſte fuit, Hungarus alter erat.
Totq. ſacerdotes: genuiſse Sabaudia primum
Dicitur Hugonem, qui Iacobita fuit.
Alter quem fouit, Ciſtercius ordo Ioannes
Nomine, natalis Anglia terra ſibi.
Iſti leuita Richardus, et Octauianus
Progenie clarus fulſit vterq. ſatis.
Romanus primus, Tuſcus fuit Octauianus
Hic aberat Mundi fata ſequente patre.
Romanus patria ternus Leuita Ioannes,
Othobonus quartus Ianua terra ſibi.

Io: iſte Romanus, Ioannes fuit *Caietanus Vrſinus* magnæ exiſtimationis vir, quo hortante cæteri Vrbanum elegerunt.

2. *Manfredo notho.* Creatus Pontifex Vrbanus encyclicas dedit ad Reges, ad Epiſcopos vt ſuæ certiores faceret electionis, orationes omnium humiliter poſtulans. *epiſt. 1.* Refert Vvadingus ſub Anno 1261. literas etiam dediſſe ad ſororem ſanctimonialem *Agnetem* nomine, quibus titulum præfigit ſequentem: *Agneti Monali monaſterij S. Marię montis Lucidi Peruſini Ordinis S. Damiani, ſorori noſtræ.* Odoricus tamen Raynaldus dubitat, an ad Clementem, (Literæ de ſua electione ad omnes.) (Ad ſororem.)

tem, vel ad Vrbanum hæ ſpectent literæ;cum inter Clementis epiſtolas inſerantur in formulario *Marini* Ebuli, in Archiuo Vaticano. Queritur in eis,ac ſtatum deplorat ærumnoſum, quo ipſe angitur propter cauſam aſſumptionis ſuæ. Ad preces ſollicitat, quibus ei ſuperna concilienr ſuffragia. Cum autem Eccleſia Hieroſolymitana per ſuam aſsumptionem vacaret, Epiſcopum Agennenſem ornauit titulo Patriarchæ Hieroſolymitani, commiſsà etiam curà Eccleſiæ Ptolemaidis, vt tantiſper fructus perciperet, donec fructus Hieroſolymitanos à Sarracenis occupatos recuperaret.

Quarto etiam ſui Pontificatus menſe, teſte Monach.Paduan. *Chron.l.3.* Anno 1261. *numerum amplianit Cardinalium, pręclaros viſos vità, et ſcientià inſignitos ad tam ſanctum collegium promouendo, de quorum numero diuina prouidentia fauente extitit vir benigniſſimus Simon de Monte Silice canonicus Paduanus, quem tùm formà corporis, quàm nobilitate generis, et gratioſis moribus, et multiplici ſcientià diuina gratia decorauit.* In hunc porrò cum nonnullæ querimoniæ ad ſedem Apoſtolicam delatæ eſsent; Vrbanus ſanxit effectum huius promotionis ſuſpendi, donec veritas appareret, quod factum gloria, & honore promoti. Anno etiam ſequenti (qui fuit ſal. 1263) Menſe Maij alios adiecit, omnes numero quatuordecim, de quibus ſuo loco dicam. Animum deindè conuertit ad pacem Italiæ ſtabiliendam, ac patrimonium Eccleſiæ Romanæ recuperandum. Omnis Hetturia tùnc Manfredo ſubditâ erat; vel *Guelphi*, vel patrià expulſi, profugi latitabant. Marchia Anconitana licèt inuita eius tandem acceſſir in partes. Reliquæ vrbes ab imminentibus Sarracenis, quos ex Africà *Manfredus* conduxerat, nutabant. His difficultatibus *Vrbanus* exceptus *Iacobo* ſcripſit Regi Aragonum, ne tyranno affinitate iungeretur, qui totiès diris deuotus Italiæ libertatem, Eccleſiæ immunitatem cædibus, rapinis, ſcortationibus fędabat. Legatum miſit ad S.Ludouicum Gallorum Regem, vt contra tyrannum ſubſidia Crucesignatorum conſcriberet. Regem ſollicitauit Nauarræ, vt & ipſe cum eccleſià conſpiraret. Confirmauit anathema ac publicauit in die Cœnæ Dominicæ ab Alex.prædeceſſore vulgatum. Primus, qui Pontificis, & Eccleſiæ tuendæ gratià Crucesignatos conſcripſit, ac in Campanià *Manfredianis* ſe oppoſuit, Comes fuit *Rogerius Sanſeuerinas*. Neapolitani licèt ſpreto anathemate cum Manfredo coirent, Sarracenos noluerunt recipere immiſſos, qui ſacerdotes ad ſacra obeunda,atq. eccleſias reſerandas compellerent. Venere interim ex Gallià Crucesignati, quorum auxilio impetus laxatur hoſtilis. Vrbem Veterem Vrbanus ſeceſſerat, vbi loci aſpectu ac munitione delectatus varijs exornauit ædificijs. Ædes extruxit Pontificias propè S. Mariam Priſcam, in loco qui dicebatur *Solianum*. Eccleſiā ac monaſterium S. Auguſtini; Templa Minorum, ac Prædicatorum reſtituit. Coacto poſteà Prælatorum conuentu, decretum: vt pro redimendis Eccleſiæ arcibus (teſte *Ricordano*)

Reges ſollicitat in Manfredum.

Manfredus Sarracenos in Eccleſiam conducit.

3. *Carolo Andegauenſi Duci*; S.Caroli Francorum Regis fratri regnum traderetur Siciliæ contra Manfredum. Conſtabat viuere *Conradinū*, ſed ob odioſam

Carolū vocat Andegauenſem in ſubſidium.

A Sueuorum ſtirpem, eo præterito, ad *Henricum* miſit Regem Angliæ, & *Edmundum*, vt ab eis ius ab Alexandro oblatum in regno Siciliæ repoſceret, ne ampliùs eccleſiam Romanam tot contumelijs confectam, vanis delnderent pollicitationibus. Anglia namquè Simonis è Monteforti Leycęſtriæ Comitis inſidijs implicita, rebus non poterat vacare alienis. Immò inter coniuratos cum etiam Richardus Comes Cornubiæ, & frater Henrici Regis rebelles fouere crederetur Vrbani literis ad fratris tutelam excitatus (*lib.3. ep. cur. 10.*) cum factis egregijs caniam detergeret: Vrbanus autem minimè furorem lum comprimere hoſtilem ad Gallos poſset conuerſus, Legato ſuo impoſuit, vt *Ludouico* Francorum Regi conditiones oſtenderet, quas iurare *Carolus* tenebatur, ſi oblati regni deſiderio flagraret. *Carolum* inſtigabat vxor, *Beatrix*, quæ B cum trium reginarum ſoror eſſet, comitem ſalutari moleſtè ferebat. *Æmilius*. Grauiora etiam vrgebant legationem arcana. Nam Sarraceni Babylonici totam ferè occupauerant Syriam. Conſtantinopoli pulſo *Balduino*, *Palæologus* inito cum Ianuenſibus fœdere aduersùs Venetos ac *Balduinum*, anathema ſpernebanr eccleſiæ. Inſtabat tamen apud Pontificem vel radio illuſtratus ſuperno, vel timore ſacræ expeditionis, quam pro *Balduini* reſtitutione meditabantur Latini) vt Græcorum eccleſiam Latinæ coniungeret. Reſcripſit *Vrbanus*, Apocriſarios Conſtantinopolim mittens *Fratres Minores*, quos tantæ legationis munere decorauit, vt Græcis veniā darent, ſi Eccleſiam ſe aggregarent. *ep.* 185. Hæc dum agitarentur; Romani *Carolum Andegauenſem* C crearunt Senatorem Vrbis: res non admodùm grata ſedi Apoſtolicæ, quòd Romam exteris euocatis Principibus, Pontificum imminueretur maieſtas. Neceſſitate tamen imminente, non perpetuum vt Romani detulerant, ſed ad tempus permiſit. *l.3. ep.* 84. *Vrbani.* Nangius *in geſtis S.Ludouici*. Huius belli terrore captus *Manfredus*, gemino exercitu ex ſceleratis collecto, Tuſciam, vbi agebar Pontifex, atquè agrum Spoletanum aggreſſus, perſonam Pontificis caperere moliebatur, vr ex *ep.95. l.3.* Contra verò tyranni conatus, tres legatos cum ampliſſimà poteſtate creauit, *Simonem* Cardinalem S. Martini in Picæno; *Matthæum* S.Mariæ in porticu Cardinalem in Tuſcià: atq. *Ottobonum* S.Adriani in Peruſino comitatu. Nemo fuit in curià Apoſtolicà, qui Cruce D inſigniri renueret. Chriſtus ipſe ſuo non defuit Vicario: nam *Percenallum* Sarracenorum Ducem, quem ex Africà *Manfredus* euocauerar, tumidè blaſphemantem, dum paruam aquam equo inſidens pertranſiret, mox ſeſsor, & equus ſuffocati, eius corpora minimè inueniri potuerunt, cuius timore correptæ phalanges, pet deuia fugienres in poteſtatem cecidere Crucesignatorum. *Gregorius Decanus* apud Maſſonium *l.5.* & *Theodor. Vallicolor.* Texit pariter prouidentia ſuperna, eumdem Pontificem aduersùs Germanos, quos *Petrus de Vico* in ſuburbia Romana conduxerat, vt Romam opprimerent. Nam à *Gontelino* Profenarore Gallo fugati, vix *Petrus* ſaluus euaſit. *Theodor.Vallicolor.*

4. *Conradus*. Mortuo *Friderico II.* Imper. non ſolum *Conradus* eius filius, ſed eodem tempore *Vuilhel-*

Controuerſia inter præſentes imperium.

lelmus Comes Hollandiæ, *Richardus* Comes Cornubiæ, filius *Ioannis*, ac frater *Henrici* Regum Anglorum ſe pro Imperatoribus gerebant. Aduersùs eos *Alphonſus* X. Caſtellæ, & Legionis Rex, filius *Ferdinandi III*, Electorum vota prænſabat. *Vuillelmus* non diù superuixit; vndè inter *Alphonſum*, & *Richardum* ambitus gliſcebat. Augebat turbas *Conradinus* filius *Conradi*, cuius mentionem in electione Cæſaris haberi *Alexander IV.* Papa prohibuit, *Fridericorum* mores, & ingenia ſuſpectans turbulenta. In *Alphonſum* inclinabant comitia, quòd materno genere iunctum cum *Philippo* Imperatore Germano. *Alphonſus* autem Aſtrologiæ deditus, vel quòd aſtra aduerſa cognoſceret, vel filiorum ætate nondùm maturà, vel ob inteſtinos motus domeſtica præferret externis, venire diſtulerat. Carpebat interim electionem *Richardi* inutili diſceptatione quaſi regna veluti ſubſellia ſcholaſticà diſputatione occuparentur. Sequeſtrem ſe obtulerat Vrbanus Pontifex; ſed neuter litigantium Sedis Apoſtolicæ volebat ſubire iudicium. Ita Germania diſtracta cum rapinis latè pateret, de exaltando *Conradino* cœpit miſcere conſilia; ſed arcana reuelante Rege Bohemiæ; Anno 1262., Electoribus ſub pœnà anathematis interdixit Vrbanus, ne Conradini electione bellum iterùm in Eccleſiam excitarent funeſtum. Anno ſequenti, qui fuit 1263. cum iam diutiùs expectaſſet Eccleſia, vt concordiam inirent; hactenuſquè Romani Pontifices conciliatoris munus fruſtrà geſſiſſent; Vrbanus ingruentium malorum mole coactus, prænobilem imperij controuerſiam decidere meditatus, & primò quis eorum dicendus eſſet Imperator? cum Richardus ab Alexandro Papà in ſuis ad eum literis Rex Romanorum vocatus eſſet, & Aquiſgrani redimitus: Alphonſo autem maior Principum numerus Imperium detuliſſet; verumq. in Apoſtolicis literis, Romanorum Regem electum appellare decreuit. Extat epiſtola *lib.2. ep. 220. in Bibl. Vallic.*

Feſtiuitatis corporis Chriſti inſtitutio.

5. *Pane Euchariſtico &c.* In Leodienſi eccleſià Archidiaconatum gerebat Vrbanus, cum ſancta Iuliana virgo, diuino illuſtrata lumine, ei, aliiſquè viris pietate, ac doctrinà conſpicuis diuinam de ſolemnitate Corporis Euchariſtici peragendà voluntatem aperuit, teſte *Chapeauillo* canonico Leodienſi *tractat. de verà origine Feſti Corpor. Dom. cap.* 2. *Tempore iuuentutis ſuæ* (inquit) *quoties Chriſti virgo Iuliana orationi incumbebat, magnum ei ſignum, & mirabile apparebat. Luna in ſplendore cum aliquantulà tamen ſui ſpherici corporis fractione: quam cum multo tempore conſpexiſſet, mirabatur multum, ignorans, quid illi prætenderet. Tunc reuelauit ei Chriſtus in Lunà præſentem eccleſiam: in Luna autem fractione defectum vnius ſolemnitatis in eccleſià figurari, quam adhuc volebat in terris à ſuis fidelibus celebrari.* Cum illa demiſsè de ſe ſentiens, arduam ſuſcipere expaueſceret prouinciam, rem totam inter alios *Roberto* detexit Epiſcopo Leodienſi, qui vocato theologorum concilio, in ſuà diœceſi diem inſtituit ſolemnem. Vt verò toto celebraretur in Orbe, nouum miraculum occaſio fuit. Eo tempore, quo Sarraceni Manfrediani patrimonium B. Petri vexabant, in Vrbe veteri reſidente Vrbano IV. in loco non longè diſtante à Vulſinio, quidam ſacerdos ad occultandam ſuam negligentiam partem corporalis (in quod gutta ſanguinis profluxerat) pluribus plicis cooperuit. Reperta eſt tamen per omnes plicas tranſiiſſe, ac ibidem ſanguinem formam hoſtiæ reliquiſſe in pluribus partibus corporalis, quod adhuc ſeruatur ad perpetuam memoriam in eccleſià cathedrali Vrbis veteris. *S. Antoninus 3. p. tit. 19. c. 13. §. 1.* Hoc prodigio permotus, aliiſq. rationibus *Vrbanus IV.* vt nimirum tepeſcente aliquorum de tanto ſacramento fide, inſtructà feſtiuitatis ingenti pompà, impiorum hominum confunderetur perfidia. *lib. 3. epiſt. 160.* Vel vt legitur in *hiſtor. reuel. Inſtit. vener. ſacrament.* Cum Bolſenæ ſacerdotis ſacrificantis mentem ſubiiſſet de Numinis in S. Euchariſtià præſentia hæſitatio; vulnerauit hæc perfidia Chriſtum. Nam præterquamquod remoto panis velo, in conſpectum ſe dedit, ſcatere ſanguine calix, & effundere ſe hic in aræ lintea viſus eſt. His itaque permotus Vrbanus, *ad exaltationem catholicæ fidei rationabiliter ſtatuendum duxit, vt de tanto ſacramento præter quotidianam memoriam, quam de ipſo facit Eccleſia, ſolemnior, & ſpecialior annuatim memoria celebretur, certum deſignantes diem, videlicet feriam quintam poſt octauam Pentecoſtes, vt ipſa quintà ferià deuota turba fidelium propter hoc ad eccleſias affectuosè concurrant, & tam clerici, quàm populi gaudentes in cantica laudum conſurgant.* Hocſemius. Idemque Vrbanus Quartus in Conſtitut. *Vnigenitus*. Officium pro eà feſtiuitate compoſuit Thomas de Aquino, quod ad hunc vſquè diem Eccleſia recitat vniuerſa. Hymnum concinere duo certarunt coniunctiſſimi Sancti, Thomas, & Bonauentura. Verbo ſtetit vterque, & die conuenere ſtatutà, vt chariſmata laudarent meliora. Thomæ obtigit primò ſua præludere carmina, conticente Bonauenturà, intentoque ora tenente, ſuaque pariter ad manus carmina complicata, quæ ipſe ſublecturus erat. Exorſus itaque Thomas, *Lauda Sion Saluatorem* &c. Bonauentura ſermonis captus elegantià, ſententiarum pondere preſſus, myſterii altitudine victus, cœpit carmina ſua paulatim diſcerpere, & lacerare. Proſequente Thoma, *Dogma datur Chriſtianis* &c. Quot Thomas recitabat carmina: tot Bonauentura diſcerpebat periodos. Cum finem ille dicendi feciſſet, rogauit Bonauenturam, ſua legere carmina. Sibi nil eſſe reſpondit Sanctus. Vrgente Thomà, quòdmodò præ manibus habuiſſet carmina ſua? Sanè concludit Bonauentura, ſed vbi, & quomodò iaceant, inſpice. Ita Sanctus doctrinà victus, vincere voluit humilitate. Hæc omnia confirmauit Clemens V. A. C. 1311. in Concilio Viennenſi.

6. *Vitam poſuit* Vrbanus IV. Peruſii, Anno 1264. & ibidem in Eccleſià Cathedrali ſepultus. Monachus Paduanus (3. *Chron. p.* 260) Pariſiis mortuum habet, Codice forſan deprauato.

Audi Theodoricum Vallicolorem, quo errorem Pariſii emendes.

Lecticà vehitur in burgum Peruſii,
Eccleſià Sancti ponitur ipſe Petri.
Eccleſia ſumpſit ibi ſacramenta, diemq.

Extremum clauſit luce ſequente Iouis.
Quo moriente, velut mortem cognoſceret eius
Apparens, minimè ſtella comata fuit.
Vndè putes rectè Dominum regnaſſe, tacere
Caſus tot ſigna non potuere necem.

Conſonat Gregorius Decanus *hiſtoriâ de geſtis Vrbani*. Hic Vrbanus *patrum pater, mitis, pius, benignus, munificus, gratioſus, & omni bonitate refectus rexit Eccleſiam Romanam annis tribus, menſibus duobus, & obiit in ciuitate Peruſinâ: & quieſcit in Eccleſiâ cathedrali ciuitatis eiuſdem, quæ Beati Laurentii eſt vocata. In cuius obitu quia mirè vixit, & miraculosè in Eccleſiâ Dei habuit incrementa, magnum mirum apparuit: nam per tres menſes, antequàm de hoc mundo migraſſet, ad Dominum, quædam ſtella cometes vſquè ad diem obitus hominibus eſt oſtenſa, qualis nunquàm viſa dignoſcitur temporibus retrò actis: quæ dicto Pontifice in Domino dormiente, vlteriùs non viſa per aliquem. Per quod ſignum creditur, & ſperatur, quòd ad Cæli tranſierit ſanctas manſiones, propter quod ſydus dignoſcitur miraculosè commotum.* Conſonat Valliſcolor *loco cit.*

Apparente quidem prædicta luce Cometa,
Inuaſit Dominum continuando dolor

De eadem in morte Pontificis

Quo moriente, velut mortem cognoſceret eius
Apparens minimè ſtella comata fuit.

Epitaphium Vrbano poſitum Peruſii.

Archileuita fuit, Paſtorque gregis Patriar)
Tunc Iacobus, poſui mihi nomen ab vrbe Monar) cha.
Tunc eius exiui, tumuli poſt condor in ar)
Te ſine fine frui tribuas mihi Summe Gerar)

Scripta. Scripſit Vrbanus *Deſcriptionem Terræ Sanctæ*, quâ Adtichomius vſus eſt in *Theatro Terræ Sanctæ*.

Epiſtolarum volumen in Vaticano M. S. aſſeruatum, quo Lucas Vvadingus vſus eſt in *Annal. Minorum*.

De eius funere lætatur Manfredus. 7. *Lætas*. Ingenti lætitia ex Vrbani morte perfuſum fuiſſe Manfredum, eiuſque ſequaces tradit Ricordanus *Hiſtor. Florent. cap.* 175. Senenſes ſede vacante, in patrimonium irrupiſſe Petri, oſtendunt literæ increpatoriæ Cardinalium, vt in *Codice 49. pag. 153. Bibl. Vall.* Cum Manfredianis conſpirabant Præſules Eccleſiaſtico muneri doctrinâ, & moribus impares, quos factâ inquiſitione Aper Turritanum Archiepiſcopum, Romam euocauerat Anno 1264. vt ex *lib. 3. epiſt. 99. & 100.* ad dicendam cauſam. Literatorum Mæcenas, eos ſemper in pretio habuit, & priuilegijs decorauit. exemplo ſit Palentina Accademia apud Hiſpanos. *epiſt.* 103. Obſcuros obiicienti natales (vt eidem contigerat antè Pontificatum) reſpondebat, *Virum non naſci, ſed fieri virtute nobilem*.

Sancti ab eo Canonizati. Sanctorum catalogo adſcripſit Vrbanus Beatum Richardum Epiſcopum Ciceſtrenſem, inſtante Richardo Anglorum Rege. De Miraculis B. Heduuigis, flagitantibus Poloniæ proceribus inquiri, & Feſtum S. Ægidii ritu duplici in Galliis coli mandauit. *Sauſſay in Martyrol. Gallicano*. Ordinem confirmauit Cœleſtinorum. *Thel. in hiſtor. Cœleſtin.* Regulam ſecundam Ordinis S. Claræ inſtituit; *tom. 1. Bullarij*.

Aedificia. Plura etiam in vrbe Templa vetuſtate quaſſata, vt S. Hadriani, SS. Quatuor Coronatorum, Orato-
B rium S. Silueſtri refecit. Prolationem nominis Mariæ indulgentiis ditauit, nouoque ordini militiæ B. Virginis Mariæ formam viuendi præſcripſit, vt viduarum, & pupillorum curam ſuſciperent, ac paci componendæ ſeruirent (*Hippol. Maracc. in Pontif. Marian.*) Viuebant ſuis in ædibus, cum vxoribus, & liberis tunicâ albâ, & ſubcinericiâ togâ induebantur. Crucem purpuream in campo albo, ſtellis ſuperimpoſitis præferebant. Romanam Eccleſiam ære obſtrictam alieno, pecuniâ ſolutâ Senenſibus, & Florentinis liberauit. Terras, ac iura Eccleſiæ a Raynaldo Rubeo occupatas Trebarum, Ferentini, Cheſæ, Vallis Petri Caſtrum Marcham à Petro Vico; Inſulam Marchanam à Iacobo Bicquo. Inſulam Vrbanam, alias Bizantinam, Caſtrum Valen-
C tiarum à Pandulpho Viterbienſi, Terram Arnulphorum à Spoletanis recuperauit; Milites Theutonicos ex Patrimonio S. Petri, Sutrinorum, & Pandulphi Comitis Anguillariæ ope profligauit, teſte *Bzonio*.

Eius vitam ſcripſere Gregorius Ep. Baiocenſis, Theodoricus Valliſcolor Chauperius, Frizon, Papyrius Maſſonus, Andreas Saulaius, Platina, Onuphrius, Ciaconius, Victorellus &c.

SIGNVM VRBANI IV.

Fac mecum Domine ſignum in bonum.

CLEMENS QVARTVS
PONTIFEX ROMANVS CLXXXIII.



GEmina occurrunt inſignia Clementis IV. Scutaria *ſex liliorum* teſſera, gentilitia non ſunt *Groſſæ* familiæ, cuius fructus eſt Clemens IV. Sed eam ſibi ſpontè aſſumpſit Pontifex factus. Teſſera gentilitia *Großæ* familiæ fuit *Aquila nigra* in areà aureà, alij volunt argenteà, nigra inſtita octo argenteis globis inſigni, redimità. Vnius capitis, non biceps, Aquila eſt, alas,& caudam expanſas, pedibus, cruribuſquè rubeis protenſis exhibet: roſtrumq. hians eiuſdem coloris in dexteram partem conuerſum.. Hanc fuiſſe teſſeram Gentilitiam *Groſsæ* familiæ, non ſolùm omnes concordant fęciales; ſed eam confirmauit Carolus V. *Catalano Groſſo*, equiti Aurato, vti à maioribus profectam, ac Anno 1530. prid. kal. Febr. regiam addidit coronam coloris rubei, vt ex diplomate Bononię dato: *Vt virtutis tuæ* &c. Extat in vità Clementis IV. editá à Claudio Clemente: Conſonat *Franciſcus de Cheuriers* Scutorum Gentilitiorum apud Gallos arbiter. Aquilam à Clemente mutatam in Lilia, ſepulchrum probat eiuſdem Clementis Viterbij, vbi ſculpta videntur inſignia. Mutationis cauſam non vnam aſſignant. Alij volunt, ob memoriam S. Ludouici Gallorum Regis; cui egregiam ſex annorum operam inter ſanctioris conſilij patres nauauerat. *Lilia*, non *Aquilam* voluit: quòd hæc perlita hoſtium cruore trophæa oſtentat: illi animi demiſſionem oſtendant. *Lilia* (teſte Plinio l.22.c.5.) *languido ſemper ſunt collo, & non ſufficienti capitis oneri*.: Quibus modeſtiam ſuam Clemens indicauit, & ſpem. Spei ſymbolum lilium fuit in numis Alex. Pij Aug.& Imp. Æmiliani, & Claudij; in quibus Dea lilium manu prætendit cum inſcriptione, *Spes Publica*. Et quia cęleſtia ſperabat auxilia, & poſt obitum pręmia; cęruleo in lilijs eſt delectatus colo-

Anni Sal. Cl. 1265.

Si Ieſus eſt *Verbū* Patris: eſt Thomas *aduerbiū Filij* A
Quam ergo mercedem accipiet?
Præter ipſum de quo ſcripſerat, nullam petijt.
Malè ſcripſiſſet, ſi aliter elegiſſet.
Nec diſſimilis, qui à bonis vēturis ſortitus nomē
Æqualis Thomæ annis, et meritis.
Vterq. doctor, hic Seraphicus, ille Angelicus,
Eo viuit affectu, quò alter intellectu.
Quod Thomas credidit, Bonauentura guſtauit.
Interrogatus à Thoma, cui libro ſtuderet?
Oſtendit pendentem ex cruce Hominem Deū.
Illuſtris liber ſcriptus intus, & foris:
Quē tractauit manib. rimauit oculis, libauit oſculis.

Anni Sal. Cl. 1265.

ADNOTATIONES IN CLEMENTE IV. PONT. ROM. CLXXXIII.

Clem IV. natalia.

1 Clemens huius nominis *Quartus*, antea *Guido Fulcodij* (teſte Ptolemęo Lucenſi *l.* 23. *c.* 29.) *natione Prouincialis, è villà S. Ægidij. Hunc hiſtorici communiter ita diſcribunt. Fuit vir magnæ probitatis, & exempli, quia omnem mundi ſtatum expertus eſt: & in quolibet virtuosè ſe habuit, & gratiosè. Primò vxoratus filios, quos habuit, in cultu enutriuit diuino: aduocatus in vtroque iure, in curià Regis Ludouici ſancti gratiam habuit in conſpectu eius: vndè, & ipſum de ſuo ſecreto fecit conſilio: mortuà coniuge vitam clericalem aſſumpſit, & breui tempore propter ſua merita factus eſt epiſcopus Anicienſis, vndè aſſumitur in Archiep. Narbonenſem propter exempla virtutum, quas videbant in ipſo.* De rebus in epiſcopatu Anicienſi, & Narbonenſi Archiep. geſtis literæ ſunt eiuſdem Clementis *l.* 2. *ep.* 38. *l.* 3. *ep.* 31. Propter hæc *Vrbanus prædeceſſor eius Cardinalem Sabinenſem facit, & ab eodem in Angliam legatus mittitur propter turbationem inter Regem Henricum, & comitem Simonem Montisfortis. Exiſtens in Francià, quia in Angliam tranſire non potuit, eligitur in Papam: ſed ſcrutinio retento mittitur pro ipſo à Collegio.* Conſentiunt *Matthæus Pariſien.* & *Polonus; Bernardus Guido.* S. Antonin. 3. *p. tit.* 20. *c.* 2. Patrem *Fulcodium* literis, armiſq. clarum habuit, qui eum literis, virtutibus perpoliuit. Tantæ Religionis, ac pietatis, vt contemptis humanæ vitæ delitijs, aſperrimo vitæ generi, Chartuſianorum ingreſſus familiam, ſe ſe addixerit: & magnà ſanctitatis opinione ac famà apud homines collectà, pijſſimè diem clauſerit extremum: vt ex Clementis *ep.* 10. *l.* 4. Carthuſianos alloquentis: *Nos verò, qui, et vos, et veſtrum Ordinem diligimus, et dileximus ex affectu, in quo bonæ mem. qui ſecundum carnem nos genuit pater noſter, et religiosè vixiſſe noſcitur, et agonem ſuum fęliciter conſumaſſe.* D Fuit Fulcodius ex familià *Groſsà* non ignobili, teſte S. Antonino 3. *p. tit.* 20. *c.* 1. matrimonio iunctus cum Germanà *Farneſià*, quæ ſanctimoniæ titulo nobilis, cum Patres Dominicani, quibus addicta erat, *Salue Regina*, in templo aliquandò concinnerent, Deiparam Virginem filium ſuum Ieſum ijs blandè offerentem aſpexit. *Anton. c.* 3. §. 2. Farneſiæ familiæ Germanam fuiſſe oſtendit *Hiſtoria Prouinciæ, typ. Goth. conſeruata Arelati in Prouincià*: cuius verba. *Hic Fulcodino de Groſſis attulit honorem noſtra Prouincia per arma, quæ geſtauit ſub ſancto Rege Ludouico, eiuſquè fratre Comite Carolo, et in fauorem Guelforum Italorum: per cohortes, et Legiones quibus imperauit: per matrimonium Germanæ, filię Peponis ſeu Pepi Dominorum de Farneſe, quam ſibi deſponſauit: per filium ſuum Guidum, qui fuit electus Papa, et nominatus Clemens IV. Theodorus Abbas Damadenus in Actio. Anicio. Farneſio, in Italiam reduce, tom.* 4. *in Vità Germanæ Farneſiæ F. Pepi.* B Ex his parentibus genitus Clemens, & minimè degener, mortuà vxore, exemplo patris incitatus, voluntario Carthuſianorum carcere, in æternæ vitę ſpem recreari volebat. Sed Deo volente, à S. Ludouico Gallorum Rege pro bono reuocatus communi, in hominum celebritate inter labores aſſiduos, & ſtudia cilicinum thoracem non ſolùm vſquè ad obitum induit, ſed eſu carnium perpetuò abſtinuit. *Iure inter Carthuſianos cenſendus, qui ex voto Carthuſianus vixit.* Chron. Carthuſ. & Claud. Clem. *c.* 3. Electus Pontifex, cum Manfredi iuſſu vias omnes intercluſas, inſidiaſq. ſibi paratas eſſe intelligeret, vt eas vitaret

Clemēs priùs vxoratus.

2 *Mendici laruà*, vel mercatoris, aut religioſi habitu, ne agnoſceretur aſſumpto, Peruſium peruenit incognitus, indè euocatis Cardinalibus Viterbium venit (*Platina. Nauclerus. Gonzalez Ileſcas*) Vbi omC ni ſtudio conatus impoſitum ſibi onus excutere, vix cum lacrymis Cardinalium *vinci potuit*, Pontificatum ſuſcipere, ne diuinæ prouidentiæ reluctari videretur. *Longinus l.* 7. *hiſt. Colon.* Ptolomæus Lucenſis *l.* 22. *c.* 30. Fruſtra itaq. cum Cardinales ſolicitaret, vt alium deſignarent Pontificem, encyclicas dedit ad Orbis præſules, de ſuſceptis eccleſiæ gubernaculis, quos ad implorandam diuinam opem, pro ijs egregiè moderandis incitauit. Prò inſigni, ac Apoſtolico ſtemmate verba prædeceſſoris aſſumpſit;

Inuitus ſubit Pontificatum.

Fac mecum Domine ſignum in bonum.

Literæ, quas ſcripſit Regibus, ſpirant vndiq. ſanctitatem; lege eas, quas Ludouico dedit Gallorum Regi. *Illud ſcias, quod in ſuſcepto regimine nec honos nos erigit in ſuperbiam, quem onus importabile comitatur, nec diſſoluunt delitiæ, quas conflictus curarum eliminat: nec diuitiæ ſibi ſubiiciunt, quas nunquàm nobis permiſimus dominari; immò quod læti referimus, quem ſeruum habere nequeunt, et comitem dedignantur. tom.* 2. *ep.* 7. Quas verò opes ſibi non optabat, ita in coniunctos deriuare contempſit. Hinc

Literę de ſuà electione.

3. *Cognatis inclemens*, Sororis filio multiplices præbendas habenti, optionem dedit, vnam earum retineret, omiſſis cęteris. *Æmilius in Ludou.* 9. Literas placeat audire, quas vni nepotum ſcripſit, protinùs ac Pontifex eſt electus.

Rigidus in cognatos.

Clemens Ep. ſeruus ſeruorū Dei, dilecto filio Petro Groſso de S. Ægidio ſalutē, & Apoſtolicam benedictionem. *Multis de noſtrà promotione gaudentibus, nos ſoli ſumus, qui certiùs immenſitatem oneris experimur. Et ideircò quod aliis gaudiū, nobis metum ſubminiſtrat, & fletum. Sanè, vt ſcias, qualiter his auditis debeas te habere, ſcire te volumus, quòd humilior ſolito debes eſſe,*

eſſe, neque enim quod nos vehementer humiliat, debet noſ tres extollere, maximè cum honor huius ſæculi momentaneus ſit, & ſicut vos tranſeat matutinus: nec ad nos te, nec fratrem tuum, vel ex aliis noſtris aliquem venire volumus, ſine noſtro ſpeciali mandato. Quia ſpe ſuà fruſtratus, ſi ſecus venire præſumeret, oporteret redire confuſus. Sed nec in tuæ ſororis nuptiis gradum quæras propter nos altiorem, nec enim nos habebis propitios, nec in aliquo adiutores. Si tamen eam filio militis ſimplicis deſponſaueris in trecentis libris Turonenſibus tibi propoſuimus ſubuenire. Et ſi altiora quæſieris, nec à nobis denarium ſperes vnum, & hoc ipſum ſecretiſſimum eſſe volumus, et tibi, et matri ſolummodò notum eſſe. Illud etiam ſcias, quod nullum, nullamq; de ſanguine noſtro ſub noſtri ſublimatione obtentu inflare volumus. Sed iam, quàm Cæcilium illos viros habere volumus, quos haberent, ſi eſſemus in ſimplici clericatu. Sibyllam viſita, & dic ei, quod locum non mutet, ſed remaneat apud Suſam, & omnem maturitatem, & habitus honeſtatem obſeruet, & preces nobis pro aliquo non præſumat aſſumere, nam, & ei, pro quo fierent, eſſent inutiles, et ipſis, qui rogauerint, damnoſa. Et ſi fortè per aliquos ex hac causâ munera offerrentur, ea reſpuat, ſi vult noſtram gratiam retinere. Saluta matrem, et fratres. Non ſcribimus tibi, nec familiaribus noſtris ſub bullâ, ſed ſub piſcatoris ſigillo, quo Romani Pontifices in ſuis ſecretis vtuntur. Datis Peruſii in feſto SS. Perpetuæ, et Felicitatis. Hanc habuit *Baronius ab Antonio Auguſtino Rotæ auditore.*

Suſceptam piam mentem ipſum poſteà non poſuiſſe, quamuis facilè filias viris clariſſimis in matrimonio collocare potuiſſet, teſtis eſt S. Antoninus *loco cit. dicitur in laudem tanti viri, quòd cum duas filias nobiles haberet, et nuptui tradere quæreret: non tamen de patrimonio Crucifixi, ſed tantum de proprio, quod non maximum erat, eas dotare vellet: attendentes ad diuitias Pontificales, ſeu Eccleſiæ, cum de illis nil expectare valerent, illas innuptas dimiſerunt: vnde, et meliori ſponſo Domino Ieſu Chriſto tradita ſunt in virginitate Deo obſequentes.* Concordant Fulgoſius *l. 4. c. 3. de Mirab.* Claud. Clemens *c. 7.* Aurea illi hæc erat ſententia: *Deum velle, vt ſua in pias cauſas diſtribuerentur. Neque dignum eſſe Petri ſucceſſorem, qui plus cognationi, quàm Chriſto tribueret.* Platina.

Vocat in Italiam Carolũ Andegauẽſẽ.

4. *Carolum Andegauenſem*, Eccleſiæ ſuſcepto munere *Clemens*, aduersùs Manfredi tyrannidem curâ conuersâ, Simonem Cardinalem S. Cæciliæ, legatum in Gallias ab Vrbano miſſum, pro inaugurando *Carolo Andegauenſi* in Regem Siciliæ, confirmauit, datâ facultate permutandi vota expeditionis Hieroſolymitanæ in Siculam: ac *S. Ludouicum* Francorum Regem ad porrigenda liberaliter auxilia fratri, hortatus, cum ex eo Francorum gloria, pax Italiæ, decus eccleſiæ, Imperij Conſtantinopolitani ſalus, Terræ ſanctæ penderet libertas: Aggreſſi ſunt Galli magnis animis, Eccleſiæ iura tueri. Et quamuis *Manfredus* alpes, *Palauicini* operâ præcluderet, Piſanâ claſſe mari pararet inſidias, ſudibus, ſaxis Tyberinas fauces niteretur obſtruere; omni tamen ſuperato diſcrimine, *Carolus* Romam feriâ IV. antè Pentecoſten venit, vbi à ciuibus Senator creatus Romanus, cum iura Pontificia læſiſſe videretur ob plures Gallos in Lateranum ad inhabitandum inductos, errore demiſſione deleto, paulò poſt iubente Clemente Rex dictus à Cardinalibus, eà conditione, vt deficiente hærede legitimo, ius regni ad eccleſiam rediret: nec regnum cum Imperio, vel Inſubriâ coniungi poſſet. Vectigal annuatim ſolueret octo millium vnciarum auri, cum equo albo, aliiſquè conditionibus, quæ leguntur in iuramento præſtito ab eodem Carolo Anno 1265. IV. Kalend. Iunij in Laterani Baſilicâ, in die Epiphaniæ ſolemniter coronarunt.

Clem. pacta cũ eodẽ 1265.

Decreuerat *Manfredus* non irruentem in regnum Carolum expectare, ſed vltrò adoriri; viribus enim pollebat ingentibus. Ex aduersò Carolus cum ex Clementis conſilio auxiliares Gallorum præſtolaretur copias; moras trahendo, impetus eluſit tyranni. Adfuere proximò anno ſuppetiæ, quibus inſtructus Carolus Manfredo venit in occurſum, in campo Beneuentano. *Manfredus* ſibi metuens, Carolum interpellauit de pace. Sed hoc oratores elicuere reſponſum. *Referte hæc Sultano Luceriæ: vel ego illum hac die detrudam ad inferos: vel ille me ad Cœlos euehet.*

Pugna Caroli in Manfredum

Magnâ itaque ſanguinis effuſione vtrinquè pugnatum: cumq. ſuos penè fluctuantes videret Carolus inuocato diuino Numine prouolauit in hoſtem, impulit, euertit, diſſipauit. Beneuentum profugere Gallis permixti. Vndè captâ vrbe, ſpolium ornauit Manfredi vxor filia Comneni Græcorum principis. Cecidit in tertio agmine *Manfredus*, cuius cadauer non ſepulturâ Eccleſiaſticâ, ſed in capite pontis Beneuentani Carolus tumulari mandauit. *Bernardus Guido.* Literæ ipſius *Caroli ad Clementem.* Luceriam indè munitiſſimam Sarracenorum arcem itum, quâ expugnatâ, *Carolo Siciliæ triumphatori* Clemens literas dedit gratulatorias. *Nangius in vitâ S. Ludou.* Manfredi periculo edocti Itali in gremium redierunt matris eccleſiæ. Sola Roma iure reddita libertati, in ſua conuersâ viſcera dextrâ, duos creauerat Senatores, qui more prædonum intùs, & extrà liberè bacchabantur. Turbas augebat

Conradinus deſcendit in Italiam

5. *Conradinus* Friderici ex filio *Conrado*, præferox adoleſcens, cum annum ageret ætatis decimum ſextum, in Italiam venit Friderico ſtipatus Duce Bauariæ, ac Comite Tyrolenſi, Veronæ trimeſtro traduxit, ac Regios Siciliæ titulos vſurpauit, quos ſibi competere iure aſſerebat hæreditario. Monuit Pontifex, æquitate non armis ius ſuum diſceptaret. Spernentem in feſto baſilicæ S.S. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Anno 1267. anathemate perculit. *Monachus Patauinus. Ptolom. Lucen.* Conradinus ad Piſanos illapſus aurâ quadam fœlici (nam propè Laterinum pontem Carolum Gibellini ex inſidijs erumpentes profligauerant) Romam indè vt cum *Henrico* fratre *Alphonſi* Caſtellæ Regis (quem Clemẽs in Romanum Senatorem, ac Regem Sardiniæ eligi curauerat) iungeret copias, pergebat, ac ſuperbiâ elatus iuxtà Viterbii mœnia, vbi Clemens uerſabatur, ut ei inſultaret, acies non perhorruit inſtruere, ciuibus trepidantibus, ac deſperantibus de ſalute. *Papa verò* (teſte Antonino *3. p. tit. 20. § 7. c. 5.*) *vir ſanctus orationibus, et ieiunijs deditus, conſtans, et intrepidus ait: non oportet timere, quia omnis conatus eius, vt fumus euaneſcet; quod et factum eſt.* Paulus Æmilius in vitâ Ludouici refert Pontificem ex mœnibus ſpectantem dixiſſe: *Hæ opima victima ad*

aras

eras agentur. Siuè humanâ prudentiâ iuuenum temeritatem, & Caroli militarem ſcientiam perpenderet: ſiuè id è Cœlo preſciuiſset. Vrbem ingreſſus Conradinus glorioſè tanquam Imperator magno tripudio ſuſcipitur. Confluxerant Romam ex totâ Italiâ, ſtudio partium incenſi plures eccleſiæ perduelles, paratiſquè maximis copijs, die 18. Aug. Anno 1268. tanto terrore in Apuliam Conradinus mouit, vt omnium exiſtimatione certiſſimam victoriam relaturus videretur. Sed vltio diuina ſacrilegos ad locum ſupplicij pergere patiebatur. Nam Conradinus licèt ſuperior milite, cum ad lacum Fuſcinum Caroli diſſipaſſet phalanges, prædæ intentus à Carolo funditur, ac fugatur. Tantam victoriam non humanâ potentiâ, ſed diuinâ ope partam ab omnibus creditum. Dum enim Clemens horâ pugnæ, Viterbij concionaretur, in eſtaſim abreptus, poſtquàm ab alienato à ſenſibus animo, aliquandiu hæſit: inclamare cœpit: *Procurrite, capite hoſtes Eccleſiæ, qui fuſi ac fugati ſunt.* Nec vllus relatæ victoriæ nuncius veniſſe ad eum poterat, cum pluſquàm centum milliaribus à loco pugnæ diſtaret. Ita Auctor, qui *Pariſio* appendicem adiecit, licèt Romano infeſtus Pontifici. *Ille Papa in vigilijs, ieiunijs, & orationibus, ac alijs bonis operibus erat intentus, propter quod multas tribulationes, quas tunc ſuſtinebat eccleſia, Deus ſuis meritis creditur extinxiſſe. Quin etiam, cum multi factum Regis Caroli pro deſperato haberent propter multitudinem exercitus Conradini, tum propter Siculorum rebellionem: in publico ſermone rei euentum prædixit:* Conradinus, & Fridericus ignoti, & per Italiam trepidi, agaſonum habitu ſe occultantes, in Aſturam venerunt, conſilio Piſas nauigandi. Iam erant in naui, ſed panis deerat, commeatus, & pecunia. Quàm anulum alter detrahit à digito, & in pignus tradit naucullario, ſiuè pretio permutandum. Gemmam aurifici nauta detulit: ſed miratur artifex tam pretioſum lapillum à ſordido homine poſſideri. Suſpectans, *vnde habeat?* quærit. Ille candidè. *A duobus iuuenibus ingenuis vultu, & ſanguinis, ſed habitu, & veſte ſqualidis, neque vltra ſe ſcire.* Defertur res ad Dynaſtam vrbis *Ioannem Frangipanem*. Is adoleſcentes retrahi, & ad ſe duci. Dictum, factum. Siſtuntur, agnoſcuntur. Putabant ſe extrà periculum, quià extrà ſolum hoſtile: ſed auaritiam ignorabant Dynaſtæ, à quo *Carolo* proditi, Neapolim ducti, poſt matura conſilia cum infamiâ Andegauenſis ſtirpis. capite plectendos decernit adoleſcentes. Ad tantum ſpectaculum è totâ Italiâ concurſum. Miſerantur omnes, ſed nemo niſi fauore iuuant inani. Conradinus ad patibulum ductus, animoſè loquitur, Carolum accuſat, ſe excuſat. Deum vindicem inuocat, & ius ſuum in hæc regna *Henrico Caſtellano* amitæ filio donat. Huius rei teſſeram, chirothecam exuit, abiecit. In ſtemma hæ tranſlatæ gentilitium ab hæredibus, vſquè in hodiernam diem ad iuris aſſerti monimentum ſeruantur. Tum Fridericus primus ingeniculare iubetur, & caput inciditur. Quod ſublatum è tabulato *Conradinus* (quis ſinè commiſeratione audiat?) pectori admotum, deindè ori, ſortem eius miſeram deflens, cui ipſe auctor fuiſſet. Tum ipſe in genua prouolutus fortiter expectans carnificem, capite plectitur. Carnificem ſtatim alius laruatus interfecit. Ne extaret, qui ſanguinem generoſum à ſe iactaret ſublatum. *Carolo* ſunt qui adſcribant; qui ibidem ſpectator perſonatus adeſſet. ſed falsò. Tanta magnanimitas non fuit *Carolo*. Conſilium fuit *Roberti* Flandriæ comitis, qui immani ſententiæ vehementiſſimè obſtans, Carolum admonuerat; victorem generoſum decere eſſe, & moderatum. Sed nil profecit, Quare cum mortem *Robertus* impedire non poſſet, protonotarium *Robertum Barium*, qui è cathedrâ capitalem ſententiam pronuntiauerat, homo infimæ conditionis, tanquàm vitâ indignum enſe confodit. Feritati *Carolus*, ne quid deeſſet: ex altâ turri ſpectator ipſe ſupplicij eſſe ſuſtinuit. Quod ad Pontificem attinet, cum *Carolus* conſuluit per literas, *quid de Sueuo ſtatuendum?* Clementem autem inclementer reſpondiſſe, ait *Collenutius hiſtoriâ Neapol. Non intercedere ſe, quo minùs lege ageretur.* Immò adiecisse: *Vita Conradini, mors Caroli: Mors Conradini, vita Caroli.* Ex aduerſò *Recordanus c. 193. hiſtor. Florent.* author eſt, Pontificem, & Cardinales ægrè tuliſſe ſententiam mortis pronunciatam in Conradinum, & propterea ei grauiter infenſos eſse. Adiungitur: quòd antè Conradini captiuitatem Clemens obijt, teſte *Ptolomæo Lucenſi,* & *Claudio Clemente in vitâ Clementis IV. c. 19.* Certum eſt; *Conradinum* in theatrum productum fuiſse Anno 1269. die 26. Octob. cum antè annum Clemens obiiſet.

Conradini cædes.

A Clemente diuinitus publicatur.

Conradini captiuitas

Supplicium.

Clemens Papa an conſenſerit neci Conradini.

Huc ſpectat teſsera militaris, quam *Guelphi* Florentinis exulibus detulit Clemens, cum eum adeuntes rogarunt, vt eos *Carolo* commendaret, ſtrenuam operam in bello contrà Manfredum polliciti. Pontifex eorum audaciam, & excellentiam admiratus, oblationem gratè ſuſcipiens, clypeo donauit, in





quo imago rubentis Aquilæ ceruleum Draconem vnguibus ſubiectum præmentis, *Guelphos* ſecerneret à Gibellinis. Inſignia hæc non ſolùm eo tenuere bello, ſed etiam patriæ reſtituti continuarunt, & in cęteros Guelphos tranſmiſerunt, vt videre eſt Venetijs, in parietibus domorum teſseram hanc marmoribus ſculptam, teſtimonium perenne, quod illæ familiæ partes ſequerentur eccleſię. Licet enim Veneta Reſpublica arma ſemper geſserit pro Pontifice, vndè Aquilas ciuibus omnibus deponere mandauit Imperiales; quas in ſignum deuotionis ergà Cæſarem pingebant in ſuperliminaribus domorum, vt videre eſt in noſtrâ *Aquilâ Sacrâ*; familiæ tamen nonnullæ priuatæ clàm ergà Cæſarem inclinabant: Quæ verò apertè Partes ſequebantur Pontificis, aquilam illam rubeam Draconem præmentem vnguibus, ſuis affigebant ædificijs:

6. Sa-

Cardinales ſemper conſulit

6. *Sacro inconſulto Senatu.* Modeſtiam Clementis IV. Rom. Pontif. ab vno metire lector, Toto ſuo Pontificatu, hoc perpetuò à ſe obſeruatum voluit, nè quid inconſulto Cardinalium collegio faceret, aut aggredi conaretur. Hoc Cardinales obiecerunt Gregorio XI. vt teſtatur Catherina virgo Senenſis *ep. ad Gregorium.*

Clem. obitus.

7. *Mortuus* eſt Clemens Viterbij, Anno 1268. die 29. Nouembr. morbo, ac ſenio confectus. Sepultus eſt ad Prædicatores in Eccleſiâ S. Mariæ ad Gradus marmoreo tumulo, cum ſequenti epitaphio.

Lector fige pedes, admirans quàm breuis ædes
Pontificem quartum Clementem contegit arctum:
En datur in cineres Petri ſucceſſor, & hæres,
Cuius ſi memores, non mundi gaudia quæres.
Hic index primùm, quem ſi ſucceßus opimum
Reddidit, vt fertur, miles probus efficeretur
Taleque ſortitus nomen, iureque peritus,
Virginis vnius fuit vnicus ipſe maritus,
Qui viduatus eà, mox Chriſti ſorte potitus,
Anicienſis ita dignus fuit Archilenita,
Præſul ibi factus, poſt Archiepiſcopus actus,
Paſtor vt egregius Narbonæ præfuit auctus,
Vtquè Deo gratus vir, Cardinalibus ſociatur
Paratus nomen clarum ſuſcepit, & omen,
Sic ſublimatus, ſic deniquè clarificatus;
Perficiendo gradus cenſetur ad aſtra leuatus,
Annis ſex denis octo cum mille ducentis
Tranſactis Chriſti Clemens tumulo datur iſti:
Vt finalis ei det gaudia ſumma diei. Amen

Eius geſta.

Totum vitæ tempus ieiuniis, orationibus, vigiliis tranſegit. Celebrat Ptolomæus Lucenſis ex veteri hiſtorico ita deſcribens, *Generalis clericus fuit, videlicet Iuriſta ſummus, prædicator egregius, cantor pulcherrimus ſine pari: carnes diù non comedit, aſperrimo lecto eſt vſus, nec veſtibus lineis ad carnem vtebatur: & ſic ſanctiſſimam vitam duxit; nec inuenitur exaltaſſe parentes Deo dicatus.* Concordant Longinus *l. 1. H. Polon.* Platina; Antoninus 3. p. *Valdè fœlix ſecundùm Deum, quià valdè bonus: & ſecundùm ſæculum, quià prudens, & expertus in regimine, & negotijs ſæculi, & in maximà dignitate.* Guido *ſanctiſſimum* dixit, eiuſque vitam omni ex parte laudandam, *doctrinà, pietate, religione, humanitate, modeſtià, charitate in proximum, & pauperes Chriſti.* Trithemius in *Chron. Hirſaug.* Genebrard. optimum dixere Pontificem, virum ſanctæ conuerſationis, prophetico ſpiritu illuſtratum. Relator iuſtitiæ Chriſtianos principes æquis moribus, pietatis, religionis exemplo excitare non deſtitit, vt in epiſtolis eius abundè liquet. Scribit Genebrard. *libr. 4. Chron.* Cobilam VI. Tartarorum Regem miſiſse ad Clementem, Nicolaum Paulum, & Matthæum Venetos cum *Chogotalo* Tartaro clari ſanguinis, vt

Virtutes.

B ſacros concionatores poſtularent, à quibus baptizatus eſt Cobila, ib.

Scripſit Clemens IV. *quæſtiones Iuris*

De recipiendarum cauſarum ratione.

Vitam S. Eduuigis Reginæ Poloniæ, quam ſanctarum albo ipſe tranſcripſit.

Epiſtolam in Guilelmum de S. Amore, religioſorum mendicantium hoſtem acerrimum.

Epiſtolarum volumen, cuius quinque exemplaria M. SS. in Vaticano aſſeruantur, & alibi.

Sermonem contrà Ludouicum Bauarum, quod M.

C S. ſeruatur in Biblioth. Imper.

Statim poſt obitum miraculis fulgere cœpit ingentibus. Vnde Clerus eccleſiæ Cathedralis Viterbienſis funus Patribus Dominicanis inuidit: ſed iubente Gregorio X. ſacrum eſt reſtitutum cadauer, datis ep. Lugduni Kal. Octob. Anno III. vt iuxta ipſius Clementis mandata in eccleſiâ S. Mariæ ad Gradus quieſceret.

GREGORIVS DECIMVS
PONTIFEX ROMANVS CLXXXIV.



GRæcis reconciliatis cum Latinis in Lugdunenſi Concilio, interprete Gregorio X. Romano Pontifice, vnitatem eccleſiæ Sol exprimit. Sicut enim Solis multi ſunt radij, ſed lumen vnum. Sic Eccleſia Domini luce perfuſa radios ſuos per totum porrigit Orbem: vnum tamen eſt lumen, quod vbiq. diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur. *Cyprianus. c. loquitur. cauſ. 24. q. 1.*

Eligitur Anno Sal. 1271. Kal. Septemb. Obijt Anno 1276. die 14. Id. Ianuar. Cum ſediſſet Annos 4. Menſes 4. dies 10. Vacat ſedes Dies X.

E L O G I V M

Anni Sal. Gr. 1271. 1

QVàm pulchra res, virtus,
Cuius tabellio, & tabellarius fama.
Calcat maria, nauigat terras,
Et ſola ambulat ſuper pennas ventorum.
Ad Theobaldũ Placentinũ Archid. Eburonum
Venit ambitioſè honor:
Poſtquàm ſupra biennium certaſſent Patres.
Non vnius anni opus, tantus Pontifex erat.
Quæſitus ab Aſià Gregorius

A Vbi cum Anglo Rege repoſcebat à Mauris
Chriſti ſepulchrum.
In Europam deſcendit;
Patrum moras celeritate ſuà cõpẽſãtibus vẽtis.
Diſceſſurus è Syrià prò concione iurauit,
Et manum in arrham ſuper aram poſuit:
Vt obliuioni daretur dextera eius,
Si obliuiſceretur Hieruſalem.
Abeuntem totus Oriens comitatus ad litora,

Anni Sal. Gr. 1271. 1

biennium. Sedes vacabat Pontificia, diſſentientibus Cardinalibus, quolibet eorum ambiente Pontificatum. Vnde Io: Cardinalis Portuenſis indignatus Cardinalium pertinaciam, ijs in Conclaui exiſtentibus, & inuocantibus Spiritum Sanctum, publicè dixit: *Domini diſcooperiamus tectum cameræ huius, quia Spiritus Sanctus nequit ad nos per tot tecta ingredi.* Gregorium poſteà cum Papam renuntiatum aduertiſſet, hæc de eius electione carmina protulit.

Papatus munus tulit Archidiaconus vnus,
Quem patrem patrum fecit diſcordia fratrum.

Contulerant ſe Viterbium (vbi Cardinales conuenerant) Reges *Philippus* Gallorum, & *Carolus* Siciliæ cum S. Ludouici exuuijs, quorum præſentia tandē peruicit, ne qui ad lucernam ſanctitatis erant in monte poſiti, nomen perderent Chriſtianum. In eo propterea conuenere, vt ſex eligerētur è numero Cardinalium, qui Pontificem nominarent futurum; eiſq. ſubſcriberent cæteri. Dictum, factum, ſuadente D. Bonauentura Ordinis Minorum Generali miniſtro, ac Archiep. Eboracenſi deſignato. Fuere *Simon* Cardin. S. Martini: *Guido* S. Laurentii in Lucinà: *Richardus* S. Angeli: *Octauianus* S. Mariæ in vià latà: *Ioannes* S. Nicolai in carcere Tulliano, & *Iacobus* S. Mariæ in Coſmedin: qui acceptà creandi Pontificis prouinciâ, communibus ſuffragijs

Gregor. X. electio in Papam.

Theobaldum Placentinum patria, Leodienſem Archid. in Syriâ agentem Pontificem delegere Romanum, *ex Formul. Marci Ebuli in Vaticano p. 8. n. 123.* Creationis tempus deſignat Nangius *de geſtis Philippi Reg. Poſt biennium, & nouem menſes ſedis Apoſtolicæ vacationem in feſto B. Ægidij electus eſt Theobaldus de Placentiâ, Archidiac. Leodienſis in Papam, cum eſſet abſens in transmarinis partibus apud Accon.*

Mores, literatura.

Concordat Ptolomæus Lucenſis *in Annal.* Longinus *l. 7. H. Polon. Mira vir in ſæcularibus experientia, quamuis modica literatura, non pecuniarum lucris, ſed eleemoſynarum in pauperes largitioni operam dans: in conſecratione autem Gregorius X. appellatur.* Longinus hic *modica literatura* Gregorium inſimulat; quod falſum. Non enim potuiſſet ſuâ facundiâ Principes Gallos, & Anglos ad tantam expeditionem excitare.

Prophetia de eius ſucceſſione.

Eius electionem prænuntiauit S. Malachias breui ſymbolo, *Vir anguineus*, quia de familiâ Vicecomitum *Anguem* in ſtemmate pingeret. Abſolutâ electione, decreta mox eſt ampliſſima ad Pontificem à Cardinalibus legatio, vt è Syriâ in Italiam deſcenderet.

Officia.

Fuerat *Theobaldus* in familiâ *Iacobi Pecorarii* Papienſis, Epiſcopi Præneſtini, cuius Domui œconomi iure præfuit, & operâ Canonicorum Lugdunenſium Leodienſis electus Archidiaconus. Ab *Innocentio IV.* epiſcopatum Placentinum recuſauit oblatum, quo Pontifex hominem ſpoliauerat indignum, ne ſuſpicarentur homines, *Theobaldi* causâ fuiſſe priuatum. Præneſtino mortuo, ſpretis dignitatibus, quæ ſibi afferebantur, trans Alpes ſeceſſit: & Pariſiis aliquandiù operam vacauit ſtudiis diuinis, quæ deindè è ſacro ambone ſummâ docuit cum laude. Interfuit priori Lugdunenſi Concilio, vbi Philippi Lugdun. Archiep. conſilia rexit, Pontifici S. Ludouico, & Cardinalibus ob eximiam pietatem, & doctrinam cariſſimus. Othobonum Fliſcum Cardinalem in Angliam Legatum, vt regni diſſidia componeret, ſecutus, ſuam in eà re operam præſtitit, grato Regis, ac procerum elogio. Non igitur *modica literatura.* Auditâ Legatione electionis ſuæ, non leui admiratione captus eſt *Theobaldus*, quòd non Cardinalem, non Epiſcopum elegiſſent. Dignitatem meditabatur reſpuere, cum de ſe admodùm demiſsè ſentiret. Sed grauibus legatorum argumentis compulſus, quòd non aliter ſedari diſcordia poſſet, quæ tamdiù eccleſiam afflixerat, in Occidentem ſuperatis hybernis procellis nauigauit. Iuuit eum pecuniâ, cōmeatu Eduardus (teſte *Veſtmonaſter*) filius Regis Angliæ, comiter querente Palæologo Imperatore Conſtantinopolim non diuertiſſe, vbi maximo gaudio, & pompâ fuiſſet exceptus. *lib. 1. epiſtolarum Gregorii ep. 37.*

Cur di. ctus Greg.

2. *Siponti appulſum* Gregorium excepit Carolus Rex Siciliæ cum Clero, & populo, ac magnâ veneratione Ceperannum vſquè deduxit. Inde per Sabinos Viterbium accedens, reiteratæ Cardinalium electioni interfuit: & *Gregorii* nomen aſſumpſit in memoriam primi, & Noni Gregorij. *Primi*, quia eius feſto die primùm Cardinales ad ſui venerationem Viterbij ſuſcepit veſte indutus Pontificali: *Noni*, à quo ſummis beneficijs affectus fuerat. Rogatus à Romanorum legatis in Vrbem diuertere, cum ille ad reparandam Syriæ cauſam, Soldani Damaſci, ac Babylonis potentiâ attritam, optaret incumbere: ne longiore in Vrbe morâ, vel imminentium occupationum mole, à ſacro retardaretur conſilio, Viterbio noluit recedere, priuſquàm aliquo modo rem Chriſtianorum fulciret ruentem. Datis itaq. literis ad *Eduardum* tunc magno virtutis exemplo Terræ ſanctæ ruinas ſuccollantem, Concilium annuit œcumenicum celebratum iri: precesq. addidit ſpe fœlicis immortalitatis propoſita, vt bellicos labores pro Chriſtianorum tutelà ſubiret. Comparauit etiam duodecim triremium claſſem ex Piſanis, Maſſilienſibus, Ianuenſibus, Venetis ad propulſandos Sarracenorum impetus, vt ex *ep. 15. 16. 17. tom. 1.* Collectâ etiam pecuniâ, quæ ad ſacrum bellum fuerat à morientibus legata (inter quos *Richardus* electus Rex Romanorum octo millia vnciarum auri; mille Ep. Cardinalis Albanenſis) viginti quinque millia marcharum mutuò accepit à Philippo Gallorum Rege, oppignoratis ei Templariorum prædijs, quibus raptim contractas copias auxiliares ſubmiſit in Syriam. *Raynaldus ex M.S. Vall. ſignato litera C. n. 49. p. 25.*

Eius prima expeditio in Syriam.

Hiſce diſpoſitis Romam venit, vbi magno plauſu coronatus, tertià die encyclicas de ſuſcepto eccleſiæ clauo miſit ad Præſules, ac Principes, pro Hieroſolymitanà expeditione ſolicitans. Cum verò nonnulli Chriſtiani exuto omni pudore, arma Sarracenis inueherent, literas Reipublicæ dedit Lyguſticæ, vt tantum nefas arceret. *tom. 2. ep. 10.*

Coronatur.

3. *Ob mortem S. Ludouici.* Expeditione per S. Ludouicum in Syriam ſuſceptà, Anno 1270. quo ſedes Petri vacabat, Kal. Martii mare ingreſſus, tempeſtate iactatus, difficulter Sardiniam appulit. Eò cum veniſſent Alphonſus Pictauiæ, & Guido comites Flandriæ, Io: maior natu comitis Britanniæ, communi decretum conſilio, priùs Regnum tentare Tuneti, quòd Rex barbarus deſiderio flagraret baptiſmi: ac indè magnum ſubſidium Babylones retraherent, vnde Syriacæ expeditioni conduceret, ſi primo

Prohibet arma dari Sarracenis.

mò Tunetum Chriſtiani expugnarent. In Africam itaq. expanſis velis, ex ſcenſu facto Carthago veteris Carthaginis ruinis impoſita in poteſtatem redigitur. Indè ad cingendum Tunetum, quindecim diſſitum milliaribus incubuit, ſed tardiùs, quòd *Carolus* expectaretur Ludouici frater cum validiſſimà, quam ornauerat claſſe. Interim aquæ inopià, commeatus corruptione, veriſq. intemperie peſtilentia Chriſtianum inuaſit exercitum, quæ primùm ignobiles, deindè proceres, Regem tandem abſumpſit. Obiit inter ſanctorum inuocationes, ac meditationes, quomodò fidem poſſet propagare catholicam, *Gaufridus*. Carolus poſteà cum ſuperuenit Rex Siciliæ, Tunetum arctiori obſidione cinctum; hoſtis, qui è ciuitate eruperat, magnà ſtrage fuſus.

Mors S. Ludouici.

Indè cum facilè expugnari poſſet, placuit Carolo in deditionem accipere, ne prædam cum ſociis diuideret. Sicq. factum eſt ei tributarium. *Iordanes*. Eduardus verò Regis Angliæ filius, qui poſt ſubſcriptas pacis leges applicuerat, ſolus in Syriam cum claſse ſuà nauigauit: & quidem extremis rebus extremum ſolatium. Nam Ptolemais, quæ deditionis Soldano faciendæ conſilia agitabat, Eduardi aduentu ſeruata. *Vveſtmonaſter*. Carolus, & Philippus diuiſis inter ſe S. Ludouici exuuiis redíere Viterbium, vbi Cardinales maximo Eccleſiæ damno ſtudiis diuiſi de eccleſiæ paſtore certantes, tandem in *Theobaldum* Archidiaconum Leodienſem conuenere. Is ante coronationem ſuam mandauit *Gaufredo de Bello loco* Ordinis Prædicatorum, vt omnia Ludouici geſta vel ſecretiora conſcriberet, ac ſignata ſedi tranſmitteret Apoſtolicę. *ep.* 117. Ita factum; Inquiſitione poſteà à Pontificibus repetità, tandem à *Bonifacio VIII.* ſanctis adſcribitur. Qualis fuerit? vitam omnem Ludouici noueris, ſi leges noueris, quas ſibi primò, deinde filio dixit.

Tunetana victoria.

4. *Lugduni Orbem coegit vniuerſum*. Deſiderio redimendi Terram ſanctam, ac promiſſis cum vrgeretur *Gregorius*, quæ diſceſſurus è Syrià pro concione ad populum dixerat (teſte *Boſſio l.* 10.) *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea; adhareatq. lingua mea faucibus ſuis, ſi non meminero tui.* ex conſilio Cardinalium, ſynodum indixit œcumenicam Lugduni celebrandam, cui adeſse inuitauit primò *Palæologum* Græcorum Imperatorem, vt ſi ex animo coniunctionem cum Latinis expeteret, quemadmodùm S. Ludouico Gallorum Regi ſignificauerat, fidei catholicæ profeſſionem, ac Primatum Romanę ſedis coram ſuis legatis emitteret, *l.* 1. *ep.* 37 Rogauit etiam Pantaleonem Iuſtinianum Patriarcham Conſtantinopolitanum, vt cum præcipuis Græcorum præſulibus accederet, *ep.* 39. Venetos, Bononienſes, Ianuenſes inter ſe decertantes ad ſe euocatos ad concordiam adegit, vt arma verterent in Sarracenos. *Andreas Dandulus l.* 10. *c.* 8. *Eduardum* etiam Anglorum Regem ex Syrià in Angliam redeuntem, Viterbii paterno accepit amplexu, beneficiorum non immemor, quæ in Syrià acceperat. Famam augebant Pontificis Cardinales ab eo creati, ferè omnes Regulares, viri doctrinà, ac ſanctitate clariſſimi (*Ptolom. Lucenſis.*) inter quos S. Bonauentura. Præludia hæc ad futuri maieſtatem Concilii, ad quod barbaræ etiam ſunt inuitatæ nationes, prouincia data plurib. Epiſcopis, atq. Archiep. opinione ſanctiſſimis, vt ſolicitè inquirerent, quæ emendanda in populo Chriſtiano; ac congrua periculis remedia ſcripto ſuggererent. *l.* 1. *ep.* 65. Nonis Maii Anno ſal. 1274. conuenere Lugdunum quingenti circiter Epiſcopi, Abbates ſexaginta, alij Prælati innumeri. Interfuere apocriſarii *Michaelis Palæologi* Imperat. Orientis, ac Patriarchæ Conſtantinopolitani, cum proceribus Orientalis Eccleſiæ, numero quadraginta. Adfuit Balduinus II. Latinorum Orientis Imperator legati Regum, inſuper, & Tartarorum. Venerat etiam *Iacobus* Rex Aragoniæ, extremà ætate homo, decoris auidus, ſed Pontifici ſubiratus (quod coronam capiti eius imponere recuſaret, niſi ſoluto tributo, quòd Petrus eius pater Romanæ eccleſiæ promiſerat) in patriam rediit. *Ptolomæus Lucenſis, Marianus*. Initium Concilio dedit ipſe Gregorius, qui Pontificalibus indutus, Numine implorato, in hæc verba orauit: *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar, & antequàm moriar,* &c. Ventum poſteà ad decreta, quæ plurima.

Concilium Lugdunen.

Pantaleo Iuſtinianus.

5. *Palæologo* &c. Græci fidem cum iuraſſent Catholicam; Romanam eccleſiam matrem, magiſtram omnium eccleſiarum. Symbolum fidei cum Latinis cecinere, addito, *Qui ex Patre, filioque procedit*: & ex manu ſummi Pontificis ſacram ſynaxim ſuſceperūt. Latini verò nomine omnium Principum pacem Græcis dedere: Balduino, ne quidquam in Græcos moueret, imperatum. *Acta Concilij*.

Græci reconciliati Latinis.

6. *Habſpurgi comitem Rudolphum*. Quaſi nauis in medio mari cum iactaretur viduata ſine rectore Germania, quæ ab obitu *Friderici II.* Imperatorem legitimum viginti ferè duos annos habuerat nemi nem, excepto *Vvillelmo Batauo*, qui breui ſuperſtes locum dedit *Richardo* Cornubiæ Comiti, & *Alphonſo* Caſtellæ Regi, diſſidio electis, vt electores ab iis corraderent munera. Ille autem deceſſerat: iſte naturà cunctator, initio curioſus, poſt timidè auidus oblatum iam repoſcebat imperium, quod ob pœnitentiam donatoris euaſerat; *Gregorius X.* Romanus Pontif. Proceres ſeuerè commonuit, vt ambitu poſito, & diſſidiis, Regem eligerent, qui iam conuulſam in integrum Rempublicam reſtitueret: id ni properè facerent, ſe quod ſui officij ſit, conſulturum. *Maleſpina. Villanus*. Electus itaq. Comes Rudolphus Habſpurgicus, qui à Principibus fidei exigens iuramentum, recuſantibus ipſis (quia fortè ſceptrum deeſſet) Rudolphus arreptà de altari cruce. *In hoc* (inquit) *ſigno regnabimus*. Sic deoſculatà cruce, Principes omnes tam ſpirituales, quàm ſeculares ipſam crucem loco ſceptri oſculantes, iuramentum præſtitere fidelitatis. De hoc habes in noſtrà *Aquilà Vagà*. *Alphonſus*, verò, & *Rudolphus*, Gregorium officijs ſolicitantes, vt Rudolphum proſcriberet. Noluit Pontifex hiſce ambagibus, ſe immiſcere. Miſit tamen ad *Alphonſum* legatum *Fredulum* nomine, qui eccleſiaſticorum reddituum decumas in bellum Mauricum ei polliceretur, modò ab inani imperij ambitione ſecederet. Externa imperia appetere, pacem turbare eccleſiæ, iniquum videri. *Freduli* legatio non fuit ingrata. Nam omnia *Alphonſus* arbitrio ſubmiſit Pontificis. Nihil vltra tunc moratum.

Rudolphus I.

Alphōſi ambi-
tus.

cum. *Rudolpho* poſt iurata eccleſiæ Romanæ priuilegia, confirmatum imperium. At non ſatis ſibi conſtans Alphonſus, iterum de imperij dignitate, quam renunciauerat, ſolicitus Gregorium primo vere conuenit ad Belcaitum oppidum Phocenſis prouinciæ. Ibi die dictà coram Pontif. & Cardin. *imperium ſpontè ſibi à Germanis oblatum cœpit repoſcere; quod ſub iudice lite, minimè fuiſſet ius Electoribus nouà electione veterem abrogare, ſinè culpà prioris electi. Neque fraudi, vel voluntariæ depoſitioni dilationem ſuam adſcribi poſſe: cum veriùs vtilitas, atque neceſſitas impulerit, priùs domi barbarorum irruptiones infringere, poſteà foris honorem quærere; nunc maximè, quòd ſublato æmulo, iura ſua minimè ſubirent aduerſarium: & geminæ prolis pater, non tam capeſcendi honoris cauſà, quàm abolendæ ignominiæ, cauſam commodè religionis defendendam ſuſcepit.* Adhæc Gregorius paucis cauſas expoſuit, cur opus fuiſſet nouum creare Auguſtum. *Richardi obitu, Alphonſo minimè ius quæſitum, ipſumquè in poteſtate Pontificis promiſiſſe futurum. Hoc Reipublicæ ſalutare, nec priuatis ignominioſum. Cum æquè præſtaret: nec Germanis Hiſpanos, nec Hiſpanis Germanos iura dare. Contrà Germanos gentem præferocem, vrbibus fortem, præſidijs munitam, vires minimè conducere externas. Multum infamiæ victo fore, victori fructus exiguos. Præſtare ſua tueri, quàm aliena appetere. Daret Deo, daret religioni, ſi quid præpoſterè actū.* His verbis Pontifex adiecit complexum, & oſculum, naturà comis, & à multo vſu edoctus talibus blanditijs commotas ſedare hominum voluntates. Eo conatu ceſſatum ab *Alphonſo*. Verumtamen ex repulsà ſpes noua. Sueuiæ principatum Conradino extincto ſibi deferri poſtulabat genus maternum ad Sueuiæ Principes referenti, cuius occupatione nouas ſemper iniurias cumulari. Vaſconum quoq. regnum repetitis antiquis iuribus ad ſe euocabat, *Henricum* deniq. fratrem ſuum in cuſtodià detentum à *Carolo* Siciliæ Rege, auctore Pontifice petebat dimitti; quod *Carolus* voluntatem excuſaret Pontificis, ne libertatem daret captiuo. His cum Pontifex, & Cardinales aures minimè darent, ſubiratus receſſit in Hiſpaniam, imperij reaſſumpto nomine, & inſignibus, quibus non abſtinuit, donec anathematis denuntiatione coactus. Decumæ tamen *Tertiæ* Eccleſiarum in ſumptus belli Maurici conceſſæ ſunt, ideſt tertia decimarum pars per ſex annos. Cæterum cum neq. eà largitione auiditas expleretur *Alphonſi*, integra decumatio in ſubſidium Terræ ſanctæ impoſita, illi contrà Mauros conceſſa.

Ertucu-
lus Tur
carum
auctor.

7. *Ertuculus* pater *Otthomani* primi Turcarum Sultani, & familiæ conditoris Otthomanæ eodem ferè Anno naſcitur, & moritur, quo *Rodulphus* Auſtriacæ familiæ auctor, & conditor, quaſi à Cœlo legatus in ſubſidium eccleſiæ, quæ tot ærumnas paſſura erat ſub Turcarum tyrannide. Vide noſtram *Aquilam Vagam*.

8. *Sacris tandem comitijs lege datà*, Seſſione quintà Lugdun. Concilii, Anno 1274. ad arcenda ex diuturno interpontificio mala, quæ Chriſtianum Orbem poſt Clementis IV. obitum afflixerant ſancitis ab Alexandro, aliiſq. Pontificibus, adiecit, vt elapſis à Pontificis morte diebus decem, ſiue venirent Cardinales alii, ſiue non, ſecretum conclaue ingrederentur, qui ſingulos tantum clericos, ac laicos, duoſue, ſi alicuius adpoſceret euidens neceſſitas ad familiare obſequium adducerent: obſeptis vndiq. omnibus alijs aditibus, vt cum nullo colloqui, neq. literas ab aliquo recipere, intentato in legis violatores anathemate, poſſent. Cumq. tres effluxiſſent dies, ſequentibus alijs quinque, vno tantum ferculo contenti eſſent: quibus præteritis panis, vinum, & aqua ipſis tantummodò apponerentur: nec aliquid ab ærario acciperent Pontificio, donec Pontificem renuntiarent. Sanctionem hanc cum antea Gregorius Cardinalibus oſtendiſset, duriorem ſibi legem imponi queſti ſunt; vt paulò poſt à Pontifice diſſentirent. Pontifex autem Præſules cum ad ſe ſine Cardinalibus adſciuiſſet; contrà Cardinales ſuæ nationis Præſules aduersùs Pontificem concitarent: Gregorius vocatis præſulibus primum obiecto anathemate conſilia ſua alijs pandere vetuit: iiſquè expoſitis, aſsenſum ab iis elicuit, qui etiam ſigilla ſanctioni appoſuere: ſparſęq. per regna, & prouincias literæ, quę extant *in libro Priuileg. Rom. Eccleſ. M. S. Vatic. tom. 3. p. 281.* Hęc in Lugdunenſi Concilio pro ſalute vniuerſalis Eccleſię laudata cum Ioannes XXI. dictus in gratiam Cardinalium abrogaſset, magnam poſteà ſibi conflauit inuidiam, vt infra dicetur.

Greg.
X. leges
pro ele-
ctione
Papæ.

Floren-
tiæ ge-
ſta ab
eodem.

9. *Florentia*. Lugdunum antequàm Gregorius pergeret ad Concilium, Florentiam diuertit, extinguendæ *Guelphæ*, ac Gibellinæ factionis Zelo: & licèt ſuper hoc longa fuerit concertatio partium, tandem ſunt conciliati ſigniferi, grauiſſimis pœnis conſtitutis in pacis violatores, ac obſidibus datis. Ea cum fęliciter abſoluiſſet, baſilicam dedicauit Gregorianam trans Arnum, & abijt. Cœterum ea omnia plus in præſentià ſpei, quàm in poſterū habuere ſuceſsus. Ciues enim, qui aduerſariorum reditū in vrbē grauiſſimè tulerant, excitato nouo tumultu tantum terrorem incuſsere reſtitutis, vt conſiſtere non auſi, ſpontè demigrauerint. Quæ cum intellexiſset Gregorius, vſquè adeò indignè tulit, vt Florentiæ ſacris omnibus interdixerit; cui interdicto ferè per triennium fuit obnoxia Florentia. Peracto poſteà Lugdunenſi concilio, eodem ferè itinere, quo profectus, in Italiam reuerſus, cum in Etruriam deſcendiſset, iam Florentiæ proximus; ea reuerentiæ magnitudo, ac ſanctitatis opiniu, apud Florentinos præualuit, vt obuiam illi omnis vrbana multitudo proceſserit. Intentio erat Gregorij, Florentiam prætirire, & iam non longè à portà ciuitatis vià publicà Aretium declinauerat. Sed Arnus per eos dies tumidior factus, cum vado tranſmitti non poſset; coactus Gregorius Florentiam ingredi, tantùm ibi hæſit, quantùm pontem Arno impoſitum pertranſiret, & ad portam Aretinam properaret. Vrbano autem populo benedictionem imploranti Pontificiam, impertiuit Gregorius dum iret; cœterum vrbe egreſsus, iiſdem quibus priùs cenſuris obnoxiam reddidit ciuitatem: verbis vſurpatis Pſalmiſtæ: *In chamo, & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Io. Villanus*, & *Ricardanus*.

10. *Morte Aretii detentus*. Romam pergebat Gregorius Anno 1276. cum Aretii graui morbo correptus è vità migrauit. III. Id. Ian. prudentià, animi fortitudine, vitę ſanctitate illuſtris, ac in morte clarus miraculis: ingenti ſui relicto deſiderio,

irre-

irreparabili Terræ ſanctæ damno, ad quam è Sarracenorum manibus liberandam cum Imperatore Rudolpho, Francorum, Angliæ, Siciliæ, & Aragoniæ Regibus, aliiſq. Principibus profecturus erat. Eo autem ſublato, Reges priora abiecere conſilia, ad ſchiſmata rediere Græci. Sepultus eſt vir ſanctus, cum ſymbolum ſuum factis impleuiſſet

Greg. obitus.

Perfice greſſus meos in ſemitis ſuis.

Exornarunt Gregorium elogijs ſuis viri clariſſimi, inter quos S. Antoninus 3. *p. tit.* 20. *c.* 2. *Erat vir Zelator fidei, et diuini cultus, ac deteſtator partialitatum, & pacis amator.*

Elogia.

Leonardus Aretinus: *Fuit vir optimus, proculdubiu ſanctiſſimus: ingentis quidem animi contra Chriſtiani nominis inimicos, & qui ſacra recuperationem terræ ſemper meditaretur, ad eamque vnam rem Chriſtianos omnes, poſitis inter ſe contentionibus intendere cenſebat* l. 3. & infra: *Sepultus eſt Aretii cum ſummà veneratione. Multa circum illius corpus miracula poſtmodum ſubſecuta fidem eius ſanctitatis indubiam præbuere.* Conſonat Ptolemæus Lucenſis *l.* 21. *c.* 5. Tranſiuit in Lombardiam, & venit in Tuſciam, applicuit apud Aretium; vbi infirmatus eſt & mortuus: per quem Deus ſuas virtutes oſtendit. Accedat Græcorum Patrum encomium congregatorum in Conſtantinopolitano Concilio, in literis ſynodalibus ad Io: Papam XXI. *Tempore felicis memoria beati illius viri, ſi tamen virum, & non Angelum vocari oportet, felicem illum ſanctiſſimum Papam X. dicimus Gregorium.* Conſentiunt Bernardus *in Chron. Rom. Pontif.* Longinus *hiſtor. Polon.* poſt mortem fulſiſſe miraculis, quorum hiſtoria in veteri cartà pergamenà ad illius ſepulchrum in baſilicà Aretij, hæc præcipua leguntur.

Miracula.

In nomine Dei æterni Amen. Anno D. 1276. Ind. 4. D. Innocentio Papa V. reſidente, infraſcripta ſunt miracula, quæ D.N.I.C. fecit meritis B. Gregorii Papæ X. in perſonis infraſcriptis quæ ſe cum reuerentià deuouerunt B. Gregorio ſupradicto. Die lunæ 27. April. Adalerte mulier Theutonica filia Henrici de ciuitate Ruodolinghene diſtrictus comitis de Ferighene, quæ veniebat à Ciuitate Romanà, & viſitauerat limina beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & etiam S. Nicolai aſſociata, iurauit tacto libro per Deum viuum, et per Ieſum Chriſtum eius filium, et per B. Virginem Mariam eius matrem, & per omnes Apoſtolos, & ſanctos, et ſanctas Dei, computato eidem mulieri ſacramento per Ioannem Theutonicum, qui ſciebat linguam Latinam, quod ipſa mulier non vidit aliquomodo neque cælum, neque terram, neque ſolem, neque aliquam aliam rem exiſtentem in mundo, iam ſunt octo anni elapſi; & veniendo ab Vrbe anocula cum ſocietate ad ciuitatem Aretinam, venit ad monumentum B. Gregorii ſupradicti aperti ſunt oculi ſui, et vidit cælum, et terram, & homines, et mulieres, & omnia, quæ reſpiciebat. Et idem Ioannes Theutonicus iurauit ad ſancta Dei euangelia, quod ipſa mulier ſic iurauerat, & iurauit quod vidit eam cæcam, iam ſunt XIV. dies, in Vrbe. Et hæc omnia teſtificati fuerunt Pengo Ioannis de Francheforte de Alemania, & multi alij qui venerant, & duxerant eam ad Vrbē, & liberata eſt prædicta mulier præſentibus Dominis Caccia plebano de S. Donato de Martinellis canonicu Aretino, Orlandino plebano plebis Poncenano. Copponelli, & curam magno numero hominum, & mulierum: et iurauit coram D. Bono præpoſito Aretino. Rainerio de Greſſa, & Donato de Martinellis, canonicis Aretinis, & coram multis alijs.

Die Veneris, prima die menſis maii Benintende filius Beninenſa de Vogagnatro dixit ſuo iuramento quod iam ſunt quinque anni, & plus, quod propter grauem infirmitatem, quam habuit aliquo modu non potuit ire, nec redire ſine Baculo, ſine Seaccis: & quando ibat cum ſeaccis ſemper ibat contortus, et gibbus, et adeò incuruatus, quod quaſi retinebat caput, et faciem ſuam iuxta terram, & aliter non poterat ire nec ſe erigere. Et veniendo, & ſtando cum magnà reuerentià ad monumentum B. Gregorii ſupradicti, cui ſe deuouit; et inuocando auxilium ſuum merito ipſius liberauit eum Deus à dicta infirmitate; ita quod liberè ſine Baculo vel aliu adiutorio prædictus vadit, et redit quocumquè vult. Prædicta omnia teſtificatur Arengutius Albergator nepos dicti Benentendis, Gubilia vxor dicti Arengutii, Giana famula dicti Arengutii, & multi alii, qui viderunt eundem ſic infirmum, et modò ſanum: et hæc teſtificati fuerunt coram Rainerio de Greſſa, et Donato de Martinellis canonicis eccleſiæ cathedralis Aretinæ, et multis aliis.

Die veneris primà die maij donna Bona vxor quondam Donati notarii de ciuitate Aretij de populo S. Petri parui, dixit, & affirmauit ſuo iuramentu, quod ipſa ſine aliqua interpellatione ſtetit anocula et amiſit lumen oculorum ſuorum, iam eſt vnus annus, et plus: ita quod ali. quo modo non potuit videre; et veniendo, et ſtandu ſub ſepulcro B. Gregorii ſupradicti, cui ſe deuouit cum magnà reuerentià, meritis ipſius beatiſſimi patris Deus liberauit eam, ſtandu ſub monumentu eiuſdem: ita quod bene videt, & agnoſcit omnes res, quæ ſibi moſtrantur.

C *Die XIII. menſis Maii intrantis Balduinus filius olim Orlandi eius Aretinus de populo S. Michaelis, & donna Iacobina eius vxor, dicunt, & affirmant in verbo veritatis, & in fide Ieſu Chriſti, quod Neira eorum filia fuit adeo contracta in omnibus membris ſuis, quòd non potuit ſe erigere, nec ire aliquo modo ſine adiutoriu hominis vel mulieris, et faciendo dictam filiam apportare à quadam ſerua dicti Balduini ad monumenti B. Gregorii ſupradicti, cui deuouerunt dictam eorum filiam, ſtando ſub eius monumento, meritis ipſius liberauit eam Deus, ita quod per ſe ſine adiutorio alicuius poteſt ſe erigere, et liberè ire. Et hæc teſtificaatur fuiſſe vera D. Beneludus, Orlandus quondam Iacobi, Rainerius olim D. Vbertini, et plures alii teſtes.*

Die nona menſis Maii intrantis Robertus quondam D *Cambii de Florentina dixit, et affirmauit in verbo veritatis, quòd ſtetit ſurdus, et non audiuit aliquem hominem loquentem, iam ſunt XVI. anni, et plus, et veniendo ad ſepulcrum B. Gregorii ſupradicti, cui ſe deuouit, & tangendo eum ſepulchrum, et ſtando ſub eo, audiuit quendam ſonitum locuſta, et cicada, et ab ipſa horà in antea meritis beatiſſimi patris Gregorii Dominus ſanauit eum, et reddidit ei auditum: ita quod benè audit, et intelligit omnia, quæ ſibi dicuntur ab hominibus. Et hæc teſtificatus eſt in præſentià D. Rainerii de Greſſa, Donati de Martinellis, et Vberti canonicorum, et pluribus aliis.*

Die nonà prædicti menſis Ioannes olim Tucciardi de Rando dixit, & affirmauit in verbo fidei, & veritatis, quòd ipſe ſtetit ſurdus, & non audiuit aliquam vocem iam ſunt XXI. anni: et veniendu ad monumentum B. Gregorii ſupradicti, cui ſe deuouit, et ſtando ſub ſepulchru

bea-

beatiſſimi patris, et tangendo ipſum monumentum ſubitò liberatus eſt, ita quod benè audit omnia meritis ipſius beatiſſimi patris. Et hæc dixit preſentib. D. Vbertocanonico Aretino, magiſtro Bonfilio, et Ruberto quondam Cambii.

Nona die prædicta Ioannes Petri de Carpignalo, plebanus plebis S. Petri de Maſſa affirmauit quòd ſtetit anoculus iā eſt annus, quod non videbat lumen: et veniens ad monumentū B. Greg. cui ſe deuouit, et tāgēdo ipſū monumentū, meritis ipſius ſubitò liberatus eſt: ita quod bene vidit. Et hoc teſtificatus fuit Timideus, et D. Berta vxor ipſius Timidei. Die X. menſis maii Margarita vxor Io. Sauia de caſtro plebis de maſſa Trebatia affirmauit, quòd ipſa non potuit loqui aliquo tempore vitæ ſuæ, vel audire, veniens ad ſepulcrum B. Gregorii, et tangendo eum, meritis ipſius beatiſſimi patris Gregorii liberauit eam Deus: ita quod loquitur benè, et audit, et hoc teſtificata fuit Litiaria eius ſoror coram D. Bonſignore primicerio, Rainerio de Greſſa, et D. Donato de Martinellis canonicis Aretinis.

Notum ſit legentibus iſtam chartam, quòd multa alia miracula per merita ſanctiſſ. P. Greg. X. fecit Deus, quæ non poſsent hac breui chartā contineri, ideo quicumq. eius miracula ad plenum noſcere deſideras, ad ſacriſtam huius eccleſiæ accedas, qui ſibi plenos codices miraculorum prædicti B. Papæ libenter oſtendet.

Hinc ciues Aretini feſtum accenſis ad tumulum celebrant facibus, die 4. Idib. Ian. vt ex Kal. eiuſdem eccleſiæ, teſte *Molano*, *Hareo*, *Martyrologio German.* & *GalloBelgico* in quibus *Sanctus* appellatur. Ferrarius *Beatum*: Sauſſaius *B. memoriæ*: Bzouius ex monumentis Baſilicę Vaticanę miracula refert ſupradicta.

Sepultus eſt in eccleſiâ cathedrali S. Donati, vbi eius memoria formula celebratur ſequenti. *Apud Aretium ciuitatem Tuſciæ depoſitio corporis B. Gregorij Papæ X. de nobili genere Vicecomitum de Placentiâ; qui cum eſſet Archidiaconus Leodienſis, exiſtens in ciuitate Achon cum Chriſtianis contrà Sarracenos, à Cardinalibus in ciuitate Viterbienſi miraculosè fuit electus in Papam, & cum ſummo honore Romæ eſt coronatus. Fuit autem Lugduni ſolemne Concilium, vbi inter alia cū Imp. et multis Regibus, et Baronibus pro recuperandâ Terrâ S. paſſagium ordinauit, & perſonaliter illuc iter arripiēs, et præcedens An. D. 1276. in Ciuitate Aretij migrauit ad Dominum, ſepultuſq; eſt in Eccleſiâ Cathedrali.*

Eſt qui dicat, in Eccleſiâ Minorum Aretij, Gregorium requieſcere, cum hac inſcriptione.

Gregorius denus virtutum luce ſerenus
Dormit in hac arcâ, dignus Romæ Patriarcha
Quem genuit Placentia, *vrbs Aretina tenet.*

Non defuere tamen qui Pontificem ſanctum calumniari ſint auſi, inter quos *Stephanardus Vimercatus* poeta Vicecomitum encomiaſtes, et Flamma ex quibus Paulus Iouius in *vitâ Othonis Vicecomitis Archiep. Mediolanenſis* inſidias Placentię à Turrianis inſtructas fuiſſe Othoni V. Comiti Archiep. Mediolanenſi, accuſat ipſo conſpirante Gregorio, cuius perfidia pateat, quòd Neapolionem Turrianū auctorem inſidiarum corrigere prætermiſerit. Calumniā hanc facilè confutat innocens vita Gregorii, qui in Neapolionem agere iure non poterat, cum minimè conſtaret de corpore delicti. Adde pro integritate Gregorii, liberalitatem in pauperes, vndè (teſte Ptolomęo Lucenſi *Hiſt. Eccl.*) per *Magnum* Canonicum mille marcas argenti tranſmiſit Piſanis ad leuandam pauperum inopiam: ſingulis diebus certam panis, & carnium quantitatem pauperibus dum Pontifex vixit, diſtribuit: Romæ etiam auxit annonam pauperum: primus conſtituit in palatio Pontificio præſidē ordinarium piarum (*Rinald. in Annal.*) largitionum, quę quotannis manu diſtribuuntur liberali. Egenorum indicem in ſuis apochis habuit, vt eos ipſemet iuuaret: menſam pauperum in palatio quotidiè inſtrui mandauit, ipſiſq. ſanctæ humilitatis exēplo pedes abluebat. Xenodochiis Lateranenſi, & S. Antonii in Exquiliis nouos conceſſit prouentus. *Pet. Mar. Cāp. in rel. Conſiſ.* Cauſidicis certa pręſcripſit ſtipendia, ne inopes plus iuſto emūgerentur; munera penitùs interdixit. Familię pręfuit vt pater, ipſe manu ſua ſacramenta miniſtrans, mortuorū funera ducens, panem diſtribuens. Erga ſacras imagines tantâ fuit religione, vt nouâ Conſtitutione ab omni iniuriâ vindicauerit: inhibens abuſum quendam ſacrilegum, qui alicubi inolęuerat, eas occultandi inter vepres, & vrticas, neſcias maiori impietate, an amentiâ. In diuinas meditationes ita ſe effundebat, vt in ipsâ ſui corporis refectione, animum non auerteret, & quid comediſſet, referre neſciret. Singulari abſtinentiâ ſemel in die manducaret, & tunc parciſſimè, adhibito ſemper ſacræ lectionis condimento. Ex tam aſſiduâ cum Deo conſuetudine, futura ſępè vaticinatus, Raynaldo Rebario Placentino, cubiculario ſuo, vitę terminum prędixit, ad cuius oraculum Rebarius ſe religiosè cōpoſuit. *Bzouius. Oldoinus.* Hæc inſidiis, & perfidiâ in ViceComites polluiſſe, non eſt credendum.

Scripta. Scripſit *Dialogum inter Saulum, & Paulum.* Extat M.S. in bibliothecâ Varmienſi, teſte Ludouico Iacobo à S. Carolo, *in bibliothecâ Pontif.*

Orationem pro concordiâ inter Guelphos, & Gibellinos.

Epiſtolas ad diuerſos, quarum regiſtrum eſt M.S. in Vaticanâ. Vna ad Regē Armenorū in bibliot. *Sirleti.*

Conſtitutiones eccleſiaſticas, quæ Patauij extant apud Canonicos Lateranenſes S. Io. de Viridario.

Iuſtiti in Reges. *Excommunicauit* Dionyſium Regem Luſitaniæ ob impietatem, & ſacrilegam rapacitatem aduersùs Eccleſias, earumquè rectores. Excommunicauit etiam Florentinos, vt ſupra *n. 9.* Guidonem à Monteforte, qui pro arâ maximâ, & ferè inter manus ſacerdotis ſacram hoſtiam offerentis, *Hēricum* occidit filium Richardi electi Imperatoris. Sed pœnitentiâ adductus homicida funem collo imponens, detractis calceis, ſolâ ſubuculâ tectus, eorum inſtar, qui ad ſupplicium ducuntur extremum, nullâ ſecuritatis poſtulatâ veniâ, Florentiæ ſe ſe ad pedes proiecit Gregorii, miſericordiam poſtulans, & clementiam, paratus pro crimine debita ſubire ſupplicia. Pontifex benignè quidem ſe habuit, quòd illum vitâ donauit, ſed carcere incluſit donec Rege Angliæ conſentiente Anno 1274. communioni reſtituit eccleſiaſticæ, *l. 3. ep.* 14. Excommunicationis etiam timore *Iacobum* Regem Aragonum, qui ætate iam prouectâ, ſed vegetâ nobili viro vxorem abduxerat, ad reſtitutionem ſeriò perſtrinxit *l. 4. ep.* 16. Non reſipuit tamē, donec magnâ clade ei à Mauris illatâ, mærore concepto, morbum contraxit, ac deſperatâ ſalute, regnis inter filios diuiſis, ſeceſſit in cęnobium.

Extat Placentiæ vetuſtiſſimus Codex in Tabulario Eccleſiæ, *S. Antonini M. cum vitâ eius in pergameno, ſub titulo: De vitâ, morte, & miraculis S. Gregorij Papæ* X. *Placentini, olim huius Eccleſiæ Canonici.*

Ternis āpliùs ſęculis perſeuerauit eius corpus abſq; corruptionis tabe, cum ſuauiſſimi odoris flagrantiâ.

Calumnia con. era Innocētiā

ADNOTATIONES IN INNOCENTIO V. PONT. ROM. CLXXXV.

Innoc. V. natalia.

1 INnocentium huius nominis *Quintum*, natione *Gallum*, prouinciâ *Burgundum*, *Tarentaſia* natum, nomine ante Pontificatum, *Petrum*, non procul à *Mamiera* valle, & flumine *Iſara*, qui in Rhodanum influit, inter Alpinos ſcopulos natum, feracis ingenij, ac artium grauiſſimarum capacis, Patres in conclaui Aretij coacti iuxtà leges à Gregorio editas, eidem in feſto S. Agnetis dedere ſucceſſorem. Coronatus eſt Romæ Anno 1276. die 8. Martij ſacro cathedræ Petri, in eiuſdem Principis baſilicâ Vaticanâ per manus Io. Caietani Vrſini Cardinalis in carcere Tulliano (teſte S. Antonino. 3. *p. tit.* 20. c. 3.) ac pro ſymbolo Pontificio ſequentia aſſumpſit

Oculi mei ſemper ad Dominum.

Symbolum.

Fideles certiores fecit encyclicis literis, ac præſules excitauit vt concordiam Principibus ſuaderent. pro expeditione Syriacâ *Formular. Marini Ebul. in Vaticano.*

Iuuentus.

2. *Dominicanus* &c. In Dominicanâ familiâ Petrus cum ſuâ expleuiſſet iuuentam ea ſapientiæ famâ, ac prudentiæ plauſu, vt *Magiſter* cognomento diceretur; à Gregorio X. Rom. Pontifice Eccleſiæ præpoſitus Lugdunenſi, vt ex *ep.* 65. *Gregorii l.* 1. optimo curæ Paſtoralis regimine meruit, vt ab eodem Gregorio in ſacrum Cardinalium adſciſceretur collegium eadem die, eadẽq. creatione, quà ſulgentiſſimum ſanctitatis iubar paritèr aſſumpſit, D. Bonauenturam: vt non diſpari meritò, Petrum nunc Innocentium; ac S. Bonauenturam Mundus cognoſceret: propterea S. Malachias eius ita prælusit Pontificatum; *Concionator Gallus*. Hic fecit (inquit Ptolomæus Lucenſis) *ordinationem Cardinalium proborum virorum, inter quos duo fuerunt magiſtri in Theologia: quorum vnus fuit de ordine fratrum Prædicatorum, quem ipſe fecerat Archiep. Lugdunenſem, & factus eſt Oſtienſis, vocatuſq. eſt Frater Petrus de Tarantaſia: vir magna religionis, & doctrina, qui multo tempore Pariſiis rexit in Theologica facultate. Scripta fecit ſuper ſententias, & libros multos Biblia poſtillauit, ſpecialiter epiſtolas Pauli. Secundus fuit frater Bonauentura de ordine Minorum &c.* Baptizauit Petrus (cum Cardinalis eſſet Oſtienſis) oratorem *Abagha* cum duobus prænobilibus Tartaris, qui Anno 1274. Lugdunum venerant pro fœdere ineundo contrà Sultanum Ægypti. *Hiſtor. Lugdun. Concil.* 11. *tom.* 3. *p.* 2. Orationem habuit in funere S. Bonauenturæ ſui in Cardinalatu ſocij, argumento propoſito: *Doleo ſuper te, frater mi Ionatha.*

Præludium de eius Pontificatu.

Scripta.

Scripſit *commentaria in Pentateuchum*

In Cantica Canticorum

In Pſalmos Dauidicos

In Euangelia

In Lucam

In omnes Epiſtolas Paulinas, teſte *Sixto Senenſi*. Aſſeruantur M.S. Cantabrigiæ in publicâ Bibliothecâ. *vol.* 49. Tiguri. Cremonæ apud Auguſtinianos. Toleti apud Dominicanos, & Bononiæ.

D. Thomæ Aquinatis opera in compendium redegit.

Compendium Theologia, quod Pariſiis prodiit, Anno 1551. in 12.

In Sententias lib. 4. Extant M. S. Patauii apud Conuentuales ſanctæ Vrſulæ ſub nomine *Petri de Tarantaſio*, in ſecundum ſent. Oxoniæ in bibliothecâ Lincolnienſi, *in* 4. *Sententiarum vol.* 35. Cantabrigiæ in illa S. Petri. 67. In Penbrochianâ, *vol.* 160. ſub hoc titulo. Excerpta de *Summa in lib. ſentent.*

S. Thomas Aquinas habet inter Opuſcula *Reſponſionem de Articulis centum, & octo ſumptis*, & aliis *ex opere Petri de Tarentaſia ad Fr. Ioan. Vercellenſem Generalem Mag. Ordinis Prædic.*

De Mundi æternitate tractatum.

De intellectu, & voluntate l. 1.

De ſormarum *vnitate l.* 1.

De Cœli materia l. 1. Commentaria ſuper *Miſſus eſt Angelus.* Super *canticum B. M. Virginis* Magnificat. Nõ defuere tamẽ inuidi, qui centũ eius propoſitiones carperent. Sed D. Thomam habuit propugnatorem.

Curat pacem Chriſtianorum.

3. *Piſanis, Venetis, Ianuenſibus.* Aretii electus Gregorius, antequàm ſe conferret in vrbem, Gregorii excitatus exemplo, qui tantum ſtudium in conciliandis Chriſtianis poſuerat, literas dedit ad Ianuenſes, vt ad concordiam ſolicitaret. Papienſes, Veronenſes, cæteroſq. Gibellinos à prædeceſſoribus damnatos, repetitis perſtrinxit cenſuris, vt ex *ep.* 153. *Io: XXI. l.* 1. Hiſpaniæ verò ex incurſionibus barbarorum periclitanti, valido adfuit Cruceſignatorum ſubſidio, ac eccleſiaſticarum decumarum ſolutione, vt ex *ep. ad Archiep. Hiſpalenſem.* Piſanos Lucanos alternis ſe ſe petentes cladibus ad concordiam redegit. *Leonardus Florent. l.* 3. Ingentia alia moliebatur Innocentius pro Chriſtianâ Republicâ, ſed morte præuentus, non potuit adimplere. *Obiit Romæ ſepultus in eccleſiâ Lateranenſi Anno S.* 1276. *die* 22. *Iunii*. Presbyteris Viterbienſibus quòd corpus *Clementis IV.* abſtuliſſent inuitis Dominicanis fratrib. reſtitui mandauit iuxta diſpoſitionem ipſius *Clementis*, qui apud Dominicanos ſepulturam elegerat. *Ptolomæus Lucenſis.*

Hiſpanis auxiliatur

SIGNVM INNOCENTII V.



Anni Sal IHs 1276.

Dum tota moueretur Italia.
Eius exemplo finitimæ ſtetere Prouinciæ,
Peruſium ſecututæ quocumq. ſe verteret.
Gubernatorem agens,& Præſulem,
Nomen ſuum fęliciter fecit ſacrum,& politicū.
Legatus extraordinarius in [3] Angliam
Honorarius ad totius Occidentis Principes,
In Angliam penetrauit non inuiſus,ſed inuitis,
Eà Regis fortunà;
Vt vnà arce totum regnum Regi ſeruauerit.
Lōdinensi obſeſsus in arce à comite Glouernię
Pectore ſuo vrbem ſine mœnibus,
Arcem ſine arce defendit. (uare.
Vrbē ille capere docuerat:niſi docuiſset iſte ſer-
In patriam vt recederet ſine inimico,
Londini [4] concilium habuit;
Quo aram pacauit, & aulam.
Crucē pręedicans,eā primò Regis filijs impoſuit;
Ne cæteri reijcerent ſine rubore. *(riatis*
Caſtellæ, Luſitaniæ, Aragoniæ Chriſto Regib. cētu-
Contra Orientem ſtabat Occidēs in procinctu,
Ni Mors inclemens ſuſtuliſſet Clementem.
Roma breui eum laudauit elogio, ſed magno-
Pro pace Orbi reſtituta Vniuerſo.
Innocentio [5] tandem Succeſſor datus
Protinùs ſe accinxit ad mortem,
Quam diù antè præuiderat.
Coronam ſperans æternitatis Thiaram [6] reſpuit,
Obijtq. Diaconus, non Sacerdos;
Fauente,& fouente Deo Pontificis humilitatē.
Sacro dietim enutritus Viatico,
Ad Nuntium mortis non expauit,
Quam ipſe priùs nuntiauerat ſibi.
Egit tamen Reſpublicas etiam moriturus;
Moribundà manu, & penè poſt mortem
Præſuli ſcripſit Hieroſolymitano,
Arcana diſponens Eccleſiæ,
Quaſi poſt mortem victurus,
XII. millia librarū Turonēſiū miſit in ſubſidiū
Seipſum miſſurus, ſi viueret.
Monitus prouidere, & familiæ;
De Familià (inquit) *ne me interroges, ſed de eccleſià*
Poſt hæc Ieſum,& Mariam ingeminauit:
Quorū nomina inuocādo,adorando expirauit,
Nono die ſuprà trigeſimum Pontificatus.

Anni Sal IHs 1276.

ADNOTATIONES IN HADRIANO V. PONT. ROM. CLXXXVI.

Hadr. V natalia.

1 OCtobonus filius *Theodiſii*, vel *Theodoſii* natione *Lygur*, nepos Pontificis *Innocentii IV.* ex fratre, nobili *Fliſcorum* familià, ſeu ex Lananiæ Comitibus, qui duos ſupra ſeptuaginta Cardinales ad Innocentij VIII. tempora, (vt gloriabatur *Hector Fliſcus* illius Reipublicæ Romam legatus) protuletant; ex Archidiacono Cantuatienſi in Anglià à patruo ſuo Innocentio IV. Diaconus Cardinalis S. Hadriani in tribus fontibus creatus fuię.

Legationes, officia.

2. *Legatio*, prima quam *Octobono* Cardinali S. Hadriani commiſit Vrbanus IV. in *Manfredum* fuit tyrannum Siciliæ (qui Sarracenos ex Africà centuriauerat aduersùs Rom. Pontificem) Ei Peruſino comitatu commiſſo, cum ampliſſimà in vicinioribus prouinciis poteſtate,eà cœlitus ſors affulſit; vt cum Roma ipſa titubaret in fide Pontificis; collecto Cruceſignatorum exercitu *Octobonus* cum ſociis legatis, poſt *Percivali Pria* naufragium,Sarracenorum Ducis,non ſolùm prouinciam ſeruauit ſibi commiſſam; ſed cæſis Sarracenis, ac *Manfredo* fugato, glorioſam reportauit victoriam. Vrbani *ep.* 145. *lib.* 3. Gregorius decanus apud *Maſſonium*,ac Theodoricus Vall. Vrbano defuncto Clemens IV. ſucceſſit, qui triſtem Anglię miſeratus ſortem bello iactatę ciuili, eumdem *Octobonum*

3. *In Angliam*, Valliam, Scotiam, Hiberniam legatum cum ampliſſimà deſtinauit facultate, vt viros principes eccleſiaſticos, ac laicos ad obſequia ſacramento ſolemni confirmata Regi adduceret deferenda: impia conflata inter eos fœdera diſſolueret: proceres incuſso cenſurarum terrore ad officium cogeret; præſules Romam ad dicendam cauſam euocaret. Et quia ſine armorum potentià non videbatur infringenda armorum pertinacia, facultatem dedit ſub Cruce milites euocare, non ſolùm in Anglià, ſed etiam in Germanià;atq. ad Ludouicum Francorum Regem accurrere. *Clementis ep.* 38. 52. *l.* 1. Venit itaq. *Octobonus in Angliam rubeis indutus veſtimentis, & in eccleſià Vveſtmonaſterienſi congregato Concilio, fecit mandata Apoſtolica publicari*. Quorum timore correpti Londonienſis, Vvigornienſis, ac Vvinronienſis præſules, pęnitentià ducti, ſupplices veniam rogarunt. Non propterea diſcordia quieuit; *Gilbertus comes Glouerniæ* Londinum quaſi Regi auxilium laturus ingreſſus,occupat. *Octobonum* Legatum Pontificis, qui in arce habitabat,ad deditionem euocat. Octobonus verò anathemate reſpondet, atq.ad defendendam pro Rege in perduelles arcem, auxilia vrget: Donec adueniente *Eduardo* Regis primogenito, cogerentur rebelles coram Rege procumbere. *Vveſtmonaſterienſis*. Eiuſdem *Octoboni* operà Leolinus Vualliæ Princeps ciuili eo irretitus bello poſitis armis, ſe Regi ſubiecit. Ob rem benè geſtam *Clemens IV.* Pontif. Rom. ſuo gratulatus legato, Romam venire cupienti reſcripſit. *Laboraſti ſatis diù, & te Dominus in tuis laboribus honeſtauit, & humano iudicio iam compleuit eoſdem: niſi forſitan Anglicana gentis mobilitas, quæ timetur, iterato ſurgat in ſcandala ſolità leuitate. Tom.* 2. *ep.*401. Conceſſit itaq. vt in Hiſpaniam ad luſtrandum S. Iacobi templum peregrinaretur.

4. *Londini Concilium habuit*. Ad ſacram expeditionem, pro recuperandà Hieruſalem ſanctà totus intentus Clemens IV. P.R., concordià primùm

rem firmandam iudicares Chriſtianam, mandauit *Octobono* Cardinali S. A. vt *Richardum* Regem electum Romanorum Romam citaret, pro litis deciſione, quæ agebatur inter ipſum, & *Alphonſum* Caſtellæ Regem. Eodemq. Anno (qui erat ſal. 1266) datis ad eundem Octobonum literis (quæ ſunt. *num.* 287.) ad comparandas Crucesignatorum excitat copias. Expleuit munus ſibi Octobonus impoſitum, nam celebrato Londini Concilio, *in quo multa ad reformationem ſtatuit eccleſia Anglicana. Nec multò poſt crucesignauit apud Northamptonam filios Regis Eduardum, & Edmundum, & comitem Glouernia cum multis alijs Anglica regionis*. Mathæus Pariſius. Inde ex Angliâ reuocatum, nouis obiectum laboribus, in Hiſpanias miſſum, literæ teſtantur Clementis IV. *tomo* 2. *ep.* 510. vt Caſtellæ Regem incenderet: ac Regem Aragoniæ ad eandem expeditionem ſolicitaret *ep.* 425. Idem egit cum Rege Luſitaniæ, cui Luſitanas Decimas Clemens pro belli ſumptibus conceſſit. *l.* 4. *ep.* 51.

In Papã eligitur

5. *Innocentio ſucceſſor datus* die 4. Id. Iulij. Anno 1276. Romæ in Lateranenſi Palatio, præſente Carolo Siciliæ Rege: teſte *Ricordano Maleſpina, Io: Villano, S. Antonino* 3. *p. tit.* 20. *c.* 3. amore ſuæ Cardinalitiæ Diaconiæ, *Hadriani V.* nomen aſſumpſit, ſed diù dignitatem non retinuit, morbo iam fatigatus ſenio, ac legationum grauamine. Ferunt gratulantibus ſibi affinibus ob adeptum Pontificatum reſpondiſſe: *Vtinam ad ſanum Cardinalem, non moribundum Pontificem veniſſetis*. Iuſtinianus *l.* 3. *Hiſtor. Ianuen.* Hinc ſui corporis, ac honoris curà neglectà, totus incenſus ad reparandam Chriſtianam Rempublicam, miſit *Hieroſolymitano Patriarcha duodecim millia librarum Turonenſium pro galeis conſtruendis, vel alijs magis bonorum virorum iudicio opportunis: ſuiſq. literis multum confortauit incolas Terra ſancta, & ad ſpem erexit magni auxilij. Sed in Pontificatu vixit non ampliùs* 39. *diebus*. Concordant Bernardus Guido, Martinus Polonus. Addit Iordanus voluiſſe Hadrianum conſtitutionem Gregorii de reſtrictione Cardinalium in conclaui aliter ordinare: ſed morte præuentum non abſoluiſſe. Romæ creatus, præſente *Carolo* Rege Siciliæ (qui non ſine iniuriâ eccleſiaſticæ libertatis, cuncta gerebat) antè coronationem Viterbium ſeceſſit, quaſi

6. *Thiaram* ſperneret, de coronâ ſolicitus æternitatis: Eius Pontificatum præludente S. Malachia ſequenti ſymbolo. *Bonus Comes*, quia nomine *Octobonus*, ex *Comitibus* Fliſcis. Polycrates eius præfamiliaris ſæpè dicentem audiuiſſe refert: *Nullū ſe ab hoſte ſuo quolibet maius ſupplicium optare poſſe, quàm vt ſummum Pontificatum aſſequeretur*. Ibi ad comminuendam *Caroli* potentiam, *Rudolphum* Imp. in Italiam euocauit; teſte *Platinà*. Vel potiùs, ſi literis credimus *Io: Caietani*, qui nomine Nicolai III. ſedem rexit Apoſtolicam, (extant hæ in *M.S. Vall. litera C. n.* 49. *pag.* 63) Ep. Sabinenſem miſit, & Io: Caietanum Card. S. Nicolai; & Iacobum S. Mariæ in Coſmedin, vt Viterbii controuerſias inter Carolum ſubortas, & Rudolphum componerent, vt is pacificè venire poſset in vrbem ad ſuſcipienda insignia Imperialia. Mortuum fuiſſe sine coronatione, teſtatur Bernardus Guido: *Hic de Romà Viterbium veniens, quadraginta diebus à ſuà creatione nondùm expletis, nondumq. promotus in ſacerdotem, nec coronatus, nec conſecratus, Viterbii moritur* 18. *die menſis Auguſti, & in eccleſiâ fratrum Minorum ſepelitur, Anno S.* 1276.

Prophetia de eius Papatu.

Adagiũ de onere Papatus.

Hadriani V. obitus.

EPITAPHIVM

Hadrianus Quintus Pontif. Max.
Fliſcà e familià nobiliſſimà Genuenſi.
Menſis vnius dierumq. IX. Magiſtratum.
Pontificium gerens.
XV. Kal. Octob. M.CCLXXVI.
Diem Viterbii functus.
Hac Honorificè Sepulturà.
Donatur.

Hanc tamen inſcriptionem vult Oldoinus non fuiſſe primæua, ſed inſtaurato appoſitam ſepulchro. Antiquiorem ipſe refert ſequentem. *Hic requieſcit corpus Sancta memoriæ D. Hadriani Papa V. qui priùs vocatus eſt Octobonus de Fliſco de Ianuà tit S. Hadriani Diac. Card.*

Scripta

Scripsit Hadrianus V. teſte Rupipozæo Cardinalium Nomenclatore *Conſtitutiones Eccleſiaſticas*, quas commentariis illuſtrauit *Io. Acton* Canonicus Lincolnienſis.

JOANNES DICTVS XXI.
PONTIFEX ROMANVS CLXXXVII.



CLXXXVII

PAuperes ne ſine curà, & medicinà langueant ægroti, Medicus adeſt Io. XXI. qui cum in gratiam pauperum ſolummodò farcimina quæreret, *Theſaurum pauperum* ſuos inſcripſit de Medicinà libros: rationabili exẽplo, non indecoram Pontifici eſse Medicinæ artem, maximè ſi eam profitearis in gratiam pauperum. Nam & Lucas cum ſcriberet Euangelium, medicinam non deſeruit, teſte Paulo ad *Coloßen.* 4.

Eligitur Anno Sal. 1276. *Id. Septemb. Obijt Anno* 1277. *die* 19. *Maij. Cum ſediſſet Menſ.*8.*dies* 3. *Vacat ſedes vſq. ad Feſtum S. Catharinæ, ex* Ptolomæo Lucenſi.

E L O G I V M

Anni Sal.I. Io 1276.I1 PEtrũ Hiſpanũ ſcribã? vel Io: Rom. Pontif.? A
Vt vt appelles, Magnũ habes, vel Maximũ
Doctrinà Petrum, Sanctitate Pontificem.
Vliſſipone natus,
Veritatem reduxit è finibus Orbis terrarum,
Quò ſe receperat.
Naturæ vbi defuit Stagyrita nauarcus,
Ibi Petrus incępit:
Ac Peripathetici moderatus errores,
Dialecticam ità inſtruxit,
Vt ſinè eà Scientiæ omnes eſſent fallaces, Anni Sal I Io 1276.I 1
Et per eam ſolam ſcire te ſcires.
Deum ipſum ſi agnoſcere velis,
Abſquè Petri ſyllogiſmo non cognoſces.
Scripſit etiam de Medicinà,
Et farcimina inuenit, quæ adhuc incognita
Curarent ægrotos, ſanarent egenos.
Solent medici horrere, & abhorrere mendicos;
Vice-

Anni Sal I.lo. 1276 I.

Vlceribus Galenus valet opum, non inopum. A
Quotūm crura curare poſſint, vel crumenas.
Inter pauperes depauperaſſe ſeipsū ne crederes,
Medicinam ſuā inſcripſit *Theſaurum Pauperū*.
Pluta reliquit problemata, vel Oracula:
Cum quidquid ſcriberet, oraculum eſſet.
Eo regnãte, Græci neſciẽtes, vel mẽtiri nolẽtes
Fideles habuit:
Non conditione gẽtis, ſed breuitate regiminis.
Michael Palæologus Orbi præerat,
Qui Latinorum cautior, quàm Turcarum,
Dum ſeruat Europam, perdit Aſiam:
A Pontico ad Lycium præualentibus Turcis.
Ambitio ſemper præpoſtera

A fronte cæca, à tergo oculata.
Non aliter decebat eum,
Qui priùs confugit ad Turcas, quā ad Latinos.
Curauit Io. contra Aſiam armare Europam,
Et vſq. ad Tartaros legati venere Ioannis;
Sed iam præuenerant ſcelera Chriſtianorum
Octauā ſui Pōtificatus Lunà, citò funere 3 cecidit,
Priùs ſepultus, poſteà mortuus.
Aula illi pro vrnà,
Motū terræ excitauit Deus, vt quaſſaret Pontif.
Ne capulo, vel calamo Religioſos iſte cōcuteret.
Vix librum 4 Ioannes dictare cępit:
Cum Deus, qui excubat in arce Cęlorum,
Excitato turbine Ioannem ſuis ſepeliuit in libris. De hac calumnia vide infrà n.4.

ADNOTATIONES IN IO: XXI. PONT. ROM. CLXXXVII.

Io:XXI. natalia. 1 PEtrum Hiſpanum, de quo hæc refert Ptolomæus Luçenſis *l.23.c.21. Anno Dom. 1276. circa finem Septembris dominus Petrus Hiſpanus, dictus Petrus* Iuliani, *Cardinalis Tuſculanus, natione Portugalenſis de Cardinalatu aſſumitur in Papam, &* Io.XXI. *eſt vocatus. Hic generalis clericus fuit, & præcipuè in medicinis: vndè & quadam experimenta ſcripſit ad curas hominum, ac librum compoſuit, qui vocatur*

Scripta. Theſaurus pauperum. *Fecit, & librum de problematibus iuxta modum, & formam libri Ariſtotelis.* Sub titulo *Summulas Logicales*. Æditum Venetiis Anno 1572.

Parua Logicalia. Venetiis 1593.

Tractatus Logicales ſex, Coloniæ 1503. *Problemata* In *Phyſiognomia Ariſtotelis*. Extat M.S. Cantabrigiæ in bibliothecà S.Petri *vol.54. n.3.*

Dialecticam M.S. Patauii in bibliothecà. S. Io. de Viridario.

Commentaria in Iſaacum *de diatis vniuerſalibus, & particularibus*. Lugduni 1515.

Commentaria in eundem de Vrinis.

De medendà podagrà. M.S. Oxoniæ in bibliothecà collegii omnium animarum.

De Oculis, ib.

De Formatione hominis. Cantabrigiæ in Archiuio Collegii Caii.

Super Tegnis, *et Hippocratem gloſsas de naturà puerorum*. Patauii vbi ſupra.

Canones Medicinæ.

Conſilium de tuendà valetudine. M.S. in bibliothecà CL. V.E. Naudæi.

Epiſtolas in Vaticano.

Sermones prædicabiles. Cremonæ in bibliothecà Auguſtinianà. Vide de his omnibus Ludou. Iaçob, S.Carolo, in *biblioth. Pontificià*.

Mortuo itaq. *Hadriano V.* qui Gregorianam Conſtitutionem decreuerat; Cardinales commiſerunt Archiepiſcopo Corynthi, vt palam faceret, conſilia defuncti Pontificis. Cardinalibus tamen non ſolum fides detracta; ſed à Viterbienſibus malè habito Archiepiſcopo, in arctiorem cuſtodiam Cardinaliū compegere collegium. In hac rerum perturbatione, Idibus Septemb. Cardinales in Petrum Epiſcopum B Tuſculanum iuxta prophetiam S.Malachiæ, quę erat *Piſcator Tuſcus* (ei namque *Petri* nomen, & Cardinalis Tuſculanus erat) à Gregorio X. creatum in Concilio Lugdunenſi, contulere ſuffragia, qui *Io.*XXI. aſſumpto nomine, illicò Gregorianam Conſtitutionem *de Pontificis electione* ſuſpendit; ac iudices deſignauit, qui in Præſules inquirerent, qui cupiditate viſendi nouum Pontificem, populum Viterbienſem in Cardinales concitauerant. *Codex M.S. Vallic. lit. C. n. 49. p. 140.* Literis poſteà encyclicis Chriſtianos ſuæ electionis certiores faciens, fidelium precibus ſe commendauit. Menſe Octobri ei Carolus Rex Siciliæ officia detulit feudalia, quorum confe- C ctæ tabulæ, ac in mole Hadriani repoſitæ à *Platina* iuſſu *Sixti IV.* inter inſignia monumenta, quæ ad Romanæ dignitatem ſpectāt eccleſiæ, ſunt collocatæ. In Papā eligitur. Carolus Rex Siciliæ ius ei defert feudale.

2. *Græci*. Viterbij ſtabat Ioannes XXI. vt ſacram expeditionem totiès à prædeceſſoribus ſuis tentatam, ipſe tandem abſolueret. Veronenſes, Papienſes pertinaces adhuc, & ſtudioſos *Conradini* nominis, repetitis cenſuris deuinxit. *l.1. ep.*153. Legatos poſteà decreuit ad Michaelem Græcorum Imperatorem, pro fœderis confirmatione, ac concordià, quam in Lugdunenſi concilio iurauerant Græci. Nec diſſonare cum accepiſſet Græcos: Præſulibus Galliarum impoſuit, vt per cenſuras eccleſiaſticas vrgerent Crucesignatos, vexilla ſequi Philippi Franco- D rum Regis, qui ſuſcepto Crucis ſigno, ſacram ornabat expeditionem *l.1. ep.68.* Hæc omnia tamen turbauit noua ſimultas inter *Philippum* Gallorum Regem, & *Alphonſum* Caſtellæ, ac Legionis Regem ob nepotes *Philippi* ex ſorore, potiundi regni ſpe deturbatos. Omnem curam impendit Pontifex repetitis cenſuris, & legationibus non ſolùm ad Reges, & Principes Chriſtianos, ſed etiam ad Tartaros, vt ex *ep.13. 14.* vt concordiam inſtauraret, ſed omnia fruſtrà. Vrget ſacram expeditionem.

3. *Citò funere cecidit* Ioannes XXI. octauo ſui Pontificatus menſe. *Digna res* (ait Ptolomæus Lucenſis *l.23. c.24.*) *ex templo pro incautè glorsantibus de ſuo ſtatu, & dignitate: tradunt enim omnes hiſtorici, quòd dum eſſet in camerà ſolus, quam ipſe ædificauit præter palatium Pontificale Viterbij, cum ſemel* in- Io:XXI. obitus. Cauſa.

intraret dictam cameram, quod tamen ſæpius continge- bat eidem, reſpiciebat ſeipſum, ac totus ſublevabatur ri- ſu, quaſi glorians in ſeipſo: & tunc ſubitò camera cecidit ſuper eum, & inter ligna, & lapides colliſus ſexto die poſt caſum expirat, ſuâ intentione fruſtratus, quia credebat, et ſuâ ſapientiâ confidebat, ſicut ipſe interdum dicebat, longo tempore poſſe iſtâ dignitate gaudere. Conſonant Iordanus, Martinus Polonus. Sepultus eſt Viterbij in eccleſia cathedrali S. Laurentij, cum ſequenti inſcriptione.

Eius vanagloria.

Ioanni Luſitano XXI. Pontificatus maximi ſui menſe octavo moritur Anno MCCLXCVII.

De hoc mortis genere concordant *Nangius, Ricordanus, S. Antoninus, 3. p. tit. 20. c. 3. Longinus;* Ioannes Villanus *l. 7. c. 50.* ſcribit mercatorem quendam Florentinum *Bertum* nomine, cum in mari Auonem vela faceret, ſomno nocte obrutum, ac hortore perfuſum repentino, ſe in pedes collegiſſe, ac in triſtes voces prorupiſſe; quibus exciti ſocij ab eo ſciſcitari, *quid noui?* Dormientem adhuc ſubdidiſse, videre ſe hominem giganteâ mole, & atro colore columnam, cui fornix innixa erat, clauâ diſycete molientem: ac paulò poſt exclamaſſe: *Ipſam euertit, atq. infelix ille moritur.* Rogatus iterum, *quis obyſſet?* ſubieciſſe, *Pontificem*. Tum vectores notato die rem in commentarijs adnotatunt. Cumq. Auonem appuliſſent; non longè poſt mors Papæ Ioannis increbuit, cuius tempus viſioni penitùs congruebat. Nec diſſimile de quodam Minorita Viterbienſi *Iordanus* narrat in M.S. Vaticanæ bibliothecæ. *Quidam* (inquit) *frater Minorum Viterbij in ſtrato ſuo quieſcens, ſubitò fortiter exclamauit, & accurrentibus fratribus ait: Niger vir grandi malleo palatium Papa percutit, orate, ne corruat. Tertiò verò idem cernens exclamauit: Et palatium corruit. Et ipſâ horâ corruiſſe inuentum eſt.* Veritas ſit penès auctores. Nouit Deus, cuius iudicia abyſſus, cur vicarium ſuum triſti adeò caſu percuſserit.

Cœlum viſionibus eius mortē publicauit.

Mortis cauſa.

4. *Librum* tunc temporis dictaſse *Ioannem* plenum blaſphęmiis *Siffridus* accuſat *in Chron.* tum repentè cōcuſso ædificio, *Ioannes* obruitur, clamans: *Quid fiet de libello meo? Quis complebit libellum meum?* Tantę querelę apud Italos altum ſilentium; Cum in reliquis Ioannem inſimulate non formidauerint. Audi Ptolomæum Lucenſem. *Quamuis (inquit) magnus fuerit in ſcientiâ, modicus tamen fuit in diſcretione: praceps enim fuit in verbo, & minùs cautus in moribus: & plus apparebat, quià facilis ad eum erat ingreſſus, et indè patebat omnibus ſuus defectus: quod eſt contra documentum philoſophicum, quia facta Principum perſonalia non debent patere conſpectibus hominum, ſed ſolùm publica, in quibus Princeps habet populo reſpondere, ſicut maximus deffinit Valerius.* Iordanus tamen, & alii ſcriptores hoc laudi tribuere Ioannis. *Hoc laudabile* (inquit) *habuit, quod licèt Papa, cum quocumq. literato etiam paupere conuerſari non renuebat.* Subſcribit idem Ptolomæus dicens: *Et quamuis in . . . deficeret, hoc tamen laudabile habuit, quia cum ſummus Pontifex, et ſua dignitas eſſet ſuprema, cum inferioribus non dedignabatur conuerſari, qualiſcumque eſſet ſtatus, dummodò eſset literatus, ſiuè pauper, ſiuè diues eſſet, et talibus fuit largus beneficijs, et pio amplectebatur affectu, pariter, et effectu; et hoc ſolùm fuit virtutis in ipſo. In aliis autem paſtoralis ſtatus multum deformabatur.* Nam vt ait Iordanus. *Parum diſcretus fuit, praceps in verba, minùs cautus in moribus.* Vndè (vt ſcribit H. Stero Althaen. *ſcientiarum florem, et Pontificatus dignitatem morum quadam ſtoliditate deformabat, adeò vt induſtriâ naturali pro parte carere videretur.* Adiungit Ptol. Lucenſis, quòd *Religioſos parum dilexit, et indè eidem, vt creditur, malè ceſſit: vnde tradunt hiſtoria, quòd eo tempore, quo camera recidit ſuper caput eius, quadam fulminauerat contra Religioſos.* Hic ſtatim Gregorianam conſtitutionem *de recluſione Cardinalium, ſuſpenſam per Hadrianum, reuocauit conſilio Domini Ioannis Caietani, cuius nutu multa faciebat, eo quòd principalis auctor fuerat ſua promotionis.* Hiſce maculis abſtergitur ab Hiſtoricis fama *Ioannis* XXI. Librum refertum blaſphæmijs voluiſſe dictare ſolus accuſat *Siffridus*: nullo tamen ſedis Apoſtolicæ preiudicio, etiam ſi vera eſſet accuſatio. Sed diuina laudanda Maieſtas, quæ priùs Romanum Pontificem è viuis eripuerit, quàm hæreſi pateretur pollutam. Fides etiam Annalium *Colmarienſium* Dominicanorum deficit, qui Ioannem vt *Magum* pingunt. Ex Mathematicis namq. ſcientijs enata calumnia, quibus *Ioannes* inſtructus cum plurima hominibus incognita ederet, quæ ignatis ſtuporem inijcerent, dixere *Magum*. Subdit *Colmarienſis* decreta contempſiſſe Generalis Concilij: quod falſum. Solùm namquè Gregorianam ſuſpendit Conſtitutionem. Ex hoc verò grauia eccleſiæ accidiſſe diſcrimina: quia ob ſex menſium Interpontificium, expeditio euanuerit Syriaca, ac Tattarorum conuerſio; Græcorum etiā relapſam perfidiā negare non poſſumus. Obijt tamen *Ioannes* ſacramentis Chriſtianis munitus, teſte *Sterone*. Habuit *Ioannes* XXI. pro ſymbolo.

Eius vitia.

An librum ediderit plenum blaphęmijs.

Dirige Domine Deus in conſpectu tuo vias meas.

NI-

Anni Sal.INi. 1277.18

Franciſcus [4] *Aſſinates*.
Habent hoc plerumq. res magnæ;
Deſiderantur, cum amiſſæ.
Nicolaus deſiderari cœpit, antequàm eſset.
Plures coniurarunt in famam tanti Pontificis;
Saluâ tamẽ Religione, Pietate, Caſtitate, Iuſtitiâ,
Quæ vigiles adhæſerunt lateri eius.
Dignitates, Honores vendidit, non donauit,
Pretio, quo venderet Deus.
Onera exigens, non munera:
Non aurum, ſed mores aureos [5]
O dies felices
Quùm neminem pœnitet eſse probum!
Plurib. manũ ĩpoſuit ſẽper innocẽs, & ĩpollutus
Reliqua vitæ geſta dietim purgabat planctu;
B Hoſtiam dum litaret immaculatam
Suis etiam eluebat, lacrymis,
Quas miſcebat cum ſanguine Chriſti.
Immortalitatem per ædificia [6] quærens,
Nutãtes Apoſtolorũ Baſilicas ne corruerẽt, cu-
Diuis ipſis ad vitam reſtitutis (rauit.
Penicillo inſufflauit ſpiraculum vitæ.
Ac Laterano geminatâ ſanctitate,
Petri, & Pauli capita addidit.
Par namq. erat eâ in Baſilicâ,
Inclita proſtare capita; quæ Caput eſt eccleſiarum.
In Templis excitatâ veneratione,
Vbi Deus potiſſimùm contemni ſolet?
Pomœrium etiam muro [7] cinxit
Spetie decoris, & fortitudinis.
Singula muniens, ac ſi diffideret vniuerſis,

A In omnibus, quæ aggrediebatur, tantus erat,
Vt ſimul totus eſset ſingulorum, & omnium.
De legũ ĩmunitate ſollicitus, vt ſeruaret æternas,
Magiſtratus conſtituit [8] Temporaneos.
Satis ſibi viſum, ſi per annum eos toleraret,
Qui more Cerberùm vel latrant, vel mordent.
Violenta violentiæ præſumptio,
Curialem eſſe:
Cum quo vix permanet innocentia.
Apud Inferos vnus Cerberus.
Apud nos tot Cerberi, quot Curiales.
Væ illis [9]: ſi diù Pontifex ſuperuixiſset.
Cecidit tamen pertenui gloriâ, famâ breui.
Inimici, eius domeſtici.
Inter Põtifices *Nicolao* nemo melior, nemo peior
Italiam partitus inter affines
In Catolum Siciliç Regem,
Iuſta arma, ſed voto tulit iniuſto.
Proxima capita coronis deſtinauerat,
Sed præceps fatum deponere coegit ſuas.
Tyber [10] præduri funeris Romanos monuit,
Suiſq. vndis omnium ciuium portas pulſauit,
Vt iuſta ſoluerent ei,
Qui Romanis vindicauerat maieſtatem,
Suriani repentè [11] moritur,
Dum in Hæreticos [12] decertaret.
Sic mori ſolent Apoſtoli.
Corpus Romam delatum
In Vaticano alter Nicolaus ſeruat:
Et triginta ſacerdotes cuſtodiunt ſepulchrum.

ADNOTATIONES IN NICOLAO III. PONT. ROM. CLXXXVIII.

Nicolai III. natalia. 1 IOannes Caietanus* patriâ *Romanus* filius *Matthæi Rubei Vrſini*, quem cum S. Franciſcus Minorum Patriarcha ſingulari proſequeretur amore, *Ioannem* infantulum, illius filium vlnis exceptum cum Anno 1222. benedictione cumulaſſet, Matthæum alloquens genitorem, Infantulum Minorum protectorem, Romanumq. fore Pontificem vaticinatus eſt. *Praedicitur Papa.* *Vvadingus*. Conſonat Iordanus, dicens: *Cum eſſet puer, pater eius, qui erat de tertio ordine, eum B. Franciſco obtulit: & B. Franciſcus ait, quòd non eſſet frater habitu, ſed futurus defenſor ordinis ſui, et tandem Dominus Mundi*. Vidit Matthæus filium Cardinalem, Minorum protectorem, Romanum Antiſtitem. *Proprium illi nomen fuit Ioannes Caietani* teſte *Iordano*. Cognomine C mate Vrſinæ familiæ. *Compoſita*, quia ob morum elegantiam *Compoſitus* dictus eſt.

In Eccleſiâ Eboracenſi, Sueſſionenſi, Laudunenſi ſacerdotia geſſit; vt eius *ep.* 50. *lib.* 1. *tomo* 1. atquè in vrbe S.S. Laurentij, & Damaſi, & S. Chryſogoni eccleſias adminiſtrauit. Poſteà ab Innocentio IV. Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano creatus, Minorum familiæ patrocinium ſuſcepit, & procurationem adminiſtrauit: *Iordanus*. Hadriani V. Viterbium Legatus, vt diſſidia grauiſſima inter Rudolphum Imp. & Carolum Regem Siciliç componeret, à Ioanne XXI. Archipresbyteratu donatus in Petri baſilicâ, nonnullas leges edidit pro ſanctioribus Canonicorum moribus, quas poſteà ſuſcepto auxit Pontificatu. *Io.* 1. *l.* 2. *ep.* 100. Collationem Ioannes ſequenti exornauit elogio: *Attendentes nobilem non incognitę Mundo ſuę magnitudinem bonitatis, quæ à teneris Annis de virtutum creſcentium meritis continua famæ incrementa ſuſcepit: quodque dater bonorum omnium te illius circumſpectionis eminentiâ inſigniuit, quod noueris recenſere præterita, præſentia prudenter diſponere, ac futura conſultiùs prouidere; & propter hæc confidenter onus curæ ipſius baſilicæ, quæ tuo noſcitur indigere regimine, cum omnibus iuriſdictionibus,*

Compoſitus dictus. 2. *Compoſitum* dixere, vel *Nain*. quia magni ani- D mi, & conſilij vir, moribus, & vitâ integer, amator & cultor doctorum virorum, eorum præcipuè, qui doctrinam cum prudentiâ, & religione coniunxiſſent. *Platina, Genebrardus*: & his antiquior *Ægidius Cardin. Viterbienſis in hiſtoriâ M.S. XX. ſæculorum*. Hoc eodem cognomine *Compoſiti* vſus eſt S. Malachias dum Nicolai prænuntiauit Pontificatum ſub ſymbolo *Roſa Compoſita*. Roſæ, quia hæc in ſtem-

bus, iuribus, et pertinentijs ſuis, qui nuper in eadem baſilicà per obitum bonę memoriæ S. Angeli Diaconi Cardinalis vacauit, tibi conferimus &c. Defuncto tandem Io. XXI. Cardinales Viterbij coeuntes, poſt varia Gallorum, atq. Italorum diſſidia, cum quiſque ſui generis Pontificem creare contenderet, ac diſcordiam augeret nimia Patrum libertas ob ſolutam Gregorij X. conſtitutionem, à Viterbienſibus Prætorio ciuitatis incluſi, atq. coacti patrem Orbi *Ioannem Caietanum Vrſinum, Cardinalem S. Nicolai in carcere Tulliano* dederunt in feſto S. Catherinæ, qui in honorem ſuæ Diaconiæ, *Nicolai* III. aſſumpto nomine literas conſolatorias protinùs dedit Carolo Siciliæ Regi febrili dyſcraſia laboranti. E quibus amoris notis non adhuc Carolo alienus Nicolaus oſtenditur: nec conclaui præfuiſſe Carolus, vt falsò Platina ſcribit. Non diù hæſit Viterbii, ſed Romam venit, vt ritu coronaretur ſolemni. Antè ſuam inaugurationem literas pridie Decemb. dedit ad Rudolphum Regem Romanorum, ne in Italiam deſcenderet, priuſquàm cum Carolo Rege Siciliæ diſſidia componeret. Cum etiam audiſſet inſtructum à *Philippo* Gallorum Rege in *Alphonſum* Caſtellæ Regem, belli apparatum; Philippum monuit, ne Gallorum arma expugnandis Sarracenis conſecrata in Catholicum conuerteret Principem. Similibus prouocauit Alphonſum, vt belli cauſam remoueret; ne Chriſtianorum diſſidijs Syria periclitaret. Infulas poſteà ſuſcepit pontificales, in feſto ſancti Stephani die Dominico, in baſilicà ſancti Petri, & *fuit multum compoſitus in moribus* (ex Ptolomæo Lucenſi) *vnde apud multos* El Compoſito *appellabatur de pulchrioribus clericis mundi. Commendabatur etiam de magnà prudentià, et maturà reſponſione. Religioſos multum dilexit, et fouit, et ſpecialiter fratres Minores, et Prędicatores, ſed in promotione Cardinalatus æqualiter ſe habuit erga Minores, et Prædicatores: quia duos Cardinales fecit de ordine Prædicatorum, videlicet fratrem Latinum nepotem ſuum, filium ſororis, qui fuit vir excellentis vita, et egregius prædicator, et factus eſt Epiſcopus Oſtienſis. Alius fuit frater Robertus de Bilibi magiſter in Philoſophià, et Theologià, et ſuper vtramque doctrinam fecit optima ſcripta, ſed præcipuè ſuper totam Logicam nouam. Prouincialis priùs in ordine ſuo, factus inde Archiep. Cantuarienſis, poſteà Epiſcopus Portuenſis. Fecit et duos fratres Minores: vnus fuit Bentiuenga de Tuderto, familiarem in domo ſuà, et confeſſorem, qui indè factus pœnitentiarius maior, et Ep. Albanenſis. Alius fuit Ioannes, qui poſteà Nicolaus IV. Cum iſtis alii quinque, inter quos Iordanus germanus ſuus, vir magnæ excellentiæ; et innocentiæ: et Iacobus de Columnà vir magnæ maturitatis, et religionem amplexans.*

Eligitur in Papam.

Cognomen Compoſiti.

Prudētia in diſtribuendis dignitatibus.

Adiungit S. Antoninus 3. *p. c.* 3. §. 3. *Fuit Nicolaus in iuuentute ſuà vir bona vita, et fama, et adeò honeſtus, et caſtus, vt virginitatem ſui corporis ſeruaſſe diceretur.* Concordat *Blandus: Io. Villanus l. 7. c. 54.* Vndè mendaciſſimum *Mornaum* refellas, qui vnius *Ioannis Nouicomagi* auctoritate, luxuriæ maculà ipſum aſpergere nititur. *Fœmina quadam Romana* (inquit Nouimagus infimæ claſſis auctor) *parit puerum crinibus, & vnguibus ſimilem Vrſa. Quidam aiunt, hanc fuiſſe Nicolai Pontificis concubinam.* Sed & ipſe Nouimagus non audet ſubſcribere. Audi Ptolomęum Lucenſem: *Multa virtuoſa ei attribuunt hiſtorici.*

Calumnia contra Nicolai caſtitatē.

A *Quòd magnus eleemoſinarius, quòd deuotiſſimè, & ſemper in Miſſà flebat. De Magnà prudentià commendabatur, ac in omnibus actibus ſuis multum maturus vacantes eccleſias, ſuper omnes prædeceſſores ſuos velociùs expediuit.* In cōferēdis ſacerdotijs viros pios *Nicolaus* doctioribus prætulit (teſte Sanſouino *l.* 2. *de familià Vrſinà*) factiq. rationem addere ſolebat, nimirum *Doctrinam vita probitate deſtitutam venenum immedicabile eſſe.* Fratrum Minorum ſingularis protector (teſte Iordano) creatus Pontifex *loco ſui procuratorem Ordinis Minorum Matthæum Rubeum S. Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem ſubiectis verbis conſtituit. Si beneficia per nos tibi impenſa magna inueniantur, & multa: in nullo tamen ſic è vicino dedimus tibi arrham æternæ vitæ, ſicut in eo, quod tibi modò committimus. Damus enim tibi, quod te in paradiſum inducat, merita ſcilicet ſanctorum fratrum ordinis huius. Damus tibi melius, quod habemus. Damus tibi* B *deſiderium cordis noſtri, & pupillam oculorum noſtrorum. Et hoc dicens, non modo lacrymas fudit, ſed etiam ſingultus vir tanta maturitatis continere non valuit. Et extentà manu proprium anulum tradidit illi, dicens: Tibi committimus ordinem fratrum Minorum, & illa verba regulæ recitauit: Qui ſit gubernator, protector, & corrector &c. Gubernatione (inquiens) et correctione tuà non indigent: ſed pauperes, & imbecilles, habentes impugnatores tuà indigent protectione defendi.* Huius Religioſæ vitæ formulam in nonnullis ambiguam ipſe Nicolaus, declarauit; teſte *Ptolomęo Lucenſi.* Scribunt hiſtorici (*Platina* teſte) *quòd vacantibus eccleſiis nullus Pontifex celeriùs, ac maturiùs conſuluit, cum eas ſtatim optimo cuiq. & idoneò commiſerit. Priùs enim mores hominum, & doctrinam inſpiciebat, deindè vacantes ſedes his ſtatim committebat: quòd diceret in morà eſſe periculum, cum non deeſſent,* C *qui diuina etiam cupidiſſimè diriperent, & occuparent. Notarios, & tabelliones, vtpotè ſanguine pauperum litigantium viuentes, à ſe vt peſtiferos reiecit, Gregorium X. et Ioannem XXI. hac in re imitatus. Verum quoniam vbiq. terrarum magna in magiſtratibus corruptela erat, conſtituit, ne magiſtratus ipſi vllo in loco, magis quàm annui crearentur: eos ſi quiſpiam retinere vlteriùs auſus fuiſſet, anathematis pœnà notabatur, à quà niſi à Pontifice abſolui poſſet. Multa prætereà conſtituit ad vtilitatem cleri, populiq. Chriſtiani, vt in titulis ſuis apparet.*

Amat Literatos.

Amat Regulares.

Hoſtis curialium.

3. *Lacrymis* exceptum à Nicolao nuntium ſui Pontificatus, probant literæ electionem ſuam nuntiantes Senouenſi, ac ſuffraganeis ſcriptæ, ab eodem Nicolao, in quibus legitur. *Cumque nec ſic ceſſaret* D *inſtans fratrum importunitas eorundem, ſed vim inferens noſtro propoſito vehementiùs collegij iuſſus vrgeret: noſque violentiam patientes clamaremus lacrymis, nec eſſet, qui auditu exauditionis audiret: vociferaremur gemitu, nec foret, qui remiſſionem iniuncti oneris benigno iudicio indulgeret: ad illum mentis oculos erexìmus, qui eccleſiam, quam per ſe fundauit, non negligit regere per ſeipſum: ſed quam piè condidit, piè regit. Et quamquàm de inſufficientià noſtrà timentes, de ſuperabundantià tamen Omnipotentiæ ſuę confiſi, humeros ſummo ſuperhumerali ſubiecimus &c.* Similes dedit Regibus, & Principibus, inter cæteros Michaeli Palęologo Imperatori, quibus ille acceptis, vt paribus cum Nicolao certaret officiis, dedit, & ipſe epiſto.

Nuntii electionis reſpondet lacrymis.

ſtolam humanitatis notis ac obſeruantiæ conſper- A ſam, deprecans vt ad imperium ægregiè moderandum, opem ſuppeditaret Apoſtolicam. Gratulatus eſt Nicolao *Ioannes Beccus* Patriarcha orthodoxus Conſtantinopol. qui cum Imperatore de Græcorum, ac Latinorum vnione ſollicìti, miniſtros popoſciſſent: miſit Nicolaus *Bartholomæum Ep. Groſſetanum*, *Bartholomæum de Senis miniſtrum Syriæ*, *Philippum Peruſinum*, *& Angelum Vrbeuetanum* cum mandatis, vt additâ ſymbolo voce *Filioquè*, eos tantum permitterent ritus, qui Eccleſiæ puritatem non inquinarent. Abſoluerunt hæc omnia legati fęliciter. Sed inſurgentibus contrà Palęologum familiaribus, & conſanguineis: ac rebelles fouentibus Latinis, præcipuè *Carolo* Siciliæ Rege, ſollicitudo omnis euanuit præterita. Sic Tartaris expoſcentibus Chriſtianos in Syriam transfretare, vt vnà contrà Sarracenos arma conferrent (nam *Quoblej* magnus Tartarorum Imperator Chriſtianus factus, & traducen- B dotum filiorum ad Chriſtum, deſiderio flagrans) Miſit Nicolaus ex Minoritarum familià viros lectiſſimos, qui Tartaris Euangelium prædicarent, ſed vltrà agere nequijt Gallorum, Hiſpanorumque implicatus diſſidijs *ep.* 13. Quos ad concordiam redigere ſępè tentauit etiam toto Orbe Chriſtiano indictis publicis precibus (Poſt dictum à celebrante, *Pax Domini*: antequàm ſacerdos inciperet, *Agnus Dei*; pſalmum recitabant *Lætatus ſum in his &c.*) ſed numquàm eam aſſequi valuit.

Sollicitat Gręcorum reconciliationē.

De pace Chriſtianorum ſollicitus.

4. *Franciſcus Aſſiſinates &c.* vide ſupra *n.* 1.

5. *Suis etiam alluebat lacrymis*. De Nicolai III. pietate, hæc ſcribit Ptolomæus Lucenſis. *Multa virtuoſa eidem attribuunt hiſtorici, quòd magnus eleemoſinarius, quòd deuotiſſimè celebrabat, & ſemper in Miſſà flebat.*

Ædificia ab eo extructa.

6. *Per ædificia &c. Hic etiam* (idem Ptolomæus) C *palatium Lateranenſe, quod de nouo Hadrianus V. inceperat, fecit perfici. Nec non & ſacram baſilicam ad ſancta ſanctorum euidentiùs ruinoſam à ſolo terræ opere perpetuo inter ipſam per latera veſtita marmore, ac in ſuperiore parte teſtudinis picturis pulcherrimis ornatam fundari iuſſit, capitibus Apoſtolorum cum carne circumciſionis D.N. I.C. capillis quoque B. Virginis, & capite B. Agnetis, ſeorſum poſitis; quarum reliquiarum qualibet in propriâ capsâ erant: & exinde manu eius propriâ in palatium ipſum nouum de nocte translatis, & cuſtoditis ibidem per religioſas perſonas, et fide etiam dignas, donec baſilica fuit completa commiſit. Demùm autem Romano populo vtriuſquè ſexus generaliter, ac multis prælatis, et alijs innumeris gentibus concurren-* D *tibus perſonaliter, argenteas capſas ipſas reduxit in altare eiuſdem baſilicæ, quam pridie Non. Iunij conſecrauit.*

7. *Muro cinxit pomærium*. Hic (inquit Ptolom. Lucenſis) *Nicolaus III. multas nouitates fecit primò, quià apud S. Petrum ædificauit palatium multum ſolemne Pontificale, vbi mandauit fieri domos pro omnibus officialibus ſuis, ſed præcipuè pro omnibus pænitentiarijs, qui claudebantur ſub vno cancello: vbi fecit fieri vnum viridarium de diuerſis conſitum arboribus, & magnæ amplitudinis, quam & muro cinxit ampliſſimo, fortiſſimo, & turribus munito, quaſi ciuitas eſſet. Eccleſiam B. Petri quaſi totam renouauit, & numerum ſummorum Pontificum fecit deſcribi ſecundùm imagines in eccleſià B. Petri in loco eminenti, & B. Pauli, ac S. Ioannis de Laterano. Auget multum diuinum cultum eccleſiæ B. Petri quantum ad numerum Canonicorum, & augmentat præbendas.*

8. *Magiſtratus temporaneos*. Vide ſupra n. 2.

Cuſtos iuris Eccleſiaſtici.

9. *Inimici eius domeſtici*. Eccleſiaſtici iuris cum acerrimus cuſtos Nicolaus eſſet, *Rudolphum I.* Imperatorem adegit, vt omnia confirmaret, quæ à prędeceſſoribus Romanæ donata fuiſſent eccleſiæ. Annuit *Rudolphus*, miſſo *Conrado*, qui nomine Cæſaris, omnibus ſubſcriberet priuilegijs, ac Pontifex conſilio, vel gladio poſſeſſionem omnium adiret, quę ad Romanã ſpectant eccleſiam. Editæ propterea publicæ tabulæ, quæ in archiuio Hadrianæ molis ſeruantur. *Platina*. Verùm quòd contrà promiſſa regij miniſtri à Bononienſibus, Imolenſibus, Fauentinis, aliiſque expreſſis in regio diplomate iuramentum exegiſſent fidelitatis, repetitis Rudolphus tabulis, Rauennates, Bononienſes, cæteroſque populos ad ſedis Apoſtolicæ ditionem reuocandos decreuit. Nicolaum *Ricordanus* inſimulat *Maleſpina*, Bononiam eà lege Pontifici traditam à *Rudolpho*, vt voto Syriacæ expeditionis, quo ſe Gregorio *Rudolphus* obſtrinxerat, cum imperium accepit, ſolueretur. *Io: Villan. l. 7. c. 54.* Iniquum ſanè, ſi verum eſſet; quòd Syriam Sarracenis relinquere non curaret, modò Bononià poriretur. Verius eſt, quòd Rudolphus cum Italicam abhorreret expeditionem libenter cõfirmauerit donationem à Ludouico Pio, Othone M. factas. Italia olim chariſſima Cæſari, nunc Domino incognita, oblita obſequium, Imperatorium abhorrebat nomen. Electo *Rudolpho*; nec ſalutatum miſerat. Vndè vel timore, vel negligentià ſpreuit. Eà conditione electus, vt intra annum Romam pergeret, bis à Pontifice inuitatus, Germanià numquàm voluit excedere: fabulam ſolitus de vulpe memorare, & Leone. Cum illa ad ineundam familiaritatem, & ingrediendum Leonis ſpelæum ſollicitata reſpondit: *ſe quidem ingredientium multa animalium obſeruare veſtigia; ſed nulla regredientium*. Hinc Vicarium in Italiam miſit, qui Lucenſibus, Florentinis, Ianuenſibus vendidit libertatem. Vnde nil mirum, ſi eccleſiæ debitam Bononiam reſignauerit. His actis cum Rudolpho, ad Carolum ſe conuertit *Nicolaus*, à quo iuramento fidelitatis accepto pro regno Siciliæ, Ann. 1278. cum in eo ſpopondiſset, nunquàm Etruriam, & Inſubriam cum Sicilià coniuncturum, quibus vt Vicarius præerat Imperialis, cedere *Nicolaus* iuſſit vindictæ cupiditate (ita ſcribunt Ricordanus Maleſpina, Io: Villan. S. Antoninus, Sanſouinus, qui hiſtoriam Vrſinæ conſcripſit familiæ) ob repulſam, quam paſſus erat à Siculo, cum neptem Regis in vxorem popoſcit Vrſino nepoti ſuo. *Fert quidem Pontifex* (reſpondit Siculus) *rubros calceos; non dignus tamen regio miſceri ſanguine. Vbi eius principatus hæreditarius?* Ab eà die machinari Pontifex cœpit, quomodò inter nepotes ſuos Italiam diuideret, ac Reges faceret. Iuſſus itaque Carolus Etrurià cedere, licèt moleſtè ferret imperium Pontificis, illicò reuocato milite præſidiario, arces reſtituit, & obſides *Latino Vrſino* Cardinali, nepoti Pontificis. Nec modò Etrurià, ſed & Vrbis imperio, quod Senatorio nomine obtinebat priuilegio ei dato à *Clemente IV.* contrà

Rudolphus Imper. renuit in Italiã deſcēdere.

Italis vendidit libertatem.

Nimiū diligit ſuos nepotes.

MARTINVS SECVNDVS PONTIFEX ROMANVS CLXXXIX.



MOriturus Dauid Salomoni mandans, ne Ioabum, & Semei impunitos relinqueret, Martino eſt exemplum Pontifici, ne Patauinis, quos excommunicauerat, quia vno tantùm Siclo punirent, vel potius laudarent homicidam clerici, vel moriens parceret non vindictæ cupidine, ſed Zelo iuſtitiæ. 3. *Reg*.2.

Eligitur Anno Sal. 1281. *die ſacro Cathedræ S.Petri, qui incidit in diem VIII. Kal. Martij. Obijt Anno Sal.* 1285. *die* 4. Kal. *Aprilis. Cum ſediſſet Annos* 4. *Menſem* 1. *dies* 7. *Vacat ſedes diebus* 4.

E L O G I V M.

Anni Sal.Ma 1281.1. MArtinus [1] Quartus
In tumultu electus, ſed ſinè antagoniſtà,
Quòd virtus etiam hoſtibus placere ſoleat,
Turonis natus
Martino Turonenſi vt nomine, virtute ſimilis
Simon anteà dictus, è Simone facile Petrus.
Indigenam vt ſortirentur Galli Pontificem,
Auctore Carolo Andegauenſi,
Vrſinos ferreà donarunt, domarunt catenà.

A Electi vita excuſat electionis vitià
Ex canonico theſaurario Turonenſis eccleſiæ Anni Sal.Ma 1281.1.
Cardinalis Vrbani IV. Legatus ad Gallos
Innocentiam reſtituit, vbi non erat.
Scelera vt accuſare poſſet, ipſe purus ſceleris
Accuſauit, excuſauit.
Eloquentiam, ſuàm ijs probauit.
Quæ pro Deo ſcripſit aduersùs Reges.
Hinc *Paleologum*, Græcum Imperatorem.

Quod

Anni Sal. MA 1281.

Quòd eccleſiam falleret, extrà eccleſiã poſuit A
Petro tamen dormiente cum Gallo ſuo,
Gallis omnibus in Siciliâ Veſper illuxit
Ipſo die Paſchatis,
Ne immanitati deeſſet ſacrilegium.
Ad hymnos veſpertinos campanâ pulſante,
Vt hoſtiæ ritu immolarentur ſolemni
Ferrum arripitur,
Et in totâ Siciliâ Galli contrucidantur.
Cædis cauſa Ambitio, Libido
Auctores Petrus Aragonius, & Palęologus
Is auro, ille ferro, vterquè dolo.
Regna Petrus repoſcebat dotalia
Vxoris Conſtantię natæ Manfredi nothi.
Prochita interprete, qui religioſo tectus cucullo
Impunè per totam Siciliã odium excitauerat. B
Luxit Martinus causã, & casũ Gallorũ ſuorum;
Hinc armis Aragonius petitus, & anathemate,
Vtrumq. eluſit fraude, & contemptu.
Ad Burdigalam indicto ſingulari certamine,
Diſiectũ à Siciliâ bellũ, nec Burdigalæ pugnatũ
Aragonio detrectãte pugnã, cuius iã cęperat pręmiũ
Hinc à Siciliâ in Aragoniam bellum illatum,
Trium Regum lugendum funere,
Petri Aragonij, Philippi Galli, Caroli Siculi.
I. ex vulnere, ſecundus itinere, dolore tertius.

Non minori sãguine curari poterãt vulnera Sicula.
Turbas augebant Hiſpani Reges
Sanctio's impiè in Patrem arma gerente.
Martinus licèt natione, & affectu Gallus,
Omnes penè Prĩcipes sãctè excitauit in *Sãctiũ.*
Ne crimen parricidio proximũ exiret in exẽplum.
Hoc forſan Deus erudiebat Alphonſum
Solitum Prouidentiam accuſare ſuperbè,
Quod meliùs diſpoſita foret machina Orbis,
Si Deo fuiſſet à ſecretis
Patauinos[6] Anglos,[7] Noruegios[8] hoſtes Eccleſiæ
Vno Siclo punientes homicidam clerici,
Extrà eccleſiam poſuit.
Clementiam exorantibus Patauinis
Armatas preces cõtemnẽs, ac crudelẽ clemẽtiã,
Quæ malet palpare vlcera, quàm curare,
Vel moriens negauit:
Vt ĩ poſterũ eſſet, quẽ timerẽt viuũ & mortuũ.
Sanctum Odium
Edita docuere poſt funus Martini, miracula.
Sanatis ab extincto ægris;
Cæcis reſtitutà die ad vmbram ſepulchri.
Iuſta ſoluere pauperes
Quos ipſe clam alebat magnificè.
Soli cognati noluerunt adeſſe funeri,
Quòd eis elargitus bona non eſſet Eccleſiæ.

ADNOTATIONES IN MARTINO II. PONT. ROM. CLXXXIX.

1 *Martini II. natalia.* **M***Artinus Secundus* huius nominis Pontifex Romanus, electus Anno 1281. die Cathedræ S. Petri, antea *Simon de Briâ* natione *Gallus* patriâ *Turonenſis*, nam *Briâ* oriundus in agro Turonenſi vel patriâ *Monpitius* ſecundùm alios; non ignobilis ex *Ciaconio*. Sed ſecundum S. Antoninum 3. *p. tit.* 20. *c.* 4. *Non nobilis genere ſecundùm carnem, tamen moribus generoſus, & magnanimus, & à cupiditate pro ſe, vel ſuis alienus, eccleſiaſticique iuris Zelator.* Fuit Simon (teſte Martino Polono) *per Vrbanum IV. promotus ad Cardinalatum tit. S. Cæciliæ, & per eundem Vrbanum primò, & ſecundò per Gregorium X. in Franciam legatus, ſibi per plures annos extitit.* *Officia legationes.* Plures congregauit ſynodos, teſte *Iordano*, ad morum correctionem. Religiones dilexit Minorum maximè, & Prædicatorum. Primum legationis arcanum fuit, Siciliæ Regnum Carolo tranſcribere Andegauenſi nomine eccleſiæ Romanæ, ac *Vrbani IV.* Anno Sal. 1264. *ep. Vrbani* 84. *l.* 3. Vrbano mortuo, *Clemens IV.* legationem confirmauit, vtquè cruce inſignitis pro ineundâ expeditione Syriacâ, poteſtatem fecit commutandi in expeditionem Siculam aduersùs *Manfredum*, in gratiam *Caroli*, vt ex *ep.* 1. *Clementis IV. l.* 1. Gregorius verò X. repetito voto Hieroſolymitanę expeditionis, Simonem eâ inſtruxit auctoritate, quæ neceſſaria ad cruce inſigniendos Chriſti fideles *l.* 3. *ep.* 17. Ioannes tandem XXI. cum ſacram expeditionem turbari cerneret ob diſſidia inter *Philippum*, & *Alphonſum* Reges, facinus aduer- C ſatus, Simoni mandauit, vt *Philippum* à gerendo in *Alphonſum* bello, intentatis cenſuris deterreret. *Io. ep.* 35. *l.* 2. *Nicolaus* tandem *tertius*, cum à *Philippo* Gallorum Rege de haſtiludiis lege reſciſſa, diſſimulante *Simone* Cardinale legato, ludicram Galli inſtauraſſent pugnam, ſeuerè *Nicolaus* Simonem increpuit, iuſſitq. in omnes, qui in arenam deſcenderant, anathema promulgare ritu ſolemni An. 1279. *Nicolai ep.* 13. *l.* 2. *tom.* 2. Hæc in purpurâ *Martinus*. Antequàm purpurâ ornatus eſſet Cardinalitiâ, ſacerdotium geſſit in eccleſiâ Rhotomagenſi, vt ex eiuſdem Martini epiſtolâ 42. *tomo* 1. *l.* 2. ad collegium Canonicorum. *Non enim ſumus immemores, quinimò frequenter ad memoriam reuocamus, quòd ipſa* D *eccleſia nos, dum in minoribus ageremus, maternis nutriuit affectibus, prævenit gratiis, beneficijs honorauit.* In Turonenſi eccleſiâ ſacri etiam erarij præfectus, & canonicus extitit; vt ex literis in chartarjo Turonenſi, teſte *Maſſonio in Martino IV.* Vndè gratę mentis ergò in S. Martinum Turonenſem, eius nomen ſibi indidiſſe creditur. Cur verò *Quartus* appelletur, cum re verà vnus tantum huius nominis præceſſerit Pontifex Romanus? ignoratur. *Prædicitur Papatus.* Ex officio Theſaurarij S. Malachias ſymbolum efformauit futuri Pontificatus dicens: *Ex telonea Liliacei Martini* quia theſaurarius eſſet S. Martini; & Lilia geſtaret in ſtemmate. Eius electio non ſinè tumultu. Nam vbi mortis Nicolai III. Romæ fama increbuit, ingentes ſeditiones excitarunt *Annibaldenſes*, qui

ami.

amicorum opibus, ac potentià freti, ſe ſe ira æquabant Vrſinis, vt ex vtraquè ſamilià vnus eligeretur, ac ſenatoris munus ambo exercerent, quibus Rempublicam gerentibus, paſſim cædes æditæ, ac ingentes excitati tumultus, teſte *Ptolomæo Lucenſi*, *Maleſpinà*, *Io. Villani*, *S. Antonino*. Sed audi Honorium 4. ſucceſſorem Martini *l.1. ep.18.* *Cum Romanà curià dum Viterbij reſidente, præfata Eccleſia per fœlicis record. Nicolai Papæ prædec. noſtri obitum paſtore vacaret; ac nos, & fratres noſtri, de quorum numero tunc eramus, ipſius eccleſiæ Cardinales conueniſſemus ſollicitè in palatio Epiſcopatus Viterbienſis, vt præconceptum virus euomerent, pulſatà campanà, ſumptis armis, & ſceleſtis actibus datà licentià, in furoris ſpiritu ad prędictum palatium concurrentes, ac humanitatis, & reuerentiæ debitæ à ſe penitus relegato, in palatium ipſum clamoribus terribilibus editis irruentes, graſſantes in patres, in paſtores atrociſſimè ſæuientes, dilectos filios noſtros Matthæum S. Mariæ in Porticu, & Iordanum S. Euſtachij Diaconos Cardinales, columnas quidem eccleſię, omniq; reuerentià pertractandos; quanquàm Viterbienſes prædicti firmiter promiſiſſent, ſe tunc ad incluſionem, vel arctationem Prędicatorum fratrum nullatenùs proceſſuros, iniectis in nonnullos ex eiſdem fratribus manibus violentis, et non leuibus dictis Matthæo, et Iordano Cardinalibus irrogatis iniuriis, in vnà ex cameris eiuſdem palatii, obſtructis oſtiis, & feneſtris illius, auſu ſacrilego incluſerunt, nonnullis ex aliis fratribus ſu. prædictis, dum præſumptioni tam temerè, tam deteſtandis aggreſſibus refragari ſollicitè niterentur, ac eiſdem Matthæo, et Iordano Cardinalibus ſub durà, et ſuſpectà nimis carcerali cuſtodià poſitis, tandem prædicto Iordano ab huiuſmodi cuſtodià, quamuis ſub certis pactis, & conditionibus relaxato, præfato Matthæo Cardin. diebus pluribus ſic ab illis iniurioſè deterrito, per dies aliquot cibaria inhumaniter ſubtraxerunt eidem, pane, et aquà dumtaxat, iuxta ipſorum diſpoſitionem nefariam reſeruatis, non permittendo, quòd proprius confeſſor accederet ad eundem; in temeritates alias diuerſas, et varias nihilominùs prorumpendo, in grandem diuinę Maieſtatis offenſam, Apoſtolicæ ſedis, et Romanæ, ac vniuerſalis eccleſiæ, nec non, et noſtram, atquè dictorum fratrum vehementem iniuriam, et contemptum populi Chriſtiani etc.*

Tumultus Viterbienſes.

Addit *S. Antoninus* abductum cum iis fuiſſe *Latinum* Cardinalem Oſtienſem, conclaui poſtmodùm redditum, duobus Vrſinis in priuato carcere detentis Carolo annuente Rege, qui vt Gallum ſortiretur Pontificem, & contra Gallos foueret Cardinales, Viterbium venerat. Arriſit etiam fortuna, quæ volens nolens Gallicas inclinauit in partes. Nã Vrſinis in carcere detentis, qui Italicam cauſam gerebant; concordibus calculis Patres numero decem, qui erant in conclaui, Simonem Cardinalem S. Cæcilię ad Pontificatum euexere, tantoq. ardore, vt reſpuenti apices Pontificios, veſte euulsà Cardinalitià, vim illi intulerint. *Martinus Polonus. Maſſonius.* Gerebat Martinus in votis, Romæ ſolemniter coronari, vt motus ſedaret inteſtinos: vtq. iter optatis pararet, *Latinum* præmiſit Oſtienſem, & Gottifridum S. Georgij, Cardinales (vt ex *ep. ad Carolum Regem Siciliæ*) Sed efferati Romanorum animi, qui ob diſſidia *Vrſinorum*, & *Annibaldenſium* mutuis odijs certabant, cum ad concordiam tam citò flecti non poſſent, Vrbeueteri conſecrationem *Martinus* peregit X. Kal. Aprilis. Præcipiti diſceſſu Viterbio ſe proripiens, vt Viterbienſes eccleſiaſtico ſupponeret interdicto, ob illatam Vrſinis violentiam. *Ptolom. Lucenſis*. Encyclicas poſteà dedit ad Præſules Chriſtiani Orbis, quibus de ſuſceptis à ſe Eccleſię Catholicæ gubernaculis certiores factos monuit, vt operam cum ipſo in re Chriſtianà coniungerent, ac Numen precarentur, vt cœleſti ope tanto muneri imparem fulciret. Adſciuit poſteà in numerum Cardinalium viros inſignes, qui Rempublicam adiuuarent. *Martinus Polon. Ptolom. Lucenſis*.

Conſtus eligitur in Papā.

Literæ de ſua electione.

Cardin. eligit.

2. *Eloquentiam* Martini ex varijs habes epiſtolis, quas ſcripſit; & M.S. in Vaticano aſſeruantur contra Regem Noruegiæ, Hiſpaniarum.

3. *Palæologum*, Græcum Imperatorem, qui cum in Lugdunenſi Concilio ſchiſma abiuraſſet, datà fide coeundi cum Latinis aduersùs Sarracenos, vt ſpetie religionis *Carolum* Regem Siciliæ ab irruptione, quam in Gręcos meditabatur, auerteret, à ſedis tandem Apoſtolicæ deſciuit obſequio. Hinc *Martinus* eum anathemate deuinxit, ac Principibus imperauit, vt ab illius ſœdere ſe diuellerent. In gratiam *Caroli* Siciliæ Regis, *Palęologum* excommunicatum fuiſſe, graui eccleſiæ ſcandalo, ac *Caroli* ruinà, ſcribit Ptolom. Lucenſis *l.24. c.3.* Propenſus Gallis *Martinus*, protinùs ac Pontifex electus, *Caroli* inſtructus milite, Romaniolam, Æmiliam, Flaminiam ſub Pontificis ditione firmauerat: ac per Legatos *Latinum* Card. Oſtienſem, ac *Gottifridum* Cardin. S. Georgij ad Vellum Aureum reconciliatis, pacatiſque Romanis, Senator Vrbis creatus non quà Pontifex, ſed vir priuatus, ipſe loco ſui *Carolum* inſtituit Regem Sicilię, reſciſſa Nicolai conſtitutione, quà cautum: neminem Regià dignitate conſpicuum Reipublicæ Romanæ admouendum. *Nangius de geſtis Philippi*. Indè *Palæologum* anathemate ferijt, vt *Carolus* cenſuris defixum, facilius Conſtantinopoli deturbaret: ac ſolio generum reſtitueret. Cęterum Palęologum ab eccleſià defeciſſe Romanà, priuſquàm eum Martinus extrà eccleſiam poneret credibile eſt, quia Gregoras, anathema temerè illatum non audet aſſerere: ſed *Martinus Tom. 1. lib. 3. epiſt. 11. & lib. 4. epiſt. 14.* expreſsè contumacem affirmat: quià particulam *Filioq.* nunquàm Symbolo addi permiſerit, vt Pontifices exigebant Romani. Accedit, quòd etiam *Nicolao III.* viuente, in Carolum conſpiraſſet Palęologus, inſtante *Ioanne Procidà*, qui ob Manfredi ſequelam, dominio pulſus, furebat in Carolum, priſtinarum opum recuperandarum cupidus. Gallorum libido Principes

Palęologum excommunicat.

Gallis propenſus.

Nota de particulà Filioq.

4. *Veſper &c.* ſollicitabat in Carolum. Luxurià namque ſuperbià, crudelitate, omnia compleuerant: noua vectigalia imponentes, diuitum inuita ineuntes coniugia, pudorem Virginum delibantes, adulteria quærentes. Secuta indè nefanda crudelitatis exemplà, expulſiones ciuium, bonorum publicationes, eo ſolo crimine, quia diuites eſſent. Tantis oppreſſi calamitatibus Siculi, rem Carolo aperuere Viterbij agenti, vt miniſtros comprimeret. Auditâ legatione, mandauit Carolus Siciliæ præſidi, vt ni miniſtri à rapinis temperarent, & ſtupris, pœnis afficeret. Franci efferatiores facti, veluti in manda-

Veſper Siculus

torum

torum ludibrium, peiora perpetrabant. Appellarunt ad Summum Pontificem *Nicolaum III* Siculi per Bartholomæum Pactenſem Ep. & F. Bonloannem Marinum Dominicanum, opem à ſede poſcentes Apoſtolicà. Eius fuit legationis exordium. *Miſerere fili David: Filia meà Dæmonio vexatur*. Reuertentes à Pontifice Siculi, literis expoliati, ac vinculis per Gallos traditi fuere, Carolo conniuente, ſine iubente. Ad *Martinum* etiam queſtum veniſſe Siculos, ſcribit S. Antoninus *3. p. tit.* 20. §. 3. ter acclamantes, *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, miſerere nobis*. Audiuit benignè Martinus, ac in populi calamitates oculis clementer defixis, vt eas emendaret, Carolum inſtanter admonuit *l. 3. ep. 6.* Circuibat interim *Procida*, vel *Prochita* vrbes, & Orbē. Ad *Palæologum* venerat nuntians, *Carolum* claſſem iuſtruere, cum eo conſpiraſse Venetos, cæteroſquè Italiæ populos aduersùs Græcos. Tantæ peſti de-B pellendæ vnum ſupreſsè remedium, ſi inteſtinum *Carolo* bellum conflaretur, quòd facilè poterat ſuſcitari. Plures nobiles Siculos patrià extorres, affines ad rebellionem allecturos: ſecururam plebem, quæ iugo intolerabili attrita gemebat: Regem Aragonum, ad quem vxoris Conſtantiæ Manſredi filiæ titulo regnum pertinebat, occaſioni non defuturum: Palæologi eſse, opes in belli ſumptus effundere, ac Regem Aragonum literis ſollicitare. *Procida* Palçologus aſsenſit, eumque vt rem promoueret, dimiſit; qui facilè ambitioſum *Petri* Aragonum Regis animum in Gallos accendit, à quibus auus, & ſocer trucidati fuerant. Militem itaquè ſcribit Aragonus; à quo, ſciſcitanti Pontifici in gratiam *Caroli, cur pararet exercitum?* reſpondit: *ſibi linguam amputaturum, ſi eam crederet palàm facturam ſecretum*. Ptolomçus Lucenſis *l. 24. c. 4.* Vel vt alii referunt; *Tuni-*C*cam meam comburerem interiorem, ſi putarem meorum arcanorum gnaram eſſe. Philippus* etiam Rex Gallorum per literas egit, perquè affinitatem rogauit; vt profiteretur, quibuſnam illaturus eſset bellum. Si Sarracenis, cum tot ſint eorum diuerſa regna: ne grauaretur, ſibi ſocio, amico, affini aperire, vt Franci more ſuo adiuuare poſsent. Reſpondit Petrus, nondum ſibi conſtare, quæ Sarracenorum regna adoriri præſtaret: ſed quoniam opem ſuam Franci vltrò offerrent, ſubſidio rei indigere nummariæ. Miſsa illi illicò aureorum viginti millia: vberior etiam ſpes oſtentata. Palçologi auro largè ſubminiſtrato, claſſis tandem ſoluit in Africam, ne ſacræ D militiæ profeſſione abuſus mentiendo videretur. Cum auctore *Procidà*, coniurati Siculi die feſto Chriſti Reſurgentis, Anno 1282. quùm ludis, atq. lætitià cuncta perſonarent, ad campanæ ſonitum, quæ populum excitat ad hymnos Veſpertinos, Gallos incautos, ac nil timentes vno momento trucidant. Inde *Veſper Siculus* in prouerbium abijt. Cædis initium à Panormitanis, qui eo die ad templum S. Spiritus in Monte Regio, (quod tertio diſtat ab vrbe lapide) religionis causà, promiſcuè conuenerant; Franci enim ſcrutaturi, ſi quis cum telo eſset, cū etiam matronas, ac virgines excutere, licentiùsq. ſinum pertentare, ac tractare cœpiſsent, lapidibus primum, dein armis correpti, Siculi oppreſſere Gallos, nullo ſexus, vel ætatis diſcrimine, tantà vindictæ cupiditate, vt fœminę etiam, quibus ex Gallis venter intumuerat, neci darentur. Tota Sicilia eodem momento deſciuit, Meſſanà exceptà, ſed & hæc paucos poſt dies cæterorum exemplū ſequuta eſt: occupatà claſſe, quæ in portubus iuſtructa erat aduersùs Græcos. In Hetrurià ſedebat *Carolus*; cum nuncio concitationis accepto illicò plures leges edidit, quibus obiecta ſibi à coniuratis dilueret, ac reliquos in fide contineret. Habes illas inter conſtitutiones regni Siculi, quarum exordium. *Poſt corruptionis amara diſcrimina*. Datum Neapoli *An. Sal.* 1282. *die X. Iunii. Indictione regnorum noſtrorum Hieruſalem Anno 6. Sicilia XVII.* Aragonius verò Corſicam delatus, auditá defectione operiebatur, quid Carolus moliretur. Claſſem ex Gallià euocauerat, militeq. traiecto, Meſſanam obſederat odio tam attroci oppugnantium, & propugnantium, vt non de opibus vel imperio, ſed de capite decertarent. Quarto Non. Auguſti, *Petrus Aragonias.* Panormum appulit. Tunc *Carolus* tantis viribus impar, in inſulà tam inſensà nihil ſui conſpicatus arbitrij, in continentem rediit. Aragonius verò Panormi Rex ſalutatus, inſulà potitus eſt vniuersà. Ad *Martinum* Pontificem legatos decreuere Panormitani, qui ad pedes illius ſtrati, velut pro arà, Chriſtum Dei Agnum ſalutantes, illa etiam ex altaris myſteriis verba ſupplices protulere. *Qui tollis peccata Mundi miſerere nobis*, & iterum: *Qui tollis peccata mundi miſerere noſtri*; tertio. *Qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*. Hoc tempore ſcilicet poſt patratam rebellionem, hanc contigiſſe legationem, non ante veriùs duco. Oratoribus reſpondit Pontifex: Panormitanos agere, quod feciſſent Iudæi, qui Chriſtum pulſabant, cum Regem Iudçorum ſalutabant. Percunctantibus, *quomodò poſſent expiare piaculum?* reſpondit: *Redderent ſe, à quibus defeciſſent*. Violaſſe eos non ſolum Regis Caroli maieſtatem, ſed ſacroſanctam poteſtatem, in cuius fide Sicilia eſset. Proponebant Siculi, voluiſse ſe Carolo reddere, dūmodò miniſtros Italicos Gallis ſubſtitueret, ac vectigalia temperaret. Cæterum conditionibus à Carolo ſpretis, ad Aragonium ſe defeciſse coactos. Surdis auribus hæc omnia Martinus audiuit, & *Conradum Lanceam*, & *Ioannem* Procidam, ac reliquos coniurationis ſocios execratus, vniuerſæ Siciliç ſacris interdixit. Regem etiam monuit Aragonium, ne intempeſtiuà ambitione pacem turbaret Italiæ. Parere recuſantem, nono Nouemb. apud Phaliſcos pro foribus Baſilicæ latà ſententià, extra eccleſiam poſuit. *Panormitani* verò vt rebellioni fucum inducerent, apologiam tranſmiſere *Martino*, cuius exordium. *Dum Sanctiſſime Pater patrum, loqui formidauimus, os in Cœlum ponere titubantes, ne taciturnitatis longa præſcriptio peramplius delictum noſtrarum videatur exagerare culparum*. Pluribuſquè interiectis contumeliis in Gallos, quorum tyrannidem exagerant, ſubdunt. *Cum nihil in terrà legitur ſine cauſa, ſicut benè nouit veſter perſpicuus intellectus ſcripturarum diligentior indagator, priuare nos veſtra miſericordia non debetis. Scitis enim, quod illicò poſt ſtragem ſceleratorū miniſtrorum cœlitùs deſtinatam, B. Petri vexillum leuauimus, & S. M. Eccleſiam Romanam inuocauimus protectricem. ſed quia nos indignos B. Petri, & veſtrà gratià reputaſtis, ille, qui manet deſuper infallibilis ſpeculator, cui cura eſt æqualis de* om-

Veſper Siculus

Caroli Regis Siciliæ leges.

omnibus tam maioribus, quàm puſillis, ſicut lectio diuina teſtatur, alterum Petrum loco Petri affectuoſiùs inuocari, ex inſperato in præſidium noſtrum voluit eum paucis comitibus deſtinare &c. Quaſi perduellionis crimen excitaſset Prouidentia Superna. Minimè tamen Pontificem Sicula mouere argumenta: ſed miſso *Gerardo* Cardinali Sabinenſi in Siciliam, vt populum ad obſequium reuocaret (*Tom. 2. l. 2. ep. 5*) modis omnibus, Gallorum copias, quæ duce *Petro Alenconio* fratre Regis Philippi aduenerant in Siciliam, iuuaret. Aragonius Siculorum timens inconſtantiam, quòd nondùm iugo aſsueuiſsent Hiſpano, nec opibus valeret, ad bellicos ſumptus; militari fraude ad Caroli diſcutienda conſilia, ac impetus debilitandos Gallorum; quorum maximam partem neceſse erat, ob aeris intemperiem morbo in ſolo perire alieno Carolum ad ſingulare certamen prouocauit. Accepit conditionem Carolus, vt propè Burdegalam in ſubiectâ planitie centum equites concurrerent, quorum in numero duo Reges. Victoris præmium Sicilia erat: Victus regio indignus nomine cenſendus inpoſterùm. Prælium detrectanti par pœna propoſita. Martinus verò non ſolum obiecto anathemate Carolum ab ineundo certamine abducere conatus eſt; ſed vtriuſquè Regis pactiones vt nefarias eccleſiaſticâ execratione reſcidit. Et cum in Aquitaniâ, quæ tunc Anglo parebat, pugna eſſet committenda, *Eduardum* Martinus monuit, vt Siciliæ, & Aragoniæ Regibus aditum intercluderet. *Carolo* etiam fraudes aperuit Hiſpanas: quod *Aragonius* viribus *Caroli* impar, in longinquas terras è ſuo euellere regno ſit meditatus, vt licentiùs graſſaretur. Hæc omnia literis, ac Legatione Benedicto Cardinali S. Nicolai in carcere Tulliano commiſsa, patefecit. Spreuit porrò magno ſuo damno Carolus monita Pontificia. Tuendi honoris, ac fidei ſeruandæ cupiditate obrutus, Burdegalam venit ſtatutâ die, *primâ Iuny* cum centum equitibus, quò Aragonius nunquàm comparuit. Ferunt Petrum ſerotino tempore, vel diem præcedente ſtatutam, remotis arbitris, vt fidem videretur ſeruaſſe, Burdegalæ Seneſchalco ſe aperuiſſe, indequè præcipiti fugâ ſe proripuiſſe, cauſatum ſibi inſidias parari à Rege Gallorum, qui non longè à Burdegalâ cum Gallicâ nobilitate ſubſtiterat. Cum itaquè nuſquam viſus eſſet Petrus, diebus aliquot fruſtrà expectatus; ſerò Carolus agnitis Aragonij fraudibus, ac pueriliter ſe deluſum, benè gerendæ rei occaſionem prætcrijſſe, receſſit. Egit Martinus aduerſùs Petrum cenſurâ eccleſiaſtica, eius regnis in pœnam, præcipuè Aragoniâ expoſitis occupandis per filios *Philippi* Francorum Regis, cuius in ſuppetias propoſitis indulgentijs excitauit Cruceſignatos. *Eduardo* Angliæ Regi prohibuit, ne affinitatem contraheret cum Aragonio: Veneris, ne naues Aragonio locarent, ſed Gallis, ad quarum ſumptus Martinus è Pontificio errario ingentem vim auri deprompſerat. *Tom. 1. l. 3. ep. 23. Carolo* Valeſiorum Duci Aragoniam, Valentiam, Cathaloniam cum titulo regio traduxit, exauctorato *Petro*. Tantis *Carolus* inſtructus auxiliis, claſſe adornatâ præualidâ in portu Maſſiliæ, Piſas nauigabat. Cum interim *Rogerius de Loria* admirallus Regis Aragonum, partem Gallicę Claſſis in portu adortus Neapolitano, oppugnat, vincit, captiuo *Carolo* Salerni Principe, Regis Caroli filio, qui legato prohibente Apoſtolico, in pugnam deſcendere etiam ipſe voluerat. Acerbum filii caſum Carolus regiâ excepit conſtantiâ. Nam ducibus ſuis aduocatis, inquit: *Congratulamini mihi, & congaudete mecum, quia hodie perdidimus vnum Sacerdotem, qui noſtrum impediebat regimen, ac vigorem bellandi*. Sic nullâ lamentatione, vel planctu pertranſiit, quaſi filium nõ amiſiſſet. Animum Pontificis angebat etiã Romanorum noua diſcordia, qui mutuis odiis diſſidentes, imperia parùm religioſè colebant Pontificia: miſſis tamen Legatis à *Martino*, qui Peruſium ſeceſserat, conſilio, & lenitate, breui omnia compoſuit. Carolus interim nimio ex aduerſis dolore concepto, An. 1285. maximo obijt pietatis exemplo. Sacrum ei cum ferrent Viaticum, in hęc verba prorupit: *Credo Domine, te meum ſeruatorem eſſe atquè miſerearis animæ meæ ſupplex depoſco*. Ptolom. Lucen. *l.* 24. *c.* 11. Philippus verò Gallorum Rex ducto in Aragoniam milite, ſecundam poſt trimeſtrem obſidionem occupauit. *Petrus* accepto in certamine vulnere, dum cum meretrice impudicè verſatur, nondum curatis vulneribus, vi ſanguinis ebullientis, morte perditur infelici. *Io. Villanus*. Philippus itinere ſatigatus, ac infelicis expeditionis exitu turbatus ad Pyrenæos obijt. *Nangius*.

Bellum inter Philippum Aragonium, & Caroli Francię

Trium Regum obitus.

5. *Sanctio* &c. Fuit iſte filius *Alphonſi* Caſtellæ, *Regis*, qui mortuo *Ferdinando* Alphonſi primogenito, Ferdinandi filijs regnum eripuit, contendens ad ſe vti proximiorem Alphonſo ſuperſtiti pertinere. *Sanctio* fauebat Alphonſus, donec in excelſum auctâ filij potentiâ, patris ſenectus contemptui haberetur. Quod genitor ægrè ferens, de promouendis nepotibus, cœpit meditari conſilia. Quòd *Sanctius* ſubodoratus, conuentu habito Valliſoleti, patrem regno ſpoliauit. Ita depulſus *Alphonſus* Regis Marrochitani opem implorauit, qui citò adfuit, ſed latro, non auxiliator, Hiſpali poſteà celebrato conuentu *Sanctium* regni ſucceſſione priuauit, vti parricidam, & calumniatorem parentis; quem *Sanctius* vt inſanum, homicidam, tyrannum accuſabat. Vindictam forſan diuinâ exigente Nemeſi; quòd operâ Prouidentiæ ſupernæ, confidentiâ humanæ ſapientiæ, blaſphemâ procacitate carpere non formidaſſet. *Mariana l.* 14. *c.* 15. Implorauit mox Alphonſus opem Romani Pontificis, vt filium cogeret in officium. Annuit *Martinus* quamuis natione *Gallus*, vt pacem Hiſpanis reſtitueret: cenſuris expoſitis aduerſùs eos, qui filium iuuarent rebellem aduerſùs patrem. Sed ſpreto anathemate, cumulauit *Sanctius* ſcelus perduellionis aduerſùs patrem, iunctâ ſibi Mariâ, quam tertiò conſanguinitatis gradu attingebat. Iuſſus à *Martino* Pontifice nuptias diſſoluere, non legitur obtemperaſſe: ſed mortuo patre, liberas habenas regni ſortitus.

Sãctius Caſtellę tyrãnus

Excommunicatur.

6. *Patauinos* &c. Cum plura aduerſùs eccleſiaſticam libertatem Ciuitas decreuiſset Patauina, eo tandem proruperat; vt Clerici interfectorem vno tantùm puniret denario, quem Veneti *Groſſum* appellant. Sanctionis origo ab odio Magnatum, vel aliquorum clericorum improbitate profectâ.

Patauini iniuſti excommunicantur.

7. *Anglos*. Almericum Montfortium cum in-

carcere teneret Rex Angliæ: mandauit ſeriò Papa *Martinus II.* liberari, nec fruſtra. ep.18.

Norvegios corripit

8. *Noruegios*. Rex Noruegiæ cum plura aduerſùs eccleſiaſticam libertatem conſtituiſſet: ac decimas pro Terræ ſanctæ ſubſidio ex Regno ſuo efferri prohibuiſſet, auaritiæ redargutus à *Martino*, & iniquitatis, legem antiquauit iniquam

Martini II. Miracula.

9. *Martini miracula*. Obijt Martinus Peruſij Kal. Aprilis. Ann. 1285. clarus miraculis, teſte auctore appendicis ad *Martinum Polonum*. Nam (inquit) *diuerſarum afflicti paſſionum, & ſpecialiter viſus, auditus, & loquela proſtrati iuxta feretrum, in quo extitit ſepultum, infra paucos dies, videntibus, & aſſiſtentibus clericis, & laicis quampluribus, multi ſunt ſanati: nec adhuc, quandò fuit hæc ſcriptura protracta, XII. menſis Maii, ceſſabant ibidem miracula: verùm imò diebus ſingulis occurrenti fidelium populoſa multitudini miſericorditer à Domino largiuntur: & qui ſcripſit hæc, vidit ea*. Conſonat Nangius. *Diuerſarum afflicti paſſionum, & morborum ad tumulum eius venientes, multis videntibus ſunt ſanati*. Sepultus

Calumniæ Hæreticorum in Martinum II.

eſt in eccleſiâ Cathedrali habitu indutus Franciſcano: teſte *Vuadingo*. Impij Centuriatores *cent.* 13. c.10. libidinis calumniantur, more ſuo, Pontificem ſanctum: quia Vrſinorum imagines in palatio mandauerit aboleri; ne meretrix Palatina eiuſmodi formam conſpiciens, etiam conciperet, vt contigerat ſub *Nicolao IV*. Nam de meretrice palatinâ ſub Nicolao, vel Martino reclamant omnes hiſtorici, oculati teſtes de caſtitate horum Pontificum. Veritas eſt; quòd conſobrina Nicolai IV. villoſum edidit puerum, Vrſorum more, armatum vngulis. Quemadmodùm piſcem Leonis ſpetie, eodem Anno 1283. vlulatum edentem, & hominis plauſum, ferunt in mari captum, & ad Pontificem in vrbe Veteri perlatum. Nicolaus autem rubore perfuſus (ſunt verba Philippi Bergomenſis *l. 3. in Chron. Supplem.*) omnes Vrſorum imagines eradi fecit è parietibus domorum. Germaniã odiſse Martinum Mornæus inſimulat in ſuo *Myſterio Iniquitatis*, ex Nicolao de Biberach Erſordienſi (libro, quem inſcripſit, *Occultus*) atquè libidinoſum: cum tamen Trithemius in *Chron. Hirſaugien. virum ſanctiſſimæ conuerſationis* fuiſse ſcribat, *qui miraculis claruit*. Concordat Paulus Langius in Chron. Citizenſi. *Martinus Papa vir ſanctiſſimus, multis poſt mortem miraculis clarus*. Platina, *Peruſii, moritur ad cuius ſepulturam multi valetudinarij delati, multi cæci perducti, muti, & claudi, priſtinam valetudinem ſanctiſſimi Pontificis meritis à Deo recepere*. Krantzius l. 9. Metropolis c.1. *Pontifex erat vitâ, & mente ſanctiſſimus, quarto Anno Peruſii moritur, miraculis ad tumulum eius crebreſcentibus*.

SIGNVM MARTINI II. Vulgo IV.

Portio mea, Domine, ſit in terra viuentium.

Ædificia.

Condidit Martinus arcem, & nobiles ædes in monte Flaſcone, quas aliquando incoluit. Fuit nãq. ædium ſtructurà magnificus, & pietate in pauperes, quos caritate ſæuiente, clam alebat, ac familiis nobilibus ſecretò ſubſidia mittebat. *Ibid.*

Scripta.

Scripſit Martinus II. epiſtolas varias, quarum regiſtrum M.S. aſſeruatur in Vaticano. Executorem nouiſſimæ ſuæ voluntatis ſcripſit Iacobum Sabellum (futurus iſte Papa nomine Honorii IV.) Martini corpus, quà par erat reuerẽtià, Aſſiſium deferri iuſſit ac eccleſiæ S. Cæciliæ (vbi ante adeptum Pontificatum, Cardinalis curam geſſerat) Iconam argenteam gemmis diſtinctam (vt ex *ep. 61. Honorii IV*) cum duobus millibus librarum Turonenſium pro ſubſidio Terræ ſanctæ legauit. *ib. ep.*4.


HONORII PP. IIII
HONORIVS IIII PONT MAX
PETRVS CLAVES REGNI
Francus Gualdus Ariminen. S. Stephani Miles Antiquitatis Studiosus
exhibet

G 2

HONORIVS QVARTVS
PONTIFEX ROMANVS CLXXXX.



PIetatem , Religionem coeuam Honorio , qui licèt podagrà irretitus nunquàm tamen defecit ab aris , à Chriſto diſce Crucifixo , qui cum manibus litare non poſset , quia Cruci affixus, litauit ex corde; vnde Sanguis,& Aqua profluit Euchariſtici ſymbolū Sacramenti.

Eligitur Anno Sal. 1285. die 4. Non. Aprilis . Obiit Anno 1287. In Cæna Domini . Cum ſediſſet Annos duos dies 1. Vacauit ſedes à Cæna Domini vſque ad diem 8. Kal. Martij , quo recurrit Cathedra Petri .

Anni Sal. Ho 1285.1 IAcobus [1] Sabelus inter diſſidia Pontifex
Sed nemine reclamante :
Quòd eo ſanctior non eſset in Orbe homo .
Gnatus ex gente ſanctà , populo acquiſitionis ,
Fratrem habuit [2] totiès Senatorem Romanum
Quotiès ſeriò iuſtitiam exigerent ;
Quaſi cum eo hęc accederet,& ſecederet.
Hoc tramite inijt Honorius Honoris tēplum .
Bella cum magnis Regibus ,
Armis concepit imparibus meliùs confecit.
Petro [3] Aragonio ;
Ne à freto Siculo Neapolim tranſfretaret,
Anathema obiecit :

A Quod Regi Scylla fuit,& Charybdis. (rica. Anni Sal. Ho
Redditā Italis libertate , diſſidia excepit Vnga. 1285.1r
Ladislaus [4] probi Stephani infame probrum
Neroniano quinquennio laudabiliter peracto ,
Virtutis pęnitens omne ruebat in nefas .
Facem præferebat ad ſcelera Cœcus Puer ,
Lauro ſub regia immunē ſe credens à fulmine.
Sed monitus , correptus, tandem percuſſùs,
Cum nec ſub anathemate ſaperet,
Amicorum ſtylo traditur lacerandus
Curas augebant,& angebant Hęretici
Quorum exitium, Honorij honor, & delitiæ
Commilitones ei habitatores [5] Carmeli,quibus

gete, vſquè in diem Dominicæ diſtulit Aſcenſionis: quà recurrente, cum Alphonſi Oratores nondùm veniſſent, ſed iter aggreſſos famà nuntiaret; ſententiæ prolationem extraxit iterum. Venere tandem vt ex *ep.43. l.2.* Excuſationes tamen Alphonſi non admiſſæ pro tuendo regno paterno. Acceſſit interim pacis interpres *Eduardus* Rex Anglorum rum ob iura ſanguinis, cum vt pacatà Europà, Syriacæ incumberent expeditioni: ſed leges Eduardus adeò ptopoſuit iniquas, vt eas nullo modo probare Honorius uoluerit. Mandauerat namquè Eduardus, vt Siciliæ inſula cum adiacentibus inſra limites Rheginenſis Archiep. limites ſitis, Iacobo aſſereretur. Carolus II. ſedem adduceret Apoſtolicam ad ea comprobanda. Iacobus verò Carolũ manumitteret. Hęc cũ repudiaſſet Honorius, obijt; vt infra *n.11*

Heretici dicti Apoſtolici.

4. *Heretici* dicti *Apoſtolici*, qui albà tunicà, ac deſuper pallii albi inſtar mantello ad collum eleuato induebantur; ſuper tunicà non corrigià de corio, ſed funiculo adſtringebantur; crines nutriebant longos, caput non operibant, ſed nudato vertice, nudoq. pede incedentes ſubductis ſoleis, per vrbes, & vicos diſcurrentes, pœnitentiam prædicare fingentes, clamabant: *Agite pænitentiam, quia appropinquat regnum Cælorum*. Vitam mentientes ſoli ſeruare Apoſtolicam, colluuiem ſuam, Ordinem vocabant *Apoſtolorũ*, ac ſoli Deo ſe aſſerentes ſubiectos, *Eccleſiam damnabant Romanam, meretricem blaſphamantes; quia ſolùm in eis primitiua vigeret eccleſià, in quam quilibet confluere poſſet, etiam vxor inuito marito. Spernebant eccleſias, vota damnabant, Venerem quęrebant, fidem fallebant, nam interrogati de ſua religione, mentiri, fallere ſuos, docebant alumnos, vt periculum Inquiſitionis effugerent. Si tamen mortem non poſſent effugere, mori tenerentur coſtanter pro ſuà doctrinà fallaci*. Mendaces homines repreſſit Honorius, iubens: veſtem ponerent, eiſq. dari eleemoſinas prohibuit. Si qui verò ex ipſis religioſæ vitæ renerentur amore, approbato à ſede Apoſtolicà religioſo cœtui ſe aggregarent. *l.1. ep.306.*

Carmelitæ mutant habitum.

5. *Habitatores Carmeli*. Ordinem Carmelitarum ſolidauit Honorius, *qui priùs in Concilio Lugdunenſi remanſerat in ſuſpenſo* (teſte Ptolomæo Lucenſi l.24.c.13.) *Tunc mantellos ſubuariatos mutauerunt in Cappas Albas*. Conſonat S.Antoninus *3.p. tit.* 20. c. 5. *Eo tempore cum fratres ordinis Carmelitarum deferrent habitum, qui minùs conuenire videbatur viris religioſis, ſcilicet cappam circulatam largis virgis albis, & griſeis, quem habitum aſſerebant fuiſſe Heliæ Prophetæ habitantis in monte Carmelo, in Syria (quod tamen neque in ſacrà ſcripturà, neque in authenticà ſcripturà reperitur) Papa Honorius IV. propter maiorem honeſtatem mandauit, habitum illum dimittere, & deſuper cappas ex toto albas, & ſubtùs tunicas griſeas cum ſcapularibus aſſumere*. Eorum initium (cum Syrià pateretur Chriſtianos) ab iis, qui in Carmelo degebãt Eremitæ, vſq. ad Pontificatũ Honorii, venerabiles ipſi Sarracenorũ Sultano, propter Eliam Prophetam; ſed mutato habitu eis à Papa dato, in cõtẽptũ Papę de Carmelo expulſi Carmelitę dicti sũt. *Ib. Volat. Stella.*

6. *Auguſtini*. Romæ cum non eſſent Eremitæ ſancti Auguſtini, euocauit *Honorius IV.* eis æde ſancti Triphonis conceſsà, vt veluti fratres ſui in Pariſienſi Gymnaſio publicè profiteri, ac Theologiæ doctores creare poſſent. Primus, qui in hoc ordine infulas magiſtrales ſuſcepit, fuit Ægidius Romanus, poſtea eiuſdem ordinis magiſter Generalis; atque Archiep. Biſuntinus. Fuit Ægidius S. Thomæ Aquinatis diſcipulus, literatorum ſui temporis facilè princeps. Adductus quondam à doctoribus Pariſienſibus in ſuſpicionem non rectè ſentire, opiniones ſuas poſtquàm canonicas ſcriptis probare niſus eſſet, ad Apoſtolica accerſitus ſubſellia, chriſtianà demiſſione, ſcripta ſua decreto ſubmiſit Pontificio, Romanæ piè adhærens eccleſiæ, à quà ſummà cum laude euectus in Archiepiſcopum, *Fundatiſsimi* cognomen ſortitus eſt ob doctrinæ conſtantiam. *Sixtus Senenſis l.6. Biblioth. Sancta. Volaterranus. Stella.*

Eremitę S Auguſtini.

Religio Honorij IV.

7. *Podagrà*. &c. Fratrem habuit Honorius IV. ſed ambo podagrà irretiti. Licet tamen *manibus, & pedibus impeditus celebrare non poſſet, niſi cum quibuſdam inſtrumentis* (teſto Ptolomæo Lucenſi) *nunquàm tamen ceſſauit ab aris*.

Literarũ amator: & Fidei propagator.

8. *Pariſiis*. Clericos Arabes, cæteroſquè ex Orientali plagà, linguà diſcrepantes Pariſiis ſacris literis erudiri voluit, vt in patriam reuerſi excolerent ſuos *l.1. ep.79. Vuadingus.*

9. *In Iudæos* plura ſcripſit, qui in Anglià Chriſtianos Sabbathi obſeruatione decipere tentabant; famulos in domibus retinentes Chriſtianos, die Dominico ad opera cogebant ſeruilia: Chriſtianis mulieribus infanſto ſe commiſcebant commercio, cum tamen in orationibus, vel potiùs execrationib. ſuis, in noſtrã maledictionẽ prorumperent *l.2. ep.42.*

Ædificia.

10. *Pontibus* flumina catenauit *Honorius IV.* Statim enim ac creatus eſt Pontifex, *in Vrbem ſe transfert, & in monte Auentino iuxta Sanctam Sabinam magna fabricat palatia, & ibidem Sedem Pontificalem conſtituit, totuſquè ille mons renouatur in ædificiis.* Pontem Riuo Claro ſuperextruxit, appoſitis ad facti memoriam, hinc Sabellorum (de quorum ſtirpe erat) inſignibus: ac Vrſinorum, occaſione *Bertholdi* Vrſini Præfecti Vrbe actaui.

Mors.

11. *Mors* Honorij IV. Anno contigit 1287. in cęnà Domini. Sepultus in die Paraſceue, iuxtà Nicolaum III. in eccleſià S. Petri. *Iordanes. Ptolom. Luc. Io. Vill.* A Baſilicà Petri in Arã Cęli tranſlatũ, in ſacello quieſcit à Sabellis extructo, vt ex ſequenti tabulà, in quà *Sabellorum* Emblema, numiſma ęneum *Honorij*, ac inſignia *Aldibrandeſcha* gentis, ex quà prodijt Honorij mater. Scripſit Honorius *epiſtolarum* volumen, & in Vaticano ſeruatur. Sic *Teſtamẽtum* in Bibliot. Barb.

Scripta.

Eo viuente *Flaminia*, quæ *Romaniola* dicta, Pontificiis ſe addixit obſequiis, pænitente *Guidone* comite Montisferetri, melioris fortunæ deſperatione, ſiue dolore violatę eccleſiaſticæ immunitatis. *Maleſpinà. Io. Villan.* Viterbienſes etiam, qui ob Matthæum, & Iordanum Cardinales Vrſinos carceri traditos, fuerant cenſuris defixi, communioni reſtituti eccleſiaſticæ eà conditione, vt parteni mœnium æquarent, Xenodochium inſtruèrent, ac mero, & mixto imperio ſpoliati carerent; donec Pontifici aliter videretur. *l.1. ep.18.* Felix regimen, ſub quo ferè omnes Principes Eccleſiæ ſunt recõciliati.

SIGNVM HONORII IV. PAPÆ.

Pars mea Deus in ſæcula.

In alio numiſmate (vt ſupra habes in tabulà, ſtat effigies Honorii) ex alterà Petrus cum clauibus ſub titulo. *Sanctus Petrus Vicarius Regni Cælorum.*

NI-

Anni Sal INI. 1288.1.

A

Honorij tandem Legatus, & Succeſsor
Cum homines in Nicolao conſentire nolentes
Diſsentirent à Deo;
Terra tremuit, vt exterreret Electores.
Septem morte punitis.
Reliqui Conclaui fugiere deſerto. (des,
Ad S.Sabinã cõuenere iterũ, ſed adhuc diſcor-
Nouo receſserunt morbo correpti, corrupti.
Donec tertiò coeuntes in Nicolaum cõuenere;
Qui ſolus loco ſteterat, animo, corpore integer.
Ludere in hac Electione viſi ſunt Superi
Nã ſi Electores bis cõſentire noluerunt electo,
Totidem electoribus diſsenſit electus.
Reſignationi ſubſcripſit lacrymis
Quùm Cardinales pœnitentiâ ducti, & docti
B
Violentiâ inſcitiam purgarunt præteritam.
Sic intra ſuos magnus, extra ſuos Maximus
Ita euaſit in purpura, vt in purpurà nõ cõſiſteret.
Æquus omnibus non æqualis
Rogare voluit non rogari,
Et dignitatibus viros dare, non viris dignitates.
Cardinales [2] cum creauit, æquauit Apoſtolos,
Apoſtolatus impleuit officium,
Ad munera non reſpiciens, nec ad perſonas.
Nã ex cognatis elegit nullũ, ex diuitib. paucos:
Omnes ferè pauperes, & Regulares.
C
Vt eſſent præmia virtutis, dona fortunæ.
Ei patria Mundus, familia Virtus:
Hoc ſanguine omnib. agnoſcebat, & agerebat
Siculis [3] cum arderet Italia diſsidijs
Hinc Etnà, illinc Veſuuio,
Veneti, Aquileienſes vario Marte certarent
Arcanam illam machinam pacis
Toties tentatam, nunquàm abſolutam
Nicolaus ſolus compleuit,
Vtraq. Sicilia vincta fœdere
Quam fretum dirimebat, ferrum diripiebat.
Hinc in Aſiam, [5] vbi Babylon in Cælũ rebellis
Sultano ſuo inſultabat Chriſto.
Idumæas vt nobili ſanguine irrigarẽt palmas,
Principes excitauit exemplo.
At ſacro ære conſcriptum militem
Dum Venetis triremibus in Aſiam præmittit
Propetato excidio totà Syrià Chriſtus deturba-
Inuita tamen fatetur Inuidia, (tur
Deſperatis Aſiæ rebus
Curaſſe, vt res Chriſtiana reſurgeret.
Turpiſſimam pacem
Cũ Orbis Plagæ plaga paciſcendam cõtẽderẽt:
Solus contra Omnes obnixus
Voce, calamo, Pauli gladio, auro Petri
Potuiſſe ſeruari, monſtrauit, ſi voluiſſent.
Negligentià omnes, vel dolo corrupti polluti,
De Aſiam perdiderunt, prodiderunt
Vno excepto Nicolao IV. Romano Pontifice;
Inuidià ſanè, & glorià plenum elogium:
Quòd corã Chriſto vnus futurus ſit omniũ accuſator.
Ità tamen de alieno peccato, doluit,
Vt per oculos [6] animam eflaret.
Plura legauit nobis, ne pereãt, incide marmori:
Gradimontenſes [7] corruptos, ab eo correptos [4] 1291
Reges [8] deuios in viam redactos.
Scotiam [9] liberam, nunc captiuam.
Iudæos [10] timidos, olim tumidos.
Eccleſiam nouo pænitentinm fętu fecundam,
Qui Chriſto militant Franciſco [11] duce.
Flaminiam [12] perditam, & reſtitutam.
Ianum [13] clauſum, Gymnaſium [14] apertum.
Vrna illi in templo Virginis maioris,
Vt quod expoliuit auro, exornaret exuuijs.

ADNOTATIONES IN NICOLAO IV. PONT. ROM. CLXXXXI.

Nicol. IV. natalia.

1 Picani natus Nicolaus IV. anteà *Hieronymus Aſculanus* humili genere ortus, S. Franciſci diſcipulus, & in conuerſione filius, ſtudio Philoſophiæ, ac Theologiæ ſummè claruit, vt ex iis appareret, quæ ſcripſit.

Scripta.

Commentaria in S. Scripturam.
In Magiſtrum Sententiarum. l.4.
Sermones de Sanctis.
Sermones de tempore.
Ad Patres congregatos in Conciliis Generalibus.
Summas Varias.
Epiſtolarum tria volumina. Extant in Vaticano.
Varias Conſtitutiones eccleſiaſticas, præſertim contra Hæreticos.

Poſt obitum S.Bonauenturæ, nemo repertus qui Sancto ſanctiùs ſuccederet in ſummam totius Franciſcani Ordinis præfecturam, quàm Hieronymus; vt ex epitaphio, quod ei concinit *Sixtus V.* D Legatus à Gregorio X. ad Grçcos operam adeò ſtrenuè nauauit, vt Græcis Romanæ reconciliatis Eccleſiæ, ſynodo adfuerit Conſtantinopolitanæ, in qua damnato ſchiſmate, Bulgarorum Archiep. cum cæteris Epiſcopis Græcis, Petri confitenres Primatum, obſequium Romano præſtarunt Pontifici. Ita literæ reſtaurur Palæologi, & Andronici Imperatorum. Legatus poſteà Io:XXI. confirmatus à Nicolao III. ad *Alphonſum* Hiſpanorum, ac *Philippum* Gallorum Reges, vt abdicatis diſſidijs arma in Sarracenos conuerterent, prudentià ſuà meruit, vt inter Cardinales adſcriberetur ab eodem Nicolao. Acceptis ſuæ promotionis literis, reſcripſit Pontifici, vt ſolent viri non tumidi; *Dignoribus purpuram diſtribueret, quod ipſe meliùs coquus foret inter fratres, quàm Cardinalis.* Antoninus *p.* 3. *tit.* 20. Nec interea ſtatum mutare ſuſtinuit, donec obedientiæ præcepto adactus, purpuram induit. Ho-

Legationes officia.

no-

norij IV. tandem ad Gallos Legatus, vt ex epitaphio; eiuſquè ſucceſſor, grati animi ergo in Nicolaum III. à quo Cardinalium collegio aſcitus fuerat, *Nicolai* IV. nomen accepit, die feſto cathedræ Petri, Dominicà ſcilicet ſecundà Quadrageſimę, quà eo Anno feſtum cathedræ S. Petri recurrebat. Vndecim menſes Sedes vacabat Romana. In ædibus, quas Honorius iuuenis ſolebat incolere, propè S. Sabinam, comitia ineunt: ſed diſcordiis, atque ægritudine correpti, ac corrupti (terræmotu volunt alij: Locus enim marino vento oppoſitus, peſtilens maximè ſanus æſtare eſt) abiere, ſeptem eorum deſideratis. Superſtites conſternati, ſolutis Comitiis, ſanitatis gratià recuperandæ receſſerunt, in tempus magis opportunum reiicientes Comitia. Solus Hieronymus Cardin. Ep. Præneſtinus ibi conſtans permanſit, nil mali paſſus, quòd medio ęſtatis feruore, plures ignes toto excitari iuſſit palatio, vt B ſi quæ aeri labes ineſſet, flammis purgaretur. Sedatà verò hyemis frigore epidemià, rediere Cardinales, pleni religione (quam ex terræmotu conceperant, quaſi in eos claſſicum terra caneret, quòd ſegniores electionem Pontificis negligerent) ac cunctis ſuffragiis *Hieronymum Aſculanum* Pontificem renuntiarunt (*Ptolomæus Lucenſis. Longinus Vuadingus. Io: Villanus*) iuxta S. Malachiæ vaticinium, *Picus inter eſcas*: quia *Picenus* patrià, & *Eſculanus*. Petrus namquè Marſus ſcribit, quòd *Picus* Picęno dederit nomen: & Leander Albertus in ſuà Italià Picænum deſcribens contendit, quòd *Æſculum*, non *Aſculum* debeat appellari. Nicolaus ergo continuò reſignatà dignitate, & cum lacrymis in ſua confuſus, humilitate, bis quà potuit reluctatione diſſenſit, donec tertiò compulſus à Car- C dinalibus, ob ingentia rei Chriſtianæ pericula demum aſſenſit (*Nicolaus IV. epiſt.* 1. *l.* 1. Henricus Rebdorf *in Annal.*) ac literis, ſuæ electionis Chriſtianum populum certiorem fecit, ac Reges, & Principes optimis erudiuit præceptis, inter quos Philippum Francorum Regem, vt ad pie moderandum ſceptrum excitaret. Nicolai mores breui S. Antoninus deſcripſit elogio. *Reputatus rectus homo & ſanctæ conuerſationis* 3. *p. tit.* 20. *c.* 7.

Cur Nicolaus dictus.

In Papam igitur prædicitur.

2. *Cardinales* &c. Probos, & eruditos cum cognatorum loco *Nicolaus* haberet (vt ex eius epitaphio) in Cardinalium electione, ex cognatis delegit neminem, quibus non plus ſe debere arbitrabatur, quã cuiuis bono, & præſtanti viro. Virtutes ſolumodò, & vitia cum in cauſa eſſent, vt in hunc D magis, quàm in illum pronus eſſet, duodecim Cardinales creauit, ex quibus *Matthæus de Aqua Sparta*, Ordinis Fratrum Minorum Miniſter Generalis; & *Hugo Seguin* Ordinis Pręedicatorum; *Petrum Columnam* (cuius antea vxor ſpontè vitam elegerat monaſticam) & cum eo *Neapoleonem Vrſinum* inter ſe diuturnà contentionum acerbitate diſſidentes, ſolà vtriuſq. probitatis habità ratione.

Iuſtitia in diſtribuẽdibus dignitatibus.

3. *Siculis* &c. Suſcepta Nicolaus Eccleſiæ adminiſtratione, ad componendas res Siculas, è quibus Chriſtiani Orbis diſcrimen timebatur, curas admonuit. Die itaq. cœnæ Dominicæ admonuit Siculos, ad Eccleſiæ Romanæ redirent obſequium. *l.* 1. *ep.* 1. Pacis ſequeſter acceſſerat Eduardus Rex Anglorum, ſed leges iniquas *Honorius* conuulſerat, & ad A æquiores vrgebat Nicolaus, conceſſis ad biennium Decimis eccleſiaſticis Philippo Francorum Regi, vt vi armorum fratrem in Regnum induceret Aragoniæ. Impendentis belli motus Alphonſum adduxit, vt Carolum Salerni Principem è carcere ſolueret, cum Eduardus maximè ad id deprecator accederet. Inſcio itaq. Pontifice celebratur colloquium, in quo conuentum, vt *Carolus pro redimendà ſuà libertate, Pontificem, Regemquè Francorum Alphonſo Aragonio, & Iacobo conciliaret, ne bellum pro Sicilià mouerent. Quodſi hoc impetrare non poſſent, Carolus ad carcerem rediret infra tres annos à die liberationis ſuæ. Interim tres filios ſuos obſides daret Alphonſo.* Io. Villanus, S. Antoninus. Huius pacti leges iniquas Nicolaus reputans, nec in Caroli poteſtate ſitas reſcidit; & Carolum dimiſſum è carcere, ritu coronauit ſolemni Regem vtriuſq. Siciliæ. Alphonſum verò (quòd reſtituendo Carolo libertatem, fefelliſſet eccleſiam, ac Carolum nexibus conſtrinxiſſet grauioribus) ſolemni percuſſit anathemate; Carolum verò priſtino iuri reſtituit, eiq. vt diuina conciliaret auxilia, Indulgentiarum præmia pro Carolo oraturis conſtituit. Decimas autem cum etiam à ciuitatibus Imperialibus Philippo ſolui mandaſſet: & hoc in ſuam iniuriam Rudolphus Rex Romanorum interpretaretur, quaſi Gallus iura ſibi vendicaret imperij: Nicolaus Rudolphum literis ſuis mulcire non deſtitit, causà expoſità ob quam Sedes Apoſtolica decimas exigebat, nimirum ad comprimendos Aragonios inuaſores non Gallici Regni, ſed Eccleſiæ. *l.* 3. *ep.* 47. Cœterum vlterioris Siciliæ dominatu non contentus Aragonius, proferendi in interiorem imperij auidus, bellum renouauit in Carolum. Catanzarum in Calabria cum ad Iacobum defeciſſet; recuperaturus obſidebat Robertus Comes Atrebatenſis; fruſtra Iacobo cum 50. triremibus, alijſquè nauibus aduolante; vt poſtea in caſſum in ſubſidium Caiętam obſidente. Timore ergo Aragonius obrutus, nè ab hoſtibus opprimeretur, inducias poſtulauit à Carolo. Nec renuit iſte, licèt abnuentibus Gallis, atq. Romanis, qui bellũ hoc vno prælio confici poſſe ſperabant. Hinc Galli exaſperati aduersùs Carolũ, in Gallias receſſerunt. *Io. Villanus. S. Anton.* Sub Nicolao, ne quid vltra tentaretur aduersùs Aragonios, expeditio prohibuit Syriaca, vt *infra n.* 5.

Pacem procurat prò Siculis.

4. *Veneti* cum Aquilcienſi Antiſtite ob Hiſtros bella gerebant: ſed quùm opes ſuas Antiſtes Venetę impares cerneret potentiæ, ceſſit ſine maiori certamine. *Petrus Iuſtin. l.* 3.

5. *In Aſiam* &c. Ingentem de Sarracenis triumphũ conceperãt in Oriente Chriſtiani, egregiè animato Tartarorũ Rege ad Hieroſolymas Chriſto aſſerendas. *Elegages*, & *Inctanes* Tartarorum Reginæ Chriſto nomen dederant, *l.* 1. *ep.* 16. Argon Rex Tartarorum gerebat in votis ſacro baptiſmate in Hieroſolymis luſtrari, vbi è Sarracenorum tyrannide fuiſſent ereptæ. *Cobyla* ſummus Tartarorum Imperator ſacerdotes poſtulabat Latinos. *l.* 2. *epiſt.* 55. Sed omnia turbauit Siculorum funeſta diſſenſio, quæ in mutuas cædes totum armauerat Chriſtianum Orbem. Excitauit Nicolaus Cypri, & Armeniæ Reges. Sed inanes fuere conatus. Dum enim Romæ conſuliter, Syria perditur. Imminentis cala-

lamitaris præſcii Patriarcha Hieroſolymitanus, Templarij, Hoſpitalarij, ac Theutonici flebiles miſerant ad Nicolaum literas, anguſtias deplorantes. Cẽturiauit auxilia Pontifex, quæ fuere ſerotina. Nam Tripoli expugnatà Sultanus immanitati addidit contumeliam, raptatis ad caudas equorum, imaginibus ſactis. *Vveſtmonaſter.* Viginti triremes ex decimarum pecuniâ inſtructæ ſubmiſſæ à Pontifice Sarracenos eſſerarunt ob violatas inducias, quas inſtanti Cyprio Regi Sultanus conceſſerat. *Sanutus l.* 3. Claſſicum Nicolaus cecinit ad vniuerſos; vt ex *ep.* 74. *l.* 2. & Venetijs inſtructa XX. nauigia ære Eccleſiaſtico, quib. Aragonius quinq. triremes adiecit, nauigarunt in Syriam, vbi ab Ep. Tripolitano causâ proditâ (cui cura comiſſa fuerat claſſem inſtruendi) vix tredecim ſunt adornatę triremes, deficiẽte milite ſtipendiario, ac baliſtarum inopiâ. *ep.* 95. *l.* 3. Philippus Rex Francorum, ne extremo diſcrimine obruta Syria, ab eo diceretur amiſſa, ſuppetias negauit. *Acon* Ptolemais dicta exciſarum vrbium ſceleta interim æmulabatur, ciuium diſtracta diſſidijs. Cruceſignati qui octodecim mille cõuenerant, cũ à ducibus nulla elicerẽt alimenta, Sarracenos excurſionibus prouocarunt. Adactum enim iureiurando ferunt Sultanũ Babylonicum à morituro patre, cadauer ſepulturæ non traditurum, priuſquàm Ptolemaidem redimeret. Collecto itaquè milite (cuius caſtra duodecim occupabant milliaria) vrbem cinxit. Reſtitere initio Chriſtiani imperterriti; donec ſagittâ transfixo *Guillelmo Belloioco* Templariorum Duce, in naues ſe receperunt ciuitate deſertâ. Ortâ verò tempeſtate cum nauigia non appellerent, plura Chriſtianorum millia in portu cæſa, vel demerſa. Victori tota ora ceſſit maritima; nam Chriſtianis Latinis in Syriâ nec gleba ſuperfuit. Cladem præluſerat *Imago Deipara lacrymis: Georgij M. ſanguine. l.* 7. *Pachymerius.* Auditâ clade Nicolaus tentauit Latinos, Græcos, Armenos, Georgianos, Tartarorum (*l.* 4. *ep.* 66. & 31. 21) Regem *Argonem*, eiuſq. Reginam *Anichobam* ſacris imbutã Chriſtianorum, vt filios iſta ad Chriſtum traduceret. Prima omnium reſpondit Helena Regina Seruiæ, quam vnà cum Stephano viro Rege Nicolaus in tutelam ſuſcepit; *ep.* 18. *l.* 4. Reliquis
Nicolai obitus. lentè agentibus; Nicolaus euolauit ad Superos, vt Chriſtianorum accuſaret inertiam.

6. *Per oculos animam efflaret.* Mœrore animi Nicolaus concepto, quòd malè ſibi omnia cederent; quodq. etiam pluſquàm Pontificem decebat, declinaſſet in partes (teſte *Platina*) Anno ſui Pontificatus quinto, moritur. Sepultus eſt in Patriarchio S. Mariæ Maioris, Epitaphio exciſo ſuper pauimẽtũ.

Hic tumulus tumulat humilem, qui faſcibus auctus
Sic moriens ſtatuit oſſa manere ſua.
Hunc Franciſcus alit, cardo ut ſit, almaq. Petri
Sedes magnificat, gratia dia beat.
Quartus Papa fuit Nicolaus, Virginis ædem
Hanc lapſam reficit, fitq. vetuſta noua
Petrus Apoſtolicus ſocium, Franciſcus alumnum
Protegat, omnipotens matre rogante, beet

Anno poſtea 1574. corpus eius repertum Sixtus V. cum eſſet Cardinalis Mauſolæo, donauit marmoreo cum inſcriptione ſequenti.

Nicolao IV. Aſculano Piceno Pontifici Maximo, cùm neglecto diè ſepulchro ferè latuiſſet, Fr. Felix Perettus Card. de Monte alto in Ordinẽ, & patriã pietate poſuit.

Nicolaus IV. Ordinem Minorum profeſſus, Philoſophus, et Theologus egregius, Conſtantinopolim à Gregorio X. miſſus, Græcos ad R.E. Communionem, Tartaros ad fidem reduxit, poſt S. Bonauenturam Generalis, ſanctitate, & doctrinâ Ordinem propagauit. Nicolai III. Nuntius inter Francorum, et Caſtella Reges pacem conciliauit. Sanctæ Pudentianæ Cardin. Legatus, Honorii IV. in Galliam Senatoriam P. R. dignitatem Sedi Apoſtolicæ reſtituit. Factus Pontifex Remp. ſublatis diſcordiis compoſuit, Chriſtianos Principes ſacro fœdere iunxit. Ptolemaidem copiis adiuuit, Flaminiam in Pontificis iterum ditionem redegit. Publicum in Montepeſulano Gymnaſium inſtituit. Probos, & eruditos in cognatorum loco tantum habuit: Lateranen. & hanc Baſilicam ſtructuris, et opibus auxit. Tandem iuſtitiâ, et religione orbem terræ moderatus magnâ ſanctitatis opinione. Obijt prid. No. April. 1292. Pont. ſui 5

Fabula eſt (teſte Krantzio *Metropol. l.* 9. *c.* 1.) quòd moriens exauctoratis omnibus Cardinalibus, fratres ſui Ordinis ſubſtituerit iureiurando, ne quem ſubrogarent in Pontificatum, niſi ex Ordine Fratrum Minorum, nec adoptari ſinerent inter Card. Calumnia in Nicolaũ IV.

SIGNVM NICOLAI IV. PAPÆ.

Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum.

Baſilicam S.M.M. cum reſtituiſſet Nicolaus, appoſitum eſt monumentum quatuor carminibus expolitum (teſte Pomp. Vgon. *de Station. Vrb.*) quæ vel temporum iniuriâ deperdita, oculis non dãtur legentiũ. Ædificia.

Quartus Papa fuit Nicolaus, Virginis ædem
Hanc lapſam reficit, fitq. vetuſta noua.
Pater Apoſtolicum ſeruet Franciſcus alumnum
Protegat Omnipotens, matre rogante beet.

Ornauit etiam abſidem Conſtantinianæ Baſilicæ, vt indicant carmina in eadem abſide.

In erectione templi Vrbeuetani primũ lapidem conſecrat, & proprijs manibus collocat. *ep.* 450. *l.* 4.

7. *Gradimontenſes* Religioſi cum à priſtino viuendi genere deflexiſſent, nequè monitore *Honorio IV.* ad regularem vitam redire curarent: ſeueriùs agente *Nicolao IV.* ad mores, & ritus rediere primæuos. *ep.* 131. Idem legitur de Cluniacenſibus *l.* 2. *ep.* 763. Regulares corrigit.

8. *Reges deuios.* Impudens *Ladislaus* Rex Vngarię, cum monitus ab *Honorio IV.* nihil de ſcelere remitteret; mandauit *Nicolaus* omnibus Germanię Ep. ſacrã armare militiam *l.* 1. *ep.* 106. Ladislaus verò ſemper peior iurato fœdere cum Tartaris, & Sarracenis, quorum mores imbiberat, *Andream* fratrem per ſicarios ſuſtulit, vt indè nullo timore peccaret. Non tamen impunè: nam à Cumanis, quos fidiſſimos habuerat, trucidatus, infamiâ abiuratę Religionis in Tartara abijt. *ep.* 114. *l.* 3. Hinc noua diſſidia inter Cæſarem, & Papam: Is quia Vngariam diceret ad Eccleſiam ſpectare Romanam iure clientelæ: ille *Albertum* filiũ Regem meditaretur Vngarię *ep.* 118. Reges.

In Luſitania Rex *Sanctius* cum moriturus mandaſſet filio Dionyſio, Eccleſiæ reſtituere immunitatem: Papam iſte rogauit diſſidia componere *l.* 1. *ep.* 15. quo interprete facile Præſules conuenere cùm Rege. In *Othonem* etiam Bauarum Salisburgenſi inſultantem Eccleſię *ep.* 532. *l.* 2. vt in Maynardum Tyroli Comitem, auidũ diripiendi Eccleſiã Tridẽtinã, Rudolphum ſollicitauit Imperatorem. *l.* 4. *ep.* 29. notauitq. anathemate, vt ad frugem cogeret meliorẽ. Legem etiam reſcidit Gallicam (*ep.* 127. *l.* 2) quâ cautum erat, ne Epiſcopi per procuratorem, ſed præſentes coram Rege iudicio diſceptarent.

H A Ve-


156
SEPVLCHRVM NICOLAI IV.
PONT. MAX.
IN BASILICA LIBERIANA.
NICOLAVS QVARTVS
PONT. OPT. MAX.
etc. pag. 262.

Veneti ære pro prio ſacram Inquiſitionem fouent.

A Venero obtinuit Senatu, vt Fidei cenſoribus ad plectendos hæreticos in terrà Venetorum decerneretur pecunia, eis ſubminiſtranda, quoties pro officii executione, eà indigerent; eà tamen conditione, vt in vtilitatem Reipublicæ bona deſcenderent damnatorum. *Andreas Dandulus Anno* 1289.

Scotia Angliæ fit vectigalis.

9. *Scotiam liberam* &c. defuncto Rege Scotiæ, Regnum cum affines ambirent vt litem amicè dirimerent, rem arbitrio commiſere Eduardi Anglorum Regis, vti Scotiæ ſupremi domini, eà conditione vt Reges Scotiæ ſtipendiarii eſſent Regis Anglorum. Fœdera hæc confirmari poſtulanti Eduardo, Nicolaus negauit, ne eccleſiæ iura in Scotiam labefactaret. *l.5. ep.*1. Cœpta tamen Anglus non abiecit (teſte *Vveſtmonaſterienſi*) nam Rege Scotiæ conſtituto *Ioanne Balliol*, facti ſunt Reges Scoti Angliæ vectigales.

Iudæos corrigit.

10. *Iudæos timidos* &c. Graſſabatur in Chriſtianos (Nicolao IV regnante) Iudæorum perfidia. Vveſaliæ *Vvernherum* puerum crudeliſſimis affectum ſuppliciis, eum corpus in cryptam proiceiſſent: noctu cœleſti luce locus, in quo iacebat, à præſidiariis militibus radiate viſus, ad ſacrum quæſitum pignus repertum excitauit. Hac de cauſa 40 Iudęi cæſis; eorumq. Rabinum per Rudolphum Imp. coniectum in vincula cum Iudæi lytro viginti marcharum millium coacti fuiſſent redimere, eò creuit audacia vt ad Nicolaum IV. contra Cæſarem appellarent. *Chron. Colmar.* Pariſiis etiam eum ſub vſuris Iudæus pecuniam credidiſset mulieri, pignore veſtis accepto; quam repetenti vt in die Paſchatis indui poſſet: reſpondit: Si mihi attuleris A hoſtiam conſecratam, veſtem ſine pecunia reſtituam. Mulier cupiditate deuicta accedit ad communionem, hoſtiam non degluttiens, Iudæo refert. Is in patellà reponens ſuper ignem, cum ſacramentum ſtaret illæſum arrepto gladio tranſfodit: & ecce ſanguis fluens aquam fecit purpuream. Inde hoſtia euolauit in aerem. Aduenientibus Chriſtianis pro ſolitis vſuris, ſacrilegium panditur. Iudæus capitur, & comburitur. Hoſtia à ſacerdotibus in Eccleſia reportatur; & domus Iudæi in eccleſia conuertitur, quæ *Saluatoris* dicitur *Delboglente*. S. Antoninus 3.*part. titul.*20. *cap.* 5. Ioann. Villanus *lib.7. cap.*4. Tantis motus Nicolaus IV. Iudaizantes, qui vel poſt conuerſionem, vel ex Chriſtianis nati, fidem negabant, pœnis caſtigauit condignis, vt in *epiſtol.* 194. *libr.* 2.

B

11. *Franciſco Duce* &c. Fratrum Pœnitentium Ordo, *Tertius* dictus, à D. Franciſco inſtitutus, & in dubium vocatus, diplomate eſt confirmatus à Nicolao IV. Anno D. 1290. *Rubeus in vità Nicol.* 4.

12. *Flaminiam perditam, & reſtitutam* ſub Nicolao IV., cenſuris defixo Guidone à Monte Feretro, qui in gratiam Gibellinorum, contra Guelphos adminiſtrationem ſuſceperat Piſanæ Reipublicæ, habes in *ep.* 105. *l.* 3.

13. *Ianum clauſum* à Nicolao IV. ideſt initam pacem, vel inducias inter Gallos, & Hiſpanos: vt ex *epitaphio*.

14. *Gymnaſium* apertum à Nicolao IV. in Monte Peſſulano cum iure laureandi, quod adhuc floret, habes. *epiſtol.* 564. *libr.* 2. & *Vvadingum*.

Anni Sal. Cę 1294.1. Rigidà morum cenſurà, et quaſi ferulà
Nunquàm impunè delinquere patiebantur.
Eã curã in eius educatione impẽditReginaCęli
Vt nè in puerilibus ludis à Chriſto diuerteret
Viſa ſit ipſa,& Ioãnes ludere cũ pueruloPetro.
Zelotypa alumni ſui
Nec ægrotantem à medico viſitari permiſit:
Voluit ipſa [4] curare, & recreare lippientem.
In hoc cõtubernio educatus homines deſeruit
Vno tantùm eiuſdẽ propoſiti comitãte ſocio,
Cui tamen conſtantia defuit (Superi
In [5]eremũ pergenti ſibillarunt Inferi, plauſere
Exultãt uictores captà prędà,quãdo diuidũt ſpolia
Specus [6]tricubitale elegit in cellulam,
In quo cum ſtare nec rectus poſset, (Petrũ B
Viſus eſt ſe curuare Deus, vt ingrederetur ad
O quàm Deo propior, & proprior caula,quã aula.
Campana [7] cum in deſerto deeſset,
Suà cũ Angeli excitabãt ad pſalmos nocturnos,
Cum quo canebant.
Quaſi choraſta homo eſset Angelorum.
Luctauit[8]ſępè cũDęmone,ſed nũquàm timuit
Niſi cum laruà carnis canis ille cõgrederetur,
Sacris initiatus[9]cogenteDeo,cõſulentePõtifice,
Ad montem Muronis redijt
Cui veniẽti cauernãDraco in arã ceſſit,ſeceſſit. C
Vt ferè religio feris ipſis non diſpliceat.
Nocturnà [10] pollutione corruptus
Quem conſuleret in ſyluis non habens
Cum adcò placeret Deo Cœleſtini hoſtia,
Ipſe deſcendit,vt expiaret,et pacaret innocẽtẽ.
Tubà ſanctitatis ad ſe euocatã populorũ turbà
Mogellanà [11] in eremo Eccleſiam extruxit,
Quã ſacrarũt [12] Angeli ſpetie canẽtes humanà
Macerrima diuerſatus humo, ferreo lãcinatus
Sanguineo rigatus imbre (raſtro D
Virebat amęniùs, quo diutiùs excolebatur.
Neruos,toroſq.ferreis ſibi conſtringẽs funibus,
Ambiebat purpuram ſed ſuo ſanguine tinctã.
Mogellanas per ſolitudines diù ieiunum,
Acerbiſſimam famẽ acerbioribus ſolatũ cepis
Coactus eſt Deus monere pœnitentem,
Ne tam acriter [13] oneraret aſellum.
Nec[14] Anachoretæ ieiunio tã rigido Petrũ æquauit
Se refecturus, rigidiori ięiunio confectus,
Ita exardens, & exauſtus:
Vt inſanire cum diceres in pœnitentia.
Quid amor? niſi feruor. Quid feruor? niſi furor.
At nemo ſanior hoc inſano.
Fęlices omnes, qui inſaniere cum Petro.
In ſyluarũ Pharmacopæà nouo inuẽto collyrio
Solo [15] orationis verbo ægris ſanitatẽ reſtituit.
Impletus tunc noui Cois aphoriſmus

A In herbis,verbis,lapidibus medelam cõſiſtere. Anni Sal. Cę 1294.1.
Addidit puluerem ſympatheticum,
Quo vel inuiſa vulnera ſanabat ægroti.
Panis [16] is ab eo benedictus, quo ſolo
Surdos fecit audire, & mutos loqui.
Tanta volens latere miracula,
Exlingui [17] linguam creauit.
Ne ſi ſine linguà loqueretur,
Perenni miraculo miracula panderet. (fuit
Deus qui in ſignũ Omnipotẽtię tria ſibi reſerua
Creare, Præuidere, Conſcientijs hominũ dominari,
Hæc Murono communia voluit.
Vt Deum ſine iniurià dicere eum poſses,
Niſi à Deo eſset.
Vinũ,oleũ cũ ab eo multiplicari fama nũtiaret:
Etiam corui [18] aduolarunt obſequentes.
Huic enim miraculo homines credunt, & bruta.
A Gregorio X.Pontifice Maximo cũ rediret,
A quo cõfirmationẽ [19] obtinuerat illius Ordinis
(Quem vix Sancti ſuſtinent tolerare)
In itinere à latronibus [20] circumſeſsus,
Angelum habuit cum ſerpentibus auxiliarem.
Ceſſit tunc beneficium in maleficium.
Angeli forſan mali mœrere voluere de Sancto.
Liberè tandẽ dũ vagaretur per raſtra,per aſtra,
Ad Vrbem rapitur recturus Orbem.
Nõ aliter cõponi poterant Patres [21] biẽnio diuiſi
Centonem itaq.corpore exuens,animo tenuit.
Mendax fabula eſt
Arbores hominis cantu in Thraciã traductas:
Certè nũc quercus immotę Petrum ſequuntur.
Vt in ipſo aulæ ſtrepitu
Animo ſimul recurrant amica ſilentia:
Et adſtrepentibus auibus admurmurent vndę
Ceu ad reditum prouocent.
Aquilam venit eo triũpho,quo Deus Hieruſalẽ
Non ſuper equum, ſed ſuper [22] aſinam.
Non aliter incedere poteſt Princeps pacis.
Supra ducenta [23] millia hominum 1294.1.
Eius coronationi interfuere
Vltra Angelos, qui ei ſemper adſtabant.
Adfuere Neapolitani Reges;
Sed hi magis fuere oneris, quàm honoris.
Adfuiſſe etiam Deum miracula volunt,
Quæ Cœleſtino adhærent vt fumus igni.
In Pontificatu cum homines, Deos crederet,
Multa omiſit, plura commiſit,
Quæ Romanam penè perdidere maieſtatem:
Si homines Angeli eſſent, non opus foret Rectore.
Surrepentibus vitijs datæ, non natæ ſunt leges.
Quas hominum inuenit ſagacitas, non ſapientia.
Optimus Pontifex Cæleſtinus fuiſset
Antequàm natura ſeneſceret.

Sed

Anni Sal. Ch. 1294.

Sed quia potentior, qui peior;
Simplex virtus in ſcientiam tranſijt obſcuram.
Docemur nunc diſputare, non viuere.
Nondùm in tantum nequitia ſurrexerat.
Poterãt ſimplicibus uitijs obſtare remedia ſimplicia
Poſtquàm verò prodiere docti, deſiere boni.
Non ſat rectorem ignorantiâ rerum eſſe innocẽtem
Multum intereſt,
Vtrum peccare aliquis nolit, an neſciat.
Solio inſidebat Cęleſtinus aureo,
Sed rupibus hærebat, & antris:
Vt penè ſine cuſtode diriperetur Petri nauicula.
Ligneâ inclusus camerulâ,
Non aduertebat populum aulam populari,
Dum ipſe diuerſaretur cum Deo.
Excuſabilis fortã etiã cũ fures exaudiret petẽtes:
Chriſtus ipſe Cęlum latroni non negauit roganti.
Quinque menſes tenuit Pontificatum
Ad cathedram ligneam Pontifices reuocaſſet,
Si vltra tenuiſſet.
Põtificẽ credulũ perdidere Cardinales[a4] callidi
Iniecto culpæ timore,
Ni infulis abdicatis, rediret in ſyluulas.

A Doloſo cõſilio innocẽter ſubſcripſit vir cęleſtis
Quaſi gauderet peccaſſe.
Vt preſſum Mundi mole caput
Erigeret ad aſtra iterum;
E ſolitario Pontifex: e Pontifice ſolitarius.
Satiùs ei orbem ferreum corpore,
Quàm Orbem terræ geſtare manu.
Moderator ventorum cum eſſe poſſet, noluit.
Exoſus etiam in lino tumorem.
In vrbe Aquilæ primò Cœleſtinus dictus,
Suo, vel vrbis nomine, expreſſit volatũ mentis
B Non tamen Aquilæ more ſecutus prædam,
Oblatam reſpuit.
In ipſa abdicatione[a5] claudo curſum reſtituit;
Adeò tota actio ſpectabat ad fugam.
Aurea ſolutus compede, ferrea illigatur
Et iubente Bonifacio VIII. cuſtodiæ traditur.
Sed claudi nequiens, cui Cœlum patebat,
Per ipſas excubias breui euolauit ad ſydera.
Vbi in illâ Sanctorum turbâ,
Quàm dinumerare nemo poteſt;
Vnus, & ſolus de abdicato Pontificatu triumphat.

ADNOTATIONES IN COELESTINO V. PONT. ROM. CLXXXXII.

S. Cœleſtini V. natalia.

1 COEleſtinus antea *Petrus* filius *Angelerij* de *Morone*, & *Maria* humili quidem genere, ſed pietate conſpicuus, in oppido *Marſari*, Eſerniæ in Samnitibus, vt vulgò dicitur *Campania*. Auctores ſunt, qui eum ex obſcuri nominis vico agri Sulmonenſis in Pelignis natum ſcribunt. Sed *Petrum* placeat audire *de Aliaco Cardinalem Cameracenſem*, ex iis, quæ ipſe Cœleſtinus ſcripſit, & apud *Surium*.

Prologus Petri Aliacenſis.

Aliacenſis ſcripſit vitã Cœleſtini.

Charitatiuis quorumdam venerabilium Patrum veſtri ſacri ordinis, fratres chariſſimi, precibus inclinatus, timens licet ac trepidus, ſcribere præſumo: quis de quo? ſanè Petrus de Petro, Epiſcopus de Epiſcopo, ſed paruus de maximo, infimus de ſummo, ſceleſtus quoq., ac peccator indigniſſimus, de cœleſti, ac digniſſimo veſtri S. gregis paſtore primo, atq. præcipuo, immò totius olim Chriſtiana Eccleſia ſanctiſſimo præſule Cœleſtino. Cuius vitam, geſtaq. mirifica vniuerſum iam per orbem radiantia, dum literis commendare, verbiſq. meis pollutis potiùs, quàm politis laudibus illuſtrare geſtio, rem vtiq. meis viribus, meis quoque imparem meritis aggredior: vereorquè nè pondere laudis, quam meruit, obrutus, magis imbecillitatem ingenij mei, & eloquij ruditatem detegam, quàm virtutes ſuas, ſicut æquum eſt, repræſentem. Sed de ſuperno confiſus auxilio, ſanctique huius ac orationum veſtrarum ſuffragio, hiſtoriam ordior.

Educatio Cœleſtini.

Fuit itaquè vir eximiâ virtute laudabilis, re ac nomine Petrus, in petrâ, quæ Chriſtus eſt, firmiter ſtabilitus. Qui à puerilibus initijs per incrementa uirtutum proficiens, uſquè in uirum perfectum meruit peruenire. Abrutij in partibus Apuliæ natus, ſpiritu quàm carne nobilior, ex parentibus mundanâ generoſitate humilibus, ſed Chriſtianâ virtute nobilibus ortus eſt. Fuerunt autem patri eius, *Angelerio* nomine, ex *Mariâ* vxore ſuâ, inſtar Patriarchæ Iacob, filij duodecim. Vacabant deuoti parentes, quantum eis facultas erat, hoſpitalitati pauperum, & eleemoſinarum largitioni, alij quoq. pijs operibus: & Deo, vt de datâ ſibi ab eo prole vnum aliquem deligeret ſuis ſeruitijs ſpecialiùs mancipandum, aſſiduis ſuſpirijs, & indefeſſis orationibus poſtulabant. Hac ſua ſpe fruſtrati nõ ſunt: quia non deſerit Deus ſperantes in ſe. Hunc nempè ex duodecim fratribus, velut alterum Ioſeph à Deo ſingulariter dilectum, Diuina Prouidentia, ſapienter cuncta prouidens, multis indicijs, ac ſignis mirabilibus declarauit. Nam in natiuitate ſuâ matri eius, D dum puer egrederetur ex vtero, quaſi quadam Religioſâ veſte indutus aparuit. Cumq. vix ſextum attigiſſet annum, tanta mirabilis in eo diuina gratia relucebat, vt nihil ſanctum, ac religioſum auditu perciperet, quòd in corde reconditum non ſeruaret. Vndè, & de cordis ſui theſauro bona proferens, matri ſuæ ſæpè dicere ſolitus erat: *Volo eſſe bonus ſeruus Dei.*

Veſte indutus naſcitur Religioſâ.

De Scholâ eius, & diabolicâ in eum inuidiâ.

Ei Satan inſultat.

3. *Satan &c.* Iam verò defuncto patre ſuo in ſenectute bonâ, relictâ vxore cum ſeptem filijs, (tunc enim alii obierant) beata mater, & verè tali prole beata, filium tradere ſtudio literarum decreuit. In eâ autem nocte, quâ priori die puer legere cœpit, defunctus pater cuidam commatri ſuæ in ſom-

Inſidiæ dęmonis in Cœleſtinum.

ſomnis apparuit, dicens ei: *Conſtituit vxor mea filium noſtrum Petrum liberalibus tradere ſtudijs, O quàm bene mihi, ſibiq. ac multis aliis. Dic ergo ei, vt ſi vnquàm me verè dilexit, nunc in hoc oſtendat, quòd conſtanter perficiat, quod incæpit.* Nec hoc abſq. Dei prouiſione ſactum credendum eſt. Nam humani generis inimicus, fęlicibus pueri ſucceſſibus inuidens, ſanctum matris propoſitum impugnare ſatagebat. Tentabat in primis puerum, ne ſtudio animum daret. Tentabat etiam de inuidià fratres eius, ſicut olim fratres Ioſeph, improperabantquè matri, quòd ipſis laborantibus, ille ocio vacaret, & quieti. Tentabat rurſùs quendam illius terræ diuitem, qui puero blandiens dicebat, quòd ſuorum omnium eum hæredem conſtitueret, vt ſic per ſæcularia deſideria animum ab amore Religionis obduceret. Tentabat deniq. matrem eius per quendam diuinum, ſeu veriùs diabolicum virum, qui ſuadebat ei hunc à ſtudio tollere, & alium minorem filium literis inſtruere, *quia hic citò moriturus eſſet, nec fieret, vt ipſa ſperauerat, ſeruus Dei.*

De Chriſti Magiſterio erga Cœleſtinum.

Chriſtus magiſter Cœleſtini.

3. *Chriſtus* &c. Fidelis autem Deus (ita proſequitur Cardin. Aliacenſis) *qui neminem vltrà vires* tentari permitit, poſt tentationes Diabolicas, diuinas etiam conſolationes adhibuit, ſicut ſcriptura promittit, *cum tentatione prouentum.* Erat puer iſte ſimpliciſſimus adhuc, & breui Pſalterium didicerat legere. Cum Virginem, & Ioannem Euangeliſtam ſtantes iuxta crucem ſæpè videret; viſi ſunt ad ipſum deſcendere Angeli de Cœlo velut pædagogi eum inſtruendo, & ſi quid fortè puerili more cum ſuis coætaneis minùs decens aut dicere, aut facere à Diabolo tentatus fuiſſet, ſuaui cum increpatione, piaq. caſtigatione corriperent. Vidit prętereà mater eius, quòd puer iſte cuſtos erat multarum, ſicut nix, candidarum ouium: quòd ipſa nimis literaliter intelligens, non paruæ turbationis ſibi primitùs cauſa fuit: Sed poſtea turbatio hæc in admirationem, & admiratio in conſolationem verſa eſt. Nam filius, cum vix eſſet duodecim annorum, iam quaſi prophetico ſpiritu ſomnium ſpiritualiter exponens, ſe multarum bonarum animarum futurum paſtorem eſſe prædixit.

De Miraculis in matre, & filiis diuinitùs exhibitis.

Curatur à B. Virgine.

4. *Oculo curare* &c. Nec ſunt ſilenda (ita *Aliacenſis*) miracula, quæ ad conſolationem matris, & filii Dominus facere dignatus eſt: fuerat mater triginta annorum ſpatio, & ampliùs iam graui infirmitate detenta, quod dexteri lateris debitum vigorem, vſumquè perdiderat. Ipſa vt Deo deuota, & fide plena, ad locum quendam ſanctum peregrè proficiſcitur, & vnà nocte priori ſanitati reſtituta curatur. Hic quoq. filius eius dum adhuc trium annorum puer eſſet, ligno acuto in dextero oculo percuſſus, excæcatur. Deſperantibus medicis de naturali curà, non deſperabat mater de ſpirituali medicinà, ad Eccleſiam B. Virginis puerum deferēs ibi vnà nocte vigilat, & orat: & dum maternus oculus inter deuota precum ſuffragia lachrymatum, oculus filij ipſo mane ſanus, & abſquè maculà reſtauratur. Quid plura? Alius etiam filius iam adultus, dum meſſem componeret, ariſta frumenti eius oculo inherente, multis diebus huc, illuc diſcurrens, quærenſq; auxilium, & non inueniens, die noctuq. clamitabat. Cui mater compatiens, ad priorem medicinam conuerſa, & vt huic filio ſicut, & alteri, medelam adhibeat, humiliter deprecatur. Et eccè adueniente diei luce, minor filius in fratris oculum reſpicit, & ariſtam, quæ erat in oculi medio, ſine vllo medicamine, ſolis eam appræhendens digitis foras mittit, ſanitatemq. reſtituit. Rurſùs deuota mater, quodam magnæ ſamis tempore, deficiente pane, cum pro ſuà ſuorumq. ſuſtentandà uità nullum humanum ſupereſſet remedium, ad diuinum, & iam in ſe ac ſuis filiis expertum, refugit ſubſidium. Manè autem imperat filio, ut falcem tollat, & in agrum uadat: Recuſabat ille dicens: Ad quid uadam? Meſſis quidem adhuc viret: nihil proficiam. Nondum enim tempus erat Meſſis. Agrum tamen ingreditur, matri obediens in cuius medio tanta Meſſis alba, & matura, quanta eis erat neceſſaria, inuenitur. Nec prætereundum arbitror aliud memorabile, quod eidem mulierculę contigit, miraculum. Cum enim eſſet ad Dei ſanctos deuotiſſima, & eorum feſtiuitates magno cum honore coleret, in feſto decollationis B. Ioannis Baptiſtæ, quia ſequenti die panem facere opus erat, ſerò fermentum diſponere volens, cępit cum timore aquam in farinam mittere. Et ecce tota farinæ maſſa ſubito viſa eſt vermibus ſcatere. Tunc illa tremens, & in terram cadens, à Deo veniam precatur, & ſtatim farinam in ſtatum priſtinum reuertitur.

De S. Cœleſtini ſeceſſu in Eremum.

5. *In Eremum &c.* Peractis pluribus Annis, deinceps ad prouectioris ætatis geſta progredimur. Puer ſanctus factus adoleſcens, adeò Eremiticę vitę, & ſolitudinis feruebat amore, vt cordi eius illud propheticum crederetur inſcriptum. *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine*; & rurſus. *Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Sed quia eo tempore nullus erat in patrià ſeruus Dei, quem conſuleret, vltra viceſimum ſuæ ætatis annum æſtuanti deſiderio ſuo ſatisſacere diſtulit. Tandem cuidam ſocio ſuo cordis aperto ſecreto. *Quid* (inquit) *facimus. Exeamus de patrià relictis parentibus rebuſq. omnibus nudi nudum ſequamur Chriſtum, ſolitudinem adeamus. Verum vt nihil temerè aggrediamur, ſedem Apoſtolicam conſulamus.* His acquieuit ille, & cęperunt pariter ambulare. Sed expleto vnius diei itinere; ſocius propoſiti pœnitens ad patriam reuerti perſuaſit. Non enim tractus erat ab eo, de quo veritas ait: *nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Sed noſter Petrus ſocio reſpondit inconſtanti. *Confido in Domino, quia ſi tu me dimittis, ipſe me non dimittet, qui ſperantes in ſe non deſerit.* Solus ergo, & humano deſtiturus conſorte iter aggreditur: in quo poſt multos labores, terroreſquè, pericula, vnum ei contigit. Erat in monte eremita, ad quem dum lætus accedere diſponit, eò maximè, quòd is Romam ſe iturum diceret; antequàm eremeticam cellam intraret, ſpiritus Domini illum prohibuit, eiq. illius hipocritæ vitam inhoneſtam oſtendit. In eo-

dem

dem verò locn alterà die dum ſanctus adoleſcens, A abſente ęremita, cellam eius intraſſet, & per noctem in oratione vigilaſſet, aggrauatos ſomno, in terram cadens obdormiuit: Et ecce turba Angelorum, & ſanctorum ipſi adeſſe videbatur, quorum in ore roſæ rubeæ, cœleſtes moduli, ſuaueſquè cantus, reſonabant. Mira res: ſed quæ ſequitur, mirabilior. Hoſce cantus etiam poſtquàm à ſomno excitatus, audiuit, adeoquè ſecurus factus eſt, vt ſpirituali gaudio ſatiatus, duobus tantùm ſuſtentatus panibus duobuſquè piſcibus, quos ſecum detulerat, ſolus ibidem decem diebus permaneret. Inde

Solitudo Cœleſtini.

6. *Specus &c.* Vicinum pergens in montem, in quo erat Saxum magnum, ſub eo fodit paruam, in quà tegeretur, foueam, quæ vix ad ipſum erigendum, & extendendum poterat ſufficere: ibiq. trium annorum ſpatiū in magnà vitæ auſteritate peregit. Hoc ergo in loco, inter moltas Diuinæ bonitatis B conſolationes, vix crederes quantas in ſuæ conuerſionis principio vigilando, & dormiendo diabolicas tentationes inuictus miles pertulerit, & quàm patienter velut alter Iob, ſicut bona de mano Domini, ita & mala ſuſcipiens, cum Diuini nominis benedictione diuerſa, & aduerſa mundi, carnis, & dæmonis prælia ſuperarit.

7. *Campana &c.* Degebat in eremo Cœleſtinus, pſallens in Oratorio cū vicinis habitatoribus, qui eò conuenerant. Cum eccè ſuperueniunt quatuor viri de alià patrià, in quorum aduentu tàm vehemens in eo ſpiritus charitatis exarſit, ut ægrè ſe poſſet continere. Vndè uelociter excluſis à ſe prioribus conuicinis, & illis qui ſuperuenerant, receptis, cum fratribus ad reddendum Deo laudes Oratorium pariter intrauerunt. Et dicentes Officium, ecce ſobitò audire cæperunt ſonum magnarum ſuauiter re- C ſonantium campanarum. Vndè attoniti mirabantur. Erat enim locus ille ab omni hominum habitatione tam remotus, ut nullus indè campanæ ſonus poſſet audiri. Exeuntes autem ab Oratorio, eleuatis oculis in cœlum, tantà nouitate permoti, deuotas præ gaudio lachrymas fundunt. Quid plura? Poſt habita cum viro Sancto ſalutaris eruditionis colloquia, diſperſis, & datis pauperibus, bonis ſuis, Chriſtum pauperes ſecuturi, ſacræ religionis habitum ſuſcipiunt. Sed nec illud eſt ſilentio tranſeundum, quòd huiuſmodi campanarum ſonus non ſemel ſed ſępenumero nocte dieqoè, horis præcipuè diuini officii, auditus eſt ab illis fratri- D bus, immò vrbibos nicinis. Nec æqualis ſemper. Sed in maioribus Feſtiuitatibus maior audiebatur pulſatio. In ipsà quoquè Dominici corporis eleuatione maior campana, & quæ dulciùs cęteris reſonabat. Et com tantus eſſet ille ſonus, ut uix poſſet ſine læſione tolerari: tamen quanto quis aures ei accommodabat attentiùs, tanto remiſſiùs audiebat. Vndè ſatis agnoſcere poſſumus ſonum illum non phantaſticum fuiſſe, ſed diuinò formatum miraculo. Quod etiam ex hoe euidenter cognoſcimus, quòd per hunc ſonum conſtat aliquos a duplici, mentis ſcilicet, & corporis infirmitate fuiſſe ſanatos, & ab infeſtatione Diabolicà liberatos.

De cantibus cœleſtium Spirituum, & miraculosà Oratorii Dedicatione.

Campanarum ſono narrato cœleſtium ſpirituum voces ſilere non debemus. Audiebantur enim ibi ſepiùs ſoauiſſimi cantus quandoquè in cellà vnà, quandoquè in Oratorio fratrum, quandoquè ipſis pauſantibus, quaſi eis ſerentes auxilium, fortiùs reſonabant. Vidit verò, & audiuit vir ſanctus multa ſecreta cęleſtia, quæ ſingulatim exprimere longum eſſet. Sed vnum inter cætera, iure ſubticeri non poteſt. Cum enim ille quandoquè in aurorà diei ſolitarius ſederet in Cellà, & è feneſtrà in libro ſuo legeret, eccè ſubitò apparuerunt extrà cellam complores ſpiritus glorioſi, qui euntes per circuitum loci, Dedicationis Officium decantabant, Quo finito, eorum viſio ſtatim euanuit. Poſteà tamen cuidam fratrum vir quidam ſplendidus apparuit, dicens; *Scias, quia hoc Oratorium à Deo ædificatum eſt. Eccè ſignum. Hoc manè, cum ſacratum locum intraueris; lampas, huc atquè illuc oleo plena mouebitur.* Quod & factum eſt, *videntibus, & admirantibus fratribus vniuerſis l.1. c.14.*

8. *Luctauit ſæpè cum Dęmone* &c. Hunc locum Deo dilectum, & electum Dęmon vt inſiliret, & inſultaret, turbas immiſit immundorum ſpirituum, rugientium, & volentium, ſed non valentium introire. Cumquè fratres interiùs lædere Dęmon nequiret, tentauit exteriùs lędere in corpore noctu. Vnus illorum euerſis manuum digitis, earum vſum perdidiſſe credebatur. Clamabat ille, & cum illo cæteri: nec in cellà ſecuritas, vel in Eccleſià quià vbiquè teterrima occurrebant Dęmonia. Sed vir ſanctus in cellà orans, miſit ad eos dicens, quòd in diuino perſeuerarent officio, nec diabolicæ fraudi ſuccumberent, ſed reſiſterent fortes in fide. Mane facto omnia euanuerunt phantaſmata. Sic diſpenſante Deo, ac Paulo exclamante. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi Angelus Satana, qui me colaphizet. l.1. c.15.* Tribus Annis in hac ſolitudine cum latitaſſet, ſuadentibus eis qui eius nouerant ſanctitatem, Romam venit, vt

Luctat cū Dæmone.

9. *Sacris* initiaretur. Sacerdos factus in Montem Muronis ſeceſſit, ibi quandam cryptam inueniens, in eà habitare complacuit. Cuius ſancti hoſpitis virtus ſigno mirabili declaratur. Nam cum primò locum intrauit; eccè ſubitò coràm eo magnus Serpens egreditur: qui virtutis eius non ferens præſentiam, ab eo loco diſceſſit. Ibi vir ſanctus per quinqoennium manens, ab eo, cuius omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, plurima recepit munera gratiarum: & tamen ſe magis Deo humilians, & indignum peccatorem exiſtimans, aliquandò cogitauit relinquere Miſſæ officium, tractare formidans tanti myſterii ſacramentum, exemplo ſummi Eremitæ, quo inter natos mulierum non ſurrexit maior: exemplo Pauli, Antonii, Benedicti, aliorumq; Sanctorum, quibus amica fuit eremi ſolitudo. Itaquè hæc ſecum cogitans, vt ſalubre poſſet ſuper his accipere conſilium, Sedem Apoſtolicam adire diſpoſuit. Sed ecce noctu venit ad eum Abbas nuper defunctus, qui primò illi religionis habitum contulerat. Quem ille per Deum adiurās, quid ſibi agendum ſit? humiliter poſtulat. Ipſe verò ei Miſſam cum timore, & tremore dicere perſuaſit, & ita diſparuit. Eodem die quidam Sanctus monachus cui confiteri conſueue-

Sacris initiatur.

Humilis, & deuotus.

uerat, cum ad ſacri myſterij celebrandi traxit fiduciam. Heù bone Ieſu, heù cum quantà cordis amaritudine, & frontis erubeſcentià hæc meritò audituri ſunt, qui magnis adhuc vitijs obuoluti, tantum Sacramentum intrepidè miniſtrare præſumunt.

Nocturna pollutio an S Communionem impediat.

10. *Nocturnà pollutione*, ſi corpus eius maculari contingeret, licèt ei mundiſſimus animus tali immunditiæ reſiſtere niteretur: Cum à religioſis fratribus conſilium quæreret, ſi eodem die celebrandum eſſet; nec eſſet vna omnium ſententia. *Eccè in ſomnijs aſſiſtere ei viſus eſt Chriſtus, difficultatem parabolà ſoluens, Quid ſi aſinus tuus, ideſt irrationale corpus prò innatà conſuetudine ſuam faceret immunditiã, non propter hoc rector ideſt rationalis animus à conſenſu immunda carnis alienus deberet ab aſcenſu cæleſtiũ, vel ab exercitio ſpiritualium myſteriorum torperet?* Quà viſione conſolatus intellexit, ob carnis pollutionem, B non oportere à diuini Sacramenti communione ceſſare. Quadruplici namquè ex causà oritur nocturna pollutio. 1. *Ex crapula*: 2. *prauià cogitatione peccati*: 3. *ſuperfluitate, vel debilitate natura*: 4. *illuſione diabolicà*. Iſtarum nulla videtur eſſe peccatum, quia in ſomniis catenatur vſus rationis: peccatum autem debet eſse voluntarium. Cum tamen pollutio poſſit eſse effectus conſequens ad peccatum; ideò ſummoperè aduertendum, ſi in cauſà pollutionis inueniri poſſit aliquod præcedere mortale, vel veniale peccatum. Si ex mortali peccato ortum habet pollutio; tunc à communione eſt de neceſſitate abſtinendum. Si ortum habet à veniali; tunc de honeſtate abſtinendum. Si verò ex diabolicà illuſione, vel ex naturali debilitate aut ſuperfluitate procedit, animo non conſentiente ſed reclamante: tunc C in arbitrio eſt, communicare, vel abſtinere: ſecuriùs tamen aget, ſi abſtineat: difficile namq. diſcernere, vndè procedat pollutio. Speciale tamen in ſanctè ac religioſè viuentibus, vt Diabolus ad impediendum Euchariſtiæ fructum, eos frequenter tentare ſoleat.

Secedit in ſolitudinẽ.

11. *Mogellanà in Eremo* &c. Peracto Cœleſtinus in monte Muronis quinquennio, quia adiacentes ſyluæ cęperant ab hominibus frequentari, ſolitudinem cupiens, ab eo loco ad montem Magellæ ſe tranſtulit, & ibi ſub quadam cryptà habitare decreuit. Diſcedentibus autem ab eo duobus ſocijs, qui cum illo venerant, ipſe nihilominùs ſolus remanſit. Sed paucos rediere poſt dies. His ergo tribus fratribus in S. Trinitatis nomine congregatis, non loci amænitas, ſed animi charitas, habitationem illam deſertam fecit eſſe iucundam. Memoratam ſiquidem cryptam montis illius hiſpidi penitùs, & prærupti, ſed vndè planum iter eis eſset ad ſupernam patriam, non faſtuoſo murorum ambitu, ſed humili clauſurà, de faſciculis ex frutetis ſpiniſq. compoſità, vallauerunt, & in eà pauperrimum ac modicum ſibi fecerunt habitaculum, vt ex eo tandem ampliſſimum cœli palatium diuites ingredi mererentur.

Cellę incẽdium ex c. 11.

Sed diabolus nouam eis tentationem ſuſcitauit menſe Iunio: dum terram illam feruida torruit ęſtas eccè nocte, viſum eſt viro Dei, totam cellam igne ſuccendi. Hinc fratres euocans: *Surgite* (inquit) *ve-* A *lociter, & omnia foras proijcite*. Corde tamen ſuo locũ illum nullius aduerſitatis occaſione relinquere, etiamſi corpus eius ignibus adureretur, decreuerat. O magnum virtutis opus. Statim vt ignis charitatis in cordis eius ſecretò aſsenſus exarſit; alius ignis ab exteriori habitaculo, quaſi ſomnium fuiſset, euanuit. Licet autem plures ex deuotis amicis eius, causà ſpiritualis conſolationis eum quandoq. viſitantes, habitationem illam, tanquàm eis grauem diſsuaderent, ille tamen reſpondebat: *O chariſſimi, ad hunc locum libenter, & faciliter venietis, cùm veniendi voluntas ex magno deuotionis feruore proceſſerit*. Quod verbum, quaſi à Spiritu ſancto dictum, impletum eſt. Nam citò poſt multos ex ijs, tantus accedit ardor, vt certatim ad illam ſolitudinẽ properarent, & mundum relicturi, venirent. Quos cum ſuſcipere tenueret dicens, ſe ad aliorum regimen, minùs peritum, tamen charitate victus, aliquandò aſsenſum præbuit, & quoſdam ad conſortium Eremiticæ, ac monaſticæ vitæ recepit.

Per Columbã adeò certior fit.

12. *Conſecrarant Angeli* &c. Multis ac mirabilibus ſignis declaraturus Deus, locum illum, vt ſpeciale habitaculum ſibi elegiſse; columbam immiſit, quæ ſemper ibi cibum capere videbatur, ubi poſtea altare Oratorij poſitum fuit, adeò fratribus domeſtica, ac ſi ab eis fuiſset enutrita. Et ut hæc apparitio non ſophiſtica crederetur (operante ſpiritum ueritatis, qui ſupra Chriſtum in columbæ ſpecie apparuit) trium annorum ſpatio, in S. Trinitatis nomine ſub eà, quà dictum eſt, domeſticà conſuetudine permanſit. Eius porrò geſta proſequens Aliacenſis, ab oratione exorditur, cuius tam feruens, & frequens deuotio, vt eam magis mirari liceat, quàm referre?

Aſſiduitas præcũ eius.

Vacabat nocte dieq. deuotis orationibus, & licet terram corpore, cœlum tamen mente habitans iam quaſi diuinis frui videbatur colloquijs, legebat Pſalmos pęnitentiales cum Litanijs, & ſuffragijs quàm plurimis, nec deerant oris vocibus cordis gemitus, & abundantes fluuij lacrymarum. In aurorà verò Miſſam tam deuotè celebrabat, vt etiam mentes adſtantium quodam ardore charitatis accenderet.

Miſſam deuotiſſimè celebrat.

Quà finita iterùm, vt priùs ad pſalmodiam recurrebat. Deinde ſingulis horis Deo debitum perſoluens officium, non ſolùm ſeptiès in die, ſed continuè diuinis laudibus cum lachrymis, & genuflexionibus inſiſtebat. Si quid verò temporis ſupereſset, quo ab oratione ceſsaret, non illud dabat quieti, ſed neceſſitati naturæ, aut vtili exercitio. Scribebat libros, & compingebat, veſtes ſuebat ſuas, aut fratrum D ſuorum, vt malorum diabolus, in bonorum operum labore ſemper inueniret occupatum.

Carnib. nunquã veſcitur ex lib. 2. c. 2.

13. *Ne tam acriter oneraret aſellum* &c. Volens Cœleſtinus liberiùs contemplationi vacare corpus ſuum velut hoſtem domeſticum totis viribus domare ſtudens, nec ſanus, nec infirmus carnibus veſcebatur. Vinum quoq. rariſſimè bibebat, ſic tamen aquà mixtum, vt videretur vini ſpeciem perdidiſſe. Semper etiam exceptis Dominicis diebus, ieiunabat, nec ea, quæ guſtui ſaperent, ſed quæ uix debilitatem corporis eus ſuſtentarent, aſsumebat in cibum. Sextà ferià arctiori ieiunio, in pane, aquà, carnem affligebat, animam Sacræ ſcripturæ lectio-

ne iugiter reficiens, iuxta illud *Non ex ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo, quòd procedit de ore Dei.* Nec his contentus, quatuor quadrageſimas annis ſingulis obſeruabat, in quibus vno tantum inſipido ferculo vtebatur. Et in tribus earum in pane, & aquà ieiunans, quandoq. ſolis ſolijs caulium abſq. pane, quandoq. ſolis crudis fructibus veſcebatur: Nec enumerari facilè aut narrari poteſt, quantà auſteritate die noctuq. maioribus ſe abſtinentiæ frenis conſtrinxerit, quibus humanam fragilitatem quaſi inhumaniter affligebat, itá vt inſectari mortem videretur. Vnum ab eo geſtum traditur, quòd plurimis fortaſſe, vt de Origene ait Euſebius, minùs perfecti ſenſus eſſe videbitur, ſed perfectæ fidei indicium continens. Quodam Quadrageſimæ tempore, quaſi fortiora tormentorum genera excogitans, vt ieiunium auſteriùs adimpleret, in foueam quandam deſcendens, ſolùm panes decem, & octo cepas pro ſuſtentatione intulit. Et eccè cum ibi imbrium nimia inualuiſſet aſperitas veſtimenta eius glacierum tenacitate ſic adheſerunt foueæ parietibus, vt viginti diebus immobilis permaneret, in Dei laudibus tamen perſeuerans. Expletà huiuſmodi Quadrageſimà; cum perueniſſent quidam deuoti, qui prò benedictione accipiendà ad eum accedere ſoliti erant, ipſum quaſi ſemiuiuum reperientes, inde cum planctu traxere, & accenſo igne refocillantes, adhuc ibi quinq. panes, qui ſuperfuerant, inuenientes mirati ſunt, quàm mirabiliter tanto tempore eum quinq. panibus pauiſſet in antro, qui multa hominum millia quinq. panibus ſatiauerat in deſerto. Audiuit poſtea vocem ſibi dicentem: *Frater Petre, noli tam graue onus aſello tuo imponere; quia ſi eum peremiſ, inde coram Deo redditurus es rationem.* Quò audito ſe deinceps à tam grauibus, & importabilibus aliquatenùs tẽperauit.

Nimio ſe rigore affecit vir ſanctus.

14. *Nullus Anachoreta* ieiunio tam rigido Cœleſtinum æquauerit; Audi Aliacenſem. Nec ſolùm fidelis Deus ſeruus in abſtinentià plurimà, in ieiunijs indeſinentibus, in vigilijs penè iugibus: ſed aſperis veſtimentis indutus, cilicijs de pilis equorum reticulatis, & nodoſis, ſicut Baptiſta Ioh. de pilis camelorum, veſtiebatur. Fuit ille magnus doctor, & prædicator pœnitentiæ; iſte verò magnus eius imitator, & diſcipulus. Magna tamen de diſcipulo narramus, quæ de magiſtro non legimus. D Hic namq. ad nudam carnem quandoq. ferreum circulum ferebat: hic ſtrati mollitiem ſpernens, ſuper terram ac nudis tabulis, vel cancellatis craticulis, veſtitus cilicio, præcinctis catenà lumbis iacebat: pro puluinari lignum, aut lapidem, capiti ſupponebat. Et quod mirum dictu; etiam infirmus nunquàm molliori vſus eſt lecto. Immò quandoq. ſolo cilicio vſus pro veſte: quandoq. cilicio ſuperimpoſità loricà, cuius pondere caro eius per ſubintrantes cilicij nodos ſępius vulneratà ſanie, & vermibus ſcatntiens putreſcebat. Sanè tam longum martyrij genus homo Dei ſupra hominem, tolerare potuiſſe credendus eſt illius gratia, qui ait: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*

Auſteritas in omni genere pœnitétiæ.

15. *Solo orationis verbo* &c. Præcipua cum Cœleſtino erga egentes, & afflictos commiſeratio eſſet: Increbeſcente eius ſanctitatis famà, multi aut veniebant, aut ferebantur gratià ſalutis. Claudum hominem, alterum collo, capiteq. ſanauit tumentem. *Pandulphum Ranzano oppido natum* dextri lateris rupturà laborantem curauit. Vtq. erat ſecretorum videns, cum pro conſuetudine, quæ illi cum vxore fuerat alienà eum reprehendiſſet: negantem ſe continere poſſe, precibus ſuis deuicit tandem, vt corpore eum ſanaret, & animo. Alia miracula refert Bzouius ex Math. Veg. *in vità Cœleſtini V. ad Eugen. IV. M.S. n.3492. in Vatic.*

Cœleſtini miracula.

16. *Panis* &c. Fuiſſe Cœleſtino morem, panem à ſe benedictum alijs ſubmittere: quem cum ægrotantes guſtaſsent, ſanabantur: *Ibid.* habes.

17. *Exlingui linguam creauit*, vocemq. liberam donauit; *Ibid.* Concordat Aliacenſis *l.a.c.7.*

B Quot de faucibus diaboli animas extraxerit, quot à vià prauitatis ad viam pietatis, à vanitate ad veritatem à cupiditate ad Charitatem, à ſuperbà elatione ad humilem ſubiectionem Cœleſtinus attraxerit? Populi circumadiacentes, quos inter ſi aliqua diſcordia oriretur, eius conſilio quaſi diuino quodam oraculo cogebantur ad emendationem ſe ſe conferre. Sed quis exprimere ſufficiat miſericordiæ zelum in pauperes? quos non ſolùm ſpirituali, ſed corporali refectione fouebat. Cumq. multa ei, eiuſq. fratribus donarentur, ipſe tanquàm fidelis diſpenſator, diſperſit omnia, & dedit pauperibus: & ideò iuſtitia eius manet in ſæculum ſęculi. Quod poſſidebat, omnium quaſi commune eſset patrimonium: inopibus alimenta; dotes virginibus, remedia infirmis, oppreſſis ſubſidia largiebatur, fratribus plerumq. præcipiens oues, & boues mona- C ſteriorum ſuorum, cùm audiret multiplicatos, vendere, & ex eà pecunià noua conſtruere monaſteria, & pauperibus elargiri. Argenteos autem calices, & ſericas veſtes uendi, aut alijs eccleſijs donari; nè fratres rebus precioſis delectarentur.

Zelus animarum, & cura pauperi ex l. a. c. 7.

Ad eum cum confluerent omnium ſtatuum homines, Eccleſiaſtici, ſæculares: diuites, pauperes, quos prò ratione conditionis ſuæ humiliter ſuſcipiens, ſpirituali eleemoſynà, uerbo ſcilicet doctrinæ, uelut cibo ſpiritualis alimoniæ paſcere ſatagebat: licet ſimplex, nec magnà ſcientià præditus (illà ſcilicet, quæ ſtultitia eſt apud Deum) tamen diuinà ſapientià repletus, omnes ſalubriter inſtruebat. Cumq. non ſolum ſimplicibus, & popularibus, ſed diſertis, & ſapientibus de diuinis rebus loqueretur, non tentabat uerba proferre diſerta; ſed fortia. Hoc de eo admirandum narratur, quòd nullus erat tantorum peccatorum pondere preſsus, qui ſanctà facie eius proſpectà, ab eius præſentià abſq. conſolationis gratià recederet. Et qui eum ſemel uiderat, illum reuidere cupiebat ardentiùs. Ideoq. tanta ad eum populorum frequentia concurrebat, quòd non erat ei omnibus loquendi facultas; ſed ut eius uiſione conſolarentur, locum aliquem eminentiorem aſcendebat, ut datà ab eo benedictione recederent. Vbi quandoq. plures infirmi, & Dęmoniaci, eius precibus, & meritis ſanabantur.

Eius doctrinæ efficacia ex l. a. c. 8.

Licèt autem vir Dei quartà, & ſextà ferijs totius Anni, ac in quatuor Quadrageſimis ab hominibus ſequeſtratus, Deo vacans, nullius admitteret colloquium illam tamen popularis frequẽtiæ moleſtiam

Adit in loca ſecreta ex c. 9.

non

quium illam tamen popularis frequentiæ moleſtiā non ferens, vt indeſinenter diuinis incūberet meditationibus, ad locum deſertum diſcedere decreuit. Quod cū fratribus indicaſset. *Cur nos* (inquiunt) *pater deſeris? Non vos* (inquit) *filioli relinquo, ſed quod facere diſpono, pro meà, & veſtrà vtilitate facio. Ego quippe ſenex, & conſueta hactenus onera portare non poſſum: ſed à vobis abſens, ſemper auxilio, & conſilio præſens ero.* Igitur cùm aſsumptis ſecum paucis fratribus ſeceſſiſset ad locum ſecretiſſimum S. Bartolomæi de Legio, vbi credebat ſe ab hominibus ignoratum iri, abſcondi tamen non potuit lucerna ſuper candelabrum poſita. Sed multò plùs, ibi a populo quęſitus, & frequentatus, virtuoſæ lucis ſuæ opera mundo declarare compulſus eſt. Ipſe verò terrena faſtidiens, cogitauit adhuc in ſalium difficiliorem aſcendere. Et aſſumpto ſecum vno ſocio ad montis Magellæ verticem veniens, deſcendit ad cryptam, ad quam ſine periculo non poterat haberi acceſſus, vt vbinam degeret, nullus agnoſceret, vel agnoſcens, illuc aſcendere formidaret. Ibiq. ad honorem S. Io. Euangeliſtæ conſtructo Oratorio, prò ſe, & duobus ſocijs cællam ædificans, per plures annos manſit. In quo loco multa per eum miracula Dominus oſtendere dignatus eſt. Cumq. nec ſic latere potuiſſet, & maior illuc hominum multitudo concurreret, vt eorum parceret periculis, redire diſpoſuit ad montem Muronis; vbi primo ſuæ conuerſionis tempore manere conſueuerat. Quem loci illius incolæ (mentes eorum inſtigante Deo) cum innumerà vtriuſq. ſexus multitudine, cum proceſſionum ſolemnitate, cum oblatione deuotà munerum ad Dei cultum pertinentium quaſi angelum de Cœlo miſſum honorificè ſuſceperunt.

Petit locum ſecretū; ſed latere nō poteſt.

Alium ſecretiorem adit.

18. *Corui* &c. Aſportarat Cœleſtino aliquandò coruus libellum aliquem, quem in feneſtrà cubiculi Petrus poſuerat. Viſo itaq. coruo, ſuſpicatus quod erat, coruum ſcilicet furto abſtuliſſe: per nomen iniunxit Ieſus Chriſti; *reportaret ablatum* nec mora. Coruus reuolat, furtum reſtituit. *Bzouius ex Matthæo Veg.*

19. *Confirmationē Ordinis &c.* (vt ex Aliacēſi *l.* 2. *c.* 5) Cū aliquandiù latuiſſet in eremo, ita eius fama latè diffundi meruit, vt ad ſanctæ vitæ ſocietatem, eiuſq; immitationem multos alliceret. Vndè factum; vt tanta ad eum multitudo fratrum, ſuo ſubdenda magiſterio, & exemplo docenda conflueret, vt ad eorum habitationem varia oportuerit loca coſtruere. Quæ cum pauperima eſſent, non deſinebat vir ſanctus fratrum paupertatem ſuà viſitatione conſolari, & Chriſti exempla proponere. Et ne puſillus grex diſperſus periret; cum audiſſet vir Dei omnes Ordines per Apoſtolicam ſedem non approbatos, debere caſsari in generali Concilio Lugdunenſi, tunc ſub Gregorio Papa X. celebrando, ipſe vt pius, & uerus paſtor, animam ſuam ponens pro ouibus ſuis, non ſibi vel laboribus ſuis parcens, licèt debilis, & confractus, non equitando, ſed pedibus eundo, aſſumptis ſecum duobus fratribus, iter illud longum, & aſperum cum magno uitæ periculo arripuit. Quò Dei gratià perueniens, vltrà, quàm ſperabat, in oculis ſummi Pontificis gratiam inuenit, & priuilegium confirmationis ſui Ordinis ſub B. Benedicti regulà impetrauit. Quòd Deus pià diſpenſatione fieri uoluit, ut benedicta Benedicti patris regula à quibuſdam (probdolor) ſolo nomine monachis conculcata per nouam huius ſancti Ordinis inſtitutionem releuata, in meliùs reformetúr.

Eius Ordo confirmatur.

20. *Latronibus* &c. Nec proſpero fine, & fructuoſo euentu fruſtrata eſt uoluntas Dei. Nam poſt immenſos labores, & innumera pericula, poſt latronum inſidias, à quibus miraculosè, miſſo diuinitus nuncio in ſpetiem militis ſuper equum album ſedentis, eiuſq. uiam dirigentis eſt liberatus. (Adiungit *Bzouius ex M.S. Vatic.*) Tres latrunculi cum irruiſſent in uirum ſanctum, tres etiam ex ſyluà erupère ſerpentes, qui impetu in latrones facto, procul eos abegerunt. Cumq. alio in loco ijdem graſsatores ex inſidijs exilirent in Petrum, totidem quot priùs ſerpentes apparuere tutores. Cum autem ſocij meticuloſi retrocedendum ſuaderent: Eques apparuit albatus, & per loca plena periculis eos comitatus, cum ad oppidum uicinum duxiſset, diſparuit. Sic ad propria reuerſus, congregatis (*ita Aliacenſis l.* 2. *c.* 6.) undiq. fratribus ſuis, in monaſterio S. Spiritus de Magellis generale Capitulum celebrat: ubi eodem ſpiritu inſpirante multa cum eis de obſeruatione mandatorum Dei, pertractans ſtatuta ualdè ſalutaria ad reformationem monaſticæ diſciplinæ utiliter ordinauit. Pluraq. loca, & monaſteria, quæ Monachorum Nigrorum fuerant, ſuo Ordini mancipauit, ut breui trigintaſex loca Domino dedicaret, in quibus ferè ſexcenti fratres, eum deuotà familià Domino deſeruirent. Et quià deuoti ſæculares, habitum Religionis aſsumere non ualentes, participationem Ordinis habere ſummoperè urgebant; conſtituit quandam fraternitatē, in quà ſub certis ſalutaribus obſeruantiis, in pluribus ciuitatibus, & locis, innumera utriuſq. ſexus multitudo in miſericordià alijsq. uirtutibus proficiens, Chriſto pia exhibeat obſequia.

De Augumentatione Ordinis, & Monaſteriorum.

21. *Patres biennio diuiſi &c.* Sepulturæ tradito Nicolao IV. Rom. Pontif. conuenere Cardinales numero duodecim, ſex Romani, quatuor Itali, duo Galli pro electione Pontificis. Sed in partes diuiſi, quorum princeps ab vnà *Matthæus Rubeus Vrſinus*, cum ſtudioſum quæreret Caroli Siciliæ Regis: altera verò factio (cuius anteſignanus erat *Iacobus Columna*) contrarium affectaret, nec loco conſiſtere valuerunt. *Io.Villan. S.Antonin.* Tentauit Latinus Cardinalis Oſtienſis Patrum animos ad concordiam adducere (teſte *Iacobo Cardin. Sancti Georgij ad velum aureum. lib.* 1. *cap.* 1.) cuius exhortatione victi, In ædes Sanctæ Mariæ Maioris, vbi olim Mineruæ templum ſurgebat, ſe receperunt, ſed nouà ambitione corrupti, iterum ſeceſſere diſcordes. Romanos interim aſpera ſeditio concitabat ad prælia. Diſſidij cauſa, Senatoriæ dignitatis ambitio. Ruinam augebat æſtas inſolita, quæ Gallum ſuſtulit Cardinalēm. Reliqui Romà digreſſi, æſtiuauere Reate. Tranſactis poſteà Septembris caummatibus Anni 1292., Romam reuerſi non animis modò, ſed ne quidem de loco pro celebrandà electione conſentientes, ad ſchiſma euitandum, arbitris dedère loci electionem, quam Peruſij celebrandam decreue-

Eligitur in Papam.

Ex Patrū diſcordià Sedes vacat.

uere. Eò Carolus acceſſit Rex Siciliæ, ſollicitaturus Pattes, vt proximo tempore crearent Pontificē, ac duro ſermone excepit *Benedictum Caietanum* Cardinalem, qui poſteà *Bonifacius VIII.* dictus eſt, teſte Iordane *in M.S. Vatican.* Catolo tandem tecedente, poſtquàm duobus Annis, tribus menſibus, die vno vacaſſet Eccleſia Rectore (*Latino* inſtigante Cardinale Oſtienſi) cœperunt de egregijs Petti virtutibus conſerre ſermones, num gerendo Pontificatui eſſet idoneus? Cui omnium primo votum ſuffragante *Latino*, ſua adiecere cȩteri. Decreti poſtea *Archiep. Lugdunenſis, Vrbeuetanus, & Portuenſis Epiſcopi* eum duobus notariis Apoſtolicis, qui ipſi Cardinalium literas afferrent, & ad ſuſcipiendum Pontificatum adducerent iuxta prophetiam S. Malachiæ, *Ex eremo celſus*: quià ex Eremo erigeretur ad thronum excelſum. Extant literæ apud *Monachos Cœleſtinos*, & *Vuadingum*. In Syluis itaq. degentem adiere Legati, ac venerandum ſenem, incultà veſte horridum, macie ſqualidum, tumentibus ex continuo lacrymarum imbre palpebris conſpicati, ſe ad illius genua demiſere. Attonitus ille viciſſim ad genua eorum procubuit. At illi expoſità aduentus causà, & Cardinalium ſuffragiis ſcripto prolatis: fugam ille tentauit protinùs cum *Roberto Salentino* diſcipulo ſuo. Sed inopinatà, & ſubità populi multitudine circumuentus, cum euadendi nulla ſpes eſſet, in diſcipulum verſus quæſiuit; an ſe ad excelſa tractum, & coactum ſequi vellet? Ille autem qui à magiſtro didiciſſet mundum ſpernere, Chriſtum verò, & quibus ad Chriſtum itur, virtutem, pacem, ſilentium, & ſolitudinem amare: Quæſo, ait, vt & labori, & periculo meo parcas, meq. potiùs cellæ inopis, & tuti otii ſucceſſorem, quàm diuitis, ac ſollicitæ gloriæ participem velis: quod & factum eſt. Cum verò Romanæ Eccleſiæ nuncii, aliiq. pii viri Religionem incuterent: ac inter cȩteros *Petrus Columna* Diaconus Cardinalis, qui eò iniuſſus accurrerat, inſtaret, nè voluntati reluctaretur Diuinæ; munus Petrus admiſit Pontificium. Mox qui aderant, in genua prouoluti, pedibus oſcula libauere deuoti. *Petrarca de vitâ Solitariâ l.2.c.18.* Aliacenſis *l.2.c.10.* Iacob. Cardin. *l.3.c.4.* Acceſſerat etiam *Carolus Martellus* Rex Vngariæ, ac Regni Siculi hȩres, qui dum Pontificem comitaretur, dextrum latus vſurpauit, Cardinalibus dato ſiniſtro, paulatim laicis irrepentibus ad arcana Eccleſiaſtica.

Petrus eligitur in Papam.

Prophetia de eo.

Pontificis magni, dextram latus ordine verſo
Excepit Carolum Regem, qui præſides aruit
Appuliæ; laicaq. manus ſubrepere paſſim
Conſilys tentant dius in præcordia Petri.

22. *Super aſinum* &c. Suſcepto Pontificatu tantum à faſtu abſuit, vt aſinum exemplo Chriſti conſcendere voluerit, eaq. pompà Aquilam, Regibus Siciliæ, & Vngariæ aſini frȩna tenentibus, ingreſſus eſt, teſte *Iacobo Cardin.*

Intumidus vilem Murro conſcendit aſellum
Regum fræna manu dextrà lauaq. regente
Pontificis.

Tentarunt Reges (ait Aliacenſis) ac Cardinales ab eo reuocare conſilio, ſuadentes *ne hanc eccleſiæ Dei inferres iniuriam*. Sed ab incepto humilitatis propoſito eum fruſtra conantur abſtrahere. Nam *uſquè ad ciuitatem Aquilæ, ſuper aſellum ſedens; honorabili ac innumerabili turbà comitatus acceſſit. Hoc autem ab eo factum eſt, non quidem ſuperbà ſingularitate, quaſi alios, qui aliter fecerant, reprobare voluerit; ſed ſingulari humilitate, qui à ſancta ruſticitatis monaſticà conſuetudine, nec facile nec citò auelli potuit. Hos quippè magnificos apparatus, ſiuè in equis, ſiuè in veſtibus, ac aliys exterioribus ornamentis, quos pleriquè pompas vocant, à tempore B. Sylueſtri Papæ ſancti patris, non ſolùm ſummi Pontifices, ſed & alij minores Epiſcopi, non ad ſuam, ſed ad Chriſti, & eccleſiæ eius gloriam extollendam introduxiſſe credendi ſunt: quos exteriùs cum temperantiæ moderamine obſeruare, interiùs tamen ſeruatà humilitate non eſt vanitatis aut vitij, ſed eſt virtutis ac meriti. Vnde grauiter increpandi ſunt illi, & præcipuè monachi, qui ſub prætextu humilitatis, propter huius conſuetudinis obſeruantiam, ſtatui Epiſcopali ſuperbè detrahunt. Multa namquè in talibus decent Epiſcopos, quæ non decent Monachos, aut eorum Abbates vel Prælatos, ſicut Beatus Bernardus teſtatur dicens. Alia equidem eſt cauſa Epiſcoporum, alia Monachorum. Scimus enim, quòd illi ſapientibus, & inſipientibus debitores cum ſint, carnalis populi deuotionem, quia ſpiritualibus non poſſunt, corporalibus excitant ornamentis. Quod autem Chriſtus illam ſingularem huius ſerui ſui humilitatem non ſibi, ac Eccleſiæ ſuæ imputaret ad iniuriam, ſed ad honorem, ſingulari voluit declarare miraculo. Nam cum multi poſt eum infirmi portarentur, vt ſaltem poſſent eius tangere fimbriam veſtimenti, (erat enim totius populi mira erga eum fides deuotio) homo quidam filium ſuum ambobus pedibus claudum portans, cum ad virum ſanctum præ multitudine non valeret accedere, aſello de quo deſcenderat, puerum impoſuit; qui ſanitate receptà ab illà horà firmiter ambulauit.*

Miraculo eius plaudit ejus humilitas.

Concordat Vueſtmonaſterienſis *Flor. hiſtor.* Intereà Cardinalium literis excitatus uenire Peruſium, ad euitanda pericula, quæ Apuliæ imminebant ob Siculorum, & Aragonum diſſidia: ex aduerſo rogatus à *Carolo* Rege Neapolim aſcendere, Aquilæ ſubſtitit. *Attendendum* (ita Ptolom. Lucenſis) *quòd ipſo creato, ſimul cum decreto Cardinalium literas eidem tranſmittunt, & ſuæ ſanctitati ſignificant, vt ad locum communem, vbi ſua facta erat electio, dignaretur venire. Ille verò ad inſtantiam Regis venire recuſabat: quinimo eiſdem mandauit, vt ad ipſum veniant. His igitur peractis, dominus Latinus grauiter infirmatur, in quo totum pondus incumbebat ſuper electione Cœleſtini. Hic enim Dominus Latinus vir fuit magnæ religionis, & ſanctitatis, & ex deuotione ſpecialiter coniunctus fuerat fratri Petro de Morrono, eidemq. ſingulis annis à tempore ſuæ notitiæ ſpecialem eleemoſinam tranſmittebat, ſuiſquè confratribus, qui morabantur Romæ, vbi clauſtrum habebant prope S. Petrum. Ex hac ergò familiari deuotione, & confidentià bonitatis fuit motus ad ſuadendum de ipſo, vt in ſummum aſſumeretur Pontificem. Aggrauatus igitur ęgritudine moritur Peruſii, de quo magna, & virtuoſa dicuntur, & exemplo digna. Sed redeundum eſt ad Cœleſtinum, qui ſibi perſuaderi non potuit, vt veniret Peruſium, ſed in Aquilà aliquo tempore pedem fixit. Tantus autem fuit ibi concurſus ad ipſum de villis, &* ca-

Aſinum ſcandit.

caſtris, quòd ſtupor erat videre: quia magis veniebant ad ſuam obtinendam benedictionem, quàm pro præbenda acquiſitione: vndè oportebat eum ſæpius ad feneſtram accedere ad benedicendum populum, victus eorum clamoribus; quod & ego vidi, & præſens fui, quando iſta fiebant. Interim autem Cardinales aliqui præcedunt ad Papam, aliqui ſubſequuntur verſus Aquilam: vltimus ad veniendum fuit Dominus Benedictus Caietanus, & dubitabatur, quòd non veniret, quia Regem verbis offenderat in Peruſio. Venit igitur vltimò, & ſic ſciuit deducere ſua negotia, quòd factus eſt quaſi Dominus Curiæ. V

De eius coronatione.

Aquilam vocato Cardinalium cętu Pater ſanctus in feſto Decollationis S.Io.Baptiſtæ coronam, aliaquè Apoſtolica ſuſcepit inſignia. Et quia in terris habitans, iam cœleſtis erat, & cum Apoſtolo verè dicere poterat, *Noſtra conuerſatio in Cælis eſt*; In ſuà coronatione, Deo inſpirante (vt credimus) Cęleſtini nomen accepit. Ipſe quoq. vt verè Cœleſtinus cęleſtem theſaurum Indulgentiarum Apoſtolicarum liberaliter aperuit. Aliacenſis *l.2.c.12.* Conſonat Iacobus Card. *l. 3.c.5.* B

23. *Supra ducenta millia hominum* interfuere eius coronationi, ex oculato teſtimonio Ptolomæi Lucenſis *l.24.c.29.* Ad conſecrandam verò poſteris rei geſtæ memoriam, Eccleſiam, vbi eſt peracta ſolemnitas Indulgentiis exornauit, vt qui annuatim accederent deuoti, *à culpà abſoluerentur, & pœnà, quam pro delictis poſt baptiſmum merentur commiſſis.* Vt ex libello *Vall. M. S. priuileg. Eccleſiæ Aquilanæ p.13.* Beneficium hoc, Anno ſequenti reuocauit Bonifacius, ac in eos iuſſit animaduerti, qui eam Eccleſiam prætextu Indulgentiarum viſitarent. *Epiſtola Bonifacij* 120. *l.* 1. Ordinem Cœleſtinorum Pontifex à Gregorio X. confirmatum pluribus auxit priuilegiis, vt tutiùs rebus vacarent diuinis; *Bullarium in Cæleſtino V.* Guidonem Montisferreti Comitem à *Nicolao IV.* ob Gibellinorum partes Piſis ſuſceptas contra Pontificios, tum ob Foroliuienſes, & Cæſenates concitatos ad rebellionem cenſuris defixum, veniam flagitantem in gratiam iuſſit reſtitui. *epiſtol. Boniſac.* 141. *libr.* 1. *Cumq. Prælati, & Principes eſſent ei ad petenda beneficia eccleſiaſticà* (ita Aliacenſis c.12.l.2.) *importuni, cogitauit non ſolùm diuitibus temporales, ſed etiam pauperibus ſpirituales diuitias impertiri. Deinde verò cum ad preces Regis Siciliæ veniſſet Neapolim, ibi cum ſuà curià aliquandiù reſidens, fecit ordinationem vnam duodecim Cardinalium: inter quos ex ſuo Ordine duos fratres elegit, vt cum illis in Pontificio ſpirituale haberet conſortium, cum quibus ab ipſo tyrocinio militiæ ſpiritualis ſeu in cęnobio, ſeu in eremo contubernium ei fuit. Ipſe namq. cęnobiticà profeſſione, & anachoretica ſublimitatis perfectione ita diligenter inſtructus, atq. inflammatus erat, vt etiam in Papali camerà, & augusto palatio cellam ligneam, anguſtumq. ſibi, & eremiticum fieri voluerit habitaculum, vt in alto humilis, inter turbas ſolitarius, inter diuitias pauper viueret, ſicquè liberiùs orationi, ac contemplationi vacaret.* C D

Priuilegija donat Ordinem Cœleſtinorum.

De creatione Cardinalium conſonat Iacob. Cardin. *l.3. c.8.*

Venerat ecce dies ignata ad culmina tollens
Quà Cæleſtinus proceres augere Senatus
Flagitat, & votum complet: nam bis repetitos
Sex creat, & Gallos ſeptem, paucoſq. Latinos
Quinque tamen, binos fratres ſub lege morantes
Inſtituit propria, nullum quem ſubdita ſedi
Immediata parit tellus, ex ordine patrum
Murrho dedit.

Offendit ea res admodùm Cardinales, quorum conſilium Cęleſtinus ſpreuiſſe videbatur. Eoſdem magis exaſperauit, cum ad euitandum diutinum interregnum, decretum *Gregorij X.* de includendis Cardinalibus in Conclaui, Sede vacante, renouauit: ac Neapolim petiit, non Romam.

Cardinales in eũ irati, cur?

Addidit errato diris proceſſibus aſper
Inſuper hæc Murro, quòd cum ſibi Roma dediſſet
Sceptra ſui, dudumq. viam ſuccinctus ad vrbem
Tenderet eximiam Petri, Pauliq. dicatam
Sanguine ſubductus Carolo, extuq. ſequente,
Parthenopem deflexit iter. Sed primitùs arctam
Gregorii legem ſtatuit, quà clauſtra ſubire
Cardineos apices iuſſit, Paſtore vacante
Eccleſiæ: quondam lex illa timenda receſſit
Concilii, ſuſpenſa prius, renouata per iſtum,
Quàm licet, & duro laudent vulgaria plauſu;
Certa tamen rerum docet experientia, caſus
Hinc ſubſtare orbi cleroq. pericula grandes.
Antiquis congeſta malis incumbere ſpontè
Heu dolor, heu lacrymæ, patimur ſine murmure ſauum.

Exulcerauit etiam Cardinales electio in Cardinalem Archiepiſcopi Beneuentani, quę poſt cęnam creatum refert Iacobus Cardin. *cap.* 10. adeoquè exarſit contentio, vt Archiepiſcopus dignitate cedere ſit coactus, vt Purpurà ritu donaretur antiquo.

24 *Cardinales callidi* &c. Palam itaq. querentes, vt de viro gerendarum rerum imperito, qui ſyluas tantùm, & ſcopulos colere aſſuetus, dignitates, & miniſteria imperitis diſtribueret, & aulicorum verſutiis obrutus bonos à malis non ſecerneret. *Quamuis* (inquit Ptolom. Lucenſis l. 24.c.31.) *Cæleſtinus faceret opera Sancti viri, quia per ſtatum Pontificalem non receſſerat ab innocentià primi ſtatus, ſed eadem humilitas, eadem puritas perſeuerauit in ipſo, licet modus viuendi eſſet immutatus propter dignitatem; decipiebatur tamen in ſuis officialibus quantum ad gratias quæ fiebant, quorum ipſe notitiam habere non poterat, tum propter impotentiam ſenectutis quia ætatis decrepitæ, tum propter inexperientiam regiminis circa fraudes, & hominum verſutias, in quibus curia multum vigent; vndè inueniebantur gratiæ aliquando factæ tribus, vel quatuor, vel pluribus perſonis, membranà etiam vacuà, ſed bullatà.*

Imperitus reginimis.

Hic igitur percipientes quidam de collegio, iam incipiunt querulari, & Eccleſiæ fluctuationi attendere, ac etiam eidem Pontifici inſinuare ſub prætextu ſuæ ſanctitatis quantum periculum imminebat. Interim autem Rex Carolus, vt tradunt, ordinauit cum Cæleſtino, ſine cum beneplacito Collegii factum eſt, quod curia transferetur Neapolim. Vadens igitur illuc, multum ſtimulatur ab aliquibus Cardinalibus, quòd Papatu cedat, quòd etiam Roma ſub ipſo periclitatur, & ſub eo confunditur. Quibus ſtimulis concitatur ſanctus Pater. Quòd cum perpendiſſet Rex, et Clerus, mandat fieri proceſſionem à maiori eccleſià vſquè ad caſtrum Regis: cui proceſſioni ego interfui. Vbi conuenerant multi Epiſcopi regionis, omnes Religioſi, et totus Clerus; cumq. perueniſſet proceſſio ad dictum

Populi inſtructo agmine religioſo, flentes rogãt, nè Eccleſiã deſerat.

ctum Caſtrum; Vbi dictus Pontifex morabatur, excla-mauimus more ſolito pro benedictione: ipſe verò pro reuerentià proceſſionis ad feneſtram acceſſit cum tribus Epiſcopiis. Datà benedictione, vnus Epiſcopus proceſſionis prædicta à Sancto Pontifice audientiam petit, loquens in perſonà Regis, & totius regni quantum ad Clerum, & populum, me præſente, ſupplicans humiliter eidem vice, & nomine omnium ſupradictorum, voce altiſſimà, & tubali, quia proceſſio tota audierat inferiùs in plateà, Papa autem ſuperiùs in feneſtrà; quod cum ipſe eſſet gloria dicti Regni, nullà perſuaſione ad reſignandum conſentiret. Ad quæ verba ex mandato Papæ vnus ex Epiſcopis, qui cum ipſo erat, reſpondit quod non intendebat, niſi aliud appareret, vnde conſcientia vrgeretur. Tunc dictus Epiſcopus prolocutor prò Rege, & Regno altè incipit; Te Deum laudamus; *& tota proceſſio proſequitur ipſum vſquè in finem: & ad propria redeunt: quod fuit quidem, vt mihi conſtat, circa feſtum beati Nicolai. Hoc autem non obſtante, adhuc aliqui Cardinales mordaciter infeſtant, quod cum periculo animæ ſuæ Papatum tenebat propter inconuenientia, & mala, quæ ſequebantur ex ſuo regimine: ad quæ verba mouetur Sanctus.*

His motus aſſentitur.

Cum uerò hactenùs inauditum eſſet, ut Pontifex Romanus dignitate cederet, *Benedictus Caietanus* homo vaſer, & ſagaciſſimus, qui ob iuris peritiam primum locum apud Pontificem obtinebat, cępit vehementior inſtare Pontificem, ne ſuà inertià Eccleſiam perderet: aliàs in die iudicij æterna expectaret ſupplicia, quòd monitus non ſe abdicaſſet, ſed ſuà ignauià malis tantis cauſam dediſſet. Addunt per quamdam fiſtulam nocte Benedictum in aures Cęleſtini inſuſuraſſe. *Cœleſtine, Cœleſtino cede: negotium ſupra vires eſt.* Stella: Langius. Credidit homo ſimplex ſe cęlitus per Angelum admoneri. Hæc tamen in antiquis non lego. *Caietanum* præcipuum Suaſorem deponendæ dignitatis Pontificiæ extitiſſe, nemo negat. *Dominus Benedictus* (ait Ptolom. Lucenſis) *cum aliquibus Cardinalibus Cœleſtino perſuadet, vt officio cedat,, quia propter ſuam ſimplicitatem licet ſanctus vir, & vita magni foret exempli, ſæpius aduersùs confundebantur eccleſia; in gratiis facendis, & circa regimen Orbis.* Abdicationis formulam à Cęleſtino non fuiſſe conceptam ſed ab alio, indicat Iacobus Cardinalis his verſibus. *libr. 3. cap. 16.*

Caietanus Cęleſtinū decipit.

Clarente per ortum
Sole die feſto Luciæ Virginis almæ
Coccineam chlamydem veſtitus, ſignaq. geſtans
Cœleſtinus herus Papa conſedit in vnum
Cum patribus thalamum pallens: doctuſq. latenter
Portabat clauſum ſcriptum: nec defuit huius
Auctor, & &c.

Inter diſceptantes itaq. *an Pontifex poßet renunciare Papatui?* ad tollendam Cęleſtinus ambiguitatem, *Romanum Pontificem munere abire volentem, poſſe*, pronuntiauit; *Exemplum inducens* (inquit S. Antoninus) *Clementis Papæ, qui creatus Pontifex à beato Petro renuntiauit Papatui, ne illud in conſequentiam, & exemplum duceretur, vt per voluntatem, & electionem prædeceſſoris Succeſſor in dignitatibus eccleſiaſticis inſtitueretur. Vnde Linus poſt Petrum ſedit, & poſt Linum Cletus, poſtquem Clemens tunc ſedem accepit. Cap. quoniam de Renunciat. in 6.* Sequenti die S. Luciæ ſacro promulgatæ legis vſus auctoritate; cultu ornatus Pontificio, coronà cinctus Cardinalium, eiſq. imperato ſilentio, ſcriptum protulit, ex quo allatis abdicandi honoris cauſis, quas magno Chriſtianæ humilitatis exemplo exaggerauit, pontificatu ſe exuit; formulà ſequenti. *Ego Cœleſtinus Papa V. motus ex legitimis cauſis ideſt cauſa humilitatis, & melioris vitæ, & conſcientiæ illæſæ, debilitate corporis, defectu ſcientiæ, & malignitate plebis, & infirmitate perſonæ, & vt præteritæ conſolationis vitæ poſſim reparare quietem, ſpontè ac liberè cedo Papatui, & expreſſè renuncio loco, & dignitati, oneri, & honori, dans plenam, et liberam facultatem ex nunc ſacro cætui Cardinalium eligendi, & prouidendi dumtaxat canonicè vniuerſali eccleſiæ de paſtore.*

Pontificatum abdicat.

Obſecraſſe Cardinales per ſacra omnia, vt quantocyùs Pontificem ſubrogarent, nè in diſcrimen Chriſtiana adduceretur Reſpublica. *Vveſtmonaſter. Flor. Hiſtor.* Iacob. Card. *l. 3. c. 16.* eſt auctor.

De hoc inſueto facinore, quo (vt ait Iordanus) *præbuit humilitatis exemplum ſtupendum cunctis, imitabile paucis:* variè loquuti ſunt auctores. Alii in degeneris, & abiecti animi vitium; alii in ſtudium tranquillitatis; alii in exemplum Chriſtianæ humilitatis contulerunt. Maiori namq. admiratione digna eſt abdicatio, quàm electio. Heroicæ virtutis exemplum dixit *Clemens V.* qui Cœleſtinum Sanctorum adſcripſit catalogo. *Dantes* Poetà (teſte *S. Antonino*) animi deiectionem accuſat, & vilitatē. Sed Petrarcha conſcientiæ humilitatem commendat, & puritatem. Sed fallitur Antoninus *Dantem* recenſens inter Cęleſtini delatores. Cantu namq. 3. *Inferni* carmina,

An laudanda.

Guardai, e vidi l'ombra di colui
Che fece per viltade il gran rifiuto

De Eſau intelliguntur, qui pro vili edulio lentis, viribus ceſſit primogeniti: Non de Cęleſtino, quem *Dantis* proximum tam obſcurè nō præteriiſſet Poeta. Quid verò Petrarcha ſcripſerit? audi *l. 2. c. 18. de vità ſolitarià. Pontificatu Maximo velut mortifero faſce depoſito, in antiquam ſolitudinem tàm cupidè repedauit, vt hoſtili compede liberatum crederes. Quod factum ſolitarii, ſanctiq. patris vilitati animi quiſquis volet, attribuat,* (His Dantem carpere videtur, ſi contra Cœleſtinum cæcinit Dantes) *licet enim in eadem re prò varietate ingeniorum non diuerſa tantùm, ſed aduerſa ſentire, ego imprimis, & ſibi vtile arbitror, & mundo: vtriq. enim propter inexperientiam rerum humanarum, quas multa diuinarum contemplatione neglexerat, longumque ſolitudinis amorem periculoſa eſſe, anceps, & turbida poterat altitudo. Nam quid Chriſto viſum ſit, miraculum quod per eum Deus oſtendit die, qui poſt renunciationem primus illuxit, indicio eſt quod profectò non fieret, ſi quod geſtum erat, diuinitas non probaret. Ego prorsùs altiſſimi cuiuſdam, & liberrimi, & iugum neſcientis, vereq. cæleſtis animi factum reor: atque ita ſentit, non potuiſſe id ab homine fieri, niſi qui res humanas iuſto pretio æſtimaſſet, quique tumidum fortunæ caput pedibus ſubiecisſet.*

Huius præconio laudis quis vſquam, quæſo, ſeù quis vnquam dignior Cœleſtino? Reliquerunt alij nauiculas ſuas ac retia, alii poſſeſſiunculas, alii telonea, alii etiam regna, vel regnorum ſpem; Secutiq. Chriſtum

Do-

Dominum facti ſunt Apoſtoli, facti ſunt ſancti, et amici Dei; Papatum verò, quo nihil eſt altius, rem tam exoptatam, tamq. mirabilem, vt ab admiratione ac ſtupore dictam ferant, quis vllà ætate, præſertim ex quo tanto in pretio eſſe cœpit, tam mirabili, et excelſo animo contempſit, quàm Cœleſtinus iſte, priſtinum, et nomen, et locum, et amicam bonis moribus egeſtatem appetens, atq. dum cœlum ſuſpicit, terræ immemor? Quem in ſtatu quolibet æquè Deo placitum quis non videt, qui mira eius opera, ſed alio digna ſtylo trifariam diſtincta perlegerit, quæ geſſit, aut antequàm aſcenderet, aut poſtquàm deſcendit, aut dum ſedit? Quid mirum autem, ſi virtus operum non defluit, cuius et animi tenor vnus, et quæ licuit vitæ mutatio nulla fuit? ſiquidem in ſupremo rerum culmine, et inter anguſtiſſimum ac papalem thalamum anguſtam ſibi eremiticamquè cauernulam meditatus, in alto humilis, inter turbas ſolitarius, inter diuites pauper vixit.

Eadem ferè verba *Aliacenſis* tranſmiſit ad poſteros *l.2.c.13.* Miraculum adiungit, de

25. *Claudo* ſanato, vt eſſet Teſtimonium perenne Dei plaudentis Cœleſtini abdicationi. *Prima namq. die poſt eius renunciationem eum poſt eius miſſam quidam claudus membris contractis ſe ſe ad pedes ipſius proſterneret, acceptà ab eo benedictione, ſanus erectus eſt: quod profectò non fieret, ſi quod ab eo geſtum erat, tanquàm indignum Dominus reprobaret.*

Mirà alacri- ate pro icifci- ur ad ptatā ellulā ham.

26. *Cuſtodia traditur &c.* Pontificatu *Cœleſtinus* depoſito, priſtinam ſolitudinem *tanto fugiebat cū gaudio* (ex Aliacenſi l.2.c.14.) *tantaq. ſigna lætitiæ oculis ac fronte geſtabat*, dum ſibi redditus liber aſcenderet, *vt in vultu eius neſcio quid angelicum reluceret. Ideò, vt à quodam egregio dictum eſt: Eius aſcenſus, quàm mæſtus, quamquè contrà animum ſuum fuerit, deſcenſus lætus, et ſpontaneus declarauit. Sed quàm indignam meritis procellam exceperit, audiamus. Ille Bonifacius qui non mæſtus, vt ipſe, ſed lætus, vtpotè ambitioſus aſcenderat, & quem vir ſanctus ſibi ſucceſſurum prædixerat, cum licentiam redeundi ad cellā ſuam, ab eo pedibus eius proſtratus humiliter poſtulaſſet, terribilibus ei verbis negauit. Timebat enim ne fortè vir ſanctus à deuoto ſibi populo tanquàm ſummus Pontifex coleretur, maximèq. in dubium vertebatur, vtrum ipſe papatui reſignare potuerit. Igitur cum ab illius timidi ac territi hominis conſpectu vir ſimplex, et rectus à Neapoli clandeſtinè fugiendo abſcederet, vt propoſitum, quod ante renunciationem diſpoſuerat, implens Deo pacificè ſolitariſq. deſeruiret, ne vel ipſe vel alius hanc fugam inobedientiæ, aut alterius culpę ream eſſe crederet, Deus per eum miraculum facere dignatus eſt. Nam in viâ, aſſiſtente ei Abbate monaſterii Caſſinenſis cum pluribus aliis, mulier quædam filiam ſuam, ambabus manibus paralyticam, lachrymosè clamans, eiuſquè auxilium poſtulans, præſentauit. Cui ille, vt pius erat, miſericorditer compatiens ſanctæ Crucis ſignum fecit. Et ex illà horà ſubitò ſanata, perfectum manuum ſuarum vſum recepit. Tandem cum ad cellam perueniſſet, coram altari deuotè proſtratus, Deo gratias referebat. Quem etiam ſinguli cum gratiarum actione, tantàq. exultatione, et veneratione ſuſceperunt, vt eius præſentiam vel aſpectum quaſi cœleſte aliquod beneficium amplectentes, non minus ei, quàm Angelo, ſi e Cœlo delapſus, hominibus ſe offerret, venerationis impenderint.*

Ad Pa atus oſſit re ſtiacis

Signo Crucis dito ſa at pa- alyti- am.

De Fugà Cœleſtini, eiuſquè perſecutione.

Tumidus Bonifacius, ac timidus cum audiſſet Cœleſtinum, ſe inſcio migraſſe, ſuſpicatus quòd vir ſanctus de reaſſumendo Pontificatu cogitaret, miſit properè (ita Aliacenſis l.2.c.15.) *poſt Camerarium ſuum, et Abbatem Caſſinenſem, qui eum reperientes in cellà rogauerunt, vt ad Papam citò rediret, ne eius indignationem incurreret. Ipſe verò proteſtationem allegans, quam, antè renunciationem fecerat, ſupplex orabat; vt ſummus Pontifex eum in ſolitudine pacificè viuere permitteret, pollicitus ſe nulli hominum niſi ſolis ſuis fratribus locuturum. Quà promiſſione receptà, Camerarius iſta Papæ relaturus diſceſſit. Sed eccè alius ſuperuenit nuncius, Apoſtolicas litteras Camerario deferens, vt abſq. morà virum ſanctum etiam inuoluntarium reduceret. Cumquè idem Camerarius ad Cellam non ſinè impetu; et furore rediret, hæc ille fide digno relatu præſentiens, abſcondit ſe, et clandeſtinè fugit, exemplo Chriſti, qui Herodis perſecutionem fugiendo in Aegyptum deferri voluit, et in Euangelio à Iudæis, ipſum lapidare volentibus ſe abſcondiſſe legitur, et diſcipulos ſuos docuiſſe, vt cum perſecutionem paterentur in vnà Ciuitate, fugerent in aliam. O miranda, & miſerāda perſecutio: ipſe corporis viribus deſtitutus, & propter vltimam Senectutem ocio, et quieti, quàm itinerum labori habilior, ad partes Apuliæ in obſcuram ſyluam, vbi quidam Serui Dei habitare dicebantur, per loca abſcondita, et ignota, vno tantum fratre comitatus, latitandi cauſà fugere cogitur. Sed quòd ſtupendum eſt, quamuis mutato habitu conſueto, viliſſima clamyde indutus, aliis quoque, quibus poterat, modis abſconditus incederet, tamen quocunq; pergeret, agnoſcebatur: quandoquè à pueris, quandoq; à prouectis viris, qui nunquàm eum viderant proprio nomine vocabatur. Cumq. in ſyluà cum fratribus tempore Quadrageſimæ remanſiſſet, ſuperuenientibus illis, qui vt inuenirent, et captiuum ducerent, perſequabantur eum, indè abire compulſus eſt. Et videns ſe in illis partibus occultari non poſſe, mare tranſire diſpoſuit: paratoq. vehiculo, ſed malè proſpero vento, cum per quindecim milliaria nauigaſſet, ad terram iterum impellitur, et iuxta ciuitatem, cui nomen Veſtia eſt, applicuit.* Rem miraculo tribuit Iacobus Cardinalis, *de Canoniz. Petri libr.1.cap.4.* Res admiratione digna.

Vndiquè viſendi cauſà concurritur, et quà
Perrecturus erat, ſubſiſtunt; huncquè verentes,
Inclinant flectuntquè genu, velluntq. piloſum
Quadrupedem ſeſſoris equum, at aſinumq. rudentem
Præciduntque togam: morum fiducia tanta eſt:
Nam iuſti meritis tergi ſua crimina vulgus
Sperat, & incolumes reddi languoribus ægros.
Sic fugiens mundum, mundo deducitur. O quàm
Mundi creſcit honos, laudiſque inſignia clarent, &c.

De eius captiuitate, & patientià.

Cum fruſtrà vir ſanctus mare expectaſſet tranquillum; Præſes Ciuitatis captum detinuit, et Papæ intimauit. Qui illicò mandauit Regi Siciliæ vt eum Romam tranſmitteret. Quod licèt clàm factum, turba tamen euitari non potuit, quæ diù noctuq. confluebat ſuadens ei, vt Papam ſe appellaret, quia Papatus renunciari non poſſet. Ipſe autem conſtans, & tenax conſilii licet ſuper hoc ſæpè interpellatus, in propoſito perſtitit. Campaniam ergò cum intraſſet, nocte recluditur. Quo in loco volens Deus oſtendere, quantus eſſet, qui tenebatur

tur captiuus, miraculo declarauit ſequenti. Erat in curià Archiep. Coſentinus, tam intollerabili dolore calculi grauatus, vt Medici omnes, de ipſius ſalute deſperarent. Iam familia eius ſibi veſtes lugubres, & magiſtro ſuo parauerat exequias: dū ille deuotas preces Deo fundens, per ſancti viri merita ſalutis auxilium poſtulabat. Et ecce ſubitò, oratione factà, perfectè ſanus effectus eſt, ac ita planè conualuit, vt ſequenti die hoc domino Thoma, quem pater ille ſanctus de Ordine ſuo Cardinalem aſſumpſerat, ad Dei, & ſerui ſui gloriam nunciaret.

Humaniter receptus à Bonifacio.

Non defuere tamen qui prudenter reuocatum ex fugà aſſererent, ad euitandum ſchiſma: *vt Ptolom. Lucen. Iordanes.* Iacobus Cardinalis refert perhumanè à Bonifacio habitum, perſuaſumq. vt in arce Fumonis in Campanià conſiſteret: conceſſoſq. ei ex ſuo Ordine religioſos viros, cum quibus rei diuinæ vacaret, quibus omnia oppiparè ſubminiſtrabat: Sed virum Sanctum ſacri tenacem propoſiti, à delitiis alienum parcè admodum vſum oblatis, totum ſe contemplarioni addixiſſe. Ex aduerſo *Aliacenſis l.2. c. 17.* acerbè admodùm à *Bonifacio* habitum fuiſſe ſcribit, à quo contrà Cardinalium ſententiā, qui libertatem permittendam cenſebant, vt in ſolitudine uitam ageret, compactum in arctiſſimum carcerem. Fingebat (ait Aliacenſis) in Conſiſtorio Cardinalium, conſilium quærere, *quid agendum de Petro Morono? Cui cum plures dicerent, vt ad cellam, quam ſemper deſiderauerat, eum pròut humiliter poſtulabat, liberè redire permitteret; ipſe propria crudelitatis vſus conſilio, deliberauit in arcto carcere detinere. Miſſus itaquè* C *ad caſtrum Fumonis, & fortiſſima turri recluſus; vbi adhibitis ſex militibus, & alys triginta ſatellitibus ad eius cuſtodiam, die noctuquèità tenebatur arctatus, vt nulli hominum ad eum pateret acceſſus. Petijt autem, vt duo ſibi darentur fratres, cum quibus diuinum ageret officium, Qui ei conceſſi, illius carceris anguſtiam diù ferre non valentes, inde extrahebantur infirmi. Erat enim tanta ipſius turris arctatio, vt vir ſanctus, vbi habebat pedes, Miſſam celebraret, ibiq. caput reclinaret dum dormiendo quieſceret. Sed proh pudor ſic Bonifacius ille, alter Herodes, Petrum ſeruabat in carcere: qui nuper cuſtos erat, & paſtor totius ouilis Chriſtiani. O verè Herodiana ſæuitia. Quà igitur procellà verborum tàm impium nefas obrui meretur. Certè ad hoc monſtruoſum facinus inualida noſtra deficit lingua, ad quod etiam Ciceronis eloquentia non ſufficeret. Sed admiranda, & ſummis laudibus extollenda viri ſancti virtuoſa conſtantia, qui non ſolùm patienter, ſed etiam gaudenter huius carceris ignominiam multo magis, quàm antea Papalis aulæ gloriam ſuſtinuit. Nec propter improbitatem cuſtodum, aut aliam moleſtiam murmur in eo aut querimonia reſonuit, ſed potiùs ſpiritualis lætitia verbum protulit:* Cellam (*inquit*) deſideraui, cellam habeo. *O ineffabilem virum, nec labore victum, nec morte vincendum: cuius virtus carcere, cuius patientia dedecore vinci non potuit: Sentiant igitur alij, quòd libuerit: ego verò cenſeo talem in tali viro carcerem, non indignè æquiparandum eſſe martyrio. Nec æſtimare queo in eo, qui tam horrendum opprobrium, tàm æquanimiter ferre valuit, etiam martyrium ſuſtinendi fuiſſe voluntarium animi propoſitum. Et hoc, quàm illud ei tollerabilius fuiſſe arbitror, quò breuem, quàm longum cruciatum eſt tolerare facilius. Itaquè quid de eo rectius dixerim, quàm quod de alio ſanctiſſimo con*A*feſſore ſcriptum legimus:* ſi ei gladius perſecutoris defuit, palmam tamen martyrii non amiſit?

In caſtro Fumonis vic ſanctus detinetur.

*Poſtquàm autem fidelis athleta diù ac legitimè certauerat, iuſtus Dominus, volens ei victoriæ coronam reddere, hoc modo laboribus, quos per ſexagintaquinquè vitæ ſuæ annos pertulerat, finem imponere diſpoſuit. Conſueuerat vir ſanctus ab Aſcenſione vſq. ad Pentecoſten, ob reuerentiam Spiritus ſancti, ieiunio, orationi atq; ſilentio inſtantiùs vacare, & ad omnem ſe deuotionem exercere feruentiùs. Quam obſeruantiam etiam in illo carcere, quò decem menſium ſpatio arctatus fuerat, cuſtodiuit. Cum itaquè die ſancto Pentecoſtes Miſſam deuotiſſimè celebraſſet, milites ad eius cuſtodiam deputatos ad ſe vocari fecit, eiſque diſſolutionem ſui corpo*B*ris infra proximam Dominicam imminere prædixit.*

Prædicit obitū ſui.

Ab illam die, cæpit grauiſſimè infirmari, & certus de morte, fecit ſibi miniſtrari extremæ Vnctionis ſacramentum; Quà receptà iacebat vir ſanctus non ſuper culcitram aut paleam, ſed ſuper tabulam ſolam cum tapeto, vili coopertus chlamyde. O mira in infirmo corpore ſani animi fortitudo. O fortis, & inſuperabilis paupertatis, humilitatis dilectio: Appropinquante verò mortis ſuæ agone, exitum ſuum pſalmis, & orationibus quantum poterat, aduerſùs diaboli inſidias munire ſtudebat. Et vt ſecum in eis aſſiduè vacarent, fratres ſuos, iſtanter, & humiliter hortabatur. Vnde cum ipſi in diuinis pariter perſeuerarent laudibus, ipſo die ſabbathi horà veſpertinà, eo dicente Pſalmum: Laudate Dominum in ſanctis eius: *Statim completo verſu:* Omnis ſpiritus laudet Dominum: *cum flatu tenuiſſimo emiſit ſpiritum, cum ſanctis, & beatis ſpiritibus Deum inperpetuum laudaturus. O beata mors: O felix glorioſuſq. vitæ finis, immò verò non finis vitæ ſuæ, ſed alterius melioriſq. initium. Nunc enim naſcitur, qui ſic moritur. Auditâ morte Bonifacius Papa, licèt plurimùm indè gauiſus fuerit, triſtitiam tamen fingens, exequias eius in Eccleſià ſancti Petri de vrbe cum Cardinalibus ſolemniter celebrauit: Miſitq. vnum Cardinalem, & Camerarium ſuum, qui cum omnibus Epiſcopis, & plurimis religioſis de prouincià Campania corpus eius ad Eccleſiam ſancti Antonij de Ferentino, quam ipſe nouiter conſtruxerat, honorificè tranſtulerunt: vbi iuxtà maius altare cum debità veneratione ſepultum eſt. Non enim tantas ſancti illius reliquias iacere inhonoratas decuit, quem admiratio puræ ac ſyncera vitæ adeò venerabilem fecit.*

Accipit ſacram Vnctionem.

Feliciter e vità vir ſanctiſſimus.

Vt autem vitæ eius ſanctitatē Omnipotens Deus D ſibi gratam, & acceptabilem eſſe probaret, idipſum multiplici nobis inſinuauit miraculo; ſed ſolùm duo hic recitare ſufficiat, quæ eius comitata ſunt obitum. Primum: quidam milites, qui eum cuſtodiebat in carcere, Papæ, aliiſquè pluribus retulerunt, quod à ferià ſextà vſquè ad horam mortis eius, viderunt antè ianuam camerulæ eius, Crucem coloris aurei non affixam alicubi, ſed mirabiliter pendentem in aere, quo miraculoſo crucis ſigno patenter oſtenſum eſt, *pænitentiam, quam ille per carnis mortificationem iugiter portauerat, Domino placuiſſe.*

Conſonat Iacobus Cardinalis *l.1. c.6.*

Febris adeſt, ſtimulatq. ſenem, ſacriſq. potitum
Exhalare pium cogit hunc ad ſydera mentem
O felix Papale decus, ſupremaq. calcans
Quaq. ſupergreſſus, vincenſq. per omnia luxum
Ingrederis cæleſte ſolùm, terraſq. ſupernis

iux-

Commu:di, & ſine probas te attingere palmam. A
Viuit in abſceſſu, rutilans in limine parua:
Parua tamen, quia paruus erat, nam mente ſubextans
Crux micat, inſignis viſa eſt vertiginie verſa,
Vt magis eniteat, iuſſiſq. in ſingula ſubdi
Hunc doceat, memoremq. Crucis, memoremq. laborũ:
Hunceq. crucifixum mundo, mundumq. viciſſim.

Sed & quanti meriti apud Deum ſit (ſubiungit cum Petrarcha Aliac.) aliud miraculum declarauit. Erat enim diſcipulus quidam eius Robertus Salentinus, ille videlicet, cum quo vir ſanctus, dum primùm ad Papatum fuiſſet electus, fugam tentauit: ſed cum euadere non valeret, ab eo quæſiuit, an ſe ad excelſa tractum, & coactum ſequi vellet? Ipſe autem qui à magiſtro didicerat mundum ſpernere, Chriſtum verò, & ea, quibus ad Chriſtum peruenitur, diligere. Quæſo, inquit, vt et labori, & periculo meo parcas, meq. potiùs cellæ inopis, & tutti ocij ſucceſſorem, quàm diuitis, et ſolicitæ gloriæ B participem velis. Quod & factum eſt. Nam illo Romam abeunte, iſte in ſolitudine perſtitit. Hic ergo dignus eius diſcipulus non multò poſt, beatam ipſius animam è carcere gemino ereptam ad ſydereas ſcandentem ſedes videre meruit. Qui tanto miraculo ſtupens interrogauit, an ſe tunc etiam ſequi, an quid aliud agere iuberet? Me verò vt in ſolitudine manerem admonuit: et ſic Cœlum petens, inter verba diſparuit. Diſcipulus autem ille conſilij memor, vſquè ad tempora noſtra perue-
Anima Cœlum ſcandit. niens, & dierum plenus ante hos paucos annos poſt magiſtrum abijt, magnâ quidem ſuæ ſanctitatis opinione, & mirabilium famâ operum relictâ. Præfuiſſe celebrandis exequiis Cardinalem à Pontifice miſſum, ac Romæ pro Cœleſtino Bonifacium ſacra peregiſſe, teſtatur Iacobus Cardin.

Exequijs dum Cardo praeſt à Præſule miſſus
Et celebrem ſublimis apex Bonifacius heros,
Miſſam doctus ait Romæ. Reuerentiæ quidni
Promeruit patris, quondam diademate fulſit
Papali, miruſq. fuit virtutibus Orbi.

Ingentibus poſt obitum claruiſſe miraculis, ſubiecta carmina probant.

Poſt obitum ſecreta tenens cæleſtia pauper,
Miraculis claruit poſt obitum Diues Opum, ſyduſq. potens, domiſq. refertum
Signa nouat: nam voce carens, linguaq. tremiſcens
Quoq. arcta tremulus, nec firmis greſſibus hærens
Lecticulo quia membra fluunt, nec pacta reſiſtunt,
Ad loca deductus, miram quibus ille peregit
Vitam eremi, zonamq. patris per ſingula cinctus
Membra, iacens ſurrexit ouans, laudeſq. rependit
Sanus, & ex toto morbi diſcrimina neſcit.
Sicq. alius ſtandi ac gradiendi commoda ſenſus
Perdiderat, celeriſq. manus & triſtius vſum.
Eccleſia recubans noctu, qua corpus humatum
Almifici Marronis erat, de mane reſurgens,
Se ſanum reperit, te templo, teq. fatetur.
Si maiora velis forſan cognoſcere, vitam
Inſpice: ſi vitam, veteraaq. tempora luſtra.
Tempora ſi prudens complecteris, accipe famam.
Si famam reſperſit odor, tu ſuſcipe fratres.
Si fratres & dogma legas, eremi quoq. dogma
Si capies perames. Si iam dulcedine captus
Alliceris, metire tuas per ſingula vires.
Tunc pudor, & candor, laxaq. modeſtia lingua
Paupertas, virtuſq. actus frenantia luxum;
Et modus, & pietas humilis, fraternaq. mentis
Integritas imitanda tibi, venerandaq. ſemper

Occurrent, &c.

Aliacenſis verò ita concludit. l.2. cap.19. Alia penè innumera virtutum atq. miraculorum ſigna, quibus vir ſanctus antè, & poſt mortem clarùit, hic narrare omittimus, & ad ea, quæ ſuper his diffusè ſunt ſcripta, & diligenti examine certis authoribus, & veridicis teſtimonijs approbata, lectorem remittimus. Ex quibus hoc concludere ſufficiat, quòd propter miraculorum ac meritorum claritatem, poſt longam de eius canoniza- Canonizatur.
tione faciendâ diſceptationem, tandem per Clementem Papam V. Sanctorum Confeſſorum catalogo annumeratus eſt Anno Sal. 1313. tertio Non. Maij. ab eius autem tranſitu, Anno circiter XI. Fuitq. eius feſtiuitas inſtituta 14. Kal. Iunii, quâ die poſt labores huius vitæ, in Chriſti pace quieuit. Iacobus verò Cardinal. in præfat. Operis hæc ſcribit. Hoc Anno 1295. die 14. Kal. Iunii Catholicè, ſanctè religioſeq. defunctus B terram Cœlo, calamitatem fœlicitate, mortem vitâ commutauit, Ferentini in loco ſui Ordinis fratrum ſepultus reuerenter.

Scripſit Cœleſtinus V. Relationem vitæ ſuæ.
Opuſculum. 1. de Virtutibus.
2. De Vitiis. 3. De Hominis vanitate.
4. De Exemplis ac ſimilibus moralibus.
5. De ſententiis Patrum Eremitarum.
6. De Miraculis B V. Mariæ. 7. De cenſuris.
8. De Sacramẽtis Eccleſiæ. 9. De decẽ præceptis Decal.
10. De Præceptis Eccleſiæ. 11. De Legibus.
Epiſtolas ſeptem ad varios.
Formularium literarum dimiſſorialium ad ordines ſuſcipiendos.

Hæc omnia prodiere Neapoli latinè Ann. 1640.

De Perfectione Religioſorum. l. 1. extat M.S. in C Monaſterio Meduntenſi.

Quaſdã Cõſtitutiones Eccleſiaſticas. Poſſeu. in apparatu.

Ne quid autem in laudem tanti Pontificis omittamus, ſequentibus Cęleſtini vitam claudit Aliacẽſis.

Hæc igitur auxiliante Deo, ad ſuam, & glorioſi confeſſoris ſui laudem conſcripſi. Quicquid autem minùs dixero, ignorãtiæ meæ potiùs, quã illius gloriæ derogetur. Si verò quis voluerit eius opera tradere monimentis, certum eſt, quià tanta ſunt, vt maius opus, & maiorem requirant opificem. Ego quantâ potui breuitate, inſerui pauca de multis, quæ penè fidẽ exuberant, niſi ea certi teſtes approbaſſent. Sed vt operi finis imponatur; ſingulos ſanctorum titulos, quos in ſe complexus eſt, breui compendio colligamus. Igitur vt Apoſtolus, doctrinam Chriſti D verbo, & exemplo prædicauit: vt martyr, corporis tormenta, carceriſq. ſupplicia pertulit: vt confeſſor, die noctuquè orationibus, & pœnitentiæ operibus feruentiſſimè vacare ſtuduit: vt virgo, concupiſcentiam carnis calcauit; vt Pontifex, & paſtor bonus, ouili Chriſti prodeſſe cupiuit, ſed præeſſe contempſit: vt electus ſacerdos, dignũ Deo ſacrificium obtulit: vt doctor egregius, diſcipulorum mores ſalutaribus documentis inſtruxit, vt eremita ſolitudinem, paupertatem, atq. humilitatem, pœnitentiam eo feruore zelauit, vt Anachoretas omnes præceſſerit. Ex his, quos in ſolitudine ſpiritualiter genuit, durat hodie religioſa ſucceſſio, quæ continuè non ſolùm numero, ſed & meritò creſcens, fructuoſis virtutum operibus, & exẽplis nedum militantem Eccleſiam paſcit, & recreat, ſed etiam triumphantem lætificat. Ad cuius lætitiæ participationem ille nos peruenire concedat, qui eſt benedictus in ſęcula ſęculorum. Amen.

E L O G I V M.

Anni Sal 1Bo. 1294.l1 SI elogia qualia libet, non qualia licet,
Bonifacius [1] Octauus audiuit viuens:
Audiat mortuus
Qualia licet, non qualia libet.
Eius generis, ac gentis
Quæ Caietanos lactat in ſpẽ, ac ſpetię Pōtificũ,
Contrà morem familiæ (ctare.
Cęleſtino Pōtificatũ rapere [2] maluit, quã expe-
Auctor, vel malefactor illius legis,
Quà Pontifici datur, ſe abdicare Pontificatu:
Legislator dictus eſt cōtrà gratiã, ſuprà naturã
Tanti facinoris inuidiam in Deum reiiciens;
Tubà [3] Cęleſtino loquutu m turbæ retulit.
Sed nemo inſanis repertus, qui inſanè crederet
Deo magis placuiſse *Bonifaciũ*, quã *Cęleſtinũ*.
Iſte ſi regno impar: Ille ſuprà quàm par eſset.
Habet etiam ſua vitia virtus:
Prodeſt, quãdoq. nõ ſapere; vel ſapere ad ſobrietatẽ.
Regno aptior quàm Sacerdotio,
Timeri [4] ſtuduit, non amari.
Regni nomen, etiam ſi modeſtè tractetur, inuidioſũ,
Si immodeſtè, vel immoderatè, iniurioſum.
Omnia cum ſciret; hoc vnum ignorauit:
AEquè nocere: ſuſpici, vel contem ni.
Vnum ei votum. Aſserta Palæſtina, [11]
Per barbarorum cædes ire ad tumulũ Chriſti.
Sacra vota ni ambitu polluiſſet.
De eccleſiaſticà immunitate ſollicitus,
Siculos, [5] Gallos, [6] Anglos, Danos,
Cęteraq. terrarum Numina, & Nomina,
Obuerſantia paſsus non obſeruantia:
Quòd eccleſiam regeret more caſtrorum.
Pacem cum ferro quæreret, nunquàm inuenit.
Gibellinos, Guelphos extinctos, & ſep ultos
In cinere ruminauit, excitauit;
Cum caſulà indutùs inter aras, die Cinerum
Sacrũ cinerem in oculos proiecit Ep. Ianuẽſis:
A Exprobrans, nõ *quòd homo, ſed Gibellinus* [12] *eſſet.* Anni Sal 1Bo. 1291.11
Attrociùs non potuiſset Scytha bellũ indicere:
Et pacis hoſtià hoſtem prouocare.
Immiſſis Vrſinis in Columnẽſes euerrit, euertit:
Vrſos immittere voluiſset, ſi potuiſset.
Hoſtibus ſi aliquandò pepercit:
Semel peperciſse, ſemper pęnituit.
Anno ſęculari ad pacem ſeriò, ſed ſerò reſpexit:
Iano clauſo *Iubilæum* [8] aperuit; & primus
Eccleſię theſauros indigenis, et alienigenis erogauit
Fatigata tũc piorũ oſculis Diuorũ limina: (mis,
B Excuſpta, & expũcta marmora pęnitẽtiũ lacry
Qui ſupra ducẽta millia dietĩ cõuenere Romã 1300.16
Dapiferũ, & pĩcernã fuiſse Deũ annona probat:
Nam creſcente populorum turbà,
Rerum pretium in foro decreuit.
Dictauit Bonifacius leges pacis,
Et quinque Decretalium libris, *Sexto* addito,
Numerum adeò cõpleuit, & Iuſtitię numeros,
Vt poſteri nil auſerint addere, vel diminuere
Corruptos eccleſiæ mores emendare volens,
Parum profecit:
Quod negligeret faſtum ſui.
C Hæc ſola cauſa, ne timeretur à Regibus, (ret.
Etiã cũ dictaret, quæ Deus ſcriberet, ſi legẽ da
Eius literę à Philippo obliteratæ, Legati ligati,
Vita, vitta in diſcrimine poſita, 1303.19
Columnenſium vinculis victus, & vinctus,
(Vt quomodò vixerat, [7] moreretur,)
Capite ad parietem illiſo,
Vt verè diceretur neminem reſpexiſſe,
Etiam vitam contempſit.
Mortuo poſitum eſt [10] epitaphium:
In quo conſpirarunt Veritas, & Mendacium.
Intraui vt vulpes, regnaui ut Leo, exiui ut canis.
Vel
Hic iacet eccè Nero, Laicis mors, vipera Clero.

ADNOTATIONES IN BONIFACIO VIII. PONT. ROM. CLXXXXIII.

1 B*Onifacius* huius nominis *Octauus*, antea *Benedictus Caietanus*, patrià *Anagninus*, filius *Liutfredi* equitis Anagnini; cuius Maiores nobili genere in Catalonià Hiſpaniæ prouincià orti, in Italiam cum veniſsent, conſedere Caietæ. Indè Anagniam vetuſtiſſimam vrbem, & opulentam, caput regionis Hernicæ migrantes, a priore ſede *Caietanæ* familiæ nomen tribuere. De hac nobili familià plura ſcripſit Andreas Victorellus ad Ciaconium, quæ nos omittimus non ad iniuriam, ſed quòd ſatis apud hiſtoricos monumenta ſuperſunt nobilitatis: Nos autem Pontificum, non familiarum geſta inquiramus. Fuit *Bonifacius* acris ingenii, ſolertis, & optimæ indolis. Oblatus in teneris annis literarum ſtudio, mirè profecit. Vtriquè iuri operam impensè nauauit; Indè ad curiam Romanam accedens, vbi Aduocati Conſiſtorialis, & Sedis Apoſtolicæ Notarii munere functus, leges pacis inter Rudolphum Imperatorem, & Carolum Siciliæ Regem, Anno Sal. 1280. exarauit, vt ex *ep.* 10. *Nicolai IV.* Creatus poſtea à Martino IV, Diaconus Cardinalis S.Nicolai in carcere Tulliano, & ab eodem Legatus miſſus ad Carolum Regem Siciliæ, vt à duello retraheret, quod ſubire iurauerat contra Regem Aragoniæ *ep.* 37. *Martini IV.* Anno verò 1290. ad Reges miſsus Tranſalpinos à Nico-

Margin: Bonifacius VIII Italia. — Officia. — ...udia.

lao IV. prò reſtituendà concordià inter Eduardum Angliæ, & Philippum Galliæ Reges, ac Carolum Valeſium, & Alphonſum Arragonium, vt ex *ep.36. Nicolai IV. l.3.* Datum ei vitio, quòd Sede vacante per obitum Nicolai IV. Cardinalium ipſe aluiſſet diſcordias, vndè aſperioribus verbis à Rege Carolo exceptus, eum conuenire minimè auderet; quamquàm Cœleſtino ſedente, ità vafer homo ſe in gratiam Regis inſinuauerit, vt non ſolùm curiæ Pontificiæ adminiſtrationem corripuerit, ſed Regis operà Pontificatum ſcanderit.

Captat gratiam Caroli Regis.

Vacante tandem Sede Pontificià per renunciationem factam à Cœleſtino Papà, ipſe Petri ſedem eſt aſſequutus, quam tanto tempore concupierat. Impletum tunc S.Malachiæ vaticinium, *de Vndarum benedictione*: quia *vndas* haberet Bonifacius in ſtemmate, & antè Pontificatum nomen haberet *Benedicti*.

2. *Rapere* dictus eſt Pontificatum. Audi Blondum Flauium, Carranzam, & S. Antoninum *p.3.tit. 20. c.8. Dominus Benedictus Cardinalis de Guatanis, qui ſatis videbatur ambire Pontificatum Romanum; propter quod dicitur ſuaſiſſe Cœleſtino de renunciatione. Sollicitus erat ad hoc procurandum cum Cardinalibus, & cum Rege Carolo, non expectans quidem ſe vocari à Domino tanquàm Aaron. Vndè & nocte quadam cum modicà comitiuà, ne agnoſceretur, acceſſit ad palatium eius, offerens ei omne auxilium eccleſiæ, in recuperatione Regni Siciliæ: ſi operam daret cum Cardinalibus amicis eius, vt Cardinales noti eius ipſum omninò aliis poſtpoſitis, eligerent. Cum igitur eſſent in conclaui Neapoli, D.Matthæus de Vrſinis, & Iacob de Columnenſibus, qui erant capita partium Cardinalium perpendentes factam, primi vocem dederunt præfato Domino Benedicto: quos alii ſecuti ſunt. Sicquè creatus eſt Romanus Antiſtes in vigilià Natiuitatis Domini.*

Rapuiſſe accuſatur Papatum.

Deludit Cœleſtinum.

3. *Tuba &c.* Accuſant alij, quòd Cœleſtini ſimplicitatem, voce per tubam quaſi diuinitùs expreſsà decepiſſet, vt apud *Bzonium Anno 1295. n. 1.* & *Platinam* de quo ſupra diximus in *vità Cœleſtini*: Carranzam, Blondum Flauium.

4. *Itineri &c.* Animi dotes ad magna, & excelſa gerenda in Bonifacio agnouere quidem Iacobus Cardin. ad Velum Aureum, Ptolom. Lucenſis, S. Antoninus, Blondus Flauius, ſed vtinam verſutià, dolo, faſtu non immixtas. *Iordanus* ita deſcribit: *Sed ex hoc factus eſt faſtuoſus, & arrogans, omnium contemptiuus: vndè factus Pontifex prædeceſſorum ſuorum Nicolai, & Cœleſtini gratias reuocauit.* Cum enim in his, quæ ad Curiam pertinent, *vir eſſet experientiſſimus, nec parem haberet prudentia ſua, vltra modum in tantam arrogantiam erexit ſeipſum, vt Dominum totius mundi ſe diceret tàm in temporalibus, quàm in ſpiritualibus. Et multa magnificè fecit, quæ in fine miſerabiliter defecerunt, deditq. exemplum cunctis Prælatis, ne alta ſaperent, ſed forma facti gregis, magis ſtuderent amari à ſubditis, quàm timeri. Hic eſt de quo dicitur: Intrauit vulpes, vixit vt Leo, moritur vt canis.* Roleuinck *in faſciculo tempor.* Platina. Langius. Vveſtmonaſter. Carranza *de geſtis quorundam Pontif.* Papimperator cum eſſe vellet, electionem Alberti I. Auſtriaci in Regem Romanorum ab Electoribus factam improbauit, *quòd ſinè ſuà authoritate electio facta roborem non haberet. Nam*

Vitia Bonifacij 8.

A *vtriuſq. penès ſe vnum gladii poteſtatem manere affirmabat: quod ipſo apparatu, in eo qui tunc agebatur in Vrbe Iubilæo, ſolemniter fertur oſtentaſſe. Primò quidem ſolemni die in Pontificalibus apparens populo, Apoſtolicam illis benedictionem impartitur: poſterà autem die Imperiali habitu, inſulà ſcilicet Cæſareà inſignis, gladium antè ſe nudatum iuſſit deferri, & ſedens altà voce teſtatur. Ecce duo gladii hic. Vides ò Petre, Succeſſorem tuum: & tu ſalutifer Chriſte tuum cerne Vicarium. Vide, quò aſcendit ſuperbia Serui Seruorum tuorum.* Krantzius. *lib.8. Saxoniæ. c. 36.* Abdicato itaq. *Cœleſtino V.* Cardinales ex renouatà à S.Cœleſtino lege Gregorii X. conclaui incluſi, ritu ſeruato Eccleſiaſtico, poſt ceſſionē Cœleſtini, die XI. in Vigilià Natalis Domini Neapoli Ann. 1294. *Benedictus Caietanus* aſſumitur, *Bonifacii* nomine, vt bino B nomine *Benedicti*, & *Bonifacii* fęlicia populi ſortirentur auſpicia. *Iacob. Cardin. in præfat.* Susceptis Eccleſiæ gubernaculis Italiam pacare, Hiſpanos, Anglos fœdere Galloſquè coniungere, Orbem totum Chriſtianum in Sarracenos excitare, Hæreticos perdere meditatus, appoſitè accepit in ſymbolum (*vt ex ep.184.*)

Bonifacij electio, vbi, quando facta.

Domine Deus in adiutorium meum intende.

Symbolum.

Eius exordia egregia, pia, ſed exitus triſtes. Vitam eius exorſus eſt *Iacobus Stephaneſcus*, qui à Bonifacio purpurà auctus, eius geſta carmine deſcripſit, ac Cœleſtini abdicationem. Refert primò, quòd Bonifacius quamuis Caroli precibus vrgeretur Neapoli conſiſtere, Pontificij arbitratus decoris, Romæ inſignia accipere dignitatis, in Vrbem venerit Regibus Siciliæ, & Vngariæ ſtipatus, eiſdem conſecratus adſtantibus.

C Perfectà pompà *Bonifacius* encyclicas literas de ſuà promotione ſcripſit ad Præſules, Reges, cęteroſq. fideles, diuina exigens præſidia pro fęlici regimine. Cum verò non deeſſent pertinaces viri, qui eius improbarent electionem, quia Cęleſtino factam viuente: Eremitam ſanctum cuſtodiæ tradidit ad ſchiſmata euitanda, vt vidimus in *Cœleſtini vità*. Exornauit eius Pontificatus exordia pax inita inter Carolum II. Regem Siciliæ, & Iacobum Arragonium, eà conditione, vt titulo Siciliæ depoſito, quem maiores Iacobi iniuſtè vſurpauerant *Blancam* filiam ipſius Caroli duceret in matrimonium: Robertus verò Caroli primogenitus *Iolendam* duceret Iacobi ſororem. Ad compenD ſandam porrò iacturam Siciliæ, qua cedebat Iacobus; promiſit in arcanis Bonifacius Sardiniæ, & Corſicæ Regna, quibus illegitimè acceptis cum ingenti pecunià Arragonij nec Siciliam amiſerunt, nec reſtituere pecuniam, Gallis deluſis ac Bonifacio. *Surita l.5.c.10.* Mariana *l.14. c. 17.* Centum millia marcharum argenti Iacobo promiſerat Carolus, præter XXV. millia marcharum, quæ numeraturus erat in dotem *Blancæ* filiæ ſuæ, remiſſis reliquis, quæ ei debebat Iacobus. Deficiente verò pecunià, cum dilationem flagitare cogeretur: inopiam eius Bonifacius leuauit, mutuò datis XXV. marcharum millibus Perpiniani, ac ſeptem millibus librarum Turonenſium, vt ex *epiſt. 497. l. 1.* Ceſſerunt itaq. Galli Arragoniæ, Iacobus Siciliæ iuribus, ſed in ſpeciem, nam *Fridericus* Iacobi frater, qui Siciliam cum matre Conſtantià admi-

niniſtrabar, vſurpato titulo Regio (conſentiente el conſpirante Iacobo ſratre) legatos Pontificis, qui Anno 1296. Siciliam appulerant cum plenà aculktate reſtituendi Siculis libertatem, & priuilegia, præferociter expulit, per Meſſanenſes reſpondens illud Poetæ: *Timeo Danaos, & dona ferentes.* Tandem vnus eorum, *Petrus de Anſalone*, educto enſe ſequentia ſubiunxit. *Siculi non membranis, ſed gladio pacem quærunt, tibiq. vt vniuerſam deſeras Siciliam, ſub pœna mortis edicunt.* Surita *l.5. c.16.* Die ădem Paſchæ in Regem vnxere Fridericum. Quod cum audiſſet Bonifacius, Aſcenſionis die, ritu ſolemni geſta Siculorum reſcidit, omneſq. excommunicauit: Cardinalibus Columnenſibus, qui cum Friderico aduersùs Pontificem conſpirauerant, depoſitis, *Iacobum* Regem Arragonium excitauit in fratrem. Nec defuit promiſſis Arragonius, inſtructà claſſe vnà cum ſocero *Carolo* Rege, in Siciliam vela fecit. Exſcenſionem facere parantem *Fridericus* excepit, ſed magnà clade attritus relictis in boſtium poteſtate viginti triremibus cum ſex millibus Siculorum, ipſe ſub manu cecidiſſet boſtili, ni Arragonii ex patriæ amore, ac vinculo conſanguinitatis dimiſiſſent incolumen. Iacobus verò cum eà clade conſternatos Siculos victricibus armis, totamq. Inſulam ſub imperio potuiſſet adducere, in Arragoniam ouans, ſed nullo victoriæ fructu regreditur. Interim *Philippus* Caroli filius triremium quadraginta inſtructà claſſe, cum fęliciter in Siciliam appuliſset, Bonifacio prohibente Pontifice, dum ad munitæ arcis obſidionem incumbit, à *Friderico* ad pugnam laceſſitus, temerè ruens, ex equo clauà capitur deiectus. Exbauſerat adcò in bellicis ſumptibus Carolus ærarium ſuum, vt etiam coronas, gemmas pro cenſu ſoluendo, tradiderit Bonifacio. *Surita l.2. c.41.* Repetitis cenſuris, & immiſſis copiis, duce *Carolo* Andium comite, tentauit Pontiſex *Fridericum* ad obſequium reducere; ſed omnia bellicà fraude cum Hiſpanus illuderet; in eo tandem conuentum: vt Trinacriæ Regis iuſtum titulum aſsequutus, filiam Caroli duceret in matrimonium. Concordiam vrgebant noua diſſidia inter *Philippum* Gallorum Regem, & Bonifacium, quorum cauſa non vna. *Guido* comes Flandriæ *Philippam* filiam ſuam filio *Eduardi* Regis Angliæ deſponſauerat; iniurioſum accepit coniugium ſic initum inconſulto *Philippus* Rex Gallorum: diſſimulato tamen dolore, blandis ac ſubdolis verbis cum *Guidonem* eiuſquè uxorem ad ſe accerſiſſet; de Regià fide minimè dubitantes venère. Sed vultu excipiens minaci, exprobrare cępit: *Flandre, Flandre: occultam iunxiſti ſocietatem cum inimico noſtro. Perduellionis es reus: Comitatum amiſiſti.* Tentauit Guido Regem lenire, oblatiſq. obſidibus ſecurum reddere. Sed nil profecit; nam carceri datus, coactus eſt ſe redimere filiæ pignore, quam poſtea Lutetiæ relictam, domum reuerſus, repetebat inſtanter. Pontifex ipſe intercedebat Romanus, ac per minas diri fulminis, Regem iuſtè adigebat, ut *Philippam* dimitteret. Eas tamen contemnebat Rex profanus dicens: nihil ad Pontificem attinere ſæcularia negotia. Quod *ſi ad Pontificem confugere nefas Guidoni fuißet; ad quem poterat pro filia iuſtitià, & libertate confugere? oh vana mens hominum.* Non deſtitit Atamen Bonifacius, quanquam à Philippo grauiſſimà prouocatus iniurià, ut eum Anglo conciliaret. Qui cum ſe eius commiſiſſent arbitrio; pronuntiauit Bonifacius. *Guidoni filiam, occupataq. oppida Philippus redderet: ac quidquid Anglo in Aquitanià abſtuliſſet, reſtitueret: deq. bello dumtaxat cogitaret Aſiatico.* Tabulæ ad hoc confectæ, quas cum Gallus accepiſſet, igni tradidiſſe refert Bzouius *n.8.* Anno 1296. Suo etiam probibuit edicto, *nè quis cuiuſq. nationis ſtatus eſſet, vel dignitatis, aurum vel argentum, pretioſos lapides, victualia, equos, arma ex Gallia deferre præſumeret*: quo etiam Clericos pulſari Pontifex arbitratus, præcipuè exactores ſuos, qui pro Aſiatico bello decimas colligebant in Galliis, Conſtitutionem & ipſe edidit incipientem *Clericis Laicos*, vt in B *c.6. de Immunitate Clericorum in 6.* quà in Regesqueritur quòd ipſi Eccleſiaſticis grandia imperarēt tributa: quibus cum ſe inconſulto parerent Clerici; vetuit ipſos Principibus quauis de cauſà aliquid ſoluere, ſede inconſultà Apoſtolicà. Hanc Bullam Philippo tranſmiſit Bonifacius per Epiſcopum Viuarienſem cui dederat in mandatis, Regem admonere de edicti iniuſtitià, quo interdictum erat cuilibet (Verborum generalitare ipſis non exceptis Eccleſiaſticis) aliquid extrabere de regno Galliæ. Hoc enim Eccleſiaſticæ repugnabat immunitati, pro quà mori paratus erat. Rex tamen crederet; quòd prò eius, vel regni tutelà minimè obſtabat Pontiſex, ab eccleſiaſticis ſubſidia præſtari: Dolere ſolùm hoc C fieri Pontifice inconſulto; & de futuris potiùs formidari, quàm de præteritis. Minas adiecit, vt Rex paterna ſuſciperet medicamenta, errata corrigeret; ne cogente iuſtitià ad minus vſitata remedia Pontificem prouocaret, qui querentibus pręcipuè *Adolpho* Romanorum Rege, & *Eduardo* Angliæ iuſtitiam cogendus eſſet ſubminiſtrare; qui cum de peccato Gallum accuſarent: ſinè dubio ad Apoſtolicam ſedem pertinebat iudicium.

Edictũ Regis ne quid aſportetur extra Galliam.

Reſpondit Rex verbis acerbis. Quòd etiam antequàm eſsent Clerici; Rex Franciæ poterat regni ſui habere cuſtodiam, ac ſtatuta facere, quibus ſibi ab inimicorum præcaueret inſidijs, eiſdemq. ſubtrahere ea, quibus Regem & Regnum poſſent grauiùs impugnare. Hac de cauſà potuiſſe interdicere, ne quis arma, equos, vel pecuniam de regno extraheret, Rege inconſulto. Hoc tamen edictum D non fuiſſe ad perdendam Cleri immunitatem; cuius ſi conſtarent bona eſſe; eorumq. extractionem de regno non fieri in gratiam inimicorum, nulli ſic petenti, & præmiſſa probanti ſe licentiā denegaturū. Mirari tamen Laicos ſemper opprimi vocabulis Eccleſiaſticæ libertatis. Si enim liberi ſunt Clerici; non ſunt ſerui Laici. Chriſtus cum non ſolum pro clericis mortuus ſit, & reſurrexerit; non debent Clerici ſibi Eccleſiaſticam vſurpare libertatem, laicos excludendo, cum Chriſtus gratià ſuà omnes liberauerit. Sancta mater Eccleſia, quæ Chriſti ſponſa, vna eſt, & non ſolùm ex clericis conſtat, ſed ex Laicis, qui ex deuotione plurima Clericis contuliere priuilegia, & immunitates, quæ tamen regimen, & defenſionem Principibus auferre non debent; dicente Domino Pontificibus Templi: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; quæ Dei, Deo.* Et quia membrum inutile, & paralyticum eſt, quod capiti

ſuo

ſuo ſubſidium ferre recuſat. Laici, vel clerici qui Regi auxilia denegant, ſeipſos paralytica eſſe membra demonſtrant. Si Rex dum regnum tuetur, clericorum bona defendit; quomodò ſine naturalis iuris iniuriâ; poſſunt defenſori prohiberi ſtipendia? Pergit poſtea exaggerando iniurias Galliç per Anglos illatas, ac Regem Germaniæ, contra quos neceſſe fuerit gladium defenſionis arripere.

Archiepiſcopus etiam Rhemenſis, eiuſq. diæceſeos Epiſcopi, & Abbates per literas Pontifici ſignificarunt, Regem, Regni Barones in eà ſtare ſententià, eamq. tueri paratos, omnes Regis ſubditos, Clericos etiam omiſsà omni priuilegiorum mẽtione, pro defenſione patriæ ſuppetias ferre teneri. Proinde enixè rogare, vt cauſas querelarum reſcinderet, ne lapſu temporis negotia emergerent difficiliora. Facem addebant

Diſſidia Colum. nienſiũ.

5. *Columnenſium* diſſidia magno vtriuſq. partis detrimento. Cęleſtinis abdicationi cum impedimento fuiſſent Columnenſes Cardinales, licèt poſtmodum conſenſiſſent: memor Pontifex, eorum poſtulata ſpernere videbatur; cum anteà ſplendore familiæ, opibus, clientelis clariſſimi primum locum vſurparent apud Pontificem. Propterea & ipſi Pontificem deſpicere minimè veriti, in eum obloqui, & in Conſiſtorijs refragari cœperunt. Tantam audaciam vt *Bonifacius* infringeret, aures præbuit *Oddoni*, & *Landulpho* Columnenſis familiæ paterna repetentibus caſtra, quæ vi detinebantur à familià Columnenſium, quæ de *Praneſte* dicta Cardinales, atq. inſignis ordinis viros, *Ioannem* eiuſquè filios, *Agapitum*, *Stephanum*, & *Iacobum Sciarram* alebat. Spreuere iſti non ſolùm mandata Pontificis, ſed verbis contumelioſis, atq. libellis in Orbem vulgatis, Pontificatum Bonifacij vti illegitimum accuſabant, Cęleſtino viuente (cui facultas non fuiſſet renuntiare Pontificatum) vſurpatũ Verbis addidere facta: Pontificià ſuppellectile, quæ Romã vehebatur, interceptà licet operà Cardinalium reſtitutà; quibus annuentibus cum Bonifacius ſuſpicaretur rapinam factam, Cardinales Romam citauit cauſam dicturos. Hi metu perterriti, coactis aliquot agreſtium manipulis, ſe recepere Præneſte. Pontifex vindictæ cupibus, cõgregatis Romæ Epiſcopis, & Cardinalib. cum Columnenſium expoſuiſſet facinora, conſpirationis ſcilicet cũ Friderico, ac Iacobo Arragonio aduerſùs Romanam Eccleſiam, & Carolum Siciliæ Regem; perfidiam hæreditariam ab eis tranſmiſſam, qui olim cum Friderico Imperatore Eccleſiam perſequebantur: bonorum uſurpationem, quæ conſanguineis eripuerant; ut eorum ſuperbiam contereret, *Iacobum* S. Mariæ in Vià latà, & *Petrum* S. Euſtachij Diaconos Cardinales depoſuit, ac in futurum Eccleſiaſticæ dignitatis incapaces declarauit. Excommunicauit etiam omnes (cuiuſcumq. eſſent dignitatis) qui ei præſtarent auxilium; caſtra, terras, quæ eos ſcienter ſuſciperent, interdicto ſubiecit Eccleſiaſtico. *Ioannem*, *Oddonem* fratres dicti Iacobi de Columnà cum deſcendentibus uſq. ad quartã generationẽ declarauit inhabiles cuiuſcumq. Eccleſiaſticę dignitatis eorum bonis Fiſco adiudicatis tàm mobilibus, quàm immobilibus: vt ex *Bullà ſub die X. Maij. Anno* 1297. Sumptis deinde armis, ac antiquis eorum hoſtibus Vrſinis in eos cõcitatis, Cruce ſignatorum copias *Vrſo Vrſino* Duce in eos immiſit; à quo cunctis Columnenſium oppidis deuaſtatis, cũ ſolũ ſupereſſet *Praneſte*, quò Columnenſes confugerant, minimè tamen valerent defendere, Menſe Septembri Anni 1299. Reate ad Pontificem, nullo ſecuritatis accepto pignore, cum cognatis venere & amicis, vbi eius pedibus prouoluti, humiles veniam precati, eà fuere conditione ſuſcepti, vt *Praneſte* tradito, Tibur ſecederent, ſenium ibidem expectaturi. Non abnuentibus; munitiſſimam arcem recepit Bonifacius, urbemq. ex vertice montis ad radices tranſtulit, eamq. priſco obliterato nomine, *ciuitatem* dixit *Papalem*: quam tandem dicterijs concitatus Columenſium, funditùs diruit, ac ſale conſperſit dicens, *lapides diſſipari, non hoſtes, ſpeluncis eorum manentibus*. Eorum caſu perterriti reliqui Columnenſes, alij in Galliam, alij per Siciliam diſperſi, Bonifacio latitarunt viuente. *Sciarra* diù in nemoribus vixit, donec in manus incidens piratarum, remigio admotus ſortem ęquiore animo ferre proteſtabatur *iniquam, quàm Bonifacii ſanctiã*. Interim vt Gallorũ Regis exulcerati animum deliniret, Bullam, cuius exordiũ *Clericis laicos*, nouo interpretatus decreto, ſanxit: *Vt ſi clerici, vel prælati liberè, & non coacti donum vel mutuum Regi pręſtare voluerint; dummodò ſub exactionis nomine, aut vectigalis, vel tallia non ſolueretur oblatio: à nemine poſſent prohiberi. Quoad feuda, & regalia, quæ eccleſiaſtici in regno Galliæ poſſidere noſcuntur; minimè haberentur immunes. In neceſſitatis etiam articulo, vbi eſſet in morà periculum, nec facilis eſſet ad ſedem recurſus Apoſtolicam, ad contributionem tenerentur & Clerici*. Præſenti verò declaratione Rex minimè contentus, cum opibus abuteretur eccleſiaſticis; eundem Bonifacius monuit, vt miniſtrorum impunè graſſantium licentiam coerceret. *lib. 5. ep.* 1. Anno 1299. Melgorienſem Comitatum, Romanę fiduciarium Eccleſiæ non vſurparet *libr. 6. epiſtol.* 35. Anno 1300. Paulò tamen poſt, omnia Papa ſuſpendit; quia priuilegiorum ſpecie Philippus obtereret Eccleſiam. Ea exponere Rex teneretur Sedi Apoſtolicæ, quæ meliùs conſulta prouidere poſſet, ſi dicta foret moderanda ſuſpenſio. Bullam hanc antiquauit Clemens V. inſtante Rege Francorum, teſte *Rainaldo* Annal. Tomo 14. *Anno* 1301. *num.* 30. Tandem cum in vetuſtis Gregorij VII. monumentis inueniſſet Bonifacius Francorum Regnum iure beneficiario ad Eccleſiam pertinere Romanam, per legatos Philippum monuit, vt eius Regni Dominam, Sedem recognoſceret Apoſtolicam: quod ſi Legati non impetrarent, Francorum Regnum ob Philippi contumaciam deuolutum pronuntiarent Eccleſiæ. Ita *Andreas Victorellus in Addit. ad Ciaconium*. Forſan literis perſuaſus, quæ mutuò circumferuntur.

Literæ conſictæ nomine Bonifacij.

Bonifacius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Philippo Francorum Regi. Deum time, & mandata eius obſerua.

Scire te volumus, quòd in ſpiritualibus, & temporalibus nobis ſubes. Beneficiorum, & præbendarum ad te collatio nulla ſpectat: & ſi aliquorum vacantium cuſtodiam habeas, fructus eorum Succeſſoribus reſerues: & ſi quæ contuliſti, collationem huiuſmodi irritam decernimus; & quantum de facto proceſſerit, reuocamus. Aliud un-

autem credentes, Hæreticos reputamus. Dat. Laterani A *Non. Decemb. Pontif. noſtri Anno VII.*

Libellis certant famoſis.

Philippus Dei gratiâ Francorum Rex, Bonifacio ſe gerenti pro Summo Pontifice ſalutem modicam, ſeu nullam.

Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos alicui non ſubeſſe. Eccleſiarum ac præbendarum vacantium collationem ad nos iure Regio pertinere, fructus earum noſtros facere: collationes à nobis factas, & faciendas fore validas in præteritum, & futurum, & earum poſſeſſores contrà omnes viriliter nos tueri: ſecus autem credentes, fatuos, & dementes reputamus. Datum Pariſiis. Has Literas recitauit *Mornaus*, ac in Actis inter Bonifacium leguntur, & Philippum. Cõfictas tamen credidit Paulus Æmilius: Immò Cardinales tunc tẽporis per datam die 26. Iunij 1302. epiſtolã certiores fecere Duces, Comites, ac Francorum Barones, nunquàm ſcripſiſſe Pontificẽ prædicto Regi, B *vt regnum ſuum in temporalibus à Romano Pontifice recognoſceret, illudq. ab eo tenere profiteri cogeretur. Sed ſolùm Spiritualibus temporalia ſubeſſe. Romanum Pontificem Summum eſſe in eccleſiâ Hierarcham, ac poſſe omnem hominem arguere de peccato.* Hæc verè Philippo ſcripſerat Bonifacius: licet aulici piſcari satagentes in turbido mari, plurima fingentes atq. ſcribentes contra Pontificem, Regem in furorem concitarent; vt ex *hiſtoriâ diſcordiæ inter Bonif. VIII. & Philippum p. 45.* Hæc omnia confirmat ſequens Bulla ipſius Bonifacij, die quintâ Decemb. datâ, An. 1301. quæ licet eraſa penitùs, & deleta iuſſu Clementis V. Papæ, teſte *Raynaldo* §. 31. veritatem tamen demonſtrant.

Bonifacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Regi Francorum illuſtri, ſalutem & C *Apoſtolicam benedictionem.* Auſculta, fili cariſſimè, *præcepta patris, & ad doctrinam magiſtri qui gerit illius vices in terris, qui ſolus eſt magiſter, & dominus, aurem tui cordis inclina, viſceroſa ſanctæ Matris Eccleſiæ ammonitionem libenter excipe, & cura efficaciter adimplere*, vt in corde contrito ad Deum reuerenter redeas, à quo per deſidiam, vel deprauatus conſilio noſceris receſſiſſe, ac eius & noſtris beneplacitis te deuotè conformes.) *Ad te igitur ſermo noſter dirigitur, tibi paternus amor exprimitur, & dulcia matris vbera exponuntur. Campum ſiquidem militiæ humanæ mortalitatis ingreſſus, renatus ſacri fonte Baptiſmatis, renuncians diabolo, & pompis eius, non quaſi hoſpes et aduena, ſed iam domeſticus fidei, et ciuis Sanctorum effectus, ouile Dominicum intraſti, colluctaturus non ſolùm contra carnem, et ſanguinem, ſed etiam* D *contra aereas poteſtates mundique rectores præſentium tenebrarum, ſic veri Noè et arcam ingreſſus, extra quam nemo ſaluatur, Catholicam ſcilicet Eccleſiam, veram columbam, immaculatum vnici Chriſti ſponſam, in quâ Chriſti Vicarius, Petrique ſucceſſor primatum noſcitur obtinere, qui ſi collatis Clauibus regni cælorum Iudex à Deo viuorum, et mortuorum conſtitutus agnoſcitur, ad quem ſedentem in ſolio iudicii diſſipare pertinet ſuo intuitu omne malum. Huius profectò ſponſæ quæ de cælo deſcendit, à Deo parata ſicut ſponſa ornata viro ſuo, Romanus Pontifex caput exiſtit. Nec habet plura capita monſtruoſa, cum ſit ſine maculâ, ſine rugâ, nec habens aliquod inhoneſtum.*

(Sanè, fili, cur iſta dixerimus imminente neceſſitate, ac vrgente conſcientia expreſſiùs aperimus. Conſtituit enim nos Deus, licèt inſufficientibus meritis ſuper Reges, & regna, impoſito nobis iugo Apoſtolicæ ſeruitutis, ad euellendum, deſtruendum, diſperdendum, diſſipandum, ædificandum atq. plantandum ſub eius nomine, & doctrinâ, & vt gregem paſcentes Dominicum, conſolidemus infirma, ſanemus ægrota, alligemus fracta, & reducamus abiecta, vinumq. infundamus, & oleum vulneribus ſauciatis. Quare, fili cariſſime, nemo tibi ſuadeat quòd ſuperiorem non habes, & non ſubſis ſummo Hierarchæ Eccleſiaſticæ Hierarchiæ: nam deſipit qui ſic ſapit, & pertinaciter hæc affirmans conuincitur infidelis, nec eſt intra boni paſtoris ouile: & licèt de ſingulis Regibus, & Principibus ſub fide militantibus Chriſtiana, pro eorum ſalute ſollicitè cogitemus; erga te tamen officij noſtri debitum eo ampliùs eoq. cariùs, & attentiùs dirigere debemus, & exequi, quo maiori perſonam tuam paternâ, & maternâ caritate amplectimur, & non ſolùm te, ſed & progenitores, domum, & regnum tua, in diuerſis noſtris ſtatibus plenâ, & pura ſumus beneuolentiâ proſecuti. Nec poſſumus, cùm non debeamus præterire ſilentio, quin ea per quæ oculos diuinæ Maieſtatis offendis, nos perturbas, grauas ſubditos, Eccleſias, & Eccleſiaſticas ſæculareſiuè perſonas opprimis, & affligis, necnon Pares, Comites, & Barones, alioſq. nobiles, & Vniuerſitates, ac populum dicti regni, multoſq. diuerſis anguſtijs ſcandalizas, tibi apertiùs exprimamus. Profectò erga te hactenus ſeruaſſe nos nouimus ordinem caritatis, interdum præſentialiter per nos ipſos, dum nos minor ſtatus haberet, ac poſtquàm nos Dominus prouexit ad apicem Apoſtolicæ dignitatis per multiplicatas noſtras literas, ſolennes noſtros, & tuos Nuncios, Prælatos, & Comites, alios domeſticos noſtros, & tuos, te opportunis ſtudijs, & temporibus inducendo, ut errata corrigeres, emendares exceſſus, regnũ tuum in pacis dulcedine ac tranquillitate diſponeres, ac Cleri, & populi grauaminibus abſtineres, tuoq. iure contentus in aliorum iniuriam occupatrices non extenderes manus tuas. Sed quòd te correxeris, & in te ſalutis ſemina ſata, vt vellemus fructificauerunt, non videmus, quinimò delinquendi licentiam, & multiplicandi peccata videris, (proh dolor) in conſuetudinem deduxiſſe: & vt aliqua explicabiliter inſeramus; ecce quòd licèt pateat manifeſtè, ac explorari iuris exiſtat, quòd in Eccleſiaſticis dignitatibus, perſonatibus, & beneficijs, canonicatibus, & præbendis vacantibus in Curiâ vel extrà Curiam Romanus Pontifex ſummam, & potiorem obtinet poteſtatem: ad te tamen huiuſmodi Eccleſiarum, dignitatum, perſonatuum, & beneficiorum, canonicatuum collatio non poteſt quomodolibet pertinere, nec pertinet, nec per tuam collationem in ipſis, vel eorum aliquo poteſt alicui ius adquiri, ſinè auctoritate, vel conſenſu Apoſtolicæ Sedis, tacitis, vel expreſſis, quos qui acceperit, & ſe denegat accepiſſe, eis per ingratitudinem eſt priuandus, & etiam ille qui permiſſâ vel conceſſâ abutitur poteſtate, & qui contrarium tibi ſuadet, eſt contrarius veritati. Nihilominus tu metas, & terminos

minos tibi poſitos irreuerenter excedens, ac factus impatiens ſuper hoc iniurioſè obuias ipſi Sedi, eiuſq. collationes canonicè factas executioni mandari non ſuſtines, ſed impugnas quatenùs tuas qualitercunq. factas præcedere dignoſcuntur; & cùm in iudicio eſse debeat diſtinctio perſonarum, tu tamen in proprijs cauſis ius tibi dicere, & non in communi, ſed in proprio iudicio partes actoris, & iudicis ſortiaris, & ſi quenquam iniuriari tibi reputas, contemnis de ipſo conqueri coram competenti iudice, ſeu etiam coram nobis, quantumcunq. iniurians ſit perſona Eccleſiaſtica, vel mundana de regno tuo, vel extrà, & de illatis per te vel tuos iniurijs atq. damnis, ac de tuis & tuorum exceſſibus recuſas per aliquem iudicari, & ad ſaiſienda, & occupanda Eccleſię bona, & iura pro libito voluntatis occupatrices manus extendis in caſibus tibi non conceſſis ab homine, vel à iure. Prælatos inſuper, & alias perſonas Eccleſiaſticas, tam religioſos quàm ſæculares regni tui etiam ſuper perſonalibus actionibus, iuribus, & immobilibus bonis, quæ à te non tenentur in feudum, ad tuum iudicium pertrahis, & coarctas, & inqueſtas fieri facis, & decimas tales, licèt in clericos, & perſonas Eccleſiaſticas nulla ſit laicis attributa poteſtas: præterea contra iniuriatores, & moleſtatores Prælatorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum eos vti ſpirituali gladio qui eis competit liberè non permittis, nec iuriſdictionem eis competentem in Monaſterijs, ſeu locis Eccleſiaſticis quorum recipis guardiam, vel cuſtodiã, vel à prædeceſſoribus tuis receptam proponis, pateris exercere; quin potiùs ſententias, ſeu proceſſus per dictos Prælatos, ac perſonas Eccleſiaſticas licitos promulgatos, & latos, ſi tibi non placeant, directè vel indirectè reuocare compellis. Et quod tacere nolumus, Lugdunenſem Eccleſiam, tam nobilem, tam famoſam, tam charam in prædictæ ſedis pectore conſtitutam, quæ in ſpiritualibus, & temporalibus hactenus reflorebat, tu, & tui iniurioſis grauaminibus, & exceſſibus ad tantam inopiam, & oppreſſionis anguſtiam deduxiſtis, quòd vix adijcere poterit, vt reſurgat, quam conſtat non eſſe infrà limites regni tui, noſq. qui quandoquè canonicus fuimus in eàdem Eccleſiâ, eiuſq. libertatum, priuilegiorum, & iurium notitiam plenam habemus, non reuocamus in dubium, quòd iniurioſè nimis tractas eandem. Vacantium regni tui Eccleſiarum Cathedralium redditus, & prouentus, quos tui & tu appellas Regalia per abuſum, tu & ipſi tui non moderatè percipitis, ſed immoderatè conſumitis; ſic fit, vt quorum cuſtodia fuit ab initio Regibus pro conſeruatione commiſſa, nunc ad conſumptionis noxam diſcriminoſè deueniant, & diſcriminoſis abuſibus exponantur. Quod enim cuſtodiendum eſt, rapitur; & quod conſeruandum, illicitè deuoratur, & cuſtodes ſunt lupi rapaces effecti, & ſub prætextu cuſtodiæ ſtatus Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum diſpendia perfert, damna ſuſtinet, & miſerabilis ſortitur euentus, primæuæ conſeruationis ſpe vtiq. defraudatur. Et quidem Prælati, & Eccleſiaſticæ perſonæ, nedùm ijs, quos regni tui continet incolatus, ſed per illud alienigenæ etiam tranſeuntes bona propria mobilia de regno ipſo nequaquàm extrahere permittuntur, ex quo diuerſa patiuntur incommoda, & qui ſuper hoc libero vti debent arbitrio, ſeruitutis quaſi iugo premuntur. Sicut de mutatione monetæ, alijſquè grauaminibus, & iniurioſis proceſſibus per te ac tuos magnis ac paruis regni eiuſdem incolis irrogatis, & habitis contra eos, qui proceſſu temporis explicari poterunt, taceamus ad præſens, qualiter in præmiſſis, & alijs libertas Eccleſiaſtica, & immunitas tuis ſunt eneruatæ temporibus, qualiter tu à ſacris, & pijs, prouidis, & maturis progenitorum tuorum veſtigijs, quæ per vniuerſa mundi climata enitebant illuſtriſſimos radios claritatum, degenerare noſcaris. Nempè multorum ad nos inſinuatio clamoſa perducit, ac nedùm in regno ipſo, ſed in diuerſis mundi partibus innoteſcit, & Eccleſiæ dicti regni, quæ ſolebant hactenus libertatibus, & quietè vigere, nunc factæ ſunt ſub tributo, ſicut luctuoſus clamor earum ſub intolerabili perſecutione teſtatur. Nec ignoras, quòd ſuper ijs, & conſimilibus de te ad Deum, nec non ad te ſæpiùs, nedùm ſæpè clamauimus, & exaltauimus vocem noſtram, annunciauimus ſcelera, delicta deteximus, ſperantes te ad pœnitentiam ſalubritèr reuocare, & adeò deſudauimus inclamando, quòd raucæ factæ ſunt ſauces noſtræ: ſed tu velut aſpis ſurda obturaſti aures tuas, & noſtra ſalubria monita non audiſti, nec recepiſti ea velut medicamenta curantis. Verùm licèt ex præmiſſis contra te ſumere arma, pharetram atq. arcum non indignè, nec iniuſtè poſſemus, vt te à tanto reuocaremus inuio ad ſemitam reducendo ſalutis; adhuc nihilominùs dum filialitèr metuas, hæc tibi præſignificare decreuimus, vt ſaniori ductus conſilio à facie arcus inflexibilis ſententiæ potiùs, imò prorſus effugias, quàm expectes debitæ iudicium vltionis, cùm tutiùs dignoſcatur antè caſum occurrere, quàm remedium quærere poſt ruinam. Cùm autem nos debitum paſtoralis officij vrgeat, & publicæ vtilitatis interſit, vt qui nec Deum timent, nec deferunt Eccleſiæ, neq. cenſuram canonum reuerentur, & quaſi deſcendentes in profundum malorum contendunt, quamuis eis diſpliceat, ad ſalutem etiam trahamus inuitos. Nos nolentes, nè ex diſſimulatione tam longà nos tua culpa reddat obnoxios, ne ſi nos vel te, quòd abſit, incorreptum Deus de hac vita ſubtraheret, anima tua de noſtris manibus requiratur, nevè tui cuſtodia, quam ſuſcepimus in commiſſo nobis officio Apoſtolicæ ſeruitutis, in noſtrum cedat periculum, & diſcrimen, ac perditionem multorum, diſſimulando talia, & diutiùs tolerando ea: amore paterno commoti, qui omnem vincit affectum, ex affluentià maternæ ſollicitudinis excitati ad prouidendum, ne perdat Deus cum impiis animam tuam, nevè tua, & tam amati regni claritas malis actibus, & deteſtandis inſolentiis denigretur: deliberatione cum fratribus noſtris ſuper hoc habità pleniori, venerabiles fratres noſtros Archiepiſcopos, Epiſcopos, ac dilectos filios Electos, & Ciſtercien. Cluniacen. Premonſtraten. nec non S. Dionyſii in Francià Pariſien. diœceſis, & Maioris Monaſterii Turonen. Ordinis S. Benedicti monaſteriorum Abbates, & Capitula Eccleſiarum

ſtatum Cathedralium regni tui, ac Magiſtros in Theologià, & in Iure Canonico, & Ciuili, & nonnullas alias perſonas Eccleſiaſticas oriundas de regno prædicto, per alias noſtras patentes literas certo modo ad noſtram præſentiam euocamus; mandantes eiſdem, quòd in Kal. Nouemb. proximè futuris, quas eis pro peremptorio termino aſſignamus, noſtro ſe conſpectui repræſentent, vt apud te, ac alios ſublatà repētinà exceptione Cōſilii, quinimmò maturiori cautelà ſeruatà, & fruſtratoriis obiectis imputatis, ſuper præmiſſis, & aliis deliberatè conſulamus eoſdem, cum quibus ſicut cum perſonis apud te ſuſpicione carentibus, quin potiùs acceptis, & gratis, ac diligentibus nomen tuum, affectantibus ſtatum proſperum regni tui, tractare conſultiùs, & ordinare ſalubriùs valeamus, quæ tam ad præmiſſorum emendationem, quàm directionem, quietem, atque ſalutem, ac bonum, & proſperum regimen ipſius regni, videbimus expedire. Si tuam itaquè rem agi putaueris, eodem tempore per te vel per fideles viros, & prouidos tuæ conſcios voluntatis, ac diligenter inſtructos, de quibus plenè valeas habere fiduciam, iis poteris intereſſe, alioquin tuam, vel ipſorum abſentiam diuinà replente præſentià in præmiſſis, & ea contingentibus, ac aliis, prout nobis ſuperna miniſtrauerit gratia, & expedire videbitur, procedemus. Tu autem audies quid loquetur in nobis Dominus Deus noſter, è quibus tamen ſine offensà Dei, ſcandalo, & periculo Eccleſiæ, offenſione iuſtitiæ, ac utilitatis publicæ læſione, & honoris tui poterimus minorationis vitare diſpendia deferre tibi diſponimus, & tui etiam culminis ſalubria commoda promouere, ſi te correxeris, & habilitaueris ad gratiam promerendam. Cœterum licèt ſuper præmiſſis, & ſimilibus ad excuſandas excuſationes in peccatis, te aliqui excuſare nitantur, non tantùm ea tibi, quantum & tuis prauis Conſiliariis imputando, in hoc tamen tu inexcuſabilis comprobaris, quòd tales Conſiliarios honoris tui vtiq. deſtructores, tuæq. ſalutis, & famæ falſos, & impios conſumptores, aſſumis, & retines, eiſq. regium præbes aſſenſum, qui ad tam enormia, & deteſtabilia te inducunt: Hi ſunt quaſi falſi Prophetæ ſuadentes tibi falſa, & ſtulta, quia non viderunt à Domino viſionem. Ergo fraudulentis detractionibus, & ſubuerſionibus talium, ſub adulationis, & falſi conſilii vtiq. velamento confictis, minimè quæſumus acquieſcas, quia in vaſtitate quadam hoſtili deuorant incolas regni tui, & non tibi, ſed eis mellificarunt apes, iſti ſunt ſecretiora illa hoſtilia, per quæ Miniſtri Bel ſacrificia, quæ ſuperponebantur à Rege elanculò aſportabant, ii ſunt, qui ſub vmbrà tui longà manu, tua et aliorum bona diripiunt, et ſub obtentu iuſtitiæ palliati ſubditos opprimunt, Eccleſias grauant, et redditus alienos violenter inuadunt, pupillo, et viduæ non intendūt, ſed impinguantur lacrymis pauperum, & diuitum oppreſſione, diſcordias ſuſcitant, ac ſouent, guerras nutriūt, ac pacem de regno tollere prauis operationibus nō verētur. Verūtamen cadit in hęc illa praua diſſimulatio Iudęorum, qui dum linguis crucifigētes Dominum, dicentes tamen eis non licere interficere quemquam, tradebant eum occidendum militibus, vt ab eis culpa in alios transferretur. Tantam
A namq. prudentiam Deus tibi miniſtrat ex alto, tantam vides, et audis in aliis, quorum potes exemplo doceri, totq. tibi meminimus ſalubria conſilia deſtinaſſe, quòd ſi tua ſtudia conuerteres ſolerter ad bonum, talium te curares conſiliorum iuuamine communire, qui te in ſtultum finem nequaquàm impingerent, ſed ad incrementa ſalutis, et vtilitatis publicæ prudentiùs animarēt: ſed timemus ne apud te (cuius interiores oculi putantur illicitis excęcati) vileſcat ſermo Dominicus, & verba ædificatiua vitę, productiua ſalutis, amoris defectui adſcribantur.)

Ad hæc ne terræ ſanctæ negotium, quod noſtris, & tuis, ac aliorum fidelium debet arctiùs inſidere præcordiis, nos putes obliuioni dediſſe: memorare fili, & diſcute, quòd primogenitores tui Chriſtianiſſimi Principes,
B *quorum debes laudanda veſtigia ſolerti ſtudio, & claris operibus imitari, expoſuerant olim perſonas, & bona in ſubſidium dictæ terræ: ſed Sarracenorum inualeſcente perfidià, et Chriſtianorum* (ac maximè tuà), *et aliorum Regum, et Principum deuotione ſolità tepeſcente, terra eadem tuis vtiquè temporibus, heu perdita noſcitur, et proſtrata. Quis itaquè canticum Domini cantat in eà, quis aſſurgit in eius ſubſidium, et recuperationis opportunæ iuuamen aduersùs impios Sarracenos magnificantes, et operantes iniquitatem, debacchantes in illà. Ad eius quippè ſuccurſum arma bellica periiſſe videntur, et abiecti ſunt clypei fortium, qui contra hoſtes fidei dimicare ſolebant. Enſes, et gladii euaginantur in domeſticos fidei, et ſæuiunt in effuſionem ſanguinis Chriſtia-*
C *ni, et niſi à populo Dei domeſtica inſolentia ſuccidantur, et pax ei perueniat ſalutaris, terra illa fœdata actibus malignorum, à periculo deſolationis, et miſeria per eiuſdem populi miniſterium non reſurget. Si hæc et ſimilia iis beneuolà mente reuoluas, inuenies quòd obſcuratum eſt aurum, et color optimus eſt mutatus. An non ignominia, et confuſio magna tibi, et aliis Regibus, et Principibus Chriſtianis adeſſe dignoſcitur, quòd verſa eſt ad alienos hæreditas Ieſu Chriſti, et ſepulcrum ipſius ad extraneos deuolutum? Qualem ergo retributionis gratiam merebuntur apud Deum Reges, et Principes, et cæteri Chriſtiani, in quibus terra quærit reſpirare prædicta, ſi non eſt, qui ſuſtentet eam ex omnibus filiis, quos Deus ipſe genuit, nec eſt, qui ſupponat manum, ex omnibus, quos nutriuit. Clamat enim ad Dei filios ciuitas Hieruſalem, et ſuas exponit anguſtias, et in remedium doloris eius filiorum Dei implorat affectus. Si ergo*
D *filius Dei es, dolores eius excipias, triſtare, et dole cum ipsà, ſi diligis bonum eius. Tartari quidem, Pagani, et alii infideles eidem terræ ſuccurrunt, et ei non ſubueniunt in eà Chriſti ſanguine pretioſo redempti, nec eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis eius. Hoc à diſſidiis priuatis obuenit, dum vtilitas publica cupiditatis ardore conſumitur, nonnullis quæ ſunt ſua quærentibus, non quæ Chriſti, quorum peccata Deus vltionum Dominus non ſolùm in ipſis vindicat, ſed etiam in progenie eorundem. Tremenda ſunt itaquè Dei iudicia, et timenda, quibus non parentes iuſtitià damnabuntur, iuſtus autem de anguſtià liberabitur, et cadet impius in laqueum, quem extendit. Tu verò fili, communiens in tribus temporibus vitam tuam, ordinando præſentia, rememorando præterita, et prouidendo futura, ſic te præpares in præmiſſis* (& aliis ſic reformes, quòd ad iudicium Dei, & noſtrum ab illo dependens, non damnandus accedas,) *ſed in præſenti diuinam gratiam,*

tiam, et in futuro ſaluationis, ac retributionis æternæ gloriam merearis. Datum Laterani Non. Decembris, Pontificatus noſtri anno 7.

Philippus Præſules prohibet adire Concilium.

Characteris nota diuerſitatem. Quæ enim incluſa virgulis, et characteribus impreſſa diuerſis in regiſtris non leguntur Vaticanis. Eodem die ſcripſit Bonifacius Archiep. Ep. Cathedralium Capitulis, Doctoribus, vt pro reſarciendis iniuriis à Philippo illatis Eccleſiæ, ad Kalen. Nouemb. perſonaliter comparerent, et communi conſilio Regis punirent exceſſus. Omnia diſturbata procurante *Philippo*. Sacræ expeditioni, ad quam Chriſticolas excitabat Caſſanus Rex Tartarorum, aures præbuere

Ianuenſiũ matronarũ pietas.

matronæ ſolæ Ianuẽſes, vt ex *ep. 61. Bonifacij l. 7.* Philippum nouà Bullà excitare Bonifacius tentauit, quam habes *de Maioritate, & Obed. c. Vnamſanctam. In Extrau.* in quà materiale gladiũ ineſſe oſtendit Eccleſiæ, Chriſti vſus auctoritate, eum dicentib. Apoſtolis *Ecce duo gladij hic*: in Eccleſià ſcilicet; non reſpondit Dominus, *nimis eſſe*, ſed *ſatis*. Vndè qui in Petri poteſtate temporalem eſſe negat gladium, malè verbum attendat Domini proferentis, *Conuerte gladium tuum in vaginam*. Vterq. ergo eſt in Eccleſià, ſpiritalis ſcilicet, et materialis. Sed is quidem prò Eccleſià, ille verò ab Eccleſià exercendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum, et militum. Sed ad nutum, et patientiam Sacerdotis. Oportet autem, et gladium eſſe ſub gladio, et temporalem authoritatem ſpiritali ſubiici poteſtati.

Inſidiæ Philippi in Bonifacium.

Decreta hæc cum ſummè diſplicerent Philippo, vt apud Gallos Bonifacium in inuidiam adduceret, atq. ampliora odia, in aulicorum flagitia reprimere meditantem crearet, inito Parlamento quæſiuit: *an à Rege, vel à Pontifice Præſules feuda tenerent?* reſpondentibus *à Rege Franciæ*: ſeipſum exhibuit prò conſeruandà regni libertate. Barones ſimiliter obtulere ſeipſos prò libertate coronæ. *Gullelmus* poſtea *de Nongareto* miles, ac legum profeſſor confictis criminibus cœpit Bonifacium accuſare tãquàm inuaſorem Sedis Apoſtolicæ, reum hæreſis, ac ſimoniæ, pro quibus appellabat ad Generale Concilium, vt de legitimo paſtore prouideretur Eccleſiæ; *p. 57. Hiſtoria ſuprad.* Haſce calumnias etſi nunquàm Galli probarint, vt veritati aduerſas: Concilium tamen in aulicos minimè indictum Præſules defenderunt: ſic in prauum detorquentes geſta Pontificis argutijs politicis, querulas ſcripſere literas Cardinalib. quòd Põtifex nouis, atq. inauditis dogmatibus Imperium politicum ſibi contra Gallos vſurparet ad cuius aſſerendã poſſeſſionem Prælatos, atq. Doctores Romã euocauerat prò corrigẽdis exceſſibus Comitum, Baronum, atq. Nobilium. Extant literæ Gallorum ad Cardinales ſub die 10. Aprilis. Anno 1302. Reſponderunt Cardinales falsò inſimulari Bonifacium de vſurpato Imperio Politico aduersùs Gallos: & iniuſtè ſuppreſſo Pontificis nomine, tacitis argui conuicijs Chriſti Vicarium, probum, & innoxium. Ipſe Bonifacius auditis, quæ perperam Pariſijs effutierant Galli, ita reſpondit

Bonifacius etc. Archiep. Epiſcop. regni Franciæ etc. Verba delirantis filiæ quantumcumquè deſiderijs maternis infeſta, quantanis ſuæ enormitate fœdata, nequeunt puritatem inficere piæ matris, et affectum in filiationis odium prouocare maternum, cùm in ipſà miſeratione A *quam diligit, amor inueniatur maternalis, quæ licèt miſeratione doleat naturæ legibus compatiendo filiis, in ipſà tamen miſerià conſolatur. Sanè conturbata ſunt nuper vniuerſæ Eccleſiæ pia præcordia in audita verborum, quæ ſub ficta conſolationis pallio, recitanda quodammodò compoſita ſunt, vt credimus, nomine prædilectæ filiæ Eccleſiæ Gallicanæ in matris immaculatæ opprobrium, grande malum, quaſi qui ab amico cauſam quæreret recedendi. Sed legitur, quòd fruſtra rete iacitur ante oculos pennatorum. Ecce collectis ex Parlamento Pariſijs congregato mendicatis ſuffragijs, nè ad vocationem Sedis Apoſtolicæ vocati venirent, eorumdem verborum compoſitores neceſſariò concludere voluerunt, damna rerum, et ruinas corporum præcipuè prætendendo. Scimus equidem multorum relatione fidelium, nec latet Sedis Apoſtolicæ notitiam, quæ & quanta* B *fuerint in eadem concione narrata, & præcipuè quæ Belial ille Petrus Flote ſemiuidens corpore, menteque totaliter excæcatus, ac quidam alij prædicauerint, ſanguinem ſitientes populi Chriſtiani, qui cariſſimum filium Philippum Regem Franciæ illuſtrem trahere conantur in deuium (proh dolor!) propinquum, cùm tanta Chriſtianitatis ſublimitas erronea ducatu ſubmergitur, cui ducatus à cæcis miſerabiliter ad mentis interitum, niſi ex alto diuina ſibi ſuccurret pietas propinatur, quod amarè illuget mater Eccleſia, circa ſalutem eius quærens remedium, et meditatione ſollicità contra tanta maieſtatis naufragium quærit portum. Verùm vos, fratres, et filii, ſi profeſſionis veſtræ debitum circumſpectis conſiderationibus attenditis, cuius venenoſa fictionis ſuggeſtio deberet in contemptum ſanctæ matris obedientiæ filialis neruum concidere, aut debitum peruertere ſtatum Ordinis clericalis. Videmini ſiquidem ſecundùm dicta* C *eorum ſpem ponere in terrenis, ſi timore terrenorum contemnitis cæleſtia, vel ſeponitis propter timorem ſuaue Chriſti iugum. Multa præterea ſuperba iniqua, & ſchiſmatica, in eadem fideli concione profanata fuerunt per oratores huiuſmodi, per quæ velle videbantur diſſuere vnitatem Eccleſiæ, inconſutilem tunicam Domini noſtri, quæ per vos debebant reijci, vel certè potiùs non audiri, nec etiam recitari. In veſtram tamen excuſationem aduertimus, qualiter detractores præfati, vt preconceptum venenum feſtinanter euomerent in corde, et corde loquentes aliqui vix inter ſe moras loquendi gerebant. Verùm præcipiti in momento temporis reſpuerunt manna dulcedinis, & venenum aſpidis effundentes in Eccleſiæ matres opprobrium, vniuerſale* D *ſcandalum, & ſtatus detrimentum eorum, quia ſi verba eorum iuſta examinarentur examine, eos eſſe Prælatos non iudicant, ſed indignos quibuſlibet prælaturis, nec digni ſunt regere, non immeritò corrigendi. Reſtat vt colligamus ex verbis eorum, quæ geſta fuerunt abſquè noſtrà ſcientià machinationibus venenoſis, vt & vos fictis coloribus ab vnione vniuerſalis Eccleſiæ abducerent nequiter, voſquè contra nos, quos vellent iniquitatis eorum habere complices prouocarent. Sed in vanum laborant, & deficiunt iniquo ſcrutantes ſcrutinio, ſequaces tantæ ſuperbiæ exquirendo, diſponentes ab Aquilone ſedem erigere contra Vicarium Ieſu Chriſti. Quoniam, vt primus Lucifer, cui non fuit huc vſq. ſecundus, cecidit, cum ſuis ſequacibus corruet, quantùmunquè falciatur potentià et ſecundus. Nonnè duo principia nituntur ponere, qui dicunt temporalia ſpiritualibus non ſubeſſe? Iis iam dictis finem imponimus, Fraternitates ve-*

veſtras in Domino exhortantes, vt ſpretis temporalibus, & contemptis iudicum minis, nobiſcum aſcendatis ad cor altum, & exaltabitur Deus, qui diſſipat conſilia Principum, & cogitationes reprobat populorum, pro firmo ſcientes, quòd obedientes gratiosè videbimus, & contumaces pro qualitate inobedientia puniemus. Datũ &c.

Cum verò non obſtante Regio interdicto, nonnulli Prælati, Abbates, Priores, Doctores ad Concilium ſe contuliſſent Romanum, Regi Pontificem præferentes: ſpetie cuſtodiæ vſurpauit eorum bona Philippus, vt ex decreto die 22. Octobr. An. 1302. Sequeſtrem pacis interim ſe obtulerat. *Carolus Valeſius Philippi frater, ſpeq. concordia Ioannem Card. S. Marcellini, & Petri Bonifacius Pariſios miſerat cum plenà facultate componendi ſuper prohibitione, et impedimento veniendi Romam, et reuertendi. 2. ad denuntiandum Regi, quòd in quibuſcumq. beneficiis eccleſ. in curià vacantibus, vel extrà curiam Pontifex ſummam, et potiorem obtinet poteſtatem, ſinè cuius conſenſu nulli ius poteſt acquiri. 3. ad denuntiandum Regi, quòd Papa Legatos quocumq. titulo de latere, et non de latere in omnem Orbis plagam liberè mittere poteſt, nullius requiſito conſenſu, etiam obſtante conſuetudine. 4. Quòd bonorum eccleſ. adminiſtratio, et diſpenſatio non ad laicos, ſed ad ſedẽ ſpectat Apoſtolicam, quæ nullius requiſito aſſenſu valet diſponere, centeſimam, vel decimam exigendo, prout videbitur expedire. 5. Quòd Regi iura non liceat occupare eccleſiaſtica in caſibus à iure, vel à Pontifice non conceſſis: vel perſonas eccleſiaſticas ſuper actionibus perſonalibus, ſeu bonis, quæ ab eis non poſſidentur in feudum in iudicium trahere, vel ipſas quomodolibet detinere. Quòd etiam ſpiritualis gladius occupatur Prelatorum, vt eo liberè vti non poſſint ſpecialiter in monaſteriis, quorum guardiam Rex ipſe recepit. 6. Quòd cum Bulla Bonifacii, cui imago S.S. Petri, et Pauli erat appenſa combuſta fuerit Rege preſente in contumeliam ſedis Apoſtolicę. Procuratorem mittat idoneum, ſuam oſtenſurus innocentiam: cuius in pœnam priuilegia omnia ei, vel ſucceſſoribus conceſſa reuocentur, vt pœna tanti facinoris poſteris tranſeat in exemplum. 7. Quòd cathedralium vacantium cuſtodià non abutatur; ſed deductis oportunis expenſis ad fructuum culturam, et collectionem reſiduum futuris reſeruetur Prelatis. 8. Spiritualis gladius Prelatis reddatur, et perſonis eccleſiaſticis, non obſtantibus priuilegiis Regi conceſſis. 9. Aperiat Rex oculos ſuper mutatione monetæ in damnum clericorum, et laicorum factà. 10. Rex ſuos exceſſus recogitet, quorum mentio eſt in literà Bonifacii clauſà, miſſà per Iacobum notarium Pontificium. 11. Ciuitas Lugdunenſis cum ſuburbiis non cenſeatur infrà limites regni Galliæ, quià ad eccleſiam pertinet Lugdunenſem. 12. Denuntietur Regi quòd ſi Rex infrà certum tempus predicta non correxerit; Sedes Apoſtolica ſpiritualiter, et temporaliter procedendo prouidebit.*

Bonifacii poſtulata.

Hiſce Philippus propoſitis ſingilatim reſpondit, *numquàm prohibuiſſe ſubditos Romam pergere, vel redire; ſolùm ex more Principum vetuiſſe ne arma, animalia, aurum, argentum abſq. Regis licentià extraherentur è regno in auxilium inimicorum ſuorum. Hoc feciſſe vrgente neceſſitate ad neceſſariam defenſionem; quod alii Principes liberè facerent, nullà cogente neceſſitate.*

Philippi reſponſum

Ad 2. reſpondit, beneficiorum collatione vſum eſſe ex conſuetudine cuius initii non extat memoria Ludouici Sancti exemplo, quibus vim facere non creditur Papa. Ad 3. quod non impediuit, nec impedire intendit legatos, vt liberè regnum ingrediantur, ni ſibi, et regno eſſent legitimà ratione ſuſpecti. Ad 4. circa adminiſtrationem bonorum eccleſiaſticorum Rex nihil pręſumit, quod ſibi iure, vel conſuetudine non ſit permiſſum. Ad 5. pariter nil petere, quod iuri aduerſetur, vel conſuetudini. Ad 6. literas Bonifacii fuiſſe combuſtas non in offenſam Dei, vel iniuriam eccleſia, ſed nè Scabinos Epiſcopos, Decanos, vel Capitulum Laudun. virtute earum literarum poſſent ampliùs inquietare. Ad 7. de Regalibus reſpondit, eis vti paratum exemplo S. Ludouici, & aliorum prædeceſſorum ſuorum abſq. abuſu, & exceſſu: cum oblatione puniendi ſuos officiales, ſi in præteritis, vel futuris exceſſiſſent. Ad 9. mutaſſe monetam vrgente regni defenſione, quam tamen ita prouiderat, vt nemini ſupereſſet occaſio conquerendi. Ad 10. fuiſſe Regem, & eſſe paratum reuocare grauamina, ſi quæ eccleſiis, vel ſubditis fuiſſent illata. Ad 11. de eccleſià Lugdunenſi paratum eſſe pro bono, & æquo componere, vt cunctis pateat, quòd ſuis contentus limitibus iura eccleſiæ vſurpare non præſumit. Reliqua omnia conſilio Ducum Britanniæ, & Burgundiæ paratum credere, qui Romanæ deuoti erant eccleſiæ.

Reſponſa hæc cum veritati, & æquitati non congruerent; queſtus eſt Bonifacius apud Carolum Valeſium, ſe iniectà expectatione deluſum, minis propoſitis, ni Rex obſequens pleniùs ſatisfaceret. Mandauit poſteà die 13. Aprilis. Ann. 1303. Ioanni Cardinali Legato ſuo, vt nominatim Philippum denuntiaret excommunicatum cum ceteris Epiſcopis, & Clericis, ſi qui ei Sacramenta miniſtrare præſumerent. Nicolaum Ordinis Prædicatorum olim eiuſdem Regis Confeſſorem intrà tres menſes citari mandauit, vt Romæ adeſſet. Alberto Auſtriaco, quem in Regem Romanorum adhuc confirmare noluerat, non ſolùm inſignia contulit imperii, ſed Regem Galliarum eſſe iuſſit. *lib. 9. ep. 21. Bonifacii*. Albertus verò Pontificis iram non diù duraturam intelligens, negauit ſe tantis expenſis conſcripturum exercitum niſi Pontifex ei regnum, & poſteris tranſcriberet. Renuente Pontifice, facilè agnoſcẽs Albertus Papam Germanis ita abuti velle, donec iræ ſuæ ſatisfaceret; negauit aduersùs Gallorum Regem, arma ſumere. Hinc Philippus minimè territus, ſed magis iratus, coactis comitiis, in Papam Eccleſiaſticos concitauit. *Multi tunc, qui videbantur eſſe columnę eccleſię, metu, aut odio conuerſi ſunt, & pauci inuenti, qui conſtanter ſteterint in aperto. Fueruntq in ipſo Concilio, Pariſiis in Eccleſia B. Maria congregato, publicè obiecta crimina Papa, & titulus hęreſis, nec non ſuo prędeceſſore viuente ingreſſus illegitimus, & ad Papatum intruſio, & quòd ei non eſſet parendum tanquàm hęretico, et intruſo.* Conſenſere plurimi (ſaluà tamen reuerentià Sedis Apoſtolicæ) quòd Bonifacium Pontificem *de facto* crederent, non *de iure*. Timore tamen perterritos conſenſiſſe, videre eſt in Regijs literis datis *die* 15. *Iunii*. *Anno* 1303. in gratiam Abbatis Cluniacenſis contra Monachos Cluniacenſes, vt vi armatà adhærere ſuo cogerentur Abbati. Ac ex Actis Martini de Rippà Canonici Pariſienſis, qui cum aduersùs Regem, eiuſquè appellationem plura

Philippus excommunicatur.

ſcripſiſſet in publicis monimentis, omnia coactus eſt reuocare ſub die 8. Iulij. Anno 1303. vt in *p.* 133. Idem conſtat ex Actis Epiſcoporum, Pariſienſis Accademię, eccleſiæ cathedralis, qui omnes cum tempore conſenſerint diuerſo, clarè conſtat ad palpandum Regem, violenter inductos. Ordo tamen Prædicatorum niſi cum clauſulà ſubſcribere voluit ſequenti. *Saluà ſui ordinis obedientià, et reuerentià ac honore Eccleſiæ Romanæ, ac fidei Catholicæ veritate, ſe ſupponentes* (non Regiæ Protectioni vt plurimi proteſtati ſunt præſules) *ſed congregando Concilio, et vero legitimo futuro ſummo Pontifici.* Ordo namq. non ignorabat Prædicatorum, Acta illa non conſiſtere, ſi Bonifacium legitimè faterentur electum. Illi verò, qui Bonifacium non intruſum, ſed legitimè credebant electum, Regiæ appellationi apertè ſubſcribere recuſarunt, vt in *pag.* 174. *hiſtorię cit.* In horum numero fuere Ciſtercienſes omnes, quorum publicæ proteſtationes in fauorem Bonifacii numero vndecim ſeruātur in Archiuio Regis. Acta ſimilia numero ſex aliorum Ordinum *ibidem* aſſeruantur. Ab his non diſcreparunt Epiſcopi omnes ſolemniter congregati Britanniæ (ita exigente Rege Philippo) licèt à Rege diſſentire profiterentur modeſti: proteſtantes ſe quidem futuro aſſentiri Concilio, *ſed ſaluis in omnibus ſtatu, fide, ac fidelitate ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, vniuerſalis Eccleſiæ, Summoq. Pontifice, omniq. conſpiratione, coniuratione, ac colligatione omnino ceſſantibus, annuimus aſſentire congregationi, ſeu conuocationi Concilij generalis, ſecundum antiqua Sanctorum Patrum canonica inſtituta ad honorem Dei, ac reformationem, & exaltationem fidei Chriſtianæ, per eum ad quem* (nota clauſulam in gratiam Bonifacij) *pertinet, cum opus fuerit, & cauſa ſufficiens ad id ſubſit, & expedire viderit facienda.* Violentia tandem patet ex bannis, & Arreſtis bonorum, & perſonarum, quę contra Regis edictum paruere Pontifici, quæ in ſupracitata leguntur hiſtorià, atq. *ex Bonifacij ep.* 57.

Dominicani Ciſtercienſes, & alij pro Bonifacio contra Regem Gallię.

Cum itaq. Bonifacius medicinæ lenitate nihil proficeret, ſed ad maiorem contemptum, & contumaciam prouocaret peccantes, adhibito duriori remedio Regem declarauit excommunicatum; quià Miſſum Pontificium irreuerenter tractaſſet: euntes ad ſedem Apoſtolicam, & redeuntes violenter detinuiſſet: literas Apoſtolicas reſeraſſet: Legatum à latere *Ioannem Cardinalem S.S. Marcellini, et Petri* abſolutionem ferentem ab excommunicatione cuſtodię mancipaſſet, abſolutionem ſpreuiſſet, ſummum Pontificem iniuriis laceraſſet, atq. blaſphemiis Eccleſiaſticam ſcidiſſet vnitatem: Abbatem Ciſtercienſem, plurimoſquè Italiæ religioſos ad Pontificem venientes carceri tradidiſſet: Appamiarum Epiſcopum temerariè tractaſſet eiuſquè Cappellanum vinculis coarctaſset: Excommunicatos publicè recepiſset, fouiſset; ab omni iure, & priuilegio ſpoliauit beneficia conſerendi eccleſiaſtica, ſubditos abſoluens à iuramento fidelitatis, vt per ſe, nec per alios iura poſset exercere Regalia; imperanti ſubditos non teneri, immò parere iure non poſse depoſito, expoliato, & excommunicato; Hæc *die 6. Idus Septemb.* Anno 1303. Anagniæ exarata, valuis affigenda erant eccleſiæ, Cum

Philippi ſcelera.

Philippus excommunicatur.

7. *Moreretuo* &c. edictis Bonifacius intentus ſcribendis, non hoſtium cauendis inſidiis in vigilià Natiuitatis B. Virginis, venit ſummo manè magnus exercitus armatorum miſsus à Rege Franciæ, & Cardinalium Columnenſium damnatorum repentè ad portas ciuitatis Anagniæ, in quam Papa confugerat prò tutelà, quòd ibidem natus erat, duce *Vuillelmo de Nongareto, Sciarra Columna.* Columnenſium Cardinalium fratre, & *Reginaldo Suppino*, Cum quibus conſpirantes Anagnini, & domeſtici Bonifacii irruerunt in Papam, & conſanguineos eius. Timore obrutus Bonifacius inducias petiit vſq. ad horam nonam: quibus intercurrentibus excitauit ſecretò populum Anagniæ, ne Pontificem deſererent. Eo autem ſe excuſante, quòd omnes armati ſentirent cum coniuratis. Interrogauit tunc Papa Sciarram, *quibus conditionibus vellet pacem redimere?* Sciarra reſpondit: *quòd non permitteret Papam viuere; niſi duos Cardinales fratres ſuos plenè reſtitueret. Petrum, & Iacobum de Columnà cum omnibus affinibus, & conſanguineis.* Secundò: *vt Pontificatui renuntiaret*: Tertiò *vt corpus ſuum poteſtati ſubderet Sciarræ.* Ingemuit tunc Papa dicens: *Heu me, durus eſt hic ſermo.* Nona itaq. cum expiraſset hora ſinè concordià, impetum fecerunt in palatium Pontificium. Sed viriliter præliantibus obſeſſis: Eccleſiam cathedralem Anagniæ, quæ aggreſsoribus impedimento erat, ſpoliauere refractam. Deſperatus tunc Papa ſe mortuum credidit; nam Cardinales dolo, vel timore correpti fugerant omnes, excepto Petro Hiſpano Sabinenſi, et Nicolao Oſtienſi. Magnanimus tamen, & imperterritus ait: *Ex quo proditoriè vt Chriſtus captus ſum, & deditus vt occidar in manibus inimicorum, vt Papa mori decerno.* Sacris itaq. indutus veſtibus cum pallio, et coronà aureà à Conſtantino collatà Syluestro, cum cruce, et clauibus reſedit in throno. Ad quem accedens Sciarra cum alijs inimicis deriſerunt eum, vt renuntiaret Pontificatui. Sed reſpondebat conſtanter, velle citiùs perdere caput ſuum, clamans: *Ecce collum, ecce caput.* Volebat Sciarra libenter Bonifacium interficere Papam, ſed nonnullis obſtantibus læſionem non intulit corpori. Minabatur ei *Nongaretus*, eum Lugdunum ducere, vt ibidem vinctus deponeretur in generali concilio. Cui Papa: *Patienter feram me per Paterenos deponi*; cuiuſmodi *Nongaretus* erat cum progenitoribus ſuis, qui fuerunt vt hæretici igne combuſti. His verbis confuſus *Nongaretus* cum rubore reticuit. Domino autem diſponente ob ſedis Apoſtolicæ dignitatem, nemo auſit in eum manus extendere; ſed ſacris indutum veſtibus ſob honeſtà dimiſere cuſtodià, prædæ inſiſtentes; & per triduum eccleſię theſaurum diripientes; Pontificis captiuitatem citatis itineribus nuncij tulere Philippo. Quod cum audiſſet Ep. Morianenſis, qui religioſæ erat, ac ſanctæ conuerſationis, ait: *Hoc gaudio erit Regi Franciæ: ſed extrema gaudij luctus occupabit. Hinc enim irruet in eum, eiuſq. progeniem iudicium Dei.* Quod non longè adimpletum. *Ioan. Villan. S. Anton.* Ipſi Anagnini triſte fuere diuinæ monumentum vindictæ. Ea enim ciuitas, quæ anteà populorum frequentià, opibuſq. affluebat, adeò poſteà afflicta eſt, vt cum de tantarum calamitatum cauſà in publico vrbis Concilio quereretur, ei reſ-

Inſidiæ in Papam.

Papæ captiuitas.

pon-

Papa liberatur

ponſum fuerit: *In eorum en ſæuire, quòd eorum maiores Bonifacium Pontificem perdidiſſent*. *Miſtonius ex Alex. Bononienſi*. Meditabatur interim Sciarra, quomodò eum morti traderet, & corpus Gallorum Regi tranſmitteret; quod populus comperiens Anagniæ, ſecretò conſpirans ad decem millia hominum coocurrerunt, clamantes, *Viuat Papa; moriantur proditores*. Ità diſcurrentes per ciuitatem, eiecere Sciarram cum complicibus, pluribus eorum captis, & occiſis, qui eumdem Bonifacium equo impoſuerant effceni verſà ad caudam facie, coegerantquè diſcurrere vſq. ad nouiſſimum halitum, vt fame necarent; Manumiſſum ergo Bonifacium populus ad plateam ſuper humeris deportauit; vbi Papa lacrymando gratias Deo, & populo agens, ſermonem ita finiuit. *Boni homines, & mulieres, conſtat vobis qualiter inimici mei abſtulerunt non ſolùm omnia bona mea, ſed etiam eccleſia, & me ita pauperem dimiſerunt, vt nihil habeam ad manducandum, & bibendum. Si aliquis vult me iuuare eleemoſinà in pane, vino, vel aquà modicà, dabo ei benedictionem Dei, & abſoluam ab omnibus peccatis ſuis.* Hæc audientes ex ore Papæ clamabaot; *Viuat Pater Sancte*. Mox cucurrere mulieres certatim panem offerentes, & vinum, vt ſtatim victualia abundarent. Exiens tunc Papa abſoluit omnes exiſteotes in ciuitate à peccatis eorum, etiam ſpoliatores ſuos, dummodò oon aſportaſſent Eccleſiæ theſaurum. Spoliatores Cardinalium abſoluit ſi eis intrà triduum bona reſtituerēt. His geſtis inopinatè Romam venit, comitante *Matthæo Cardinali Vrſino*, vbi tanto armorum apparatu eſt à Romanis exceptus, vt nuſquàm tantà fulgere viſus ſit glorià, teſte *Georgio Card. ad Velum aureum l. 1. c. 11. de Canoniz. S. Petri Cæleſtini*.

Hinc falsò Mornæus ex Ciaconio violenter ſcribit oppreſſum. Cum iterum ex iniuriæ acceptæ memorià vindictam cogitans rediens, vniuerſum Laterano ex toto Terrarum In Orbe Conciliū indicere machinaretur: eccè ſuperuenit *Neapoleo de Caſtello* cum *Sciarrà Columnà*, qui prandio exceptus à Bonifacio veniam impetrare cœpit pro Columnenſibus, quibus iam ſpontè pepercerat. Abnuente Pontifice, ſubiunxit Neapoleon, *vi ergo impetrandum, quòd negas*. Meſtus tunc Papa literas ſcripſit ad Carolum Regem Siciliæ, vt eum in libertatem aſſereret, *Vrſinis* peiora minatus, quàm egerat in Columnenſes. *Neapoleo* interceptis literis cuſtodiam auxit. Quod intelligens Papa, cœpit caput muro concutere, & mordere digitos; quà rabie aſſumptus, furenti ſimilis obijt. Sepultus eſt apud S. Petrum, ſecùs altare S. Andreæ in ſepulchro quod ſibi viuens erexerat, deducentibus feretrum Carolo II. Rege alijſq. viris chariſſimis. Iacuit in eo vſquè ad annum 1605. quo poſt tercentorum annorum volumina eodem die, quo vità exceſſerat repertum illæſum, & integrum. Vt patet ex inſtrumeotis Grimoaldi publici Notarij poſteritati traditis.

Bonifacij obitus.

Inuentio corporis.

In N. D. Anno S. 1605. Ind. III. die Martis 9. Octob. Pontif. Pauli V. anno 1. &c. Amotà ſtatuà Bonifacij inſtar defuncti quieſcentis cum thiarà tribus coronis ornatà, alijſq. papalibus infulis, & tabulà marmoreà, quæ arcum cum ſtemmatibus eiuſdem Bonifacij, vndarum ſcilicet duarum cærulei coloris per obliquum in campo Aureo tegebat, repertu fuit capſa lignea ex abiete intùs, in quà erat corpus D. Bonifacii Papæ VIII. altu à terrà palmis decem in maiori naui inter portas Rauennianam, & Iudicii capſa ipſa lignea longa palmis 8. lata palmis 2. vnc. 5. delata fuit in ſacrarium: vbi præſentibus D. Vicario, Canonicis, Archiep. Epiſ. & Duce, ac magno populo, meq. notario &c. fuit aperta, & viſum ab omnibus corpus ipſius recolendæ memoriæ Bonifacii VIII. adhuc integrum, & incorruptum ſacris veſtibus ornatum &c.

Spaties corporis.

Menſuratum eſt corpus in longitudine à vertice capitis ad plantam pedis palmorum 7. quartorum trium. Caput in rotunditate palmorum 2. & quarti vnius, & vt periti medici, ac chirurgi affirmarunt, ex maiori parte caluum erat, præſertim in ſummitate. Cætera capitis, nec non membranas ſuperiores, & inferiores, tegentes oculos, genas pingues, frontem latam, mentum ſinè barbà (nam viuus raſus erat) cartilagines aurium mediocres foris prominentes habebat, facies (quamuis naſus, et labia corrupta) ſeueritatem magis quàm hilaritatem oſtendebat. Dentes omnes, et quidem magnos et firmos, præter duos ſub labio ſuperiori, qui viuenti deerant, habebat: ſano, ac robuſto fuit corpore, vt periti iudicarunt.

In cingulo palmorum trium cum dimidio. Manus habebat longas, et pulchras palmi vnius breuis cum vnguibus longis, ſignis venarum, et neruorum, adeò vt videntibus ſummam iniiceret admirationem, quomodò per tot annorum curricula tam integra, et incorrupta ſeruata eſſent. Pedum quilibet palmum vnum contiGnebat. Genua, tibia, et reliqua corporis cum carne exſiccata, ſana, et incorrupta cernebantur etc. Acta hæc Romæ in baſilicà S. Petri, et in ſacrario eiuſdem reſpectiuè, templo ſcilicet rotundo, quòd antiquitùs dicebatur S. Andreas, hora XXIV. die Anno, menſe vt ſupra etc.

Quo teſtimonio uoluit Deus obtrectantium linguas confundere, & innocentiam Vicarij ſui Orbi reddere manifeſtam, huiuſq. initum certameo pro iuſtitiæ, & Eccleſiæ defenſiooe Superis fuiſse non ingratum. Nunc eius corpus nouà arcà incluſum in nouà Vaticanà Baſilicà iacet cum inſcriptione ſequenti.

Corpus Bonifacii VIII. Caietani
Pontificis Maximi
Ex veteri in nouam Baſilicam tranſlatum
Hic repoſitum iacet.

Pictores Tabellà exornant ſequenti.

Concordant Acta Vaticana ſequentibus verbis: *Omnes articulos fidei more ſummorum aliorum Pontificum recognoſcens, & confeſſus, coram octo Cardinalibus explicitè profeſſus fidem catholicam, aſſerens, ac profitens ſe firmiter tenuiſſe fidem catholicam, quam tenet, docet, ac prædicat Romana Eccleſia, et in eadem fide vixiſſe, ac velle mori, ſanctis etiam benè munitus ſacramentis.* Nauclerus de Bonifacij morte ità ſcripſit. *In Vaticano Palatio ſpiritum Deo reddidit, non furenti ſimilis, vt quidam falsò calumniatorum, & hæreticorum deliria ſecuti ſcripſere, ſed pleno iudicio, integroq. rationis ſenſu: verà commiſſorum peccatorum tactus contritione cordis, exceſſit è vità*. Conſentiunt *S. Antoninus* 3. p. *Platina*, *Miſtonus*, *P. Æmilius*. Morbo corrodente carnes, cecidiſſe S. Antoninus ſcripſit. Blondus Flauius *morte violentà*. Supereſt mo-

modo, explanemus ſupradictæ tabulæ figuras. Dextrum locum tenet Vaticanà Baſilicà, quā ſuis locupletauit redditibus. Singulis enim Annis in die obitus illius à Canonicis, & Clero Baſilicæ Vaticanæ poſt lectionem Romani Martyrologij (teſte *Ioann. Rubeo*) recitatur ſequens Bonifacij memoria.

In nomine Domini Amen.

Bonif. 8. Epitaphium.

Anno eiuſdem 1303. Idib. Octob. obiit S. m. Bonifacius Papa VIII. natione Campanus de ciuitate Anagnia, de domo Caietanorum, magnarum ſcientia, & eloquentia, qui ob magnam deuotionem, quam habuit ad iſtam Sacram Baſilicam, cuius anteà fuerat canonicus, liberaliter donauit ipſi Baſilicæ caſtrum filiorum Nicolai de Amelià poſitum in territorio Amelienſi, emptum per eum prò quatuor millibus Florenorum. Caſtrum Totani poſitum in territorio Emilienſi emptum per eum pro 3100. Florenis auri. Quaſdam poſſeſſiones adiacentes caſtris predictis emptas per eum pro 165. Florenis auri. Caſale quod dicitur Furnus Sarracenus extrà portam Portuenſem, emptum per eum prò 3000. Florenorum auri. Caſale quod dicitur Tres columna poſitum extrà viam, quà itur in contradam Solini iuxtà Balsam, emptum per eum pro 6000. Florenis. Caſtrum Balsa Diœceſis Portuenſis propè primam portam, prò cuius emptione ære proprio ſoluit 12725. Florenos auri. Caſale, quod dicitur Trullus de Boccanariis Diœceſis Portuenſis, cum alio Caſali quondam Bartholomai Bubonis de Cornazano, in quibus ære proprio ſoluit 4500. Florenos auri. Medietatem Caſalis aquæ Trauerſa, pro quo ære proprio ſoluit 3000. Florenorum. Medietatem Caſalis Palmaroli, pro quo ære proprio ſoluit 837. Florenos. Medietatem caſtri Attigliani diœceſis Amelienſis, pro quo ære propria ſoluit 3846. Florenos auri. Reſiduum pretium ad perficiendas dictas emptiones, vbi ipſe integrè non ſoluit, Baſilicà ſuppleuit de pecunià ſpectante ad eam.

Item Eccleſiam S. Ægidii cum pertinentiis ſuis extra portam viridariam. Calicem 1. aureum ad vſum S. Mariæ de cancellis ponderis quinque marcharum. Crucem 1. cum pede de argento pulcherrimi operis ad ſmaltos, ponderis 50. marcharum cum dimidia. Pluuiale 1. nobiliſſimum de opere Cyprenſi ad immagines cum aurifrigio Anglicano ob perlas. Dalmaticam 1. nobiliſſimam de opere Cyprenſi cum grammis ad figuras cum perlis. Donauit noſtræ baſilicæ indulgentiam anni centeſimi Iubilei: Inſtituit, vt in baſilicà eſſent 30. Canonici præter Archipresbyterum, cum antea eſſent 22. Inſtituit clericos 20. quos clericos chori voluit nominari: etiam tres beneficiatos vltra numerum 30. inſtitutum per D. Nicolaum Papam III. per quos voluit perpetuis temporibus dici Miſsā ad altare S. Bonifacii pro animà ſuà: iuxtà quod altare (quod innouari fecit) fecit etiam erigi ſepulchrum ſuum, in quo requieſcit: ſupra quod altare, & iuxta ipſum fecit erigi Cappellam inſignem, cancellis ferreis circumdatam, cuius etiam ambitum ante Altare fecit ſepeliri nepotem ſuum bonæ mem. Benedictum Caietanum SS. Coſmæ, & Damiani Diaconum Cardinalem, ad cuius cappellæ Altaris, & Miniſtrorum vſum donauit hæc, quæ ſequuntur. In primis parbacilium. 1. de argento: Calices 4. cum patenis: Cruces 2. de argento, vnam de diaſpro, & vnam de cryſtallo: tria paria candelabrorum de argento, & par. 1. de diaſpro, cum apparatu de argento, & gemmis: Nauiculas. 2. de

A *argento, vnam pyxidem de auro prò hoſtiis: Collatorium 1. de argento perforatam: Thuribula. 3. de argento, quorum duo ſunt deaurato, & ſunt in iis duæ teſtæ de argento ponderis prædictarum marcharum. 144. vnciarum 4. & quartorum 3. Coronam. 1. de ebore, cum duodecim hiſtoriis noui teſtamenti valdè pretioſam: Planetas. 11. diuerſorum colorum de ſcyamito, panno tartarico, & diaſpro. Pluuialia 2. de diaſpro, & panno barbarico: Dexalia. 6. diuerſorum colorum, quorum tria ſunt opere Cyprenſi nobiliſſima. Panos. 17. diuerſorum colorum, de opere Lucano: Frigia auri. 5. quorum. 3. ſunt de opere Cyprenſi, & vnum eſt de opere Anglicano, & 1. eſt ad ſmaltos habens figuras ſanctorum integras nobiliſſimas. Camiſas 4. de cortinà, cum pectoralibus, & gramiciis de opere Cyprenſi. Amictus. 7. cū auri frigiis de operà Cy-*

B *prenſi. Stolas 3. & manualia 3. de opere Cyprenſi: Cingula. 7. de ſerico. Paria corporalium 2. cum domibus de opere Cyprenſi. Miſſale. 1. pulchrum. Breuiarium 1. pulchrum notatum in duobus voluminibus. Graduale 1. notatum parui voluminis. Tobalias 20. tam Sericas quàm operis Alemmannici. Superpellicea 3. de vinipà, & cortinà. Orbicularia de opere ad acum. Hic cum in nocte B. Petri ex incurià Manſionariorum ignis conſumpſiſſet tectum, & quicquid ædificii lignei erat in campanili à ſummo vſquè deorſum, propter quod campanæ corruentes in terram confracta fuiſſent, celeriter ipſum campanile in ædificiis ligneis reparans, & innouari meliùs ſolito, & campanas ſex fieri de nouo fecit optimas, & duplicati ponderis, et plures, quàm priores extitiſſent. Qui etiam ſuper alia bona, quæ noſtræ baſilicæ fecit non contenta in libro hoc, mandauit de camerà*

C *noſtrà perpetuis temporibus in Anniuerſario ſuo duodecim florenos expendi inter Canonicos, Beneficiatos, et Clericos chori diſtribuendos ſecundùm tenorem in literà ſuà Bullà bullatis contentam. Bonæ mem. Dominus Hugo Oſtienſis Ep. legauit noſtræ Baſilicæ prò Anniuerſario ſupradicti D. Papæ Bonifacii florenos trecentos auri, propter quod expendantur prò eodem Anniuerſario de Cam. l. 8 Solid. 11. & denar. 6. antiquæ, ſeu bonæ monetæ; Et fiat Anniuerſarium IX. lectionum cum laudibus, et ſub vnà collectà Deus Indulgentiarum Domine, da animæ famuli tui Pontificis, &c.*

De inſignibus Bonifacij, quæ habes in hac tabulà ſubtùs figurà Vaticanæ Baſilicæ, vide ſupra in principio vitæ.

Tertium, ſymbolum eſt Ciuitas *Anagnina* Bonifacij patria, quam regijs exornauit ædificiis (vt ex

D ingentibus ruinis conſtabat Anno 1526. licèt ſemidiruta, ac deſolata iaceret, teſte *Leandro Bononienſi in deſcript. Latii.*) ac optimis moderatus eſt legibus, eò ſede translatà Pontificià in ſignum amoris paterni, ac mutuæ fidei, quam de patrià conceperat, licèt ingrata, & parricida aduersùs Pontificem ſurrexerit contubernalem. *ep. 269. & 389.*

Stat ex aduerſo in ſiniſtris Baſilicà Lateranenſis, in quà ſuggeſtum marmoreum cum porticu condidit, Nobilis Cimaboii picturà decoratum, in quo execrationes, more maiorum proferuntur. Vidit Panuinius, & inſcriptionem excerpſit ſequentem vt in M. S. *l. de Conſt. Baſil.*

Dominus Bonifacius Papa VIII. fecit totum opus præſentis thalami. Anno D. MCCC.

Eamdē baſilicam reſtauraſſe indicant rudes ac nullà

le-

lege adſtricti verſus ex antiquo marmore à Panuinio relati.

Cui fœtida dedit eſca lepram, viſuq. peroſam.
Et maculata fides multa cum fęce lutoſam
Conſtantinus ait, pueros pietate trucidam?
Impia lex, pietate datur mihi ſubdere terram:
Stant Petrus, et Paulus. Sylueſtri ſuſcipe normam.
Et rectam fidem ſanctiſſimo fonte renatam,
Ac per tranſuerſos montes, colleſq. fugatam
Liberat ille Cœlis tenet Vrbis Papa coronam
Inde prior generoſa mater Baſilica pręſens
Facta fuit ſtabilis, quamuis lacerata per hoſtes,
Tandem conualuit ruſticam relinquendo cæteram.
Papa Bonifacius veniens Octauus in eam,
Auxit, et poſuit de multis nobile germen,
Qui noua progenies ipſo faciente ſubacti,
Sic fugiant vitium quod non ſciant cauere vetuſti,
Hi ſunt ſcripturarum cuſtodes Reliquiarum.
Sic ſunt miſſarum factarum à Deo rerum.

Subtùs Lateranenſem Baſilicam affixa eſt tabula
Annus Iubilęi. marmorea, quam modò ſeruat Vaticana Baſilica, in quà Bulla legitur

8. *Iubilæi*, quod in remiſſionem peccatorum Anno ſæculari tercenteſimo ſupra milleſimum Bonifacius publicauit. Eius hiſtoriam ſolutà oratione conſcripſit *Iacobus Card. S. Georgii ad Velum aureum*, qui Pontificij particeps erat conſilii, reiquè ſpectator expoſuit. Cuius autographum in Vaticanà ſeruatur bibliothecà, quamuis deprauatum. Inconſulto Pontifice cum rumor percrebuiſſet de futuro Centeſimo, quo Romani ad Petri Baſilicam pergentes, peccatorum omnium ſortirentur indulgentiam. Mandauit propterea Bonifacius reuolui monumenta vetuſta; ſed his temporum, bellorũ, vel
C ſchiſmatum calamitate deperditis; vſq. ad primam Ianuarij, nil certi Bonifacius retulerat. Medium ſilentium tenebant omnia, & nox in ſuo curſu manebat, cum eccè Romani repentè ad ſacram Petri Baſilicam properant, altaria ſtipant, quaſi eà die gratia expiratura crederetur. Acceſſerint nè ſpontè, vel nutu impellente ſuperno, aut ingentibus Italię perterriti terræmotibus, quorum timore ipſe Bonifacius conſtructà domunculà ex ſubtilibus tabulatis, in prato Clauſtri Dominicanorum Reate conſedit, horrida licèt ſæuiret hyems, ignoratur. Iis initijs in diem, ciuium, externorumq. fides, & peregrinatio augeri cœpit, per bimeſtre uſq. ad diem, quà Sudarium, *Veronica*, dictum reuelatur.

Nec viuus defuit præteritorum teſtis, qui peregrinationis ſuæ centum, & ſeptem aſſeuerans annos adſtrueret, ſe unà cum patre Romæ Centeſimo adfuiſſe præterito, monitumq. à genitore ſuo, vt ſi fortè Centeſimo uiueret futuro, ad lucrandam centum Annorum indulgentiam Romæ adeſſe non pigritaret: hanc ob cauſam Romam ueniſſe. Tanti ęui duo alij ſupererant diœceſis Beluacenſis, qui comprobabant aſsertum. Hiſce motus Bonifacius, priùs maturè conſultis Patribus, Bullam Iubilæi exarari mandauit, quam habes inter Extrauagantes *de Pœnit. & Remiſs. c. antiquorum*. Feſtiuà gratulatione diploma Populus excepit Romanus, qui protinùs *nullo ſexus, vel ætatis diſcrimine, dum pubertatis annos exegiſſet, ad ſuorum patronorũ Baſilicas, quoad dierũ interualum finẽ accepiſſet, curſitabat*. Iacob. Card. *de Iub. c. 4.*

A quo teſte ex Italià, Sicilià, Vngarià, Polonià, Anglià, Hiſpanià, Gallià non ſolum iuuenes, ac vegetę ætatis occurrerunt, ſed ſeptuagenarij, infirmi, qui deferebantur in grabatis, & lectulis. Inter eos pręclaro ſpectaculo fuit quidam ſenex Sabaudus, non humili genere ortus à filijs allatus, qui annum ſupergreſſus centeſimum, ac præteriti Iubilæi ab Innocentio III. celebrati memor in ſæculo præterito, celebritati interfuerat. *Ibid. c. 6. & 7.*

Cui conſonat Io. Villanus *l. 8. c. 36.* tradens, ſe tantam Romæ uidiſſe hominum multitudinem, vt præter Romanos ducenta Peregrinorum millia in Vrbe viderit, quibus omnia neceſſaria abundè ſuppeditabantur. *Annal. Colmarienſ.* Curati in Baſilicis Apoſt. ſunt languidi: Dœmoniaci ſoluti, clamante Dœmone Apoſtolorum meritis, & fidelium orationibus omnes animas à Purgatorio liberari. *Baronius in* Miracula, quę contigerunt Romę, occaſione Iubilæi.
B *ſchedulis ex Cod. Vatic.* Oranti clerico in Eccleſià B. Georgij, cui præerat Iacob. Cardin. & coram Virgine geſtante filium, ſciſcitanti, num pepercißet Deus? *Omnibus* (reſpondit Deipara) *miſerans indulſit Deus*. Ad quam ille: *Nam mihi*? Subticuit mater: ſed ſubiungit poſt morulam. *Omnib. indulſit Deus viuis, & mortuis*. Subſtratus iterum: *Nam mihi*? Cui nec iam reſponſo dato, trepidanti ſubiunxit: *Indulſit omnibus Deus mortuis, & viuis, tibiq. Ibid. c. 10.* Abundauit porrò fidelium liberalitas erga Apoſtolorum aras, vt ex tenuiori ære oblato, ſupra quinquaginta florenorum millia conflata ſint ad ditandàs Baſilicas Apoſtolorum. c. 9.

Hùc ſpectare videtur nummiſma columnæ appenſum, ſuperioris tabulæ, in quo effigies eſt Bonifacij VIII. Ex aduerſo *Saluatoris imago porta impoſita, & duo ad poſtes candelabra*. Quà portà *Portam Sanctam* indicari, ſolitam aperiri ineunte Iubilæi Anno, nonnullis viſum eſt: refragantibus alijs, quia Bonifacius non iuſſerit aperiri portam, vt ex *c. antiquorum de Pœn. & Rem.* ac libello Iacobi Card. Ni dicas nummiſma non ab ipſo cusũ Bonifacio, ſed ab hæredibus, quo ſymbolo auctorem Iubilæi Bonifacium monſtrare voluerunt. Quòd ſi Bonifacij ætate percuſſum eſt, eà Portà Lateranenſem Baſilicam ſignificare dicas, Templis omnibus totius Orbis præſtantiorem, apud quam habitabat, & ornabat. Vel Chriſtum Dominum porta annuit, qui Via, Veritas, & Vita ſuo ſanguine valuas reſerauit æternitatis, unde legitur in eodem nummiſmate: *Iuſti intrabant in eam*. Nummiſmata Bonif.

Iubilęi occaſione quid facetum narrat Petrarcha. Lepida hiſtoria.
Nunciatum cum eſset Bonifacio, Agapeti Columnenſis vxorem, quæ ſanguine illum contingebat eſse prægnantem, ſenſit hoſtem ſuum Romæ fuiſse: hinc irà ſuccenſus, perduci antè pedes ſuos mulierem iuſſit. Venit illa verecundè, ventrem ſtudio tegens. At ille, vt erat in ſermone acer. *Dimitte* (inquit) *meretrix pallium. Quis te grauidam fecit?* reſpondit. *Pater ſancte, tu mihi virum meum abſtuleras. Quid facerem? quod ætas, & formę ſuaſerunt, conſilium cepi. Inter innumerabiles peregrinos, quos hic ſacer annus in vrbe hac congregauit, conſpiciens vnum viro meo ſimillimum, notaui. Placuit ille oculis meis, et in exulantis viri memoriam ſuſceptus eſt per noctem, manè abiens, qualem cernis, me dimiſit.* Viri habitum annuens, qui ſub peregrini ſpetie ad vxorẽ penetra-

e.

uerat. Riſit Bonifacius, mulicbri mitigatus facundiâ. A

Appenditur in aduerſà columnâ alterum Bonifacij nummiſma, cuius in fronte legitur nomen Bonifacii VIII. In aduerſo nomina SS. Petri, & Pauli, cum inuocatione, *Domine in adiuteriũ meũ intende*.

Sedet in vltimo Ciuitas Vrbeuetana, vbi diù ſede locatâ, ac templo excitato auguſtiſſimo cum ædibus Pontificiis, quatuor Eccleſiæ Doctorum Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, Gregorii natalitios dies feſtos eſse iuſſit. Ibidem B. Ludouicum Francorum Regem, qui apud Tunetum ſacro obiit in bello, fulgentem miraculis in Sanctorum retulit numerum. Ciuitas verò ad grati animi argumentum, binis ſtatuis illius memoriam æternauit.

Sedent tandem in medio ciuitas Bononienſis, & Florentina: illa ſeditionum diuturnitate feſſa, miſſis ad Bonifacium Oratoribus Anno 1297. ſe ſe fidei ſubiecit Eccleſiæ. *Sigonius de Ep. Bonon.* Anno po- B ſtea 1301. in fronte Palatii ciuici ſtatuam Bonifacio poſuere cum hoc lemmate.

Bonifacio Octauo Pont. Max. Ob eximia erga ſe merita
S. P. Q. Bononienſis. Anno M. CCCI.

Altè inſederat Bonifacii menti, pace firmiſſimâ Chriſtianos conſtringere, vt omnes ad propagandum Chriſti nomen conuerteret: Hinc Venetis, ac Ianuenſibus alternæ potentiæ æmulis inducias Apoſtolicâ indixit auctoritate, vt tantarum nationum exemplo reliquos populos ad cõcordiam excitaret.

9. *Sexto &c.* Plura ſcripſit Bonif. VIII. Inter quæ *De Reg. Iur. De Indulgentijs anni Iubilai*, teſte Poſseu.

Bonifacij ſcelpta.

De priuilegijs Doctorum, & ſtudentium almæ Vrbis. Studiorum amator Firmi, Appameæ, Auenione gymnaſia excitauit. *De Chriſtianæ fidei, & Rom. Pont. perſecutionibus.* Orationem. *Aue Virgo glorioſa.* C

Sermones duos latinos, in canonizatione S. Ludouici.

Epiſtolas plurimas, M.S.S. in Vaticanâ bibliothecâ.

Sextum Decretalium librum, quem ſuô iuſſu *Gulielmus Longus* Bergomenſis, *Dinus Roſonius* Mugellanus compilauerant, ex conſtitutionibus declaratoriis ab eo factis. Hunc decretalium librorum numerum Pontifices ſequuti augere minimè auſi, licèt Clemens V. & Io. XXII. ſacros compilauerint Canones, ſaluo, Decretalium numero, *V. Extrauagantes*: Ille *Clementinas* nominauit. Fuit enim Bonifacius (teſte S. Antonino) *ſcientiâ acquiſitâ valdè peritus, naturali ingenio præditus, Zelator magnus, & conſeruator iurium eccleſiæ*. Aiebat Dinus de Mugello Archidiac. Bonon. (Tiraquello referente) D *neminem vnquàm ingenio excellentiori in Piſcatoris cathedrâ ſediſſe*. Nauclerus *virum in ciuili, & canonico iure peritiſſimum, qui viros doctiſſimos pariter, ac ſapientiſſimos ad purpuram aſciuit*. Io: Villanus, *Doctum iudicio, ingenioq. & memoriâ magnanimum, liberalem in viros rerum benè gerendarum peritos*. Cardinalis Viterbienſis *doctiſſimum*. Platina, Binius *doctrinâ, et rerum experientiâ inſignem*. Philippus *Doctorem eccleſiæ, & Iuris illuminatorem*. Genebrardus *Eccleſiaſticæ libertatis æmulum*. Ioannes Cardinalis Monach., *ipſum, triplex in Decretalium Sexto bonum ligaſſe: honeſtum quoad morum reformationem Vtile quoad cauſarum deciſionem: Delectabile quoad illuminationem intellectus, et accenſionem affectus: ſureq. habuiſſe nomen P. P. quia admirabilis fuit intelligentiâ, & efficaciſſimus eloquentiâ*. Hinc

Bonifacij laudes.

10. *Epitaphium* Bonifacio poſitum laborat falſo vt notat *Genebrardus*. Apud Platinam, qui minimas etiam labes notauit Pontificum, Antoninum, & alio magni nominis viros, altum ſilentium. Accedit, quod ſuffraganei, & Abbates Rhemenſis Metropolis, cum plurimis Regularibus religioſæ obſeruantiæ, etiam poſt intentatam illi à Philippo litem, his verbis teſtati ſunt. *Ad Chriſti vicariatus apicem* (Bonifacium alloquitur) *diebus noſtris, quod lati referimus diuinæ gratiâ prouiſionis aſſumpti, quale ad ſalubre regimen, ſtatum proſperum, & exaltationem fęlicem Eccleſiæ deſideriis ſummis aſpirantes, paternam curam, ſtudium efficax, & indefeſſa ſollicitudinis operam duxeritis impendendam, vniuerſa iam notio publicat, & ipſa rei experientia manifeſtat*. Caſtitatem mirè coluit (teſte Iuſtiniano in Chron.) *Richardus* Abbas S. Iuſtinæ teſtis oculatus magnæ fuiſſe probitatis laudat. Damnauit iſte *Fratricellos*, qui promiſcui concubinatus fœditatem exercebant impuri: *Sanderus* Miſſas (vt habent Acta) celebrabat frequenter cum deuotione, & lacbrymarum effuſione. Faſtum, & nimiam affinium dilectionem excuſare non valeo. Quindecim Cardinales creauit (volunt alij 16. vel 17. creaſſe) inter quos (*Ciaconio* reſte) quatuor gentiles ſuos; 39. Epiſcopos, & Archiep. ex amicis, & affinibus vidit à ſe creatos.

Calumniæ in Bonifacium refellũtur

Fratricellos damnat

Affines diligit.

11. *Palæſtinæ* recuperanda votum fuerit Bonifacii VIII. argumento eſt Epiſtola 30. l. 3. quâ Iacobum Atragonum Regẽ non ſolùm Corſicæ, atq. Sardiniæ Regem declarauit, ſed Ducem Chriſtiani exercitus aduersùs barbaras nationes, ac ſexaginta præfecit triremibus, auro inſtruendis Eccleſiæ. Spem dabat futuri in Oriente triumphi miraculum, quo adductus Caſſanus Tartarorum Imp. Baptiſmum ſuſceperat. Matrimonium quærenti oblata filia Regis Armeniæ venuſtiſſima. Placuit eam thori, vt ſceptri ſociam aſſumere, relictâ poteſtate puellæ, ſacris Chriſtianorum vacandi, quibus à pueritiâ aſſueuerat. Ductam in vxorem Tartarus breui matrem fecit; ex quâ proles tàm deformis, vt ex adulterio crederetur concepta, hinc vnâ cum filio flammis damnata. Innocentiæ illa ſuæ confidens, ſententiam mortis, quam ſciebat iniuſtam, lubens audiuit, nec aliud à Caſſano flagitauit, quàm vt ſacro baptiſmate puerum liceret abluere, ſibi verò per exomologeſim peccata expiare. Facilè Caſſanus conceſſit vtrumq. Cumq. puerulus viuo Chriſti fonte ablutus formâ priori deformi in venuſtiſſimam mutatâ ſpecioſus euaſiſſet; Caſſanus abrogatâ ſententiâ, & ipſe vnâ cum procerib. nõ ſolùm baptizari voluit, ſed Legatos ad Bonifacium miſit, qui ſacram doctrinam, ac in bellũ ſacrũ pręſidia poſtularent. *Boſius l. 7*

Sacram meditatur expeditionem.

12. *Gibellinus &c.* Gibellinos Bonifacius odio tàm perſequebatur atroci, ut Procheto Archiep. Ianuenſi ad pedes eius, die Cinerum prodeunti, quia eum Columnenſium receptorem exiſtimaſſet, non ſolùm Archiepiſcopatu priuauit, ſed cum à Sacerdote cinere aſpergente fidelium capita, dici ſoleat: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris*, pronuntiauerit Pontifex; *Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reuerteris*, in eius oculos cinerem, non in caput iniiciens. Platina, Ciaconius, Genebrardus, Card. Ægidius Viterbienſis, Ægnatius *l. 6. Exemplor.* De verbis prolatis nemo dubitat: de proiecto in oculos cinere negant plurimi.

Inimicus Gibellinorum.

Anni Sal. Be. 1303.

Vt neſcias: ſe meliùs, an ſuos rexerit,
Modeſtiam, & humilitatem ita ſeruauit,
Vt factus ProDeus
Niſi centone matrem a agnouerit inuolutam.
Sponsā expoliare nō audēs, vt veſtitet matrem;
Erubuit, cū in veſtitu deaurato matrē reſpexit.
Timens, ne pro ſerico purpurā deponeret innocētiæ
Hac famà hoſtes ipſos in hoſtiam traxit.
Qui Bonifacium non timebant armatum,
Timuere Benedictum inermem.
Gallorum Rex claues3formidans, non clauos,
Imprecatus iam, modò precatus
Clementiam quęſiuit, & inuenit,
Nemeſi tamen ſaluà Diuinà;
Quæ in Bonifacij vindictam,
Philippum4apro tradidit dilaniandum.

Anni Sal. Be. 1304.

A*Nemo Gallorū adhuc in Petrum peccauit impunè.*
Reliquos Bonifacij patricidas
Cum ſua damnaſset contumacia
Abſoluere Benedictus voluit, nec potuit.
Bello tandem concuſsa Italia 5 ne quieſceret;
Vrgebat Benedictus, ſed in Barbaros
Ferrum, Aurum Hieroſolymis conſacrare.
Annum non compleuit Pontificatus,
Vvlnera tamen ſanauit Reipublicæ.
Quales tunc fulcirent Eccleſiam Cardines?
Si neſcis? dabo:
Pontificem iuſtum, pium, ſanctum
Cardinales prodidere, perdidere 6 veneno.
Parentauit Orbis, vt ſolent filij parenti.
Inter pullatos Deus ipſe miraculis adfuit.
Sic ſolet adſtare amicorum exequys.

ADNOTATIONES IN BENEDICTO X. DICT. XI. PONT. ROM. CLXXXXIV.

Benedicti X. natalia. 1 B*Enedictus X. Rom. Pontifex*, anteà Nicolaus teſte S. Antonino p. 3. tit. 20. cap. 9.) *qui in ſæculo fuit viliſsimę conditionis de Treuiſio (alias Taruiſio) indè Venetias acceſſit, pueros docens in grammaticalibus, vt paupertatem ſuam ſuſtentaret. Ingreſſus ordinem Prædicatorum, non ſegniter conuerſatus, virtutibus, & ſcientia ſe dedit, vt in modico tempore doctiſſimus euaſerit, magnę memoria, & acris ingenii,* Officia. *omnibus amabilis. Et in ordine per omnes dignitates gradatim aſcendens, ex ſubpriore Prior effectus, ex prioratu conuentuali ad prouincialem aſcendens: indè in magiſtrum ordinis generalem electus, à Bonifacio VIII. propter ſcientiam, & probitatem ſuam inter Cardines terræ conſtitutus, demùm cathedram Petri aſcendit.* Cohęret Io. Villanus *l. 8. c. 66.* Io. verò Bonifacius in hiſtorię Taruiſinę *l. 6.* filiū dicit *Boccaſii de Boccaſinis*, Imperiali auctoritate. Notarij, qui etiam eo tempore, quandò non adeò profuſa erat titulorum luxuries, *Dominus* nuncupabatur, quem titulum ſolis viris illuſtribus ea ætas concedere ſolebat. Ita ex eius amitæ teſtamento, quod adhuc legitur, cuius vigore Monaſterium S. Nicolai domum poſſidet. Eius ædes in uico S. Bartholomæi, in quibus Nicolaus genitus, & enutritus, quæ fratribus Prædicatoribus iure obuenerunt hæreditario, vſq. in hæc tempora honeſtæ referunt ſignificationem familiæ. Sub patruo *Boccaſino* parocho eccleſiæ S. Andreæ in patrià, Grammaticæ primò operam dedit; inde Venetias deſcendens, vt vitam aleret, docuit Patritiorum filios præcipuè *Quirina* familiæ. Annos agens XVII. Ordinem Prædicatorum profeſſus, di- Virtutes. uinis, humaniſq. ſtudiis impensè vacans, morum ſanctitati doctrinam ita adiunxit, vt fratrum in ſe amore excitato, Anno Sal. 1296. totius Ordinis Magiſter Generalis eligeretur. Effulſere in hoc magiſterio virtutes omnes. Pius in omnes, in ſe rigidus cum victu, & veſtitu rigorem ſeruauit, ut pedes ſolo ſuffultus baculo Orbem circuiret; nec alibi, quàm in communi triclinio cum fratribus ſuis, nec lautiori, quàm cæteri cibo vteretur. *Leander lib. 3. de viris illuſt.* In Capitulis generali-

B bus, quæ Argentorati, Venetiis, Metis, Mediomatricibus coegit, omnes labores primus adire ſolitus, alios prouocabat dicens: *Hæc eſt, fratres chariſſimi, gloria noſtra.* Eius ſanctitatis, doctrinę, prudentię famam audiens Bonifacius VIII. eum in Gallias peregrinantem, ordinis intentum cenſuræ, Presbyterum Cardinalem S. Sabinæ creauit. Ille verò ſuſceptis Literis Pontificiis, Narbonæ conuocatis fratribus, Magiſterio ſe abdicauit XIX. Kal. Febr. In Papā eligitur Anno 1299. ac Romam receptus, Epiſcopus creatus Oſtienſis, & Veliternus, prouinciam ſubiit ei demandatam, quà titulo Legati à latere non ſolùm Vngariam bello feſſam ciuili, ſed Poloniam, Dalmatiam, Croatiam, Raſciam, Seruiam, Lodomeriam, Galatiam, Cumaniam corrigeret, atq. corriperet. *Bonfinius l. 9.* Pacatà Vngarià, Romam re- C uerſus inter hoſtium minas, & Gallorum tumultus intrepidè adſtitit Bonifacio, ne grauius aliquid in eum hoſtis moliretur, reliquis fugientibus Cardinalibus. *Bernardus in Chron. Rom.* Mortuo tandem Bonifacio, Cardinales in Vaticano conuenerunt ad ſacra celebranda comitia, pauciſq. lapſis diebus, communibus votis non ſine arcano diuini Numinis, in *Nicolaum Boccaſinum* conſenſere, quem *Benedictum* dixere in memoriam Bonifacii, qui ante Pontificatum dictus eſt Benedictus. Impletum Vaticinium de eius Papatu. tunc vaticinium eſt S. Malachiæ, *Concionator Patareus*: quia Benedictus ex ordine *Prædicatorum*; & nomen S. Nicolai ferret, qui *Patareus* fuit; undè D & ipſe miraculis clarus, meritò *Patareus* dictus. Expauit ad oblatæ dignitatis maieſtatem vir ſanctus, Chriſtianà animi demiſſione inſignis. Ne tamen eccleſiam in ſeditionum fluctus conijceret, onus admiſit Pontificium, *Benedicti* accepto nomine, quem IX. alii XI. re verà *Decimum* dices: vt ex *ep. 1. Benedicti X. Archiepiſ. Mediol. et ſuffraganeis*, Eius vitam Ægidius Viterbienſis Card. breui, ſed nobili deſcripſit elogio. *Benedictus XI. Taruiſinus, qui in Prædicatorum familià, neſcio ſanctiùs, an eruditiùs inſtitutus nil antiquiùs duxit vnquàm, quàm Cœli comparandi gratià cuncta agere, res humanas ve*

vmbras contemnere, luci æternitatiq. adſpirare: vſur-pabas illud Pindari. Homo vmbræ ſomnium.

Matre ſuſcipere renuit veſtitâ ſerico.

2. *Matrem*. Benedicti paupercula mater *cum adhuc ſuperſtes acceſſiſſet Peruſium ad eum viſitandum; poſtquàm appleuit induta fuit ſericis ab amicis veſti-bus, vt decere videbatur, vtpotè tanti Principis matri. Cum ergo capta à harâ ingredi deberet ad filium: inter-rogauit Papa ipſe filius, quibus veſtibus eſſet operta? Reſponſum eſt ei. Quod ſericis ob honorem ſedis Apo-ſtolicę: At ille: non eſt inquit hæc mater mea. Ipſa enim mater mea paupercula mulier eſt, quid ſit ſericum ignorans. Nec voluit eam dimittere ad ſe videndam. Quamobrem hoc audiens pia mater, illis depoſitis veſti-bus, eſt humilibus induta. Cum hoc Benedictus Papa audiſſet, dixit. Hæc eſt mater mea, veniat. Et in-greſſam in oſculo ſancto amplexatus eſt eam.* S. Anto-ninus *p. 3. tit. 20. c. 9.*

3. *Claues Regibus obijciens non clauos*, poſt infulas acceptas Apoſtolicas, vt Diuis benè iuuantibus onus tam graue ſuſtineret, Eccleſiæ S. Euſtorgio ſacræ Mediolani argenteum, fuluoq. auro coruſcum thu-ribulum grauiſſimi ponderis, & ſericum apparatum magni pretii dono dedit, & ad aram S. Petri marty-ris trecentas argenti libras obtulit. Mox Vrbis bella inteſtina ſopiuit, vt in ſuo carmine *Iacob. Ste-phaneſcus*.

Roma nouis concuſſu fremit, ſaeuumq. minatur
Martis opus, ceptus timor eſt prorumpere flammis
Et clarere palàm: ſtipulans ceu conditus ignis
Incendit ſæuè. At Chriſti clementia tanti
Occurrit, lymphaſq. iacit, Benedictus eodem
Tempore ſuſcipitur vir clarus.

Fregerat Fridericus Rex Trinacriæ Sacramenta Eccleſiæ data de pẽdendo trium millium vnciarum C auri vectigali. Adeptæ Regię dignitatis Annos non à confectæ pacis tempore, quo beneficio ſedis Apo-ſtolicæ inſignia geſſerat regia: ſed ab eo, quo ty-

Clementia erga Reges.

rannidem corripuerat, non ſine graui Eccleſię con-temptu deſignauerat; vt armorum potentiâ, non clemẽtiâ Apoſtolicâ regnum oſtẽtaret ſe obtinuiſſe. Monuit itaq. improuidum principem nouus Pon-tifex, ut malè præſumpta emendaret, ac uerbis offi-cioſis ſedem cognoſceret Apoſtolicam, Dominam ſupremam Siciliæ. Annuit Rex monitis pii patris: cui ueniam flagitanti de uectigali non ſoluto, Pon-tifex non ſolùm ſacrorum iuſtitium aboleuit, quod in Siciliam irrepſerat; ſed diem ſoluendi tributi ad Kal. Maij extraxit futuri. Promiſſis adfuit Fride- D ricus ſaltem in parte; nam menſe Iunio decem mil-lia Florenorum ſoluit, vt ex chirographo cautionis manu Benedicti X. ſubſcripto Peruſii, die XV. Kal. Iulij. Eàdem benignitate vſus ergà Carolum II. Regem Siciliæ, diem ſoluendi cenſum in Feſto Omnium Sanctorũ ad Domini natalitia protraxit.

Oroſium Benedictus Regem Seruiæ à Græco ſchiſmate Romanæ reſtituit eccleſiæ, vt ex *ep.* 125. Helenam Reginam Seruiæ, quæ fidei Orthodoxæ amplificandæ operam dabat, in clientelam ſuſcepit Apoſtolicam. *ep.* 117. Inſibraimi Orientalium Chriſtianorum Epiſcopi nuntios acceptis literis audiuit in Vrbe, qui Eccleſiam Romanam matrem omnium Eccleſiarum, ac Summum Pontificem Chriſti Vicarium, Petri Succeſſorem, omnium Or-thodoxorum Patrem, Paſtorem, Doctorem, Iudi- A cem profitebantur, eamq. Fidem Catholicam, & Apo-ſtolicam ſe credere aſſerebant, quam credit, & docet Eccleſia Romana.

4. *Philippum*. Electo in Pontificem Benedicto plenam humilitatis Philippus ſcripſit epiſtolam, Eccleſiæ recuperandæ causâ, Gallicanam commen-dans Eccleſiam, & pro collaro Apoſtolico faſtigio triumphans. Has cum per honorabiles Legatos Pontifex accepiſſet, non ſolùm gratus reſpondit, ſed humilis abſenti, & non petenti, dulcedine benedi-ctionis præueniens, abſolutionem impendit, ac Saluatoris implerã parabolã, non ſolùm ad cœnam inuitauit, ſed intrare coegit (*Bulla ſub die 4. Non. April.* 1303.) priſtinis iuribus reſtitutis, ac priuile-gijs, quibus Bonifacius expoliauerat Gallos. *Tho-B mas de Vvalſingham in Ypodigmate Neuſtria*. Chro-nicon *Comitis Montisfortis*. His autem minimè contentus Philippus, inſtetit per Petrum de Pere-do procuratorem ſuum in curiâ Romanâ, generale conuocari Concilium, vt Bonifacij damnaretur me-moria, quem non ſolum in multis accuſabat cri-minibus, ſed etiam de hæreſi inſimulabat. Querelis ſuis vt colorem, & calorem imponeret, ſubdi-torum nomine ſtuduit actionem proſequi. Inſte-tit tandem pro reſtitutione Columnenſium, quos Bonifacius bonis ſpoliauerat, & dignitatibus. Regem Benedictus in pluribus: Vnde Colum-nenſes dignitati reſtituit, proceſſus, pœnas ſu-ſtulit, & deleuit, confiſcationibus exceptis, in quibus nihil immutauit. Gallos Doctores, Prælatos ad priſtinum reuocauit ſtatum, in quo erant, ante-quàm damnarentur à Bonifacio. *Guillelmum de No-gareto* excepit cum complicibus ſuis, qui hoſtiliter, & iniurioſè impias manus iniecerant in Bonifa-cium, ablato Eccleſiæ Romanæ theſauro palàm, publicè, & notoriè, eo vidente Benedicto, qui ex Cardinalibus ſolus tunc adſtabat Bonifacio. *Quis crudelis* (ita exclamat in bulla ſub die 7. Idus Iunij) *hic à lacrymis temperet, quis odioſus compaſſionem non habeat, quis deſes, aut remiſſus iudex ad puniendum non ſurgat, quis pius, ſiue miſericors non efficiatur ſeue-rus? hic violata ſecuritas, hic immunitas temerata, propria patria tutela non fuit, nec domus refugium; Summum Pontificium dehoneſtatum eſt, & ſuo capto ſponſo Eccleſia quodammodò captiuata. Quis locus repe-rietur amodo tutus, quę ſancta Romano violato Pontifi-ce poterunt inueniri? ò piaculare flagitium! ò inauditum facinus! O Anagnia miſera, quæ talia fieri in te paſſa es! Ros, & pluuia ſuper te non cadant, & in alios de-ſcendant montes, te autem tranſeant, quia te vidente, & prohibere valente fortis cecidit, & accinctus robore ſuperatus eſt. O infeliciſſimi patratores, non imitati quem nos imitari volumus Dauid ſanctum, qui in Chriſtum Domini, etiam inimicum perſecutorem, & æmulum ſuum, quia dictum erat,* Nolite tangere Chri-ſtos meos, *manum extendere noluit, & in extendentem irrui gladio iuſtè fecit: Infandus dolor, lamentabile fa-ctum, pernicioſum exemplum, & inexpiabile malum, & confuſio manifeſta. Suum lamentum Eccleſia, ora tua fletibus rigeant, & in adiutorium debita vltionis filii tui de longè veniant, & filiæ tuæ de latere ſur-gant, &c. Verum, quia ſcriptum eſt.* Feci iudicium, & iuſtitiam, & honor Regis iudiciũ diligit: *nos in præ-dictis ſic iudicium, quod ad honorem noſtrum pertinet*

Gallum reſtituit Eccleſię

fu-

facere cupimus, quod à iuſtitiâ minimè diuertamus, ideoq. forma iuris, quæ, ſicut hæc ſunt, ſeruatur in notorijs obſeruata: præfatos ſuperiùs nominatos, cæteroſquè participes, qui hoc in ſupradictum Bonifacium in perſonis propriis exercuerunt Anagniæ, omneſquè, qui in his dederunt auxilium, conſilium, vel fauorem denunciamus de fratrum noſtrorum conſilio, præſente hac multitudine copioſâ, promulgatam à canone excommunicationis ſententiam incurriſſe, ipſoſq. citamus peremptoriè, quatenùs infra feſtum S. S. Apoſtolorum perſonaliter compareant coram nobis, iuſtam (dante Domino) noſtrum ſuper præmiſſis, quæ notoria ſunt, audituri ſententiam &c. Vindictâ exegit Deus etiam à Philippo; nam in venatione, apri ictu ex equo præcipitatus miſerè interijt; eiuſq. filij omnes nacti ſunt vxores adulteras. S. Anton. 3. p. tit. 21. c. 3. §. 4.

5. *Italia* cum bello arderet inteſtino, ac præter *Guelphorum*, ac *Gibellinorum* vetuſtas factiones, *Alborum*, & *Nigrorum* odia, quæ Peruſii coaluerant ad mutuam conſpirarent internecionem, ad ea extinguenda, *Nicolaum* virum magni nominis, qui inter Prædicatores religioſâ diſciplinâ excultus ad magnas virtutes adoleuerat, ac in Cardinalium collegium cooptatus, è Spoletanâ ſede ad Oſtienſem traductus fuerat, Paciarium creauit: ſed quia Florentiæ de reducendis Gibellinis, quorum ſanguine ipſe procreatus erat, mentionem feciſſet, ſuſpectus conſtituendæ potiùs familiæ veniſſet, quàm Reipublicæ, nil impetrauit, vixq. fugâ vitam redemit; propterea excommunicatis Pratenſibus, ac Florentinis ad Pontificem redijt. Citauit reos Pontifex, qui Peruſium magnâ clientum ſtipati caterua ad facinus excuſandum ſe contulere. Interim Gibellinæ, Albæq. factionis Duces collectis raptim ingentibus copijs, Florentiam impetu expugnare tentarunt. Adductus eſt in inuidiam Legatus conſilium hoc Gibellinis ſuggeſſiſſe, dum ſuis ducibus orba ciuitas erat: qui mox auditâ diſcriminis famâ, ſe proripuere Florentiam, ſe ſe maiori, ac antea furore laniantes. Eodem voto, Alberto ſcripſit Romanorum Regi, vt arces eccleſiæ reſtitueret Moguntinæ, quam iniuſtè ſpoliauerat, in vindictam audacis facinoris, quod Moguntinus patrauerat. Is cum non impetraret, quod peteret; ſuſpenſo venatorio cornu, iactauerat, *multos ſe in eo geſtare Cæſares*. Si enim peccauerat Epiſcopus, non debebat puniri Eccleſia, expeditioq. turbari, quam Papa meditabatur cum Caſſano Perſarum Rege Syriâ pro Chriſto reſtituendâ. Tantum bonum interceſſit mors vtriuſq. & Benedicti Pontificis, ac Perſarum Regis: His enim adactum conſilijs Benedictum Cardinales ſuſtulere.

Benedicti obitus.

6. *Veneno* odio cõcepto (teſte *Ciaconio*) quia Columnenſes reſtituiſſet. Cum enim Peruſii, non procul à lacu Traſimeno, vbi olim Romanos vicit Annibal, vir pius menſæ accumberet: iuuenis quidam mentitus ſe fœminam eſſe, & ancillam Abbatiſſæ virginum D. Petronillæ, triclinium ingreſſus cum vaſe argenteo, ficus recentes, & varia florum genera illi obtulit oblita veneno. In quibus cum nil mali ſubeſſe ratus, illos auidiùs comediſſet, fato ſublatus in eccleſiâ ſui ordinis Prædicatorum ſepultus eſt. *Ipsâ die, quâ ad Cœlum migrauit vir ſanctus, tantus fuit populi concurſus ad eum videndum, vt agminatim Ci-uer, & inurbana plebs totas vias complerent, vt vix è palatio in templum Prædicatorum deferri poſſet, potueritq. poſtero die ſepeliri. Aduitebantur omnes, ſancti viri pedes exoſculari, rati ſe oſculo veniam eius meritis à Domino faciliùs criminum ſuorum poſſe obtinere. Et cum ſcripturo didicerimus,* qui ſe humiliat exaltabitur, *ſic huic ſanctiſſimo viro contigit, quippè paſſim hinc inde miracula exire videbantur.*

Miracula Benedicti.

Extemplò mulier quædam per annos quindecim capitis dolorem paſſa, ſe ſancto viro vouens, receſſit exinde ſoſpes. Cuidam filius paruulus, mox voto ad beatum Pontificem, & precibus emiſſis, qui cibo, potuquè tribus continuis diebus abſtinuerat, & deſperatus, ſoſpes reſtituitur; vt continuò pedibus ipſe ſuis domum reuerteretur, qui paulò ante ad tumulum viri Dei velutì mortuus allatus fuerat. Mulier altero brachio capex, inuocato Benedicti nomine, mox ſanum recepit. Mulier cum vno puero viſu, quem amiſerant, donantur. Mancipium vicecancellarij, alterum brachium debilitate oppreſſum habens, exaudiens, quæ fiebant meritis viri Dei in templo Prædicatorum ad eius tumulum miracula, fiduciâ plenus extemplò brachij libertatem precibus obtinuit. A fluxu ſanguinis mulierem, quæ per annum paſſa fuerat, curanit. Puero ad ambulandum impotenti, pedibus, & tibiis capto, in frequenti populo greſſus elargitur.

Mulier à diabolo obſeſſa ad tumulum viri ſancti perducta eſt; paulò poſt eius deceſſum, vt liberaretur eius precibus, quo plurimum agitabatur, & ſic agitabatur, ac vt interdum ingentes, et horridas voces emittere compelleretur, quo fiebat, vt aſpicientes in ſui miſerationem deduceret. Ore ipſius miſellæ iniquus ſpiritus Latinè tam eleganter loquebatur, vt admirarentur omnes. Igitur ad tumulum viri Dei Benedicti mulier poſita, vnus ex Prædicatorum Ordine pater venerabilis in frequenti clericorum, & laicorum cœtu, & duobus patribus Minoritis agere diabolum ſanctiſſimis verbis cœpit, quos exorciſmos vocant, id eſt adiurationes dicens: Dei ex parte, & ſerui ſui Benedicti Papæ te adiuro, vt hinc exeas, mulieremquè iſtam Dei facturam relinquas. Tunc ſermone literali hoſtis antiquus reſpondit: Occinè Benedictum autumas, me ne hinc poſſe pellere, quem non valuit Franciſcus? Porrò antea mulier Aſſiſium ad D. Franciſci tumulum deducta fuerat. At venerabilis pater: ſcio, inquit, à Deo optimo maximo tanta poteſtate vtrumquè donatum, vt te hinc expellere poſſint; ſed poteſt hanc Deus ſancto viro Benedicto reſeruare prò nunc facultatem, quam diuo Franciſco non fecit; Aſt malignus ſpiritus impatiens dixit: Te rogo, atquè obteſtor, ne me ampliùs vexes, aut inferas bellum, eò quod hac in muliere annis ſexdecim permanſi. Verum pater ille, non eius dictà audiens, iterùm nomine Benedicti acriter eum vrgere cœpit: & tandem cum diceret: Et Verbum caro factum eſt *(fortè euangelium illud legeras) mox diabolus euanuit, veluti mortuam mulierem dimittens: Sic enim eius corporis vires attriuerat, vt diù non ſolùm loqui, ſed vix hiſcere potuerit. Tandem viribus reaſſumptis, gratias Deo ingentes, & viro ſancto Benedicto egit: nec vlteriùs literali vſa ſermone, quem nunquàm didicerat; quin maximè poſt hæc admiratione capiebatur, cum intellexerat ſe aliquando eo locutam fuiſſe.*

Ioanna Petri de Franciâ à fluxu ſanguinis, quod menſibus ſex paſſa fuerat, oratione ad eius tumulum porrectâ, protinùs obtinuit ſoſpitatem. Et Viuiano Bonoiãnis

de

de Ponte montis caſtelli, tacto viri Dei tumulo, præmiſ- A *ſo voto, lumen oculorum reſtituitur. Naldus ex oppido Montepolitano, morbum comitialem paſſus annis ſeptem antè eius ſepulcrum ſoſpitate donatur. Gerundiſia capta manibus, & lacertis, cum matre ad Benedicti tumulum accedens, eius meritis receſſit incolumis. Brunora paralyſi liberatur. Guarnerius telo vulneratus, voto ad eum emiſſo, ſanus factus eſt. Martinus, & Bonazagus altero capti teſticulo, ad eius tumulum ducti exeunt ſani. Inteſtinis Ioannellum laborantem, & ad eius tumulum ſanitatem efflagitantem, voti compotem ſanctus vir reddidit. Bruna dè Caſentino, annis quatuordecim à diabolo vexata, ab eius tumulo libera receſſit. Angelutia Roſa per annos viginti quinq. Guillelma Caſenas annis ſeptem, Vanzola Aſſiſiuta diebus duodecim, quidam iuuenis de Cortonio tribus annis, ij omnes à diabolo obſeſſi meritis viri Dei Benedicti plenè liberati ſunt.* Huc uſq. Leander *l. 3. de viris Illuſtrib. Ord. Præd. in Bened. XI.* B

Sepultus eſt nullà ferè pompà, ſepulchro humili, vt ipſe ex chriſtianà demiſſione iuſſerat, licèt poſteà ab ipſius memoriæ vltoribus politiſſimo marmore elegans fuerit excitatum ſepulchrum cum ſequenti epitaphio in eccleſià S. Herculani, Peruſii.

O quàm laudandus, quàm dulciter eſt venerandus
Inclytus ille pater, priùs extitit ordine frater
Sancti Dominici Chriſti vigilantis amici
Lector honoratus, pius extitit ipſe vocatus
Effectus talis frater, quoque Dux Generalis
Sic Ro: Doctrina poſt hæc fit cardo Sabinæ,
Oſtia, Velletris titulis ſibi dant pia latis.
Perficit Hungaria Legatus iuſſa Sophia
Fit Pater ipſe Patris, caput Orbis, gloria fratris
Eſt merito dictus re, nomine, vir Benedictus
Treuiſii datus hic, primo ſed Pontificatus
Anno deceſſit, ſibi rectè ſubdita rexit
In nono noctu mortis proſternitur enſe.
Hunc hominem Sanctum reddunt miracula tantum,
Innumeris ſignis dant grata iuuamina dignis.
Lector habe menti: currebbant mille trecenti
Quatuor, appenſis dum tranſiit hic homo mitis,
Menſe, die ſexta Iulij ſunt talia geſta.

SIGNVM BENEDICTI PAPÆ X.

Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum.

De miraculis ab eo editis concordant S. Antoninus *part. 3. tit. 20.* dicitur claruiſſe *miraculis*, quod credibile, cum *ſancta vita* extiterit. Philippus Bergomenſis. *Vir quidem bonus, tantoq. magiſtratu digniſſimus, cuius ſanctitatem, & miracula à ſe poſt mortem* D *edita optimè declarant.* Platina. *Pontifex creatus magnum breui tempore virtutis ſuæ documentum præſtitit. Ita enim vixit, vt poſt mortem inter Beatos merito cenſeatur.* Conſonant *Faſciculus temporum*, Stero *Altabenſis*.

Templum D. Nicolao ſacrum, in quo ad Aquilonare magni Templi oſtium cum gentilitiis eius imaginibus hæc leguntur ex marmore. *D. Nicolai templum à D. D. Benedicto Ord. Præd. Papà XI. conſtructum. Obiit Menſ. IX. Die VI. Sui. P. M.CCC.IV. Peruſ. R.*

Infra cœnobium vbi Patrum habentur Comitia antè imaginem eiuſdem Pontificis ſequentia leguntur.

Papa Benedictus XI. Qui. Prius. Dictus. Eſt. Fr. Nicolaus de Taruiſio. Iſte. fuit. Secundus. PP. Ord. Præd. Fuit. Speculum ſanctitatis. In. multis claruit. Miraculis.

In Templo ad fornicem magni Campanilis ſub antiquà effigie tanti *P. Dominus Benedictus Triui. Ord. Præd.* PP. *XI.*

Ibidem tandem R. R. Prædicatores ſequens concinerunt elogium. *Fr. Nicolao Bocaſino Tar. Ord. Præd. & Sac. Theol. Mag. Hic in Card. Oſtien. aſſumptus ex Pannoniæ Legatus rediens Ciuitat. Moder. pro conſtruendo hoc auguſtiſſimo templo 25. millia florenorum aureorum benignà erogauit manu. Non multò poſt in locum Bonifacii VIII. Pontificis vno omnium Patrum conſenſu ſuffectus A. MCCCIII. XV. Kal. Octob. Sum. Pontif. creatur, & Benedictus XI. nuncupatur.*

In huius perpetuum aſſumptionis monum. Tar. Ciues Nundinas, quæ ad D. S. Michaelis celebrari conſueuerunt, ad diem S. Luciæ cenſuerunt indicendas: ipſe vero Cruce, ac Tabulis argenteis, plenarioq. Iubileo cunctis completoria tribus dieb. Dom. Reſur. in hoc templo audientibus perpetuo Patriam munificentiſſimus donauit.

Obiit Peruſii MCCCIV. Id. Iul. Pontif. ſui Menſ. IX. Multis claruit miraculis.

Eccleſiam S. Auguſtini Patauij cum pluribus Epiſcopis conſecraſſe Benedictum ex monumento patet, quod adhuc ſupereſt.

Beatus Papa Benedictus Ordinis Prædicatorum Taruiſinus hic ex Magiſtro aſſumptus in Cardinalem Oſtienſem, hanc eccleſiam ... B. Auguſtini cum multis Epiſcopis conſecrauit M.CCC.III. Menſis Maii, Dominica antè Aſcenſionem Domini.

Cultum B. Benedicti manifeſtant plures eius Imagines, inter quas vna eſt Taruiſii in conuentu D. Nicolai, cuius initij non extat memoria. Poſita C eſt in altari ſecundæ capellæ ad latus ſiniſtrum altaris maioris radiis ornatum tenens caput, vnà cum D. Benedicto Abbate. In hoc altari quotidianum habetur ſacrum, ardetq. lampas. Extat alia, vbi Fratres ad Capitulum conueniunt, radiata cum hac inſcriptione. *B. Benedictus XI. de Taruiſio clarus miraculis.* In ciuitate Vtinenſi Fori Iulii Statua adoratur Benedicti ſuper altaria. Vexillum quod in Proceſſionibus defertur imaginem exhibet Benedicti cum radiis tempore fabrefactum, cuius initii non extat memoria. Peruſii votiuæ tabellæ, quas grata fidelium deuotio appendit Benedicti ſepulchro, in ſacrario reſeruantur. Fratres Prædicatores Taruiſini, & Patauini die ſecundà Auguſti præmiſſo ſacro SS. Trinitatis ſolent S. Benedictum inuocare. Taruiſii Baculum, Peruſii chirothecas, vltro reſpicientibus, & venerantibus Indulgentias elargitam eſſe Apoſtolicam Benignitatem rumor eſt. Vnde probem, non habeo. Peruſii Miſſale eſt Benedicti X. habens bullam plumbo ſigillatam.

Scripſit Benedictus X. dictus XI. *In Iob. Commentaria.*

In Pſaltèrii Dauidis partem

In Apocalypſim.

In Euangelium Matthæi. Prodiere Venetiis, & Taruiſii Anno 1603. apud Societatem.

De Ritibus opuſculum

Sermones habitos in diebus ſolemnibus.

Epiſtolas Varias.

Tres Cardinales creauit, de quibus, Deo dante, ſuo loco dicam.

CLEMENS QVINTVS
PONTIFEX ROMANVS CXCV·



B Abylonicà captiuitate, quam paſſi ſunt Hebræi, translationem Sedis explicamus Pontificiæ in Gallias, factam à Clemente V. Symbolum dices non incongruum, ſi ea legeris, quæ ibi paſſi ſunt Romani Ponrifices.

Eligitur Anno Sal. 1205. die 5. Iunij. Coronatur 11. Nouemb. Obijt Anno 1314. die 12. Kal. Maij. Cum ſediſſet Annos 9. minus diebus 17. Vacat ſedes Annos 2. Menſ. 3. dies 23.

E L O G I V M·

Anni Sal. I Cl. 1305. 2. HOmines? malum omen (*latus*
In electione *Clementis* fiût amici *Herodes, & Pi-*
Philippus, & [1] *Bertrandus*.
Cum antea eſſent inimici.
. Semper diſſimiles, eà die ſimiles
Pluris facientes hominem, nihili Deum.
Eo ptetio Pontificatum Philippus vendidit,
Vt Clemens damnaret memotiam Bonifacij.
Ata arrha fuit
In quà petiutium iutamento fitmatum
Regendi Eccleſiam mote caſttorum

Abſens Peruſij electus, trans Alpes ſe continuit, Anni Sal I Cl. 1305. 2.
Quaſi Romanam ſperneret Maieſtatem.
Lugduni cotonatur pompà pluſquàm Regià,
Adſtantibus Fräciæ, Angliæ, Aragoniæ Regib.
Lugubri tamen ſpectaculo:
Labante pariete opprimitur Dux Britanniæ
Ita ſibi Honor Oneri eſt.
Et quæ pompam augent, ruinam vrgent.
Lugdunum tunc tranſmigtauit Roma,
Captiua Domina Gentium.
Et Princeps prouinciarum ſub tributo.
Ca-

Aſtus Cardin. Pratéſis. Cardinalis Pratenſis aſtu, Regi Francorum gratificari cupientis, rei penè deſperatæ, vndecimo tandem ſedis vacantis menſe, modo ſubuentum eſſet ſequenti. Vaſer atq. verſutus Oſtienſis Boniſacianæ factionis Principibus optionem obtulit, vt tribus à ſe deſignatis Tranſalpinis Epiſcopis, vnum quadraginta dierum ſpatio ſuſciperent, qui legitimus Pontifex eſſet. Vel ipſi tres proponerent *Vltramontanos* tamen, ex quibus vnum eadem lege ipſe Pontificem legeret. Factio Italica nominationem (commodiùs id ſibi ceſſurum rata) prætulit; treſq. Archiepiſcopos ſibi deſignauit ſolemnibus & legitimis documentis, Regis Francorum hoſtes præcipuos à Bonifacio creatos, ac beneficiis affectos, exiſtimans eos beneficiorum memores, memoriæ gratificaturos Bonifacij. Primus inter optatos fuit *Bertrandus*, in Archiepiſcopum Burdegalenſem à Boniſacio creatus, quem *Pratus* præelegit, quià honoris, ac imperii cupidum, ambitioſum, poſſe facilè Regi reconciliari optimè nouerat. Per citatos itaq. curſores cuncta Francorum Regi patefaciens, quid facto opus eſset, aperuit. Pacta inter Clementem, & Philippum de futuro Pontificatu. Rex lectis literis ad quoddam cænobium Archiepiſcopum inuitauit, monens pro bonà, & arduà cauſà ſibi eum eo futurum colloquium. Venit Rex cum modico comitatu ad locum ſtatutum; vbi poſt ſacra, mutuis de ſilentio, aliiſq. rebus iuramento dato, & accepto, arcanum Rex aperuit Archiepiſcopo, *Domine Archiepiſcope* (inquit) *ſcias in manibus meis eſſe, te ſummum eligere Pontificem*: oſtendens ei literas ſuper hoc deſtinatas. *Si hoc deſideras volo fide, ſacramento, chirographo promittas te facturum, quæ poſtulo*. Obſtupuit Archiepiſcopus dicens; *Domine mi Rex, video quòd bona mihi reddis pro malis. Omnia exequi paratus ſum*. Tunc Rex oſculatus eſt eum. *Hæc ſunt, quæ à te requiro. Primùm vt me eccleſiæ omninò concilies, & veniam rerum omnium tribuas, quæ in Boniſacij VIII. captione commiſi 2. Vt cenſuras prolatas amoueas contrà me, & ſequaces meos 3. Vt decimas regni mei in quinquennium mihi concedas in reparationem expenſarum belli Flandrenſis 4. Vt Boniſacii VIII. memoriam omnino damnes 5. vt honorem Cardinalatus priſtinum; ſ. ſtatum reſtituas Iacobo, & Petro Columna, & cum eis aliquos Cardinales crees amicos meos 6. Arduum, & magnum tempore aperiendum opportuno reiicio*. Translatio hæc erat imperii à Germanis in Gallos. Archiepiſcopus omnia ſe ſeruaturum promittens iureiurando ſuper venerabile Euchariſtiæ ſacramentum; Regi obſides fratrem obtulit, & duos nepotes. Rex autem iurauit operam dare, vt Papa eligeretur; Cardinali reſcribens Pratenſi, quod geſtum erat. Infra triginta quinque dies Peruſium rediere curſores, ſed Italis ignoti. Pratenſis re cum ſociis communicatà, aduerſam factionem ad comitia vocauit dicens, ſe paratos ad electionem vnius illorum trium. Vndè renovatis pactionibus, Pratenſis priùs ſacræ ſcripturæ auctoritate propoſitâ materiæ congruẽte, poſt orationem ſuam, vice omnium elegit in Papam D. *Bertrandum Archiep. Burdegalenſem* cum gaudio, Clem. 5. electio in Papã. & pace communi. Ignorabat adhuc pars altera quid geſtum occultè, ac Burdegalenſem factum amicum Regis. Exeuntes Conclaue Cardinales miſerunt oratores ferentes Bertrandi electionem, votis 19.

A Cardinalium factâ Archiepiſcopus (qui ſtudiosè diœceſis ſuæ viſitationi incumbebat, vt Pontifex renuntiatus, occupatus inueniretur) acceptis literis, *Clementem V.* ſe appellauit, mandans Cardinalibus, ſinè morâ Lugdunum accederent Galliæ, vt eius intereſſent coronationi. Vocauit etiam Reges Galliæ, Angliæ, & Aragoniæ, alioſquè Principes vltramontanos. Ex hac vocatione Cardinalibus præcipuè Italis grauamine cognito, clamantibus ſe deceptos, *Matthæus de Vrſinis* Cardinalium antiquior improperauit Pratenſi; *quòd tandem voluntatem ſuam aſſecutus eſſet, curiam traducendo vltra montes: vndè tardè in Italiam reuerteretur*. Facta eſt electio die V. Iunij. Tẽpus electionis. Conſecratio die XI. Nouemb. cum ibi Cardinales mœſti licet ex Italià conueniſſent, die Dominico ante fores S. Iuſti extrà muros, B coronationis ſuæ inſignia ſuſcepit per manus Matthæi Rubei Vrſini S.R.E. Archid. *Philippo* Francorum Rege cum omni curià Card. Epiſcopus, Clero, & innumerà populi multitudine adſtantibus. Interfuerunt coronationi *Carolus* Valleſii comes, Philippi frater *Io: Dux Britanniæ* qui ruinà muri oppreſſus cum duodecim aliis interijt. Dum pompà circunducitur coronationis, *Carolus* quoquè Philippi frater ex eà ruinà aliqualiter luxatus eſt. Pontifex in tantà rerum perturbatione ex equo deturbatus carbunculum ex thiarà amiſit, pretij aureorum ſex millium. Eccleſia S. Iuſti extrà muros Vrbis, in quà Clemens fuit coronatus, ciuilibus Francorum Sedes Romana Galliã trãsfertur. C bellis à Caluiniſtis planè euerſa fuit An. 1562. Hac ratione Romana Curia in Galliam translata, Annos LXX. ab ciuitate abfuit Romanà, magno Chriſtianorum incomodo, potiſſimùm Vrbis, cuius templa magnà ex parte ob ſolitudinem corruere, redditusquè imminuti abſentibus ijs, quorum erat tueri. Redijt ſeptuaginta poſt annos non ſinè duro ſchiſmate, quòd annis 50. protractum eſt: vt prædixerat *Matthæus Vrſinus* Cardinali Pratenſi, Italis in æternum execrandæ memoriæ viro, cuius Simoniacà fraude à Gallis venditus eſt Pontificatus Romanus. Platina. *Clemens V.* (ait Ægidius Cardin. Viterbienſis) *Lugdunum Senatum ad ſe vocans exilio, & migrationi ad alienas initium dedit* &c. Subiungit Deum voluiſſe, *exulare Senatum diuinorum oblitum, & humanarum rerum ſtudioſiorem*. De coronationis verò celebritate luctuoſo parietis lapſu perturbata, idem Ægidius: *Dum illi, quorum inD tereſt, Coronam porrigebant, Pontifex caput coronandum dabat, dum omnes pendent .... nihilq. intercedere poſſe autumant, quo minus induat Pontifex cum ſummà lætitià Coronam; ecce, vt dicitur, inter os, et offam multa cadunt, antiquus paries fatiſcit, ingens fit ruina, cum Io: Britanniæ duce multi mortales oppreſſi ſunt: excuſſa manibus coronà, turbati ordines, omnes trepidare, ſibi quiſq. fugà cõſulere, Pontifex attonitus è ſolio proſilire, irato ſe Deo imperare, clam fateri*. Coronationẽ Clementis die contigiſſe Id. Clementi ſacro fallitur Raynaldus; Coronatur namq. die XI. Nouemb. Verum ſanè, quòd illa ruina *futuri mali* prognoſticum erat, teſte Vveſtmonaſterienſi, quod accidit *die S. Clementis, cum Papa primo Miſſarum ſolemnia celebraſſet, poſt prandium ortà lite, & motà pugnà inter clientes Papæ; & Cardinalium vnus de fratribus Summi Pontificis occiſus eſt. Alterum fratrem ſuum cinxit Rex Fran-*

cia baltheo militari , & multam munificentiam in ciuitatibus, & caſtellis ſuis contulit Papa Rex Francorum, per quod in omnibus negotijs ſuis expediendis gratiam multam promeruit, & fauorem. Rex autem Anglorum (is erat Eduardus) *miſit domino Papa ſingula vtenſilia, quibus miniſtratur ei in camerà , & in mensà omnia auro puriſſimo per Epiſcopos regni ſui Lichfeldenſem, & Vuigornienſem, & comitem Lincolnia .*

In hac electione impletum eſſe vaticinium S. Malachiæ, *de Foſſis Aquitanicis:* quia ex Aquitanià Clemens, quæ ab Aquis dicitur, quæ decurrere ſolent in foſsas , quas ipſe Clemens pingit in ſtemmate. Ex Gaguino cœpit Clemens Anno 1305. Auinionem vrbem incolere. Hoc exilium *Captiuitatem Babylonicam* Itali appellauere, teſte *Genebrardo*. Romam miſit tres Cardinales ad regendam vrbem.

Italorũ turbæ.

2. *Verona Scaligeri* &c. in Galliam ſede translatà Pontificià , maiores ad turbas Italia redijt , eo abſente , qui clauium terrore Italis pacem imperabat . Veronenſes ſublato *Icelino* tyranno , ad libertatis tutelam poſt varios caſus , elegerunt *Martinum Scalanum* ciuem Veronenſem , opibus ac conſilio præſtantem in Prætorem, & militiæ Ducem cum liberà poteſtate . Vndè breuiter vſurpato imperio, eius opes adeò creuere , vt citrà Alpes cum toti immineret Galliæ Ciſalpinæ, nec hominem timeret, nec Deum . *Blondus Flauius* . Sic Mantuæ *Paſſerini*, Piſtorij *Florentini*, Patauij *Carrarenſes* ciues omnes, ſed vſurpatà tyrannide regni venatores , & hominum , imperium cujus erant vicarij, diripiebant . Miſit Pontifex Legatos , vt populos ad concordiam reuocaret , ſed rebus ſpoliati , nec urbes ingredi ſunt permiſſi . S. Antoninus *par. 3. tit. 7.*

3. *Veneti* &c. Mortuo *Accione* Eſtenſi *Friſius* vſurpato principatu ad Venetorum opes confugerat : Populo Ferrarienſe natura mobili , àd Legatum declinante Pontificis, *Friſii* partibus derelictis . Tyrannus tunc ob nouitatem Ferrarienſibus iratus legionibus eductis , vrbem pluribus locis incendit . Ciues verò tot malis circumueniri , nil præſidij Legato ferente Pontificio , qui Ferrariæ aderat, Venetorum implorauere fidẽ , qui deditione in fidem acceptà Vrbem munierunt miſſo in Prætorem *Ioanne Superantio* . Clemens autem Rom. Pontifex ægrè ferens vrbem Romanæ Eccleſiæ vectigalem , Veneto imperio ſubijci, irà accenſus Venetos notauit anathemate datà cuiq. facultate eos tanquàm communes hoſtes capiendi, interimendi . Quod plurimum Veneto nomini obfuit , mercimonijs eorum vbiq. terrarum direptis , nauibuſq. totà Europà Pontificio oppreſſis interdicto; Orabant ſuppliciter Veneti , vt anathema in Chriſtianiſſimam Rempublicam Pontifex abrogaret : quandò nil tantà egiſſent dignum animaduerſione . Clemens verò cum in ſuà perſeueraret inclementià : *Franciſcus Dandulus Venetorum orator catenà ferreà collo iniectà* (ita Petrus Iuſtinianus Ann. 1314. lib. 4. p. 67.) *quadrupes effectus tempore quo Papa cœnabat , ad eius pedes in morem canis proſtratus iacuit , donec placatà illius irà ignominioſam patria notam ademerit* . Hinc poſtea cognomento *Canis* Dandulus eſt appellatus .

Dãduli pietas.

4. *Bonifacij oſſa* . Clemens V. ſolemni coronatione peractà, impleuit protinùs Regi promiſſa . Eum namq. reconciliauit Eccleſiæ , omnem honorem priſtinum reſtituit , Regni decimas in quinquennium erogauit, Cardinales duodecim creauit , Aquitanicos omnes , & Gallos amicos Regi , inter quos duo Columnenſes à Bonifacio VIII. priuatos reſtituit . Trinà vice Cardinales creauit ſuo Pontificatu numero viginti ſex, (inter quos nullus Italus) Gallos omnes . Oh Pratenſis Cardinalis execranda memoria , cuius fraude ad extraneos eſt deuoluta maieſtas . Decretalem primò *Clemens* edidit , qua reuocauit decretalem *Bonifacij Octaui* , quæ incipit *Clericis laicos de Immunitate Eccleſiarum*, mandans ea ſolùm obſeruari , quæ ſuper his à prædeceſſoribus ſuis in Lateranenſi, & generalibus Conciliis fuerant præcepta. Reuocauit etiam Decretalem eiuſdem Bonifacii, quæ incipit, *Vnam ſanctam. De Maior. & Obiendia* . Volens *nullum ex ea Gallo Regi, vel Regno praiudicium inferri : nec per illa Rex, Regnum, regnicula amplius eſſent Eccleſia ſubiecti Romana, quàm antea exiſtebant : ſed omnia intelligerentur eſſe in eo ſtatu, quo erant ante definitionem prædictam* . Illud ſupererat , & *Bonifacium Octauum* , hæreticum declararet , eiuſquè oſſa cremare , quemadmodùm per Nogaretum indeſinenter poſtulabat Philippus , aſſerens probare poſſe per clericos ſuos ipſum fuiſſe hæreticum , & pluribus alijs irretitum ſceleribus . Benedicti proceſsum contra Nogaretum , errore facti, ac cauſæ ignorantià decepti nullum, & irritum declarandum probare paratus innocentiam ſuam Nogaretus, hæreſim ex aduerſo , & crimina Bonifacij , pro quorum notitià plures ſcripturas publicas Clementi obtulit , ſeu famoſos libellos plenos iniurijs , vt videre eſt in *Hiſtoria inter Bonifacium , & Philippum* . A Curià an admiſſa præſentatio latet . Quomodò enim contra Pontificem , qui in omnibus actibus ſuis tam antè , quàm poſt adeptum Pontificatum ſigna catholicæ religionis ediderat , ex catholicis gnatus parentibus , in curià enutritus Romanà , vitam poſuerat pro Eccleſiaſticæ libertatis tutelà , vt temeraria poterat ſinè horrore audiri vox, quæ hæreſi notabat Pontificem vt habet Clemens V. *Hiſtor. cit. p. 369.* Inſtante tamen Philippo , cuius timore peccabat , Anno 1309. indulſit Clemens omnibus procedere volentibus contrà Bonifacij memoriam , Sic anno ſequenti quæſitoribus inſtitutis ad dirimendam controuerſiam (nè Bonifacii calumniatores obgannirent) fuiſſe teſtes metu repreſſos , à dicendo teſtimonio , Clemens publico cauit edicto , nè quis teſtes vexaret . Sic gradatim Philippi contra cineres Bonifacii creſcebat audacia , vt abraderetur è ſerie Pontificum , oſſaq. cremarentur . *Ob quàm petitionem turbatus Papa cum Cardinalibus ; inſtante Rege, vt Papa impleret promiſſa: quod iuramento firmauerat ſibi facturum . Erant illi vndiq. anguſtia . Nam ab vnà vrgebant iureiurando promiſſa . Ab alterà conſiderabat , quòd hoc agere, iniuſtum , & impium , in dedecus redundans Eccleſia ; Cum Papa Bonifacius in nullo de hæreſi argui valeret; ſed potiùs ex libro 6. quem edidit Decretalium oſtendatur ſinceritas eius fides . Sed & ipſe ſatis exaltauerat Eccleſiam in tuendis iuribus ſuis : & ex Cardinalibus plures eſſent ab eo creati , inter quos erat Cardinalis Pratenſis . Vnde ſequebatur , quòd ſi damnari* de-

Clem. fauor erga Gallos.

Galli poſtulata contra memoriã Bonifacij VIII.

Defẽſio Bonifacij VIII

debebat Bonifacii memoria: etiam Cardinales ab eo inſtitutos oportebat à ſuà dignitate eijci. Quamobrem contrarii erant huic ſententiæ non ſolùm ſectatores nepotis Bonifacii Papæ: ſed etiam alii Cardinales, qui fuerant in electione Clementis prò Rege Franciæ. Pontifex ergò perplexus has inter anguſtias. Nam irritare Regem ex violatione promiſſi durum videbatur, & ſcandaloſum: implere firmatum iuramento, impium. Hinc ſollicitus Papa conſilium quæſiuit ſecretum à Cardinali Pratenſi viro ſagaci, ſcripturarum peritiſſimo, et in agibilibus mundi experientiſſimo: qui & nouerat ſecretè tractata. Cui reſpondit, vnum ſupereſſe remedium, diſſimulationem. Et quià Regi ſignificaret rem vtiq. arduam, & difficilem, nec omnes Cardinales aſſentire. Et ideò vt efficacius petitio ſuum ſortiatur effectum: oportet celebrari generale concilium: & in ipſo concilio proponantur articuli contra ipſum Bonifacium: quod erit ad maiorem eius vituperationem; & ſtabiliùs firmari poterit proceſſus contra eum. Et nè impedimentum habeat negocium, ſolum vniuerſis publicetur edictum de Concilio celebrando vniuerſali ad reformationem morum, & quædam proficua Eccleſiæ inſtituenda: et tunc in eo congregato ſua petitio impleretur. Vt autem locus ſit magis communis omnibus quoad ſitum, Viennæ eſſe celebrandum: vbi omnes nationes fidelium ſatis aptè concurrere poſſunt. His propoſitis Rex contradicere non valebit. Tu autem cum curià illuc pergens, eris extra territorium Regiæ iuriſdictionis in tuà libertate, nec tibi vel curia nocere valebit. Placuit Pontifici conſilium Pratenſis, & illud executus eſt. Cum autem hoc Regi expoſuiſſet; malè contentus quòd res ipſa tantum differretur, (vndè in hiſtorià ſępè citatà Bonifacii, & Philippi extant acta Nogareti, quibus inſtabat damnandam à Clemente Bonifacij memoriam, non expectato Concilio) *Verum etſi grauaretur in mente ſuà, tamen videns ſe aptè contraire non poſſe; acquieuit placito. Sicq. Pontifex de Concilio celebrando publicè per Orbem deſtinauit edictum. Plura etiam poſtulata à Rege gratiosè conceſſit: vt etiam in futuro concilio, quod poſtulauerat circa Bonifaciū, obtinere ſperaret.* Hucuſq. S. Antoninus *p.3.tit.21.§.3.* Interim cenſuras latas in Philippum a Bonifacio ita deleri voluit, vt publica in Regem acta è commentarijs Pontificijs eraderentur, pronuntiauitquè eum omninò purum fuiſſe ab eo crimine, cuius labe ferebatur aſperſus, nimirum miniſtris ſuis imperaſſe, vt Bonifacium cuſtodiæ traderent. Circà expetitum ab eodem Rege iudicium aduerſùs memoriam Bonifacij, quo pſeudopontificatus, hæreſis, ac plurium flagitiorum notis affigebatur, coràm Benedicto X. & Clementi V. vt ab albo eraderetur Pontificum; declarauit Clemens Regem non odio incitatum, ſed Zelo religionis adductum ex conſilio piorum ſapientum, actionem intentaſſe: licèt poſtea Pontificijs ſollicitatum precibus totam controuerſiam Eccleſiæ permiſiſſe iudicandam: dummodò aduerſarij eum coniurationis in Bonifacium, ac direpti eccleſiæ theſauri iudicio ceſſarent. *p. 587. vſquè ad finem citatæ hiſtoriæ inter Bonifacium, & Philippum.* Hæc omnia coaceruabantur in gratiam Gallorum, à Pontifice Gallo, qui ſub regià Iuriſdictione quaſi in carcere tenebatur: nec adhuc finis. Nam Sanctiones, priuilegiorum declarationes, Reuocationes, ſuſpentiones, anathemata, interdicti, aliaſuè publicas tabulas è Pontificum regeſtis deleri iuſſit, nè vmquàm Francorum Regi, ſucceſſoribus eius, vel fautoribus negotium faceſſerent, edicto cauens; nè Galli vllo vnquàm tempore à Romanà curià, vel alijs cuiuſcumq. dignitatis eſſent, horum memorià vel recordatione redargui poſſent. Salua ſolummodò ſupereſſent, quæ Philippum vel ſucceſſores non tangerent. Pronuntiauit tandem abſolutorià ſententia non includi. *Gullielmum de Nogareto, Sciarram de Columnà* eorumq. ſocios, nec Anagninos, qui inuadendo palatio Pontificis, ac expilando theſauro operam dediſſent, volens de ijs alia ratione decernere, per viam ſcilicet clementiæ Apoſtolicę, quà eos ab omnibus vinculis abſoluit, quibus erant irretiti; pęnitentià impoſità ad crimina expianda: vt Nogareto peregrinatio Compoſtellana, ac plures aliæ peregrinationes ad varia templa in prouincijs Gallicanis: quas abſoluere tandèm teneretur expeditione Syriacà, eximio equitum numero ſuccinctus. Cauſam tandem Bonifacii Papa cum in ſe ſuſcepiſſet examinandam, & finalitèr decidendam, fidelibus omnibus denuntiauit (vt ex *ep.36. l.6.*) ità ſe admiſiſſe eos à perſequendà lite diſcedere, vt tamèn cuiquè liberum eſſet aduerſùs Bonifacium, vel pro eius defenſione proferre: quià Viennæ in generali Concilio futurum eſſet examen. Viennam itaq. ſe contulit Burgundiæ atq. Anno 1311. ſynodum inchoauit, XVII. Kal. Nouemb. in feſto S. Lucæ. Interfuere plusquàm trecenti Epiſcopi vltrà alios prælatos ex diuerſis partibus Orbis. *Vbi cum Clemens (vt ſatisfaceret promiſſioni factæ Francorum Regi in ſuà promotione, de delendà memorià Bonifacii ex Eccleſià) cum Prælatis Concilii tractaret; quia Rex illum hæreticum fuiſſe probare intendebat: Concilium nullo modo aſſentire voluit, ſed contrarium declarauit, ſcilicet ipſum fuiſſe catholicum, & indubitatum Pontificem. Verùm, quod ipſe fecerat proceſſus contrà Regem Franciæ, ad quietandum ipſum non valentem obtinere quod cupiebat; iniuſtum declarauit, & firmauit decreto Concilium, quòd ex quacumq. de cauſà Rex offendiſſet Bonifacium Papam ſeu Eccleſiam: nullo vmquàm tempore poſſet ipſi Regi, vel eius filiis, & hæredibus aliquid damni inferri, vel pœnæ.* S. Antoninus *p.3.tit.21.c.3.*

Cōciliū Viennēſe in quo innocens Bonifacius declaratur

5. *Templarios &c.* Templariorum militum Ordo in Vrbe Hieroſolymitanà inſtitutus, illi inde nomen, quià iuxtà Dei templum habitarent. Eorum erat; vias, ſacra loca adeuntibus ab hoſtibus, & latronibus tutas reddere. Candido vtebantur pallio iuxtà decretum Concilij Cretenſis, Anno 1127. Ex his olim non pauci Chriſti causà occubuere; donec laudabili inſtituto deſerto, Hieroſolymitano Antiſtiti qui prima in eos contulerat beneficia, parere noluerunt, ac decimas adimerunt Eccleſiæ. Grauiter eos aliquandò in religionem peccaſſe, conſtat ex his, quæ ſcribit Archiep. Tyri. *l.17. c.27.* Auaritiæ arguit, quòd in obſidione Aſcalonis, dum ſoli cuperent vrbis prædà potiri, cauſa fuerant, ne tunc Chriſtianis ciuitas cederet. *l.18.c.9.* refert, quòd cum Chriſtiani ſpolia hoſtium partirentur, cecidit in ſortem militibus Templi *Noſceradinus* Ducis hoſtium filius; vir audax, & militiæ peritiſſimus apud Ægyptios, cu-

Templarij vndè dicti.

ius nomen erat toti regioni formidabile. Hunc cum multis diebus dicti fratres habuiſſent in vinculis, & auidiſſimè petens in Chriſto regenerari literas iam didiciſſet Romanas, pro 60. millibus aureorum Ægyptijs eum ad mortem poſtulantibus vendidere, qui eum in fruſtà ciciderunt minutiſſimà. *l.20. c.23.* tefert ab eiſdem impiè, & contra ius gentium cæſum fuiſſe legatum Aſſyſinotum, qui Regi Hieroſolymitano ſpem dabat, quòd baptiſma ſuſciperent: ſi Templarij, qui caſtella tegioni eorum contermina, & duo millia aureorum, quæ ſingulis annis prò tributo ſolebant aſſumere, eis vellent remittere. S. Ludouicus in Syrià agens, & proditionis ſuſpectum agens Templariorum magiſtrum, quòd cum Soldano Ægypti per internuncios ocultos haberet tractatus, mandauit ei, ne deinceps Soldani nuntios ſine ſuo ſpeciali admitteret mandato: eorum tandem dolo Regem cecidiſſe captiuum *Gaguinus* accuſat. Hæc crimina data Templatijs; quorum cauſa, totà Gallià capti, quæſtione habità (ita refert Æmilius) obſcæna, & immania flagitia de ſe permulti eorum confeſſi referuntur, nefaria non libidinem, impiam religionem, ſe cum Sarracenis ſenſiſſe, factaq. noſtra deſeruiſſe ſimulacrum humanà contectum pelle, duobus carbunculis micantibus oculorum loco exornatum; ijs fuiſſe; cui ordinem profeſſuri, Chriſto Domino abnegato, ſalutiferà Cruce contemptà, immolaſſe *Gaguinus* ſcribit. Viri Principes monuerant Pontificem, eos Hæreſim, Apoſtaſiam, Idololatriam, in aliaq. nefanda prolapſos flagitia. Propterea Clemens ad Epiſcopos totius Orbis terrarum literas dedit, vt inquirerent: an vera eſſent ſcelera, quæ obijciebantur? vt de ijs, quæ cenſurà notanda eſſent, ad Concilium referrent OEcumenicum. *Præfixa eſt epiſtola actis Vien. Concilij.* Ex relationibus itaq. Inquiſitorum, ac quæſtionibus habitis ab eodem Pontifice, poſt primam Seſſionem publicè factam Viennenſis Concilij, XI. Kal. Nouembr. Ann. 1311. coacto Conſiſtorio priuato, die XI. Kal. April. feria 4. Maioris Hebdomadæ, in quo interfuere plures prælati, & Cardinales, Clemens Ordinem Templariorum penitùs caſſauit, & abrogauit. Die poſtea 3. Aprilis, Anno 1312. promulgata eſt publicè prædicta abrogatio in Concilio, *præſente Rege Philippo, cui* (ità Bernardus Guido in Chron.) *negotium erat cordi, ac Domino Carolo fratre ſuo, & tribus eiuſdem Regis filiis.* Aduerſus Templatiorum ſcelera plures citantur Hiſtorici contra eos, qui aſſerunt iniuſtè damnatos. Platina, Pelagius qui eo tempore vixit *l.2. de Planctu Eccleſiæ c. 23. Templarii modò ab eccleſià propter eorum flagitia reprobati ſunt.* Blondus *Decad. 2. l. 9.* qui vixit circa Annum 1400. & vltrà. Abbas Vſpergenſis eos perfidiæ iam antè centum annos accuſauerat. Citatur Thomas Vvalſinghanus *Hiſt. Anglic. Hoc Anno Kal. Octob. ſub Papà Clemente V. celebratum fuit Concilium Viennæ, in quo Templariorum Ordo damnatus eſt. Et antè illud Concilium per vniuerſum Orbem generaliter fuit diuulgatum, quòd omnes, & ſinguli religioſi exempti tranſirent ad ius commune, vnde ſolus Ordo Ciſtercienſis Papam adiit ante dicti Concilii celebrationem, pro exemptione ſuà pacificè obtinendà: quod et obtinuit donis datis. In* A *iſto Concilio petita fuit, et conceſſa decima ſexennalis in ſubſidium Terræ Sanctæ, et annis ſucceſſiuis ſoluta. Philippus Rex Franciæ cogitauit vnum de filiis ſuis Regem Hieroſolymitanum facere, & impetrare ſibi omnes redditus, et prouentus Templariorum. Et hac occaſione priùs multos Templarios in regno ſuo, & præcipuè Magiſtrum Ordinis magnum, & alios multos procurauit comburi, & totum Ordinem procurauit, & fecit in Concilio prædicto damnari. Sed tamen propoſitum ſuum de eorum redditibus non eſt conſecutus, quia Papa Hoſpitalarijs hæc aſſignauit, non ſinè magna pecunia interuentu. Depoſitum nempè fuit contra Templarios, & compertum, quòd quandò receperunt quenquam ad ordinem, amotis omnibus, exceptis fratribus eiuſdem ordinis, adduxerunt illum ad locum priuatum, et totaliter* B *denudauerunt, & tunc vnus accederet ad eundem, & eum oſcularetur in parte poſteriori, deinde indueretur, et cingeretur corrigia de ſambuco. Poſtea Crux portaretur, et ibi diceretur ſibi, quòd crucifixus non eſt Chriſtus, ſed quidam falſus propheta deputatus per Iudæos ad mortem propter delicta ſua, et fecerunt eum ter ſpuere ſuper illam, et poſteà proiecerunt crucem ad terram, et eam pedibus conculcari fecerunt, deindè oſtenderunt ſibi caput cuiuſdam Idoli, quod quotidiè adorabant. Et præter hæc depoſitum eſt contra eos, quòd vitio fœdabantur Sodomitico, ſtatuentes, quòd nullus vtatur mulieribus, ſed quilibet alterutro, cum voluerit. Vndè poſteà cum factum fuiſſet concilium prouinciale in Anglià Londonijs contrà Templarios ſuper his articulis, quod Concilium durauit à Maio vſquè ad Iunium, in quo Templa*C*rij capti, & accuſati fatebantur famam, ſed non factū, niſi vnus vel duo ribaldi in omni ſtatu: omnes tamen fatebantur finaliter, non poſſe de ſibi impoſitis ſe purgare, & ideò adiudicati fuerunt per concilium perpetuæ pœnitentiæ. Ita quod ſinguli in ſingulis monaſterijs poſſeſſionatis detruderentur prò perpetuà pœnitentià peragendà, qui poſteà in huiuſmodi monaſterijs benè per omnia ſe gerebant. Cum in concilio Viennenſi tractaretur, an propter vocationem ſingularum perſonarum ordinis Templariorum, vel propter acta contrà eos, poſſet totus Ordo damnari propter ſingularium delinquentium vocationes, cum conſtaret quòd dictus Ordo non fuerat vocatus: definitum fuit per dictum concilium, quòd non de iure. Ideò Papa Clemens in ſuà bullà condemnatorià Ordinis adiecit hanc clauſulam: Quanquàm de iure non poſſumus, tamen ad plenitudinem poteſtatis dictum Ordinem reprobamus,* Conſonat *Stero Altahenſis.*

D Non deſunt tamen Auctores, qui Templarijs innocentiæ teſtimonia perhibeant. *Io. Thrithemius in Chron.* cum alijs, & præcipuè *Io. Villanus*, qui eo tempore vixit, cui S. Antoninus ſubſcripſit Anno 1400. verbis ſequentibus: *Rex Franciæ ſeductus ab officialibus ſuis denuntiauit Pontifici Magiſtrum templi, ſuoſq. fratres dictæ religionis eſſe quibuſdam erroribus infectos, et ſceleribus inuolutos: prout ſibi aſſertum fuerat ab ipſis Templarijs. Totum tamen dicitur falsò confictum ex auaritià, vt illi religioſi Templarii (qui initium habuerant in Hieruſalem, et poſteà multiplicati, et diffuſi per Franciam, et alias prouincias, habebant opulenta loca, magnas diuitias, et poſſeſſiones) expoliarentur bonis ſuis prout factum eſt. Huius mali principium fuit ex hoc. Quidam Prior de Monte Falcone Tholoſæ dicti Ordinis Templariorum, homo peſſima*

Templ. defendit S. Ant.

ma vita, et hæreticus, propter ſuos notabiles exceſſus fuit Pariſiis retruſus in perpetuum carcerem à magiſtro ipſius Ordinis. In eodem carcere detinebatur alius Noffus nomine, Florentinus natione, ſceleribus plenus. Hi duo maligno ſpiritu pleni, et callidiſſimi adinuicem conuenerunt in malum falſæ accuſationis, vt carcere egrederentur, et aliquo emolumento indè recepto infelicem vitam ſuſtentarent: qui tandem egreſſi de ergaſtulo malâ morte perierunt, vno ſuſpenſo, altero violenter interfecto. Iſti ergò cum in carcere eſſent, inſinuarunt officialibus Regis illos religioſos Templarios hæreſibus, et flagitiis irretitos. Vndè ſi procederetur in inquiſitione contrà eos procurante hoc Rege à Pontifice: magnas diuitias eorum poſſet de facili obtinere. Quod cum Regi nuntiatum eſſet; ſuggeſſit Pontifici, vt deleret illum Ordinem vt potè hæreſibus implicatum, et nefandis erroribus. Creditur tamen magis inductum ad extorquendum pecuniam ab illis, et bona eorum, et odio concepto contrà Magiſtrum manſionis, quàm ex Zelo iuſtitiæ. Pontifex autem vt infeſtationem Regis à ſe amoueret ſollicitantis pro obſeruatione ſupradictæ promiſſionis, et Regi in hoc complaceret abſquè aliâ diſcuſſione materiæ eorum, quæ Templariis obiiciebantur, vtrum verè an calumnioſè procederetur, petitioni Regis acquieuit concedens per literas Apoſtolicas, vt omnes Templarii per Orbem diſperſi die caperentur determinatâ: et omnia eorum bona ſequeſtrarentur. Qui vbiq. habebant magnas poſſeſſiones, et bona ac loca multa. Quæ autem in Franciâ erant, eorum Rex fecit per Officiales ſuos omnia vſurpare prò curiâ ſuâ. Magiſtrum quoquè Templariorum, qui tunc erat Pariſiis capi fecit, et incarcerari (qui vocabatur frater Giachi) natione Burgundum, genere nobilem, ac cum eo ſexaginta milites nobiles eiuſdem ordinis. Opponebantur his aliqui articuli hæreſum, ac vitia contra naturam in eiſtet quod ſpuebant in faciem Chriſti. Et quòd in profeſſione eorum iurabant iuuare religionem indifferenter iniuſtè, vel iuſtè. Et conſecratio magiſtri eorum fiebat occultè de cuius rei indebito modo dubitabatur. Et quòd anteceſſores eorũ fuerint cauſa, quod fideles per proditionem amitterent Terrã Sanctam. Super his, probationibus aliquibus exhibitis Rex fecit eos torqueri variis cruciatibus, vt omnes faterentur exceſſus. Qui cum omninò negarent, et falsò conficta eſſe dicerent, in carceribus diù detenti ſunt cum magnis incomodis. Demùm vt concluſionem ſumerent dicti proceſſus, extrà Pariſios educti in magno ſolario ligneo, et alto poſiti ſunt omni populo ſpectante, et fecit eos ligari ad palos, et nudatos fecit ignem ſub pedibus ponere eorum, et poſteà ad tybias, et ſic paulatim ad membra ſuperiora, vnum poſt alterum comburendo; nuntiando eis apertè, quod ſi qui faterentur illos exceſſus, & pæniteret, liberarentur. Dum talia paterentur, eorum amici, et conſanguinei hortabantur eos, vt confiterentur tales eorum defectus, nec paterentur ita ſe viliter tractari, & ſeuerè occidi. Sed nullatenùs voluerunt aſſentire ſuaſionibus illorum, ſed lugentes, et clamantes ex dolore maximo ſuorum ſuppliciorum ſe excuſabant, aſſerentes ſe innocentes, et omninò liberos à criminibus illis calumnioſè impoſitis. Inuocabant inſuper Deum, et Virginem glorioſam, et alios ſanctos in adiutorium ſuum. Ità in his cruciatibus vitam finierunt. Ex his reſeruati fuere Magiſter principalis ordinis, & Frater Delphinus, et Frater Hugo Paraldi;

A *ret vnus alter ex principalioribus manſionibus, qui fuerunt officiales, et theſaurarij Regis Franciæ: qui ducti ad Pictauienſem ciuitatem coram Papâ, et Rege Franciæ; fuit eis promiſſum, quòd ſi faterentur illa flagitia, de quibus fuerant accuſati, eis vnà daretur venia, & vita. Dicitur autem quòd aliqua ex illis exceſſibus confeſſi ſunt, vndè fuere reducti Pariſios: quo deſtinatis à Papa duobus Cardinalibus Legatis ad ferendam ſententiam contrà dictum Ordinem ex dictâ confeſſione factâ coram Papâ, et ad aliquam punitionem faciendam contrà dictum Magiſtrum manſionis, et ſocios ſuos, poſiti ſunt in altis pulpitis vt viderentur ab omnibus, et perlectus proceſſus contrà eos formatus coram omni populo. Perlecto autem dicto proceſſu dictus Magiſter templi ſurrexit, & cum magno clamore ſuo poſtulato ſilentio publicè dixiſſe fertur; quod illæ hæreſes, et crimina de quibus fuerant inquiſitæ, nunquàm perpetrarant, nec in ſe recognoſcebant, ſed religio ſua fuerat, et erat*

B *ſanctæ vitæ, et conuerſationis, et catholicæ fidei. Sed dignum ſe fatebatur morte, et in patientiâ eam ſufferre paratus erat ex eo, quod timore, et blanditijs Papæ, et Regis in aliquâ parte confeſſus fuerat crimina illa dolo, et mendacio. Interrupto autem ſermone, et non completo; datâ ſententiâ receſſerunt Cardinales, et alii prælati eccleſiæ de loco illo. Et habito conſilio cum Rege Magiſter templi, & ſocius eius antè aulam Regis poſiti ſunt ad ſupplicium ignis paulatim ſcilicet eos comburendo. Qui tamen inter ſupplicia tam crudelia expreſsè aſſerebat religionem illorum ſemper fuiſſe, et eſſe catholicam, et iuſtam recomendando ſe Deo, et ſanctis eius. Frater quoq. Delphinus eodem modo per ignem migrauit ad Dominum. Frater Hugo de Paldo cum ſocio ſuo timore cruciatus ne talia paterentur, confeſſi ſunt coram omnibus, et iterum affirmarunt, quod dixe-*

C *rant coram Papa, et Rege, ſcilicet de aliquibus erroribus, et ſceleribus dictæ religionis. Sicq. euaſerant mortem: qui tamen poſteà miſerabiliter interierunt. A multis tamen opinantibus dicebatur, illos innocentes, et ſinè iuſtâ cauſâ fuiſſe damnatos, vt per hoc vſurparent bona eorum. Vndè per Papam poſteà priuilegiati fuerunt, et bona eorum locorum applicata manſioni S. Ioh: Sed quià iam occupata fuerant à Rege Franciæ: oportuit ea redimi multâ pecuniâ. Multa autem aduerſa paſſus eſt Rex cum filiis ſuis, quæ creditum eſt eis accidiſſe propter iniuſtam occiſionem eorum, et capturam Bonifacii Papæ, per eum procuratam. Multi quoq. æſtimantes illos ſic iniuſtè ad mortem cruciatos, vt martyres venerati ſunt, accipientes deuotè corpora eorum, et oſſa.* Cum S. Antonino concordant Iacobus de Moguntiâ, Nauclerus, Sabellicus, Ioan. Bo-

D caccius *l. de caſibus Principum.*

Rex à Deo punitur.

7. *Appellarunt ad Deum*. Refert Fulgoſius, qui Anno vixit 1450. de quodam Templario Neapolitano, qui cùm Burdegalæ *traheretur cremandus, conſpectis in feneſtrâ Pontifice, ac Rege magnâ voce prorupit: Sanctiſſime Clemens tyranne, poſtea quàm mihi inter mortales nullus iam ſupereſt, ad quem appellem pro graui morte, quà me per iniuriam afficis, ad iuſtum iudicem Chriſtum appello antè cuius tribunal te voco vnà cum Philippo Rege tanti mali ſuaſore, vt intrà annum, et diem appareatis, vbi cauſam exponam, et ius ſinè prauo affectu miniſtrabitur. l. 1. c. 6.* Mirum dictu: intrà præfinitum tempus

pus repentè moritur Clemens, nec multò poſt Philippus interiit. Hoc alij ex ſupputatione temporum conantur refellere. Sed cum Fulgoſio ſentiunt *Chriſtianus Maſſæus, Meierus, DelRio*, aſſerentes eodem Anno Regem obijſſe, atquè Pontificem. Fuerunt ſanè Templarij Anno 1312. damnati in Concilio Viennenſi; ſed non omnes eodem anno comprehenſi, & occiſi. Eorum bona vſurpauit Gallus; minorem partem Clemens conceſſit Hoſpitalarijs, qui diebus illis Rhodum inſulam eripuerant è manibus infidelium, vndè equites dicti Rhodienſes. In eo bello virtus enituit Amedei Sabaudiæ Ducis in propulſandis infidelium conatibus, qui ad eam recuperandam claſſe inuecti erãt Duce Ottomano Turcarum Rege, Inde *Magni* cognomentum adeptus, ad tanti memoriam triumphi, ſcuto Gentilitio *Crucem* addidit *Albam* quatuor intermixtam literis F. E. R. T. quarum ſenſus, *Fortitudo, Eius, Rhodum, Tenuit*.

Amedeus Sabaudus Rhodũ defēdit.

A

B

Gualtherus Pictau. Excitat Papã ad Deum.

7. *Gualtherus* Burgenſis Franciſcani inſtituti, Epiſcopus à Nicolao III. Pictauienſis creatus muitus iura Eccleſiæ ſuæ exigere debuit aduersùs *Bertrandum* Archiep. Burdegalenſem, qui poſtea Clementis V. nomine Rom. Pontifex dictus aduerſarium ſuum Epiſcopatu deiecit. Iniuriam *Gualtherus* animo cum ægro tuliſſet, moriens ſchedulà dexterà manu concluſit appellationis ad Deum contrà Clementem, & cum ea ſepeliri voluit. Schedulæ hæc ſumma erat ex Bartholomæo Piſann. *Frater Gualtherus, cui Epiſcopatus abrogatus eſt, in iudicium talis depoſitionis auctorem vocat*. Cum autem ad Papam fama euolaſſet; corpus exhumari mandauit, ac ſchedulam ſibi afferri. Mirum! Manus eius aperiri non valuit, nec ſchedula extrahi, niſi poſt factam de eà reſtituenda promiſſionem. Quo facto, ſtatim manum aperuit, & ſchedulam obtulit. Legit Papa non ſinè tremore, eamq. iuſſit reddi defuncto, qui clarus miraculis Angelos viuens procuratores habebat, ac fideiuſſores pecuniæ, quam mutuò accipiebat in alimoniam pauperum. *S. Antoninus 3.p. tit.24.c.9.*

C

Henricus Imp. veneno perit.

8. *Henricus Imperator* &c. Cæſo *Alberto I.* Auſtriaco Imperatore à *Ioanne* Duce Sueuiæ, nepote ſuo; Philippus Francorum Rex cognità Electorum diſcordià, Papam cum magno exercitu adire conſtituit, vt ſexto poſtulato expoſito, quod in pectore ſeruauerat, ab eo extorqueret, vt fratrem *Carolum Valleſium* in Cæſarem deſignaret, Imperiumquè ad Gallos à Germanis tranſiret, quod antiquitùs à Gallis ad Germanos translatum fuerat. Conſilium quamuis occultum non latuit Pontificem, qui Regis Francorum propoſitum illicò ſuadente Cardinali Pratenſi Germaniæ Electoribus per literas aperuit, eoſq. monuit, vt quàm primùm Optimum Cæſarem eligerent. Inſinuauit etiam ijs *Henricum Comitem Lutzemburgenſem*, virum armis ſtrenuum, robore corporis ferocem, Catholicum, Germanorũ omnium optimum, Quod niſi id facere maturarent, ſe effugere non poſſe, quo minùs Gallorum Regi conſentiret, & Imperium Gallis extorquentibus redderet. Principes ex Pontificis literis, periculo cognito, protinùs communi ſuffragio Kalend. Nouemb. Henricum deſignant, proximà Epiphanià coronant, qui ſtatim per Legatos electionis confirmationem à Pontifice eà conditione accepit, vt in Italiam deſcenderet ad accipiendam coronam. Quod aduertens *Philippus*, ſe à Pontifice deluſum dolens, ei nunquàm eſt ampliùs reconciliatus. *S. Antoninus 3.p. tit.21.* Votum Pontificis erat *Guelphos* cum *Gebellinis* componere: hac de causà in Italiam deſcendens Henricus Mediolanum ingreſſus inuitis Guelphis, regni Longobardi diadema ſuſcepit. Multa tentauit pro conciliandis factionibus ſed irrito labore. Hinc Vincentiam inuaſit, Patauinos ſubegit, ære mulctauit. Cremonam, Brixiam laborioſà obſidione deiecit. Indè per oram Hetruriæ Viterbium veniens, Romam habuit obſequentem exceptis Vrſinis, ſolito Italiæ more, cujus fauſta primordia, infelix exitus. Inter enim hæc proſpera *Valramum* fratrem, & Beatricem vxorem amiſit, hanc morbo, illum vulnere. Ipſe tandem morbo abſumptus, non ſinè veneni ſuſpicione, cum in *Robertum* Regem Neapolis, quem exauctorauerat, arma pararet. *Bonconuentus* ſtabat ieiunio, ac bonis operibus indulgens, vt Sacramentum ſumeret Euchariſticum. Aberat fortè Tridentinus Epiſcopus eius confeſſor, vndè quidam *Bernardinus* Ordinis Prædicatorum, vel vt alijs, *Ioannes de Monte Politano*, ſubornatus à Guelphis, cum fortè coram Cæſare Miſſam celebraret, venenum ei ſub ſpecie exhibuit Sacramenti, vertens calicem vitæ in calicem mortis. Senſit mox Imperator mortem adeſſe, noluit tamen myſtam increpare, nè ſacrificium interrumperet. Miſſà peractà, remedia adhibuit, ſed iam virus præcurrerat. Vndè ad ſacrificum conuerſos, ſuſurrauit in aurem. *Domine calicem vitæ mihi dediſti ad mortem. Recede ſtatim, nè ab amicis arreptus malè pereas*. Mortuo Henrico Robertum Regem Neapol. Clemens vicarium creauit imperii: occaſio noui diſſidij inter Fridericum Regem Siciliæ, atq. Robertum.

9. *Græci* &c. Andronicus *Paleologi* filius fide ſimulata Catholicà, vt thronum ſcanderet, cadauer paternum nec ſepulchri decorauit honore, ex odio initæ ab eo cum Romanà Eccleſià coniunctionis. Catholicos præſules omni perſequutus iniurià; cum tandem Latinorum armis Turcas Philalphiæ imminentes fugaſſet, nec illis ſtipendia ſoluiſſet, Occidentem aduersùs ſe excitauit Latinum Duce *Carolo Valeſio*, ad quem vxoris nomine Catharinæ

D

Balduini neptis ſpectabat imperium. Claſſicum primò Clemens in *Andronicum* cecinit promulgato anathemate. Indè Carolus percuſſo cum Veneris fœdere arma parabat, voce magis quàm manu; quià *Philippi* fratris pertinacia contra memoriam Bonifacii cuncta turbaret, præcipuè ſacram expeditionem ad quam Tartari inuitabant Latinos, vt Sarracenis Syriam eriperent, ac Chriſticolis reſtituerent, Prævidebat Clemens futura diſcrimina Eccleſię Latinę, ſi aduersùs Græcos Turcę pręualerent, vt ex *ep.273. l.2.* Proptereà excitatis ad fidem Chriſtianam Tartaris (teſte *Vuadingo, Anno* 1337.) Gallis, Siculis, Anglis magna promittebat; ſed contra verbera Infidelium, quid proſunt verba Pontificis?

10. *Pannones* &c. Mortuo Andrea Vngarorum Rege; proceres Vngari *Carolo Roberto* filio

Ca-

Caroli Regis Apuliæ ſtudentes, in eo etiam conuenisſent, ni fauor Pontificis intentato timore anathematis clamaſſet pro Carolo. Ægrè namq. ferentes à Pontifice legem in liberà electione præſcribi, vota verterunt in *Vuenceslaum* Regem Bohemiæ; quo abnuente, Othonem adſciuerunt Bauariæ Ducem, fortunà tamen non meliori: nam reſiſtente Pontifice, Otho gemino percuſſus gladio, ſpirituali, & ciuili, carceri datus, regno cedere coactus eſt, vt libertatem redimeret. *Carolus* verò tutelà Pontificis, ac manu Ladislai Vayuodæ Tranſiluani, ſacro Stephani redimitus diademate pacificè regnum tenuit. *Bonfinius*.

11. *Aragones* &c. Compoſito inter *Carolum II.* ac *Fridericum* bello Siculo, Catalanæ, & Aragoniæ copiæ Duce *Rogerio* in Orientem traiecere, vt arma Chriſto conſacrarent. Prima in Theſſaliam irruptio; ſed Græco auro deliniti aduersùs Chriſtianos in Orthodoxos Gallici generis, qui Peloponeſum retinebant adhùc, arma verterunt. Occurrit iis valido ſuccinctus exercitu *Gualtherus Brenna* Gallici ſanguinis Dux Athenarum antiquus, ſed eo in acie cæſo; Catalani vno impetu totam Atticam occuparunt, ac ſummam imperij Friderico Trinacriæ Regi obtulerunt. Accepit conditionem Fridericus, miſſo milite ſub ducibus ſuis, qui vrbes cuſtodirent. Moriens poſteà *Gullelmo* minori filio principatum legauit. Tanta iniuſtitia, & tyrannis Clementem V. excitauit Pontificem, & vt minacibus ad Regem Aragonium literis, Catalanos ex Græcia deduceret; nè pernicioſo ſcandalo arma, quæ pro Chriſto parantur, conuerterentur aduersus viſcera Chriſti.

12. *Dulcinos, & Beguinos*. Annus recurrebat Salutis 1305. cum in agro Nouarienſi Prouinciæ Lombardiæ quidam *Dulcinus* cognomento *Fratricellus* nomine, cum fœminà *Margaretà* erroris ſocià, cum nullius religionis eſſet; ſed lupi in veſtimentis ouium, zizaniam diſſeminabant receperunt in medio tritici. Inter cœteros errores, docentes omnia communia, etiam mulieres ad commixtionem; veluti ad actum charitatis excitabant. Papam, & Cardinales, cœterosq. Eccleſiarum Prælatos, negabant paſtores, quia vitam non ſeruarent Euangelicam: ipſe verus, & ſolus Apoſtolus Chriſti, dignus eſſet Papatu. Multos ſecum populares in hæreſim traxerat ad numerum quatuor millium. Habitabant in campeſtribus more brutorum. Deficiente alimonià, exibant ad prædam agros depopulantes, & villas. Duobus annis durauit colluuies: donec plurimi tædio victi paupertatis, redierunt ad fidem. Captus tandem ipſe hæreſiarcha cum ſocià, & à Clemente V. damnati, fuere cum ſequacibus per Nouarienſes combuſti. *S. Antoninus. 3. part. tit. 21. cap. 1. §. 1.* Beguini verò, & Beguinæ mulieres (quorum denominatio vndè venerit? incertum) Germaniam impiis replebant erroribus; Hominem aſſerentes eum perfectionis gradum comparare poſſe, vt ampliùs mereri, nec demereri poſſet. Errorem hunc ſtulto aſtruebant ſophiſmate: *Si homo ſemper in melius proficere poſſet: euaderet Chriſto perfectior*. Huic errori alium grauiorem adnectebant. *Acquiſito ſummo perfectionis gradu, non ampliùs macerandum eſt corpus, non orandum, ſed frænum cupiditatibus laxandum, cum ea ſpiritus imperio ſint perfectè ſubiecta*. Addebant; eos, qui ad ſummum illius perfectionis apicem aſcendiſſent, nullo amplins imperio adſtringi poſſe mortali. Naturaliter eſse beatum, non indigere lumine gloriæ ad videndum Deum. S. S. Euchariſtiam non adorabant, ne contemplatione paſſionis, vel Chriſti humanitatis retraherentur à contemplatione Diuinitatis. Hos Dœmon illudebat ſpetie ſanctitatis. Nam teſte Aluaro Pelagio *lib. 2. cap. 75.* erant mulieres, quæ adiuuante Diabolo, *gaudebant raptu ad placitum, & in occulto fornicabantur ad libitum*. Hos in Viennenſi Concilio damnauit Clemens V. vt in *Clementinà ad noſtram de Hæret.* & iterum ex barathro reſurgentes ſub nomine *Michaelis Molinos* concuſſit iterum hoc Anno 1687. Innocent. XI. Pontiſ. Rom.

Hæretici Beguini.

13. *Duella* notauit infamià Clemens V. ac Torneamenta, quæ à ſacris damnata Canonibus in Gallià, Anglia, Germanià ſummà exercebantur cum crudelitate. *M. S. Vatic. de Reb. Angliæ.*

14. *Obyt*. Clemens V. cum propè Carpentoratum in caſtro de Montillis operam daret Septimo libro Decretalium. Anno namq. *Sal.* 1314. in Feſto *D. Benedicti* (vt ait Bernardus Guido) *ſcilicet XII. Kalend. Aprilis Clemens Papa fecit coram ſe in Conſiſtorio publicari conſtitutiones, quas priùs fecerat ordinari: ex quibus decreuerat fieri librum vnum, quem volebat ſeptimum Decretalium appellari, ſicut fecerat Sextum Bonefacius anteceſſor. Cæpitquè Papa Clemens exindè ægrotare. Sic liber non eſt miſſus ad ſtudia generalia, vt moris eſt, nec expoſitus; ſed remanſerunt conſtitutiones illæ ferè quadriennio in ſuſpenſo, donec per eius Succeſſorem fuerunt publicatæ, & ſub bullà ad generalia deſtinatæ*. Morbo itaquè ingraueſcente Clemens, cum ad captandum natiuum aerem, Burdegalam ſe accingeret, apud Roccham Mauram ſuper Rhodanum in finibus Regni Franciæ nocte Sabatho præcedente, quæ fuit XII. Kal. Maii, Anno Sal. 1314. deceſſit: fuitquè cadauer reportatum Carpentoratum, vbi Cardinales reſidebant. Menſe Auguſti tranſuectum fuit corpus in Vaſconiam patriam ſuam, & ſepultum in Eccleſia B. Mariæ de Vzeſta, diœceſis Vaſatenſis, vbi paulò priùs Canonicos inſtituerat ſæculares, cum hac inſcriptione.

Clem. 5. obitus.

Hic iacet Fel. Rec. D. Clemens Papa V. Fundator Eccleſiarum collegiatarum de Vzeſta, & de Vinhendrando. Qui obiit apud Rupem Mauram Nemauſenſis Diœc. Die XX. Aprilis. Pontif. ſui Anno IX. Portatus verò ad iſtam Eccleſiam Beatæ Mariæ de Vzeſta Anno D. 1314. Die XXIV. Auguſti tunc proximà, & ſepultus. Die ... Anno Dom. MCCCLIX.

Direptus tunc fuit Pontificius theſaurus à multis, qui velut in expoſitam prædam irruerunt; qui poſtea à Io: XX. Succeſsore in ius fuere vocati. Grauis etiam lis orta prò ſepulturà Pontificis inter Canonicos Vzeſtenſes, & Carpentoracti incolas, veris ſepultura concederetur. Iudicium penès Vzeſtam fuit, tum quòd in eo loco natus; tum quòd ità Clemens ſuis iuſſiſset in tabulis. Refert Andreas Victorellus ſe à Ioſeph. Marià Soareſio accepiſse veterem ſchedulam, in quà notabatur, quod *morti proximus Clemens familiam ad ſe accerſiuit, percuncta-*

cta-

ctatus, quod cuique opus eſſet ad victum procudet: vt ſui apud Deum ſint memores, illumq. timeant, hortatur; ſeq. deferri ab eis petit, & ſepeliri in Eccleſiâ B. Mariæ de Vzeſtâ in Burdegalen. patriâ, cui ſe vouerat. Acceptâ fide, illis benedixit, & obiit. A. 1314. Kal. Maij.

Appoſita eſt eidem Clementi V. in Vaticanâ bibliothecâ alia inſcriptio, teſte Mutio Panſa.

Clemente V. Pontifice
Clementinarum Decretalium Conſtitutionum Codex
Promulgatur
Proceſſio ſolemnitatis Corporis
Domini inſtituitur
Hebraica, Chaldaica, Arabica, & Græca
Linguarum Studium
Propagandæ Fidei ergo
In Nobiliſſimis quatuor Europæ Accademiis
Inſtituitur.

SIGNVM CLEMENTIS PAPÆ V.

Benedicat nos Deus Deus noſter, Benedicat nos Deus.

Plura ſcribit S. Antoninus *p. 3. c. 3. tit. 21.* contra Clementis V. memoriam, quæ cum omnia transſcripſerit ex vno Io. Villano Hiſtorico, vel ab vno Poeta Dante Alighierio; Scriptores non magni facient. Ne quid tamen prætermittamus, quod vir Sanctus, & hiſtoricus magni nominis Antoninus tranſcripſit, audi quæ refert. *Clemens iter agens à Viennâ vt perueniret Burdegalam, in viâ infirmatus diem clauſit extremum. Hic, vt Chronica referunt, fuit nimis cupiditatibus deditus, propter quod ſcelus ſimoniæ (maximè à canonibus deteſtata, & punita) multum viguit in curiâ ſuâ circà beneficia. Quod autem quidam dicunt in Papam non poſſe cadere ſimoniam. B. Thomas hoc reprobat. Inſuper, & minus honeſtæ vitæ fuit: & communiter dicebatur cum quadam Comitiſſà (Petragoriorum) pulcherrimâ muliere contubernium habere. Nepotibus quoquè ſuis, & aliis attinentibus magnum theſaurum reliquit. Inſuper refertur, quòd cum ex hoc ſæculo migraſſet quidam ſuus nepos, quem multum ſenſualiter diligebat; induxit quemdam peritum in arte Nigromanciæ, vt inquireret per maleficium illud, qualiter illi nepoti ſuo eſſet in Aalià vitâ. Qui autem exercens fecit quendam Capellanum Papæ audacem valdè videre inferni loca, ibiquè palatium, in quo erat lectus ignitus, vbi quieſcebat nepos illius Papæ. Qui nepos aſpicienti capellano dixit: quod propter vitium ſimoniæ ſibi erat adiudicatus. Vidit etiam dictus Capellanus (vt fertur) aliud palatium igne plenum præparari Papæ Clementi. Quod cum Papæ retuliſſet; nunquàm poſteà viſus eſt lætus, ſed paulò poſt deceſſit. Cuius cadauer cum poſitum fuiſſet in quadam Eccleſiâ cum multis luminaribus, nocte ignis Eccleſiam combuſſit, & corpus eius à lombis vſquè ad pedes.* Huc vſquè Antoninus. Certum eſt, ſepulchrum eius marmoreum, admirandiq. operis, octo columnis ex Iaſpide pulchrè exornatum à Caluiniſtis Anno 1577. ducibus *Serrù*, & *Forcade* violatum fuiſſe, atq. dirutum. Pontificium cadauer admodum procerum, ac longum ferè octo pedibus conſtabat. In vultu cicatrix ex accepto iam vulnere eminebat. Aliquot gemmæ, ac vaſcula aurea quæ in ſepulchro remanſerant, in prædam ceſſere violatoribus monumenti. Cadauer. in cineres reſolutum igni hæretici tradidere. *Maſſonius in Clemente V.* Vzeſta adhuc in Clementis memoriam beneficio Regis Francorum, tributis, & vectigalibus triumphat exempta. Viuunt hodiè ibidem Clementis cognomine agricolæ ad tenuem fortunam temporis diuturnitate redacti. Burdegalenſi Epiſcopo Clemens vineam reliquit, optimi vini feraciſſimam in vico Peſſiaco, quæ *Clementis Papæ vinea* hodiè quoq. appellatur.

Vitia Clemētis relata à S. Anton.

Spolia corporis.

Scripta Clementis V. Papæ.

Scripſit Clemens V. *Sermones ad populum habitos.*

Epiſtolarum l. 1.

Regeſtiq. eius volumina 9. in Vaticanâ Bibliothecà aſſeruantur.

Clementinarum Conſtitutionum, vel librum ſeptimum Decretalium, quem vulgauit Ioãnes eius Succeſſor.

Lateranenſem Baſilicam cum Porticu, & Patriarchio, ædibuſq. vicinis ædiculà ſolà ſanctorum ſuperſtite in quà capita iacebant Apoſtolorum incendio abſumptam Anno 1308. reſtituit: ac Petrum Cœleſtinum Papam ſub nomine Sancti Petri Confeſſoris, Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcripſit.

JOANNES XX. DICT. XXII.
PONTIFEX ROMANVS CXCVI.


CXCVI

MOyſes eleuatus ex gratiâ ad videndum Deum facie ad faciem, eos redarguit, qui tempore Ioan: XX. negabant Sanctorum Animas antè diem Finalis Iudicij, frui non poſſe Viſione Beatâ; Quos & Pontifex damnauit.

Eligitur An.Sal.1316. die VII. Auguſti: Coronatur die Dominico Nonis Sept. Obijt Ann. Salut. 1334. die 4. Decemb. Nonagenarius. Cum ſediſſet Annos 18. Menſ.3. minus duobus diebus. Vacat ſedes dies 16.

E L O G I V M.

Anni Sal.I.Io. 1316.I.1 IAcobus, de Oſſâ, Cerdonis filius
Poſt duorum interregnum, & menſium
Inter verba, & verbera
Clementi ſuccedit nomine Io: XX.
Neapoleoni Vrſino cum priùs iuraſſet,
Se nūquā equū aſcēſurū, quin Romā accederet
Reliquo vitę ſpatio pedes incedens, fidē eluſit.
Res illi cum Ludouico [a] Bauaro
Qui vanidà in Frid. Pulchrū diſtētus victoriâ,

A (*Quæ fœlicium eſt morbus*) Anni Sal.I.Io. 1316.I.1
Inuaſerat Auguſti nomen, & faſces.
Ab *Italis* euocatus vt *Tyrānos* tolleret, ſeminauit:
Vt plures eſſent, quàm Vrbes.
Gibellinos fouens aduersùs Guelphos,
Odium, & amorem ſibi æque parauit:
Ac vt metum in minores faciliùs effunderet,
Cœpit affligere Pontificem Maximum.
Nec Bauarū mouerūt, aut monuerunt fulmina

Cardinales deluſi, & incluſi vt Papam eligant.

receſſere omnes, priori obfirmati diſſidio, loco ac voluntate diuiſi ultra duos annos, non ſinè magno Chriſtianæ Reipublicæ detrimento. Impendere plurimi operas, ut Cardinales ad comitia cogerent, ſed fruſtrà. Patres Italos *Dantes Alighierius* Philoſophus, & Poeta egregius, qui tunc uiuebat, luculento inflammarat uolumine, ut Italiæ reſtituerent decorem ſuum; Electio tamen diù protracta fuiſſet, ni rei penè deſperatæ Philippus Comes Pictauienſis, Rex Francorum futurus, præſens ſe mediũ dediſſet. Eius namq. ſtudio Cardinales conuentus ſpetie Lugdunum acciti, præſtito iuramento, quòd ſuo poſſent arbitratu diſcedere; cum eos Anno 1316. in uigilià Apoſtolorum Petri, & Pauli, 4. Kal. Iulij, in Conclaui à Fratribus Prædicatoribus præparato in ſuo monaſterio incluſiſſet, minimè adhuc concordes, Pontificis electionem ſetiò mandauit. Quadrageſimo primo poſt recluſionem die, VII. Idus Aug. poſt multas altercationes, quod ſcrutinio conuenire non poſſent, facto compromiſſo electionem mandarunt *Iacobo Oſſa Gallo Caturcenſi in Aquitanià*, filio *Arnaldi* cognomine *Deyſa Sutoris veteramentarij. Fuit iſte pauper temporali ſubſtantià, ſed diues ingenio, & ſcientià, paruus corpore, ſed magnus animo, nutritus ſub Archiepiſcopo Arelatenſi magiſtro ſuo, quo ſublato Rex fecit eum loco eius Cancellarium ſuum. Factus poſtmodum Epiſcopus Auinionenſis, indè propter ſuam ſcientiam, & prudentiam factus eſt Cardinalis. Et quamuis Rex Robertus cum eſſet in minoribus non multum diligeret eum, quod quaſdam literas recomendatorias direxerat Papa Clementi ſinè ſuo ſcitu, ſed nomine Regis, & ſuo ſigillo, quod tenebat ſignatas, tamen ad Papatum aſſumptum alter alterum multum dilexit. Multa Papa Ioannes fecit pro Rege Roberto, & exaltatione eius.* Cum itaquè à Cardinalibus, præcipuè Aquitanis ratis eum è gente eorum dicturum Pontificem, Cardinalem *Biterrenſem*, aut *Pelagruam*, optionem accepiſſet Pontificis, omnes decipiens, conſilio vſus *Neapoleonis Vrſini* Cardinalis, ſeipſum Ioannis XXII. nomine Papam dixit, ac Nonis Septemb. Lugduni in Eccleſià Prædicatorum, vbi creatus fuerat, more maiorum coronatur à Neapoleone Vrſino Romano, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Archidiacono, cuius operà Pontificatum obtinuerat, eiquè iureiurando promiſerat, ſe nunquàm equum vel multum conſcenſurum, ni Romam accederet. Cardinalem tamen fefellit illæſo iureiurando: nam Lugduno nauigio Auenionem diſcedens, vbi Curiam firmare decreuerat, pedibus palatium conſcendens, illinc nunquàm egrediebatur, quàm cum religionis ergo Eccleſiam Palatio proximam ingrederetur. Sic fide ſeruatà Vrbem nunquàm acceſſit, non ſinè graui Vrſini indignatione, qui nunquàm Pontificem alloquutus, nec teſtamento nec exequijs intereſſe ſuſtinuit. Eà nãq. Ioannis fraude, Italis Cardinalibus mortuis, diù captiuitatem Curia ſuſtinuit Romana. *Io. Villanus l.9.c.79.* S. Antoninus *loco cit. Maſſonius*. Sunt qui vitio Ioannem irrepſiſſe accuſent in Sedem Romanã: quommodò probent? non video. Quid enim prohibet eligere ſeipſum, cum eligendi liberam habet facultatem? *S. Anton. ib.* Pontificatum ei prædixiſſe Deiparam narrat Lezana libro *Maria Patrona* Clarius S. Malachias in ſuo vaticinio, *de Sutore Oſſeo*; quia de familià *Oſſa*, filius ſutoris veteramentarij.

Ioan. XXII. natalia.

Eligit ſeipſum in Papã

Vaticinium de eius Papatu.

Diſcordia inter Fridericũ Auſtriũ & Lud Bauarũ.

2. *Ludouico Bauaro* &c. Eodem A. Sal. 1314. cum tria vacarent Sedes Romana Imperium, ac Regnum Gallorum, ob funera Clementis, Henrici, Philippi: imperium duo flagrabant conſobrini *Fridericus Auſtrius* cognomento *Pulcher*, & *Ludouicus Bauarus*, qui diuiſis Electorum ſuffragijs, ambo electi, & coronati; *Ludouicus* Aquiſgrani à Moguntino Archiep. *Fridericus* Bonæ à Colonienſi. Hic à quo debuit, ſed non vbi debuit. Ille vbi debuit, ſed non à quo debuit. Deſtinauit vterq. Legatos ad *Ioannem* Rom. Pontif. prò confirmatione. Vtrumq. audiuit Io:, ſed *Ludouici* poſtulatis abnuit: *Friderici* in aliud tempus reiecit: dubium vtrumq. relinquens. Omnia oretenus: non enim ſententiam in Ludouicum per declarationem: neq. Friderico titulum Regium Romanorum decreuit: vtrumq. Regis nomen literis præſcribentem tolerauit: ac vtriq. diem apud Sedis Apoſtolicæ ſubſellia deſignauit, ad audienda iura potiora. Interim alter alteri vſurpatio regiæ appellationis non præiudicaret. Huius occaſione diſcordiæ, ad occupandam Italiam Pontifex animum aduertit. Impedimento ei erant Gibellini, qui cum *Ludouico Bauaro* in Guelphos inito fœdere, Italicarum vrbium præturam vſurpauerant inſcio Pontifice, *Vgucius Fagiolanus* apud Piſanos: apud Inſubres, & Ligures *Matthæus V. Comes*: Veronenſes *Magnus Canis*: Lucenſes *Caſtrucius* Romanos *Sarra Columna* à Bauaro Vicarij deputati, ac ferro muniti Ioannem minimè audiebant cum ſuo anathemmate. Expauit Guelphorum factio Germano ſæuiente milite; vndè Pontifex vt ſuos ſeruaret clientes, *Raymundum Cardonam* Hiſpanum cum 1300. equitum alà, ac cum ſex mille peditibus miſit in Italiam: grauiq. edicto propoſito nomen *Vicarij Imperialis* in Italià abrogauit, quòd ad ipſum ſpectaret prouiſio, dum uacaret Imperium. Roberto poſtea Regi Neapol. Vicariam Imperij confirmauit poteſtatem ab anteceſſore collatam, iam Bauaro infeſtus, quòd iſte armis non iure cum Friderico decerneret, atq. temeritate præcipiti, Italiæ Vrbibus Vicarios præponeret. Diſſimulabat tamen, ac Friderico confirmationem petenti diſtulit potiùs, quàm negauit. Benè ſperare iubens, interim aduersùs hoſtes inuitauit Eccleſiæ. Annuẽs Fridericus, quamuis cognoſceret Pontificem agere cauſam ſuam, miſit *Henricum* fratrem cum copijs, ut ſuo etiam detrimento proſterneret inimicum. Seruiendum tempori, credebat utile; nam ea apud Germanos Pontificis reuerentia, ut eo abnuente Cæſarem non admitterent. Hinc plurimi Fridericum ſequebantur, quia Ludouicum Pontifex non confirmaſſet. Alij Friderico aduerſabantur, quia publicà utilitate poſtpoſità, ambitionis ergo, imperij iura in Italià labeſactarent. Gibellini, etiam Fridericum monuerunt; armando Pontificem, exarmari Imperatorem, cui amplius aditus non pateret in urbem; ſi ille Latium, Ethruriam, Inſubriam ſui iuris faceret. Ab eà die omnem belli molem Fridericus in Ludouicũ cõuertit, teſſellatà fortunà, quę octo Annorũ ſpatio Cæſares agitauit conſobrinos. Multa tandem poſt prælia captus Auſtriacus, ſibi

carcerem, æmulo imperium peperit, non pacem. Nam Auſtriacorum caſus miſeratus Rex Gallorum, cœpit omni ſtudio cauſam iuuare Friderici. Diſſidia iuuabat animus exaſperatus Pontificis aduersùs Ludouicum. Cauſa indignationis, quòd *Galeatium* Vicecomitem Mediol. hæreticum excommunicatum, Gibellinæ factioni contra Guelphos Pontificis auctoritatem propugnantes, ducem dederit, ac copijs inſtruxerit Germanorum: Quod in pleriſq. Italiæ locis præfectos ſuos collocauerit: Filium auxiſſet dignitate Septemuirali: munia alia magis ad Pontificem quàm ad ipſum ſpectantia adminiſtraſset, quibus nondùm ab eo confirmatus abſtinere debebat. Crimina hæc niſi intra trimeſtre dilueret, perſonam Cæſaris donec Pontifici uideretur, exueret: aliàs ad enunciationem pœnarum præſertim excommunicationis procederetur. Acta hæc, priuſquàm Ludouicus Fridericum vinceret, licet poſtea renouata, ut ex monitorio Io:, quod habes in noſtrà *Aquilà Vagà p.* 151. Eà monitione perculſus Ludouicus *Albertum Strasburgicum* magnum Magiſtrum hoſpitalis S. Io: per Alemanniam, *Eucſtorpium Sebechium* Archidiac. Herbipolenſem, *Henricum Thoruninum* Canonicum Pragenſem Auenionem ire iuſſit, ut obiecta diluerent, uel perenditiationibus tempus protraherent. Initio Anni 1325. in Purpuratorum Senatu legatione expoſità, reſponſum retulere plenum querimonijs in Ludouicum, vix dilatione impetratà bimeſtri ad ſatisfaciendum obiectis, vt ex tabulis tranſmiſſis Epiſcopo Friſingenſi, quas habes in *Aquilà Vagà p.* 153. quas non tranſcripſimus, nè actum agamus.

Diſſidia Io Papę cū Ludouico Bauaro.

Grauior acceſſerat indignationis cauſa, teſte Trithemio in Chron. Hirſaug. *Nam Ludouicus Imperator cupiens dilatare dominium ſuum, vxorem cuiuſdam viri potentis violenter abſtulit, eamq. Othoni filio ſuo Brandeburgenſi Marchioni, matrimonio cum pompà, & ſolemnitate copulauit, viro eius, cum quo matrimonialiter vixerat annos undecim, reclamante, & auxilium Summi Pontificis, licèt fruſtra inuocante. Dicebat enim Imperator, inter eum, & illam impedimentum extare conſanguinitatis. Sed alia eum cauſa mouebat, ſcilicet deſiderium habendi dominium Ducatus Charinthiæ, & Tyrolis, quod ad ipſam mulierem iure hereditario fuerat reuolutum. Vnde commotus Papa Io. XXII. tantà iniquitate, ſcripſit Ludouico multis vicibus rogando, monendo, & comminando, vt vxorem viro ſuo reſtitueret, & pro coronà Imperij ſuſcipiendà ad ſe Auenionem veniret. Sed Imperator contemnens, nec mulierem viro ſuo reſtituit, nec venire in Galliam commiſit.* Cum itaquè per Legatos præuidiſſet Ludouicus Papam minimè placatum iri, conferto Norimbergæ ſenatu, in ædibus *Alberti Ebneri*, coram Nicolao Epiſcopo Ratiſbonenſi, plurimiſq. Eccleſiarum proceribus, in formà proteſtationis, & appellationis ad melius informandum Romanum Pontificem, ſcripturam produxit Sanctæ Sedi tempore exhibendam opportuno. Exaratam dicunt à *Vuilhelmo Ochamo* natione Anglo; qui iram fugiens Pontificis, ob diras vulgatas contrà Fratres Minores cum ipſo altercantes Pontifice, dè Chriſti paupertate, ac diſcipulorum eius, ad Ludouicum confugerat pacto ſequenti: *O Imperator, tu me gladio à Papæ iniurijs defende, & ego te verbis, & ſcriptis in*

Cognitio cauſæ matrimonialis ad quē ſpectet.

Ochamus cōtra Papā

A diſſolubili ratione defendam. Is à Ludouico mercede conductus, vel in tutelam receptus, pluribus in Ioannem ſparſis calumnijs, hæreticum, ſchiſmaticumq. mentitus, cenſuras eius minimè metuendas blaſphemabat. Conſpirarunt cum *Ochamo Ioannes Iandunus, Marſilius Patauinus, Dantes Alighierius*, alijq. Gibellinæ factionis Philoſophi. Manus dabant Fratres Minores, qui vt acriùs curiæ diuitias carperent, *nil proprij habuiſſe Chriſtum, & Apoſtolos nec eis ius fuiſſe vendendi, donandi, teſtandi, vel acquirendi* aſſerentes, damnati fuere vt hæretici, poſteà nonnulli eorum refractarij, & decreto aduerſi Pontificio, Marſiliæ exuſſi Anno 1323. Appellationem Ludouici contrà Ioannis monitorium, falſis reſperſam criminationibus habes *p.* 168. *Aquila Vaga*, Anno 1324. Accidit non longè manumiſſio
B *Friderici Pulchri* facta à *Ludouico Bauaro*, timore Leopoldi Auſtriaci; vel vt Pontifici, & Regibus intercedentibus gratum faceret, latet. *Diuiſum inter eos Imperium dicitur: Pax connubiis firmata; vtriuſq. nomine data diplomata*, quæ à Pontifice non adprobata, etiam Electores Eccleſiaſtici admittere renuerunt. Senatus tunc Populuſq. Romanus Pontificis pertęſus abſentiam (qui veterem ſplendorem vrbi pollicitus reſtituere, Auenione tamen manebat) miſsà legatione Ludouicum acciuerunt. Cuius occaſione conuocatis Spiræ principibus, literas oſtendit Senatus, populiq. Romani, aliarumq. Italiæ ciuitatum, vt indè cognoſcerent, *quanti debeant facere Romani Pontificis execrationes; cum Itali in omni ſcientiarum genere, et in diuinis ſimul ac humanis legibus doctiſſimi, contra Pontificis decreta inſurgere audeant, quibus magis credendum de Pontifice, ut apud
C quos quotidiè viuit. Nec paucis Germanis proceribus addidit animos, vt auderent Ludouico excommunicato adhærere. Putabant enim Italos præcipuè Romanos melius, certiuſq. poſſe iudicare de Romano Pontifice præſentes, & videntes, quàm ſe abſentes, & aliorum relatione audientes.* Summo ergò aſſenſu auditus pro anno ſequenti expeditionem indixit Italicam. Venienti (Anno Sal. 1327.) obuiauere Principes Gibellinorum, *Azo* filius Galeacij, & Marcus frater V. Comitis (nam Matthæus hæreticus obijt, & excommunicatus) cum 200. equitibus. *Paſſarinus Bonacoſſius* Mantuæ Dominus, & *Scaliger* cum 800. *Guido Tarlatus* cum 300. Adfuere cum auxiliaribus *Ponzinus Ponzonus, Rainaldus Eſtenſis, Caſtrucius*, &
D Legati *Friderici* Regis Siciliæ cum copijs. Prima concertatio aduersùs amicos, quorum petitiones ſibi inuicem aduerſæ, & cum amicorum iniurià. In hoc ſolùm conuenere omnes, vt Pontificem deturbarent. Aderant cum Ludouico plurimi Regulares diuerſorum Ordinum, Schiſmatici, Apoſtatæ, Hæretici à Pontifice ob grauiſſima damnati piacula. Phalangem ducebat magnus Magiſter Militum Theutonicorum, furijs in Papam inuectus ob Pomeraniam Regi Poloniæ non reſtitutam. Pontificis carpebant audaciam, quaſi in Cæſarem iam electum nil iuris haberet Papa, iactantes à Deo immediatè pendere; Immeritò piorum cœtu proſcriptum Ludouicum: Principes ab eius obſequio deterritos nonniſi ad vſurpandum imperium Italiæ. Cruceſignari milites, quaſi contra Sarracenos foret prælium, ac Religionis ſpetie bonis inhiari

alie-

Schiſmatici contra Papam.

Fratres Minores contra Papā

Ludou. deſcendit in Italiam

Conſpiratio contra Papam

Calumniæ in Io. Papã

alienis, Pontificem malè de Chriſtianà religione ſentientem accuſabant, vt hiſce calumnijs exauctorarent tanquàm hæreticum notorium, non *Ioannem*, ſed *Iacobum è Caturco* contumelioſè appellantes. Io. gemuit tunc Orbis Catholicus, videns à Ludouico Idolum abominationis ſuſcitari. Vigioti quinque dies cum io conſilio impiorum, ipſe in cathedrà peſtilentiæ laboraſſet, tertiò Id. Martij, Tridento diſceſſit. *Galeacium Vice* Comitem cum fratribus obuios habuit, ſed inter ſe diſcordes, & alternis ſe ſe accuſantes querimonijs, læſæ etiam Maieſtatis. Falſa eſſent aut vera crimina; Ludouicus arreptà occaſioue omnes incluſit carcere, & Mediolaneoſem Principatum Imperio vindicauit, Viginti quatuor ciuibus delectis ad Vrbis tutelam, vt populum libertatis ſpetie demulciret. Cremonenſibus poſtea, Comenſibus, Caſtellanis dedit pſeudo Epiſcopos, ſeu à Pontifice exauctoratos reſtituit. Indè traiecto Pado, ſuperato Apennino (Legato Pootificis, qui milite abuodabat, ſpectante non proſpiciente, nec anguſtias præoccupante, vbi ſi non opprimere, prohibere ſaltem Cæſarem potuiſſet) Piſas venit, quas poſt in deditionem acceptas, & auro ſpoliatas decepit.

Irruptio Ludouici Bauari.

Parauerat interim Io: Papa Excommunicationis repetere fulmen, oon ſolùm in *Ludouicum*, eiuſquè complices *Marſilium Patauinum*, & *Ioannem de Landuno* (quod XIII. Kal. Nouemb. promulgatum) aſſerentes Pontificem ſubiectum Cæſari, teneri vectigal ſoluere; & ad vnum Cæſarem ſpectare iudicare, & punire Pontifices. Exemplum huius excommunicationis, in quà omnes Schiſmaticorum recenſentur errores, habes in noſtrà *Aquilà Vagà p.* 177. Nihil tamen motus Ludouicus, citato itinere Romam venit *7. Id. Ian. Anno Sal.* 1328. quæ eum læta accepit, nihil morata Pontificis execrationes, quas Cardinalis Vrſinus Hetruriæ Legatus vbiquè vulgauerat. *Ioannes Card. Stephanus Columna, Neapoleo Vrſinus* Guelpharum partium Duces nonnihil Vrbem turbauerant; *Sed Sarra Columnius, Iacobus Sabellus, & Theobaldus Sant: Euſtachianus* Romanæ Vrbis Principes, exactis æmulis Romaoum populum ſeruauere fidelem. Cæſar quatriduò in Vaticano moratus, ad D. Mariæ Maioris palatium ſeceſſit. In Capitolium aſcendenti Senatus populuſquè Rom. præſto fuit, & Elleranum Epiſcopum apoſtatam ex Auguſtanà familià pro *Ludouico* verba facientem pronis auribus audiuit. Indè effuſus in vota ter ſalutauit, & Senatorem, Ducemq. cum imperio annuo (quæ dignitatum nomina neq. priſci Reges faſtidierant) plauſit. Popularis lætitia ergà principē, Clero perſuadere haud potuit, vt ſacra Bauaro præſente perageret. Vi compellere mandauit Bauarus *Sarra Columnio*: ſed iſte fruſtra ſacerdotes tentauit, vt ſacramenta darent, vel ſacra celebrarent: Quin etiam Sanctas Diuorum reliquias, & imaginem Saluatoris non manu factam, cui oomen *Vultus Sanctus*, ſeu *Veronica*: occultarunt. Soli hæretici, ſchiſmatici, Deo, & Pontifici inuiſi ſacrilegà manu myſteria temerabant. Pompam regiam duxerè vrbis ſigniſeri ſublimes in equis oſtro inſtratis. Viæ à Mariæ Maioris ad Vaticanam Baſilicam perpetuo aulæorum textu exornatæ. Inaugurandi Cæſaris partes *Sarra Columnio*, *Buccio Proceſſo*, *Vrſino Vrſino*, & *Petro Montenigro* datæ, qui auro fulgentes cum Præfecto Vrbis, & quinquaginta duobus Roman. libertatis cuſtodibus, longè inter proceres emioebant. Et quia Comitis Palatij Lateranenſis præſentia inaugurationi oeceſſaria antiquis legibus, moribuſq. haberetur, Cæſar *Caſtrucium* eà dignitate auxit, cum baltheo manu ſuà præcinctum aureà prius bullà donaſſet.

Errores ſchiſmaticorũ.

Corona Ludouicus

Corona Ludouicus Columnenſib. donat inſignia.

His peractis Iacobus Venetus Epiſcopus, nepos Cardinalis *Pratenſis* adiutus ab Epiſcopo *Ellerano* Ludouicum cum Reginà coniuge conſuetis ritibus inaugurauit: *Sarra Columnius* vtriq. diadema impoſuit, quorũ benemeritus inſignibus *Coronata Columna* nobilitatus fuit. Exindè *Columnii* columnam diademate Regio ſuperimpoſito in vmbonibus præſeferunt. Sic itaq. à pſeudoEpiſcopis, & prophanis Bauarus inauguratus poſt ſacra, epulum præbuit in *Arà Cæli*, pernoctauit in Capitolio, ad reprimendos Vrbis tumultus, militem diſpoſuit ſtationariũ, ad cuius ſumptus tolerandos, triginta millia aureorum exegit à Populo Romano. Tunc ſunt indignati Romani, quùm prò congiario (quod expectabant) tributum ſibi indici viderunt, Hanc contumaciam vt frænaret Cæſar, Aprili Menſe legem in perfidos tumultum agentes, conſentientes, non reuelantes promulgauit; & quia populum futere credebat *Ioanne* inſtigante Pontifice, aduersùs eum vltima tentare decreuit.

Deponit Io: Papam.

Auguſtalibus itaq. exornatus inſignibus, ſuper gradus Vaticanæ Baſilicæ, ſedens in throno mandauit *F. Nicolao Fabrianenſi* Ordinem D. Auguſtini Eremitarum profeſſo, trinà vociferatione inquirere; Num aliquis *Iacobum Caturcenſem* (ita veſaous appellabat Chriſti Vicarium) Summi Pontificatus vſurpatorem defendere vellet? Nullo vnquàm reſpondente: Abbas quidam Germanus cæteris procacior, præmiſſis ſacris illis verbis: *Hæc eſt dies boni nuncij*; effuſus in Ludouici laudibus, *Romam ſcilicet tanto veniſſe ſtipendio, vt Romanæ Vrbi decorem, Populo libertatem reſtitueret, Eccleſiam in ſanctitatem reuocaret. Plurima poſtea in Pontificem Sanctum, & Venerab. dicteria oeomuit; concluſit deniquè nihil ab Imperatore vtilius præſtandum, in cuius ſinum Reſpublica confugerat, quàm ſi Orbi Pontifex alius proponeretur*. Indè recitatis improbi conſilij cauſis, atrocem in *Ioannem* Pontificem promulgauere ſententiam, Pontificatu ſpoliantes tanquàm latronem, & inuaſorem ſacrilegum, cum Hæreticis, & Infidelibus conſpirantem aduersùs Chriſtianos. Exemplum huius neſatij, ſacrilegi decreti, quod ſine horrore Inferi ipſi non ſuſtinent, habes in noſtrà *Aquilà Vaga p.* 189.

Nec finis; aggreſſus *Ludouicus* Deum, & hominem ludere, grauiora auſis impellentibus doctoribus impijs, qui Phariſæorum more, ſpecie ſancti in Chriſtum Domini linguas exacuentes, Dei Vicarium gladio linguæ occiderunt. Circumuentum fuiſſe *Ludouicum* à conſultoribus ſceleratis, vt in alienam meſſem falcem poneret, pius nemo negat. Stabilitæ namquè religionis præmia ſibi pollicebatur, quam funditus craſsà ſubuerterat impudentià. Ad 12. Itaquè diem Maij, quo Aſcenſionis Dominicæ recurrit memoria, conuocato in area Vaticanà vniuerſo populo, medius inter Apoſtatas,

tas, & ſchiſmaticos, in throno eminentiore conſpicuus, aureo indutus paludamento, diademate redimitus, ſceptrum in manu geſtans, gladio accinctus, nefas, quo nullum grauius, modo ſequenti authorauit.

3. *Petrum Corbarium*, ideſt vico *Corbario*, natum



gente *Aprutènum*, profeſſione *Minoritanum*, ex familia *Reinalutij*, ſeu *Raynalducij* qui tunc in vrbe ad S.Mariæ de Arà Cœli inhabitabat, Anno 1328. die 3. Idus Maij, à Ludouico Bauaro Romæ contra Ioannem XX. pſeudoPontifex renunciatus nomine *Nicolai V.* Is teſte B.Odorico de Foroiulio in Chron. M. S. *Inter minores laudabiliter vltra annos 40. conuerſatus, magnus prædicator, & Apoſtolicus pænitentiarius in Vrbe, vir magna abſtinentia, Euangelicæ paupertatis, & religioſa obedientia, multos in viam ſalutis reduxit.*

Vita hypocriſis Petri Corbarij.

Alij humili loco hunc natum narrant, ſacerdotium polluiſſe coniugio, dum inuità vxore ſacris eſt initiatus. Tantum facinus luget Aluarus Pelagius *De planctu Eccleſiæ. l. 1. c. 37. pag. 13. Bauarus intruſus in imperio olim Dux Bauariæ, cū populo ſtulto, & infideli, & furioſo, & clero phantaſtico Romano adulante ſibi, in furià Theutonicà, & in inſipientià ſuà, & vindictà Dominum Papam Ioannem XXII. in cuius tempore ſcribo hunc librum, depoſuerunt in Vrbe, et ſibi ſubſtituerunt de facto pſeudoreligioſum de Ordine Fratrum Minorum Petrum de Corbarià, quem cognoui in Vrbe verum hypocritam, cum conuentualis eſſem ibi Romæ in Arà Cœli, decimantem mentam (Matth. 22.) & anetum in quibuſdam abſtinentijs exterioribus, & in aperto, & in abditis loculos compilantem, & inter muliereulas Romanas quaſi continuè reſidentem, & gloriam aucupantem: & ſicut mihi teſtimonium perhibuerunt miniſter illius prouinciæ Romanæ, & cuſtodes tunc, cum eſſemus in magno Concilio, de facto eius, et aliorum, qui Eccleſiæ, et Ordini rebellauerant, Anagniæ minus habentem, ſcilicet in caſtitate, et ſic fidem paupertatis, et munditiæ, et obedientiæ, quæ ſunt legis grauiora relinquentem. Matth. 23.* Conſonant Muſſatus in Ludouico Bauaro; Bernardus *l. de Imperio Rom. M. S.* in bibliothecà Vaticanà *n.* 2043. *Præfatus Pſeudopapa vocabatur frater Petrus Raynalducij de Corbario Reatinæ diœceſis, cum quà cohabitabat publicè coniugaliter vt maritus annis quinque, antequàm aſſumeret habitum Fratrum Minorum quem aſſumpſit, renitente pariter, & inuita.* Alium antè deſignauerat Ludouicus (teſte S. Antonino 3. *p. tit.* 21. *c.* 6. §. 6.) ſed ille nolens ſchiſmati operam dare, aufugit ex vrbe; & *Corbarium* creauit, quem *Ioanna* vxor adhuc ſuperuiuens, diuitijs, & dignitate, quà ſplendebat maritus, allecta, maritum iam locupletem, quem tot annis mendicum ſpreuerat monachum, repetijt. Tranſacta res in publico iudicio, libello porrecto, Ioanni Epiſcopo Reatino, qui re pro tribunali diſcuſsà, 3. Kal. Decemb. Ann. 1328. decreuit, nullo iuſto titulo fuiſſe diſſolutum coniugium; proinde *Petrum* ad *Ioannam* reuerti teneri, eiq. copulam reddere.

Alius Antipa[pa]. Corbarius coniugatus.

Idolum hoc magnà pompa addactum Ludouicus è ſolio aſſurgens veneratus, aliquantulùm infra ſe collocauit; deinde fratrem *Nicolaum Fabricanenſem Eremitam Auguſtinianum* verba ad populum habere iuſſit. Is verbis illis abuſus Apoſtolicis: *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Iudæorum*, Bauarum Angeli dignatus nomine, *Ioannem Pontificem* vocabulo Herodis; Cardinales, Patriarchas, ac reliquos Prælatos titulo plebis irriſit Iudaicæ. Concione finità, iuſſit denuò recitari decretum depoſitionis *Io*:XXII. & cum clauſula illa legeretur, *ab vtriuſq. ordinis Oratoribus Cæſarem eſſe interpellatum, vt Pontificem loco moueret*, in Concilio malignantium repertus eſt vnus *Iacobus Columnius*, qui zelum æmulatus Ioſephi ab Arimathæa, coram omni populo audacter auſus eſt quiritari, *Ludouici* conſultores falsò in tabulas retuliſſe, *ab vtriuſquè ordinis oratoribus exoratum*, fuiſſe *Ludouicum*, vt Pontificem loco moueret: ſatis enim conſtare primaria ſacerdotum collegia, & ex Religioſis familijs optimum quemq. conſultò vrbe abijſſe, ne tantæ fœditati præſentià ſuum viderentur conciliare teſtimonium. Fœcem reliquam, quæ in vrbe ſupererat, vnà & ſchiſmaticos, à templo pariter, & foro ſubmotos incapaces eſſe, & prohibitos omni iure diuino, & humano ſtandi in iudicio. Id ſe etiam duello arbitro, ſi quis velit experiri ſe oſtēſurum. His publicè prolatis, & ad D. Marcelli affixà proteſtatione, citatis equis vrbe profugit, lentum inſequentium agmen, notis viarum diuerticulis facilè fruſtratus. *Ludouicus* verò ſpecie inſaniæ, prudentis ac viri fortis ſpreto conſilio, geſta proſequi iuſſit.

Iacob[i] Colo[n]nij ... ius ... Ponti[fi]cem.

Tunc Epiſcopus Venetus è loco eminentiore tertiùm *Quirites* appellauit: *an quem præſentem aſpicerent Petrum Corbarium, Pontificem vellent?* Plebs autem prò nouitate rei conſternata, cum omnia à circumſtante milite, ac primarià nobilitate priùs agerentur, confuſis vocibus affirmauit. Tunc profanus *Ludouicus* acclamationem illam in libellum publicum redactam, ex ſcripto recitari mandauit, dumq. ab Epiſcopo Veneto recitaretur, ipſe erectus ſtetit. Publicato proclamationis Plebiſcito, *Petrum Corbarienſem* nomine *Nicolai V.* ſalutauit, annulum digito illius ipſe impoſuit, mox purpuram ei propriis manibus iniecit, & ad dexteram in ſolio collocatum, poſtea in Baſilicam D. Petri introduxit. Vbi pſeudoPontifex temeratis ſacris munera vſurpauit Pontificia, tum Bauaro, ac populo eſt imprecatus erranti. Tanti ſacrilegij non tantùm Romanorum, ſed & Belgarum præcipuè viſa eſt indignatio manifeſta; quòd certò ſciret *Ludouicum* contra Fidei vnitatem idolum abominatio-

Lud[oui]cus ... [c]reat Antipam.

nis

Pſeudo Cardinales creat.

nis ſtatuiſſe in loco Sancto:coq. vehementiùs offendebantur, quia paupertatem, & perfectionem, quã profitebatur, non in eo, nec in ſectarijs aſpicerent. Tertio à profanà inaugurationis die, ſpurius Pontifex, ne incomitatus prodiret, nonnullos creauit Cardinales. Inter quos *Iacobus Pratenſis* Epiſcopus Venetus, Abbas S. Ambroſii Mediolan. Abbas Germanus, Nicolaus Fabrian. *Ioannes* etiam *Galeacii* frater Canonicus Mediolanenſis, qui eo ordine non contentus, maius aliud fruſtrà appetiuerat. Verùm, quia nondùm aſſequi rectà vià ordinẽ eum potuerat, ſacrilegè ſtatuit vſurpare Bauaro interprete, cui reconciliatus, tenuit eius commendatione, vt Cardinalis fieret à pſeudoPontifice, pretio ſoluto tot millium florenorum, quot paulò ante reditum in patriam ipſe, fratreſq. emerant. Ipſe autem Bauaro rei pecuniariæ difficultate laboranti datam volunt pecuniam. Additur huic *Ioanni* ſumma per Inſubriam poteſtas, Legatuſq. Pontificis appellatus, Clero tamen minimè plaudente, nequè obuiam eunte cum Mediolano appropinquaret, quia tã auctorem, quàm ſequacem profanum putarent.

Tanto ſcelere perpetrato, Tibur ſeceſſit *Ludouicus*, vt ſuæ inaugurationis pompam ſolemnem inſtauraret, & de manu Pontificis inſignia acciperet. In peruigilio ſolemnitatis Pentecoſtes, Romam reuerſus, apud S. Laurentium in agro Verrano diuertit. Die ſequenti vſq. ad Lateranam Baſilicam Antipapa ſacerdotalibus indutus veſtibus, obuiam procedens, ad D. Petri deduxit. Vbi *Ludouicus* primus purpureum pileum Antipapæ impoſuit; Is verò aureo diademate *Ludouici* caput inſigniuit, & Imperatorem renunciauit. Paulò poſt, vrbis præfecturà *Reinerio Fagiolano* commendatà, Velitras conceſſit, elapſis iam per noxias curas occaſionibus rei fortiter gerendæ, prouocataquè Numinis ira.

Purpureo pileo donatur à Ludouico.

Excitauit tunc iſte Antichriſtus in Catholicos perſecutionẽ ingentem. Nã Romæ duo magni viri, quorum alter patrià Hetruſcus, alter Inſuber erat, cum intrepidè Ioannem verum Pontificem Ludouici ſententià, gradu non potuiſſe diuelli Apoſtolico publicarent; *Petrum* verò *Corbarium* Apoſtatam eſſe, eiuſq. ſectatores ſchiſmaticos, & hæreticos, flammis dati ſunt à Ranerio filio Vguccionis Fagiolani. *Villani*. Agebat adhuc in Italià Bauarus alternante Fortunà, qui Romà expulſus dum Viterbium ſe confert; *Corbarius* è pſeudoPontifice in latronem verſus ſacras D. Fortunati gazas diripuit. Piſas acceſſerat Bauarus, vbi Duce Michaele Cæſenate, conuentu habito ſectariorum ſuorum, ſententiam promulgauit aduersùs Ioannem tanquã hæreticum: Pontifex verò recurrentibus quatuor Temporum Vernali ieiunio, Auenione in Senatu Cardinalium Ludouicum Cæſareà, Ducali dignitate priuauit, vei hæreticum, & perſecutorem Eccleſiæ. Eò poſtea cum veniſſet *Corbarius* pſeudoCardinalibus ſtipatus ac hiſtrionico more honores à Ludouico, Pontifici debitos accepiſſet, ad populum concionem habuit, Indulgentię præmia exhibens eis, qui Io: XXII. nomen execrate pollicerentur.

Apoſtata à peo... clamatur.

Io. & Ludouicus mutuis ſe perſtringunt ſententijs.

Cœlum iraſcitur in Schiſmaticos

Cumq. ſpurius Papa anathema Pontifici, à quo percuſſus fuerat, pararet rependere, 12. Kal. Mar. tamq. diri carminis recitandi Piſis fieret initium, venti excitantur in aere, ruptæq. nubes mixtam grandine pluuiam tantà violentià effuderunt, vt territi Piſani, ex ſe moneri interpretarentur, vt à ſacrilego diſcederent antipapà, ne aduersùs patriam iram excitarent diuinam. Hinc domibus incluſi, nec violentià Mareſchalli, mandante Ludouico, per vicos furentis, vt inſanienti adſtarent pſeudoPontifici potuere compelli. Mareſchallus poſtquàm obequitaſſet per compita, ex frigore obrigens immoderato, ſub noctem in balneum ſouendo corpori ingreſſus, fortuito correptus incendio ſolus perijt, cæteris ſaluis, vt hiſce forſan indicijs Deus ad veritatem reuocaret vecordes. *Villani*. Azonem Vic. Comitẽ ad Mediolanenſem extulerat principatum Bauarus eà conditione vt ſibi centum, & viginti quinque aureorum millia, in militum ſtipendia perſolueret. Azoni Porcarium adiunxerat, vt promiſſam auri vim reportaret: ſed Porcarius parte receptà in Germaniam abijt. Hac ſpe deluſus Ludouicus copias in Inſubriam traducere decreuit, ſed aduenienti portas Mediolanum clauſit. Hinc origo reconciliationis inter Pontificem, & Inſubres, qui vſquè in eam diem anathemate tenebantur adſtricti. Inchoatà reconciliatione, Ioi pſeudoCardinalis falsà dignitate ſe vltro abdicauit, ritè ac iuſtè honore impetrato, & cum eo etiam Nouarienſi Epiſcopatu, quem poſteà cum *Aicardo* Ep. Mediolanenſi permutauit, qui ob factionum certamina exulare coactus, nunquàm in ſede ſuà conſidere potuerat. Hoc deteſtabili rerum ſtatu Religio ad ſtudia partium accomodabatur. Ludouicus verò argenti inopià à militibus penè deſertus, cum ad reparandum exercitum, regreſſum meditaretur in patriam, Piſis commendato *Corbario*, Tridentum abiit; & ad Pontificem eiurato anathemate Italia redijt; vt ad Gallorum Regem ſcripſit Pontifex *To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 125. Synagogam malignantium, & operantium iniqua, Petri videlicet de Corbario, & miniſtrorum ipſius etiam Dominus diſſipauit: præcepto quidem Petro, & ſuis ſequacibus per Piſanos, quod ciuitatem illam exirent, furtiuè feſtinarunt recedere, quaſi nullo eorum alio expectato: quò autem dictus Petrus ierit, communiter ignoratur.* Petierat Corbarius à Tarlato nobili Gibellino, qui poſt receſſum Bauari, Piſanà dominabatur in vrbe, *vt ſibi prouideret de ſecuro conductu, donec perueniſſet ad Bauarum. Negauit Tarlatus. Tunc Antipapa ſecretò dedit ſemetipſum in manibus Bonifacij comitis Nouelli de Donoratico Piſani: qui eum feſti noctu occultè duxit cũ quodam ſuo Antecardinali fratre Paulo de ordine fratrum Minorum ad vnum caſtrum ſuum in maritima, de Vrgari dictum, diſtans à ciuitate Piſanà per 35. milliaria: vbi occultus latuit circiter per tres menſes, vſquè dum eò excurrentibus Florentinis, timens Bonifacius, nè hoc facerent quòd quærerent Antipapam, reduxit eum occultiùs domum ſuam Piſis, vbi tenuit eum abſconditum.*

Ludouicus Germaniã repetit.

Corbarius ſe abſcondit.

Ioannes autem Schiſmatis extinguendi cupidus abditiores ſcrutabatur receſſus, vt Antipapam vinciret; Cenſurarum religione perculerat eos, qui eum tenerent occultum. Excurrente verò breuiſſimo à datis hiſce imperijs tempore, eductus eſt è latibulo coluber: Dum enim Piſanorum Oratores verſarentur in aulà Pontificis, percrebuit *Corbarium* in domo latere *Comitis de Donoratico*. Hunc

mox

Corbarius canit palynodiam

mox à Ioanne adhortatus *reddere filiũ Sathanæ*, Pontifici parere comes decreuit. *Corbarius* verò cum diffugia aucupari non poſſet, miſericordiam tentare putauit literis verè abiectis, atq. demiſſis.

RR. ac SS. Patri, ac D.D. Io: Papæ S. R. E. frater Petrus de Corbario dignus omni pœnâ, ſeipſum ad pedes eum reuerentiâ vera ſubiectionis.

Licèt ſecundum canonem Euangelicæ veritatis, qui non intrat per oſtium in ouile gregis Dominici fur appelletur, & latro rapacitatis lupinæ, audiens, & conſiderans diligenter tanta enormia ſcelera prauitati hæreticæ ſtylo ferreo exarata in vngue adamantino, quanta dicebantur à multis de veſtrâ ſolidâ fide, ſicut præſumptuoſus, temerarius, & ſuperbus aſcendi ſuper aſtra cœli Eccleſiaſtici, vbi mihi meis peccatis exigentibus parata fuit ſedes iniquæ prælationis; ſed poſt quàm deueni ad territorium Piſanum, & quæſiui diligentiſſimè de prædictis, & inueni quod obliqua erant falſa, & deficiebant in pondere veritatis, dolui, & doleo vehementer, & pœnitet me feciſſe quæ feci contra iura, & leges veſtri ſacratiſſimi nominis de conſilio peruerſorum. In cuius rei teſtimonium iam eſt annus completus, quòd aduerſarium veſtrum dimiſi ſpontè, & ſedem mei præſumptuoſi culminis dereliqui: Et propono firmiter in ciuitate Piſanâ, & etiam in Vrbe, atq. vbiq. locorum remanere, ſecundùm quod veſtra benigniſſima ſanctitas decreuerit ordinandum. Et quia grauiſſimè peccaui, & erraui patenter in inuio, & non in via, ſupplico veſtræ clementiſſimæ pietati, quatenùs mihi maximo peccatori dignemini parcere ſecundùm multitudinem magnam miſericordiæ Dei viui, vt rediens ex totis viſceribus reliquias deleam, & anihilem ſupradictorum de cordibus vniuerſorum fidelium, & ora claudam omnium obloquentium de veſtrâ Sereniſſimâ ſanctitate; & Eccleſiæ Dei de cætero ſit vnus paſtor, & vnum ouile prò pace totius populi Chriſtiani

His reſpõdit Ioannes *Corbarij* attrociſſima recenſendo flagitia, vt ad lacrymis expianda excitaret. Mittendis literis tamẽ ſuperſedit, & mitiùs agendo mollioribus verbis, verè vel in ſpeciem reſipiſcentem ſinu excipere decreuit paterno Pontifex pius, vt ex ſequentibus.

Io: reſponſum

Profectò fili ex dictarum ſerie literarum percepimus tibi immenſam exultationis, & gaudii materiam miniſtratam. Numquid non ingens materia gaudii, quod tibi ambulanti in tenebris, & quaſi in profundum malorum prolapſo, lux illa vera, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, illuxiſſe videtur, manumque ſuam tibi, vt de profundo malorum exeas, miſericorditer porrexiſſet; ſanè quia affectum paternum non prætereunt commoda filiorum, non expertes non ſumus illo gaudio, quod vtiq. inanè exiſteret, ſi quod, ſi quod cœpiſti laudabiliter ſpiritus ſancti gratiâ, feliciter non compleres. Et quoniam nemo ponens manum ad aratrum, retro reſpiciens, aptus eſt regno Dei, hortamur in Domino, & rogamus, vt attentè prouideas ne ſpiritum tam benignum extinguas. Sed ipſum in te nutriens, eius inſpirationes exequi cum omni promptitudine, et reuerentiâ ſtudeas.

Et quia ſæpè nocuit differe paratis, ſæpeq. vidimus tempus à mane vſq. ad veſperam immutari; ſano tibi ſuademus conſilio, vt morâ cuiuſuis vinculis interruptis, & laqueis, de tenebris ad lucem, ac de morte ad vitam exire, ac peruenire feſtines, nihil haſitans quin

Parcere promittit.

A *nos, ſi compenſaueris facta dictis, reperies patrem pium, benignum, et propitium, et omnium tuarum immemorem offenſarum &c.*

Io: reſponſ. ad Bonifac. Com.

Interpretè agenti Comiti Bonifacio pro pſeudo. Põtifice reſcripſit Ioannes: *Volumus indubiè te tenere, quod ſi depatatis à nobis ipſum duxeris ſpontaneum aſſignandum, eidem vitam ſeruabimus; et ſi in prædictis perſtiteris, ipſum gratiis, et fauoribus prompto animo proſequemur: ſi autem ipſum inuitum duxeris eiſdem aſſignandum, adhuc ſibi vitam, vt tuis ſatisfiat deſideriis, ſeruabimus; etſi à deniis reſipuerit, ipſum gratiis noſtris, et fauoribus non relinquemus expertem. Datum 3. Iulii Anno* 14. Flagitanti verò Comiti, vt omnibus abſolueretur Corbarius criminibus tàm publicis, quàm occultis reſpondit: *Attendentes quod ad talem miſericordiam ſinè peccatorum confeſſione poteſtas noſtra, etiam vt miniſtri ſe nequaquàm extendit,*
B *quòd poſtulaſti, nequiuimus adimplere. Sed eccè quòd volentes eius prouidere ſaluti, tuaq. annuere voluntati, illi per noſtras literas indulgemus, quòd poſt quàm errores ſuos recognouerit, ſecundùm formam contentam in noſtris literis aliis, eligere poſſit confeſſorem idoneum, qui auditâ eius confeſſione ſibi poſſit abſolutionis beneficium iuxta formam Eccleſiæ impertiri.* Tria etiam aureorum millia ei ex ærario Pontificio annuatim ſoluenda conſtituit, per Piſanum Archiep. & Lucanum electum pro vitæ alimoniâ, vt ex literis in *To.* 7. *p.* 10. Piſis Corbarius Antipapatum ritu eiurauit ſolemni, inde 4. Auguſti die Anno 1330. Pontificiis traditus adminiſtris, vento afflante ſecundo Niciam nauigauit, vbi poſt vſurpationem honoris deteſtatus ſacrilegam, die 24. Auguſti Auenionem ingreſſus, laqueo collo iniecto, in medio Cardina-
C lium Senatu, magnâ animi demiſſione ad pedes proſtratus Pontificios, ſe hæreſi contaminatum faſſus, damnato Bauaro, miſericordiam implorauit. *Villani*. Conſcriptæ ſunt de Corbarii confeſſione tabulæ in priuato editæ conſiſtorio, cum in primo, & publico ob adſtantium multitudinem, ac ſtrepitum, abiurationem repetere non potuiſſet, ac perfuſus obmutuiſſet pudore.

Corbarius eiurat Pſeudopapatum

In Nomine Domini Amen. Cunctis, et ſingulis pateat euidenter, quod Anno Sal. 1330. *Ind.* 13. *Pontif. SS. in Chriſto patris, et D. N. D. Io. digna Dei prouid. Papæ XXII. Anno XV. die ſexta menſis Septembris, conſtitutus perſonaliter coram ipſo D. N. Papâ in priuato conſiſtorio præſentibus, et aſſiſtentibus eius Reuerendis in Chriſto patribus Dominis Cardinalibus eiuſdem ſacri Collegii, nec non aliis teſtibus, et nobis clericis ca-*
D *mera ſua publicis tabellionibus infraſcriptis; frater* Petrus de Corbario Ordinis Fratrum Minorum, *ex ſuâ certâ ſcientiâ, gratis, et ſpontaneâ voluntate, ac motu ſuo proprio liberè factâ, et exhibitâ reuerentiâ humili, et deuotâ, ſæpiùs genibus flexit, eidem D. N. Papæ, ac D. Cardinalibus in eodem conſiſtorio præſentibus D. Garberto Arelatenſe, Bertrando Ebredunenſe Archiep. Bertrando Stephani electo Regenſi, Bindo Lemiardo, Manuele D. Papæ notariis, Gaufrido Canalliceni, Petro Carcaſſonenſi, Ildebrandino Paduano Epiſcopis; Helione magiſtro maiore hoſpitalis Ieroſolymitani, Guidone Delphino Viennenſi, Ioanne Comite Forenſi, Gerardo de Lalo, et Bernardo Graueris cappellanis Apoſtolicis; in effectu propoſuit, et legit per ordinem ſicut denotantur inferiùs omnia, et ſingulaque ſe-*

ſequantur. Pater ſanctiſſime ſicut veſtra tenet memoria, nec exidit à meàdie vigeſimà quintà menſis Auguſti proximè præteriti ego frater Petrus de Corbario Ordinis fratrum Minorum, in veſtri ſanctiſſimi in Chriſto patris, & D.N.D. Io: ſuperna prouidente clementià, ſacroſanctæ Romanæ, et vniuerſalis eccleſiæ ſummi Pontificis, veri, et vnici vicarij Ieſu Chriſti, ſacriq. collegij veſtri R.R. in Chriſto patrum D. Cardinalium præſentià; nec non præſente fideliũ tam prælatorum, et religioſorũ quã aliorum clericorum, & ſecularium multitudine copioſà in conſiſtorio publico, quantum ad ſententiam, et effectũ recognoui, et confeſſus fui, reprobaui, anathematizaui, refutaui, et renui omnes, et ſingulos errores, & hæreſes, in quibus incideram hactenus ex aſſumptione damnati, et hæretici, ac ſchiſmatici ſtatus antipapatus, per me erroneè, et iniq. dudum aſſumpti ab hæretico, et ſchiſmatico Ludouico de Bauarià, et nonnullis fautoribus ſuis eius complicibus in hac parte ſchiſmaticis, et hæreticis condẽnatis; nec non ex damnabilibus fautoriis, et adhæſionibus ipſorum et plurium aliorum hæreticorum, et ſpecialiter Ludouici prædicti, et Michaelis de Caſenà olim Gen. Min. Ord. ãtedicti, peſſimorum hæreticorum, et ſchiſmaticorum reprobatorum per eccleſiam ſanctam Dei, multorumq. ſequacium, complicium, et fautorum ſuorum, quibus in eorum factis peruerſis, ac falſis opinionibus, et dãnatis fautori ſæpius damnabiliter, et adhæſi; illoſq. ac quoſcumquè alios errores, et hæreſes abiuraui, iurando ad ſancta Dei euangelia, mentaliter, et corporaliter per me tacta præmiſſa omnia, et ſingula inuiolabiliter obſeruare, ac mandatis S. R. E. et apoſtolicis per omnia obedire.

Sanè cum tunc fatigatus ex labore, debilitatus in viſcere, anguſtiatus in dolore; at confuſus ex rubore conſtrictuſq. ex itinere ac timore impeditus in clamore, extinctus in deuotione mortuus tandem in amore, eo quòd dilexi dudum malitiam ſuper benignitatem, et iniquitatem magis quàm loqui æquitatem, iuſto Dei iudicio obmutuerim euidenter, et ſicut volui non potuerim omnia exprimere ſupradicta, nec vos etiam forſan, beatiſſime pater, vnam cum dicto ſacro veſtro collegio D. Cardinalium prædictorum ea plenè propter tumultum aſſiſtentium, et dicta impedimenta mea, intelligere potuiſtis ideò latiùs in præſenti priuato conſiſtorio, reſumptis confortatiuis viribus, poſtquàm de benignitate, et humilitate clementia ſanctitatis veſtræ apparuit, quoniam nõ ex operibus iuſtitiæ, quæ nunquàm feci actualiter; ſed ſecundùm magnam Dei, et veſtram miſericordiam me ſaluaſtis, et operuiſtis omnia mea ſcelera, et peccata, laborem meum oppreſſiuum ſedando pacificè, et uigorem perditum mihi reſtituendo integrè, et dolorem afflictiuum dulcificando conſolatiuè, ruboremq. confuſiuum laudabiliter remouendo, ac timorem meum confortando viriliter, & clamorem meum raucum ſanando celeriter, extinctamquè deuotionem meam ſuauiter inflamando, & amorem meum mortuum viuificando; cum confidentià ſecuritatis pacificè, et benignè prædictos errores et hæreſes, ac omnia, et ſingula ſcelera, & delicta mea iniquiſſima, & nefãda proponere confidi, publicare, et legere volo in ſcriptis, vt certius pateant vniuerſis, et vos beatiſſime pater, vnà cum dictis D. Cardinalibus poſſitis, et intellectu ſuſcipere pleniori. Quare huiuſmodi hæreſes, et errores, ac ſcelera, et delicta mea coram vobis, et dictis D. Cardinalibus ac teſtibus aliis, et clericis cameræ apoſtolicæ, publicis tabellionibus infraſcriptis, ad laudem, et gloriam altiſſimi Dei patris, beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ,

A beatorum Angelorum, et ſanctorum omnium, et veſtri ſantiſſimi patris præſentis veri, et vnici in terris vicarii Ieſu Chriſti prò ſalute, & pace perfectà totius populi Chriſtiani propono, cõfiteor, recognoſco, publico, et lego per ordinem, vt inferiùs deſcribuntur.

In N.D. Patris omnipotentis, ac Filii, et Spiritus Sãcti Amen. Quoniam iuxta ſapientis doctrinam, occultanti ſcelera ſua denegatur directio, purè autem confitenti, et ea pœnitùs deferenti, eſt miſericordia repromiſſa; idcirco ego frater Petrus de Corbario ordinis fratrũ minorum miniſſimus, et ſceleratiſſimus: peccator hoc conſiderãter attendens nolens vlteriùs cum impiis commiſceri, ſed cupiens toto corde in viam veritatis, quam iniq. deſerui dirigi, et miſericordiam, et gratiam Ieſu Chriſti, et veſtri beatiſſimi in Chriſto patris ac D.N.D. Io: ſupernà prouidente clementià, ſummi Pontificis, veri, B et vnici eius in terris vicarii, ac eccleſiæ ſacroſanctæ catholicæ, quibus meis iniquiſſimis, et nefandis me priuari ſceleribus, valeam promptiùs, & efficaciùs obtinere; quãquàm nuper Piſis exiſtens coram patribus reuer. D. Simone Archiep. Piſano, et Guillelmo Lucano epiſcopo ac diſcreto viro magiſtro Raynaldo Stephani clerico papalis cameræ, et apoſtolico nuntio præſentibus, quàm multis prælatis aliis, religioſis, et nobilibus, ac popularibus ciuitatis prædictæ errores meos, et ſcelera ſpontaneè cum ingente cordis amaritudine confeſſus fuerim, et D. Archiep. et epiſcopo, ad hoc per vos pater ſanctiſſimè deputatis, ſupplicauerim humiliter, et deuotè, vt mihi parato præfatos errores, et quoſcumq. alios abiurare, ac mandatis ſtare veſtris apoſtolicis: Et inſuper mihi recognoſcenti, quòd ea, quæ vt Papa, immò veriùs antipapa tam circa perſonam hæretici Bauari, quàm circa creationem, quam de facto præſumpſi Cardinalium, et aliorum officialium quos C veri ſummi Pontifices ſoliti ſunt habere, quàm circa diſpoſitionem, et ordinationem patrimonii beati Petri Apoſtoli; nec non circa priuationem nonnullorum prælatorum à ſuis prælationibus, et aliorum claricorum à ſuis dignitatibus, et beneficiis aliis Eccleſiaſticis, quocumq. nomine cenſeantur, et prouiſionem attentatam de facto de præmiſſis prælaturis, dignitatibus, et beneficiis aliis eccleſiaſticis quibuſcumq. nec non, et quæcunq. alia quæ vt Papa quocumq. modo præſumpſeram ſeù feceram, nulla præſumpta ac temeraria fuiſſe et eſſe, et ab omni effectu iuris vacua, et nullius penitùs exiſtere firmitatis, velut attentata ab illo, cui nullum ius talia facere competebat, et illi, in quorum perſonas illa attentata fuerint, cum eſſent ſchiſmatici, et hæretici ſeù hæreticorum fautores D notorii, eſſent penitùs non capaces, nec non et ea, quatenùs de facto præceſſerant, quantum erat mihi poſſibile reuocanti, et nulla fore, et inania declaranti, abſolutionis mihi impenderent beneficium ab omnibus ſententiis iuris, et hominis, quas ob præmiſſa incurreram, vel aliquid præmiſſorum, meq. incorporarent, et reſtituerent ſacroſanctæ eccleſiæ catholicæ vnitati, quod vtiq. præfati Archiep. et Epiſcopus auctoritate veſtrà apoſtolicà, ipſis per litteras veſtras patentes apoſtolicas in hac parte conceſſa, recognitionibus, et reuocationibus ſupradictis receptis ac iuramento de ſtando mãdatis veſtris apoſtolicis prõptè et liberaliter exequi curauerint: hoc adiecto, quòd ſi ad priſtinos errores, ſeù actus ſchiſmaticos ſceleratos redirẽ, in eaſdẽ pœnas, et ſentẽtias reinciderã ipſo facto; ac nihilominùs illa nuper in diuerſis ciuitatibus Prouinciæ confeſſus fuerim, et abiurauerim, et nulla fore per me attẽtata recognouerĩ, et ea quatenus de facto proceſſerãt, quã-

tum poteram, et ad me pertinere poterat reuocauerim et declarauerim eſſe nulla ; nihilominùs tamen ad fortius abolendas maculas hæreſum, et infamiæ, quas contraxi et incurri ex præmiſſis & pluribus alijs damnabilibus fautorijs, adhæſionibus, et conſilijs per me dudum exhibitis hæretico & ſchiſmatico Ludouico de Bauariâ, principali ſtatus mei damnati huiuſmodi patratori, ac eius ſequacibus, fautoribus, et complicibus & ſpecialiter hæretico et ſchiſmatico Michaeli de Caſena, olim Ord. fratrum Min. generali noſtro, de hæreſibus, & ſchiſmate, ac pluribus hæreticorum fautorijs, & adhæſionibus per vos præfate ſanctiſſime pater legitimè condemnato; adhuc tamen errores meos & ſcelera in præſentiâ veſtri, ſacriq. veſtri collegij dominorum Cardinalium conſtitutus, intendo & volo recognoſcere, et abiurare, ac alia facere, quæ veſtra ſanctitas duxerit ordinanda.

In primis itaq. confiteor & cum ingenti amaritudine animi recognoſco, quod cum ſeductor ille ſchiſmaticus, et hæreticus manifeſtus Ludouicus de Bauariâ, dudum iure ſi quod ſibi quæſitum fuerit ex electione diſcordi de ipſo in Regem Romanorũ celebrata, iuſtè priuatus fuiſſet per Sedem Apoſt. & eandem ſanctitatem veſtram, ac vt hæreticus et fautor hæreticorum notorius de multis hæreſibus & fautoribus hæreticorum, ac ſchiſmatibus condemnatus ad Vrbem Romanam imbutus diabolico ſpiritu perueniſſet, et religioſus vir frater Io. de Meliano miniſter Romanæ prouinciæ dicti Ord. Fr. Min. ac Reu. in Chriſto pater D. Io. Dei gratiâ S. Theodori Diaconus Card. ſedis Apoſtolicæ, et eiuſdem veſtræ ſanctitatis legatus prò maiori obſeruatione interdicti, ac cui tunc erat per vos, ſanctiſſime pater ſuppoſita Vrbs prædicta, eiuſdem Ludouici aduentu percepto mihi, et alijs fratribus in eadem Vrbe morantibus ſub virtute obedientiæ, et excommunicationis pœnis, quas non parentes ipſo facto incurrerent, publicè iniunxiſſent, vt dictam Vrbem omnes, et ſinguli exiremus: ego tamen infelix peccator, præceptis huiuſmodi non obſtantibus, licet omnes alij fratres paucis exceptis, eidem legato & miniſtro promptiùs obediſſent, in eadem Vrbe, præſente dicto peſſimo hæretico, et ſchiſmatico Ludouico, & aſſiſtentibus et pluribus alijs ſchiſmaticis, et hæreticis condemnatis, & reprobatis per ſanctitatem veſtram, et Eccleſiam S. Dei, pertinaciter remanere præſumpſi: & in ea licet eſſet iuſtè & ſanctè per vos eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita, celebraui ſæpiùs, immò quantum in me fuit veriùs profanaui.

Deindè cum idem perfidus Ludouicus datus in ſenſum reprobum ſe de facto feciſſet Imp. à dictis Romanis perfidis coronari, et contra vos beatiſſime pater, diabolicã, & iniquiſſimam depoſitionis, immò veriùs ab vnionis promulgaſſet ſentẽtiam, et proceſſus diuerſos temerarios, falſos nimium, et iniuſtos; neq. ad quorundam perfidorum principalium Romanorum, clericorum et laicorum inſtantiam eius ſequacium vnà cum certis de clero, & populo perfidis eius complicibus, & fautoribus ad hoc ſecum vocatis in Papam & Summum Pontificem, immò veriùs antipapam damnatum, et peſtiferum elegiſſe; ego miſer inductus; immò ſeductus fui, et multorum tam clericorum quàm laicorum eius fautorum, et ſequacium dictæ Vrbis precibus importunis, et pernicioſis inſtantiis ac infeſtis falsò, et erroneè aſſerentium, quòd Papam Imperator deponere poterat, et loco depoſiti alium ordinare, et quòd per conſequens eidem hæretico, & ſchiſmatico Ludouico, qui tunc in fictum et falſum Imperatorem dẽnuò, ſe coronari de facto fecerat, & vos pater beatiſſime, abuſiuè depoſuerat, hoc licebat, mea ſuperbiſſimâ damnatione, more luciferi ambitioneq. damnabili nihilominùs excæcatus, huiuſmodi elamationi tàm nefandæ quàm reprobæ, immò nullæ, malitioſè conſenſum meum temerarium, et excæcatum ſicut præmittitur, omni pœnà digniſſimum non erubui adhibere; & ſubſequenter conſecrari, immò execrari ab hæretico, et ſchiſmatico Iacobo dudum Ep. Caſtellano excommunicato, et depoſito, & coronari à dicto hæretico Ludouico de Bauariâ me permiſi: licet ad eum, etiam Imp. exiſteret, ſicut reuerà non erat, nec eſt, ſed hæreticus manifeſtus, & reprobus; ego qui verus eſſem Papa, ſicut in veritate non eram, ſed antipapa potius ſchiſmaticus, hæreticus, & iniquus, nequaquam talis coronatio pertineret. Item quod Cardinales, immò veriùs anticardinales, & omnes officiales, quos verus Papa eſt habere ſolitus, ordinare de facto præſumpſi, bullamquè more Papæ, licet eſſem reprobus, & damnatus, fieri feci huiuſmodi, eaq. falsò vſus fui temerè, & iniquè.

Et vt ſtatum meum peruerſiſſimum, & Ludouici prædicti damnati, ac falſas opiniones hæretici, et ſchiſmatici Michaelis de Caſenâ, dudum Miniſtri gen. Ord. antedicti fratrũ Min. ſcilicet quod Chriſtus, et eius Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, non habuerint niſi tantum vſum facti ſimplicem, poſſem fortiùs, ac promptiùs ſtabilire; Dei timore poſtpoſito extendens ad omnia illicita manus meas proceſſus, & depoſitionis ſententiam Ludouici manifeſti prædicti hæretici, & de pluribus hæreſibus cõdemnati, contra vos ſanctiſſime pater, habitam, & etiam fulminatam, ſupplens omnem defectum, ſi quis eſſet in ipſis ex certâ ſcientiâ, & de plenitudine poteſtatis non ſolùm illos confirmare, & mei ſcripti communire patrocinio non erubui; ſed etiam de nouo ſententiare, prædicare, pronunciare, declarare, et prædicta publicè omnia, & ſingula in dictis proceſſibus promulgata præſumpſi. In quibus quidem proceſſibus, Ludouicus prædictus pronunciabat, et declarabat, fore hæreticum, & Scripturæ Sacræ contrarium dicere, quòd Chriſtus, et Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, habuerint aliud quàm ſimplicem vſum facti: ex quà quidem pronunciatione euidenter concluditur, ipſum, et me etiam ex confirmatione, & pronunciatione, & prædicatione prædicti in damnatam hæreſim per conſtitutionem veſtram apoſtolicam de fratrum veſtrorum promulgatum conſilio incidiſſe. Et nihilominùs ad diuerſos Reges, et Principes meas literas deſtinaui, per quas ad eorum notitiam deducebam, quomodò vos pater beatiſſime, cui multa falſa hæretica, et erronea in eiſdem literis imponebam, ſuggerentibus dictis hæreticis ſceleratis, Ludouico, & Michaele, ac iuxta votum ſuum ordinantibus, per eundem Ludouicum, ac per me eratis depoſitus, & ſententialiter condemnatus; eoſdem Reges, & principes exhortando nihilominùs, et rogando, quòd vobis, ſanctiſſime pater, tanquàm Papæ non parerent in aliquo, nec fauores aliquos exhiberent, ſed contrà vos potiùs mihi, & dicto Ludouico præberent auxilium, conſilium, et fauorem.

Nec his contentus tàm in Vrbe, quàm in pluribus ciuitatibus, et locis alijs clericos ſeculares, et regulares compuli, vt non obſtante interdicto, cui per vos beatiſs. pater erãt ſuppoſita loca ipſa in eiſdẽ celebrarẽt, immò veriùs, quãtũ erat in me, profanarẽt diuina. Talias quoq. eccleſiis impoſui tã in Vrbe, quã alibi prò quibus, calicibus, ornamẽtis, et nonnullis rebus alijs ipſas eccleſias ſpoliaui. Fideles inſuper prælatos nõnullos, et alios clericos indignitatibus

&

& beneficijs alijs Eccleſiaſticis, in illis præficiendo, vel hæreticos, vel ſchiſmaticos vel eorum fautores, & plerumq. non abſq. ſimoniacà prauitate; quibus etiam, illis ſcilicet, quorum huiuſmodi prælatio requirebat, de facto, cum de iure non poſſem, per me, vel alium munus conſecrationis, immò veriùs execrationis ineundi. Contra fratres quoq. Minores, non parentes Michaeli prædicto tanquàm generali Magiſtro, qui tamen depoſitus erat iuſtè, et condemnatus de hæreſi, & hæreticus, et ſchiſmaticus declaratus, et aliàs per generale capitulum Ordinis Minorum concorditer in generalem aſſumptus; & contra ſeruantes interdicta per vos, Sanctiſſime pater, vel Legatos ſeù officiales veſtros alias promulgata, vtroq. ſpirituali videlicet, et temporali gladio procedere non expaui, eidem Michaeli, et ſuis ſequacibus hæreticis, et ſchiſmaticis iniquè impertiendo, iniuſtè, ac temere auxilium, et fauorem. Indulgentias inſuper, et diſpenſationes ſedi reſeruatas Apoſtolicæ concedendo de facto, et etiam faciendo. Nonnullis quoquè Pontificibus commiſi, vt ſacros ordines celebrarent, in quibus ordinibus plures, vt credo, ad ſacros ordines promouerunt temerè, cum eis virtute præfata licentia non liceret. De patrimonio quoq. S. Petri in nonnullis locis ad tempus, et interdum in perpetuum diſponere non expaui. Hæc omnia, et plura alia contra Deum, ſanctamq. catholicam Eccleſiam, ac vos beatiſſime pater, verum, et vnicum Ieſu Chriſti Vicarium, recognoſco, et confiteor, me de facto iniquè nimirum, et temerè perpetraſſe. Quæ omnia, & ſingula recognoſco, et confiteor nulla fore, ac caſſa, et inania, velut ab illo, cui ea faciendi non competebat ius aliquod, attentata, eaquè quantum ad me ſpectare poteſt, quatenus proceſſere de facto, reuoco, et nulla fore, et fuiſſe pronuncio, & declaro.

Confiteor inſuper, et ore omnino recognoſco, me credere, et tenere fidem illam, quam ſancta Romana Eccleſia, ac vos pater ſanctiſſime tenetis, prædicatis, atq. docetis: et ſpecialiter recognoſco me tenere, et credere, quod ad Imperatorem non pertinet deponere nec inſtituere Papam; immò hoc tenere hæreticum reputo, prout per proceſſum contra hæreticos Marſilium de Padua, et Ioannem de Ianduno, per vos beatiſſime pater, ſuper hoc, et nonnullis aliis erroribus habitum, quem diligenter ſtudui, continetur. Item fateor, et recognoſco hæreticum eſse, dicere Chriſtum, et eius Apoſtolos non habuiſse in his, quæ eos habuiſse, ſcriptura ſacra teſtatur, niſi ſimplicem vſum facti; licet dudum contrarium tenuerim & hæc tenentibus impenderim indebitè auxilium, et fauorem; et fateor, et recognoſco, quod hæc aſſerentes ſunt cenſendi hæretici manifeſti, ſecundùm quod in conſtitutionibus veſtris, pater ſanctiſſime, quarum vna incipit, Cum inter etc. alia vero, quia quorũdam, etc. plenius continetur; et ſuper materia proprii, et communis, ac iuris, et dominii, quod Ieſus Chriſtus, et eius Apoſtoli in rebus temporalibus habuerint, credo, profiteor, et teneo in omnibus, et per omnia firmiter, id, quod in dictis Conſtitutionibus, et reſponſionibus per vos factis obiectionibus, quas dictus Michael eiuſq. ſequaces contra Conſtitutiones prædictas fecerant, de quibus ſum informatus, plenius continetur; ac omnia, et ſingula ſcripta, dicta, et publicata contra conſtitutiones, et reſponſiones prædictas, et tangentia ea, per hæreticos, et ſchiſmaticos Ludouicum, et Michaelem prædictos, ſeu quoſcumq. alios aſſero, recognoſco, et dico fuiſse, et eſse

A nulla, erronea, ſchiſmatica, hæretica, atq. falſa, atquè omnia refuto, renuo anathematizo, reprobo, et deteſtor. Item confiteor, et recognoſco in veritate, quod vos, ſanctiſſime pater, et Domine Domine Ioannes Papa XXII. et nullus alius, eſtis verus Summus Pontifex, et vnicus in terris Vicarius Ieſu Chriſti: et contrarium, quod tenui, et dicta quorumcumquè idem mecum dicentium refuto, anathematizo, renuo, reprobo, et deteſtor.

Item recognoſco, et fateor in veritate, vt ſupra, quod ego malè, falsò, temerè, et erroneè, et iniquè aſſumpſi, et exercui de facto ſtatum Summi Pontificatus, immò veriùs Antipapatus damnabilem antedictum; et adhæſi ac faui hæreticis ſupraſcriptis, et pluribus aliis; ideoq. ſtatum, adhæſionem, et fautoriam huiuſmodi in omnibus, et per omnia refuto, renuo, anathematizo, reprobo,
B et deteſtor. Item recognoſco, et fateor in veritate, quod malè, temerè, et iniquè de facto promoui, et conſecrari feci, ſeù potiùs execrari nonnullos prælatos, ſchiſmaticos, et hæreticos, ſeù fautores hæreticorum, et aliquos deuotos catholicos, et fideles depoſui, et beneficia Eccleſiaſtica pluribus infidelibus, ſchiſmaticis, et rebellibus, ſeù eorum fauctoribus contuli: et ſæpiùs per ſimoniacam prauitatem, quam exercere per me, et dictos hæreticos, et alios perfidos non expaui, et cætera, quæ verus Papa gerere conſueuit, malitiosè de facto exercui. Quæ omnia, et ſingula ſcelera tam horribilia, et nefanda refuto, renuo, anathematizo, reprobo, et deteſtor.

Item fateor, et recognoſco in veritate, quòd anticardinales, et antiepiſcopos per me vt prædicatur, promotos, quos feci conſecrari, immò veriùs execrari de facto, non
C reputo eſse Cardinales, nec Epiſcopos; immò confiteor ipſos fuiſse, ſi non fuerint abſoluti, et reconciliati per vos, beatiſſime pater, ſchiſmaticos, hæreticos, atq. nullos; et omnes actus, quos circa ipſos, vel quoſcumq. alios, et ſpecialiter circa Ludouicum prædictum ac eius fautores, complices, et ſequaces, et cui de facto, cum de iure non poſsem dico quantum in me eſt fore, et fuiſse de iure tanquàm hæreticos, et ſchiſmaticos, inualidos, ac nullius roboris, vel momenti, eoſq. vt tales, quatenùs proceſsere de facto, in quantum poſsum, infringo, irrito, et denuntio nullos eſse, ac expreſsè refuto, renuo, anathematizo, reprobo, et deteſtor. Quæ omnia, et ſingula hæretica, et ſchiſmatica, ſcelera, et delicta grauiſſima, ac omnes hæreſes ſupraſcriptas, et quaſcunq. alias mentaliter, et corporaliter ſpontè abiuro, petens humiliter à vobis, beatiſſime pater, mihi veniam, et miſericordiam impertiri.

D Item promitto, et iuro vt ſupra, quod nunquàm præſcripta, nec infraſcripta, ſeu aliquæ eorundem, per me retractata, et abiurata tenebo, nec exercebo, nec prò tali; ſcilicet Papa, me habebo, nec quantum in me etiam erit, permittam quoquo modo ab aliis me haberi. Item promitto, et iuro ad ſancta Dei Euangelia, corporaliter, et mentaliter per me tacta, quod nunquàm dictis hæreticis, et ſchiſmaticis Ludouico, & Michaeli, nec eorum fautoribus, complicibus, et ſequacibus, aut alijs per vos, beatiſſime pater, et eandem Eccleſiam denotatis, vel denotandis, ſcienter quamdiù in rebellione, et extra deuotionem, et gratiam fuerint ſanctæ matris Eccleſiæ atq. veſtram adhærebo, nec ei præſtabo auxilium, conſilium, vel fauorem; nec cum eis vel eorum aliquibus ligam, coniurationem, pacta, conuentiones, ſeu conſpirationes faciam, aut contraham quoquo modo. Item quod cum

hæreticis, et ſchiſmaticis antedictis, ſeù fautoribus, ſequacibus, & complicibus eorundem, ſeu cum aliquibus à me promotis, immò veriùs execratis, vt præmittitur, conuerſationem aliquam non habebo, nec eis præſtabo aliquod conſilium, auxilium, vel fauorem. De quibus omnibus, et ſingulis ſupraſcriptis ad æternam rei memoriam prò ſalute meà, et publicè peto, quod vnum, & plura quotquot erant expedientia, fieri publica inſtrumenta per vos Magiſtrum Guillelmum de Petrilia, & Bernardum Stephani Cameræ D. Papæ clericos, ac notarios publicos.

Quæ quidem omnia, et ſingula, per me ſupra aſſertiuè propoſita, et prolata, iuro per hæc ſancta Dei Euangelia à me tacta mentaliter, et corporaliter, vera eſſe, ac præſcripta vitanda vitare, et obſeruanda inuiolabiliter obſeruare. Ea verò, quæ me aſſerui credere, iuro vt ſupra, me illa credere fore vera ſingula, et ſpecialiter dicere, credere, et tenere quod ad Imperatorem pertineat deponere ac inſtituere Papam; item quod Chriſtus, & eius Apoſtoli in his quæ habuiſſe leguntur, non habuerint niſi ſimplicem vſum facti; et quoſcumq. errores, et hæreſes alias abiuro, anathematizo, renuo, reprobo, & refuto. Et inſuper promitto, et iuro tactis mentaliter, et corporaliter per me Euangeliis ſacroſanctis, ſuper omnibus, et ſingulis ſupraſcriptis ſtare mandatis Eccleſiæ S. Dei, & veſtris apoſtolicis, et fidē tenere, quam S. R. E. catholica, et vos pater beatiſſime, creditis, tenetis, et prædicatis: nec non, & veſtras conſtitutiones, et declarationes factas ſuper materià proprii, & communis ac iuris, et dominii, quod Ieſus Chriſtus, et eius Apoſtoli in rebus temporalibus habuerunt perpetuo, et inuiolabiliter obſeruare; ac ſtare, et parere in omnibus, et per omnia mandatis ſacroſanctæ Romanæ Dei Eccleſiæ, et veſtri præfati D. N. Papæ; petens humiliter, & deuotè me per vos pater ſanctiſſime, non attentis meis exceſſibus, et ſceleribus grauibus; ſed ſolà Dei miſericordià cuius eſtis vnicus in terris Vicarius ab omnibus pœnis, & ſententiis iuris, & hominis, quas propter præmiſſa, vel eorum ſingula; ſeù aliquod eorundem miſericorditer abſolui, et vnitati redintegrari, et reincorporari Eccleſiæ ſanctæ Dei: paratum me offerens omnem pœnam ſiuè pœnitentiam, quas mihi prò præmiſſis iniungendas, vel imponendas veſtra ſanctitas duxerit, cum omni obedientià ſuſtinere, et etiam adimplere.

Quibus omnibus, & ſingulis ſupraſcriptis à dicto fratre Petro de Corbario, & ſuà certà ſcientià gratis, & ſpontaneà voluntate propoſitis, confeſſatis, lectis, recognitis, publicatis, anathematizatis, reprobatis, refutatis, & abiuratis, factiſq. per eum promiſſionibus, & iuramentis ſuperius expreſſis, tandem præfatus Dominus noſter Summus Pontifex poſt præmiſſa omnia, & ſingula ad eiuſdem fratris Petri inſtantis petitiones humiles, ac deuotas circa ipſius abſolutionem; & reincorporationem per ipſum à D. N. Papà ſæpiùs, & cum inſtantià humiliter poſtulatam, egit ſecum more pii patris; & illius vice, et imitatione præcipuè cuius eſt dignus ac vnicus in terris Vicarius miſericorditer, & benignè attentè conſiderans quod ipſum Petrum ad confeſſionem huiuſmodi non induxit violentia aliqua, ſed timor Dei ſpontaneaq. voluntas; nec non quod eius contritio vera videtur tam ex eo quod ille Piſis, & ad ipſum Dominum noſtrum veniendo in multis ciuitatibus & locis Prouinciæ publicè, & hic etiam in curià tam in publico conſiſtorio, quàm priuato non erubuit conſiteri nec ad ſuam prætermiſit venire præſentiam voluntarius, & congaudens humiliter, & deuotè prò gratià & miſericordià impetrandis; tum etiam quod paratum ſe obtulit, atq. offert quæcumq. ei præfatus Dominus noſter iniungenda duxerit adimplere: et vt partes ſui officii exequatur, eiuſq. actibus, prout eſt ſibi poſſibile conformetur, qui mortem peccatorum non deſiderat, ſed vt conuertantur, et viuant; de fratrum ſuorum conſilio abſolutionem, et reincorporationem prædictorum Archiepiſcopi Piſani, et Lucani Epiſcopi ratas habuit, et etiam confirmauit: ipſum fratrem Petrum nihilominùs abſoluit, et duxit reincorporandum vnitati Eccleſiæ ſanctæ Dei ſuper irregularitate, quam contraxit propter præmiſſa, ſeù aliqua præmiſſorum, ſecum miſericorditer diſpenſando; ordinationem et declarationem pœnitentiæ dicto Petro prò præmiſſis, et eorum ſingulis, prout quando, et quoties expedire videbitur imponendæ, ſibi ſpecialiter, et expreſſè nihilominus reſeruans. Actum et datum Auinione, Anno, indictione, die, menſe loco, et pontificatu quibus ſupra, præſentibus teſtibus venerabilibus patribus dominiſq. Giſberto Arelatenſe Archiepiſcopo Domini Papæ camerario, et Bernardo Stephani electo Regenſe, ac nobili Guillelmo de Patrilia, et Raydo Stephani cameræ Domini Papæ clericis, auctoritate apoſtolicà publicis notariis, ad hæc vocatis, quibus mandatum fuit per præfatum Dominum noſtrum, vt indè conficeremus vnum, vel plura publica inſtrumenta idem frater Petrus promiſit ſe ſubſcribere; eaq. ſigilli munimine roborare.

Corbario Ioannes parcit.

Peperciſſe *Corbario* Pontificem eximia paterni amoris ſignificatione, Villanus ſcribit, ac manantibus fletu oculis è terra illum erexiſſe, porrexiſſeq. oſculum inſtar patris Euangelici filium prodigum è remotioribus terrarum oris redeuntem, amplexantis. Confirmauit omnia à Piſano promiſſa Archiep. ab omni ſubiectione, & iuriſdictione eximens Epiſcopali, vt ſoli Romano eſſet ſubiectus Pontifici. Donauit etiam Comiti Bonifacio, eiuſq. maſculæ proli caſtrum Peretanum in agro Suanenſi, iure fiduciario, gratitudinis ergo ob egregia geſta Sedi Pontificiæ. Cœterum ne Corbarius rediret ad vomitum, ac nouum conflaret in eccleſia ſchiſma, ſub honeſtà eum cuſtodià in palario tenuit Pontificio, ac neminem cum eo colloqui permiſit, datis ei plurimis libris, vt ſtudio, & orationi vacaret. *Ita Bernardus in vità Io: apud Boſquet. Præfatus Petrus fuit clementer, et miſericorditer ſuſceptus ad pœnitentiam, poſitus in decenti cuſtodià ad cautelam, vt probaretur, an ambularet in tenebris vel in luce: ibiq. hodiè, quo hæc ſcripſimus, tractatur vt familiaris, ſed cuſtoditur vt hoſtis.* Exactis in eo carcere tribus Annis, & menſe vno, morbo confectus ac ſenio obijt, in eccleſià Minoritarum ſepultus, cultu indutus Franciſcano.

Mors Corbarij.

Spontè, vel à Piſanis ſeductus, vel à comite Bonifacio coactus impiam Pontificis vmbram depoſuerit? Villanus, Platina, Ægidius Viterbienſis, doloſè, & proditoriè eum à Bonifacio, & Piſanis affirmant fuiſſe productum. Ex aduersò Lucas Vuadingus *in Annal. Minorum Ann.* 1330. probare conatur ſpontè non ſeductum, neq. coactum errores detrectaſſe, & hoc eiuſdem Ioannis Pontifici auctoritate, qui Ioannæ Francorum Reginæ veniam deprecanti pro quodam Conrado hæretico, ſed reſipiſcenti & miſericordiam poſtulanti, vt faciliùs

im-

impetraret; crimen Corbarii maximum, ſed miſericorditer opponebat remiſſum. Cui Pontifex: *Nec quod de Antipapà proponetur, iuuat iſtum. Antipapa quidem non captus, ſed liber errorem ſuum recognoſcit, & per literas ſuas à nobis humiliter poſtulauit, offerens ſe paratum per omnia loca, de quibus Nobis videtur expediens, confiteri ſcelera ſua, & qua contra Nos fecerat, vel dixerat reuocare.* Eadem ferè reſpondit Ioanni Regi Boemiæ vrgenti Bauari reconciliationem. *Secundò, quia ipſemet Petrus de Corbario reatum ſuum humiliter recognoſcens, à ſtatu ſuo, quem de facto receperat, ille renunciando ſe de facto depoſuit, & ab ipſo Bauaro diſceſſit.* Suſpicor ego detectum Corbarium miſericordiam imploraſſe, cum à Piſanis derelictus, ſub priuatæ tutelà perſonæ poſitus ſe agnouit deperditum. Pœnituiſſe credo; cum amplius occaſio non ſupereſſet, vel tempus peccandi.

Mortuo etiam *Friderico Pulchro*, Auſtriacæ ditionis gubernacula ad *Othonem Hilarem*, & *Albertum Contractum* fratres germanos ſunt deuoluta. Ille ære excitatus Pontificis *Columbariam* validò quatiebat exercitu. In ſuppetias ciuitatis obſeſſæ Bauarus cum aduolaret obuium habuit *Ioannem* Regem *Bohemiæ*, qui pacem inter Bauaros, & Auſtrios pactis conciliauit ſequentibus. *Viginti aureorum millia pro belli ſumptibus Othoni Ludouicus ſolueret: ac quatuor ciuitates Imperij pro pignore traderet. Ioannes Rex Bohemiæ legationem pro placando Pontifice adornaret.* Sanctè hæc ſeruata. Miſſi legati leges attulere, quibus Bauarus ſe obſtrinxerat, *pſeudo Papam exauctorare, geſta in eccleſiam, & appellationem ad Concilium reſcinderet, deuinctum ſe agnoſceret anathemate; eà tamen lege, vt imperium non deponeret.* Reſpondit vero Papa; Hæretico excommunicato, fautori hæreticorum non poſſe imperium permitti; hoc enim veteri, vel nouo iure adminiſtrare intendebat Ludouicus. Si veteri electionis iure, eo iam fuerat priuatus: Coronationis, nullam habuerat, niſi ab Antipapà, qui dare non poterat quod non habebat. Si verò nouo iure, cum hæreticus, ſchiſmaticus & tyrannus à nemine poſſit eligi; nec ſibi ius eſse per Bauarum de imperio prouidere. Reſponſum Pontificis habes in *Aquilà Vagà p. 196.*

[Margin: ...ax in-|...r Ba-|...rum,|... Au-|...m.]

Interim in Italià Tyrannis digladiantibus; Rex petiit Bohemiæ, vt ſibi liceret in Italiam copias ducere. Conſenſit Ludouicus ex pacto, vt vicem Cæſaris ageret. Per Alpes Tridentinas Brixiam venit, Gibellinæ factionis tutor, quo gratioſo nomine, Vulgo gratus breui Bergomum, Cremonam, Papiam, Vercellas, Regium, Nouariam, Mutinam in deditionem accepit. Verùm Aprili menſe Anni 1331. cum *Bertrando* Legato congreſſus Pontificio, dum huic ſtudia ſua probare contendit, fit parti ſuſpectus vtriq. affectaſſe coronam, & Cæſaris nomen. Omni namq. humanitatis lenocinio corrumpebat Imperii clientes, & affectatà morum facilitate Guelphis iuxta ac Gibellinis ſe nullo vendicabat diſcrimine; exules reſtituendo, ad dignitatem Sacerdotes reuocando, quos Ludouicus proſcripſerat. Metum augebat *Carolus* filius eius, quem in Italiam reuocauerat, ſucceſſorem forſan imperii. Ingredienti, & inexpectato protinùs inſtructæ inſidiæ. In die Paſchatis venenum in ientaculo mixtum, quod tres aulicos corripuit. Seruatus Carolus, quia ob Feſti reuerentiam vſq. ad prandiū ieiunus durauerat. Nihilominùs Bohemus Prouinciæ adminiſtratione filio commiſsà, ipſe in Germaniam rediit more fugientis, Gibellinis ſuſpectus (qui crebris nuncijs eum apud Ludouicum inſimulabant) ad Ludouicum venit rationem geſtorum rediturus maiore eloquentiæ, quàm fiduciâ iuſtitiæ. In colloquium admiſsus callidè cauſam egit. Fraudem fraude penſauit Bauarus, cum fingeret minimè dubitare de innocentià Bohemi, in Italiam redire prohibuit, dicens quòd ipſe breui pararet expeditionem poſt futura Norimbergenſia comitia, quæ habuere Germani ad conciliandam pacem Eccleſiæ. Multa ibi Ludouicus blaterauit aduersùs Pontificem, quem lupum dicebat animarum. Principes hortatus, ne fuco pietatis decipi paterentur. Comitia Norinbergen. in Papam.

B Eadem in Spirenſibus renouauit comitijs, fictam arguens Pontificis in Sarracenos expeditionem, vt ſpecie Religionis emungeret æs alienum. Verum potiùs Pontificem è carcere ſoluerent, qui pace redditá Chriſtiano Orbi, Eccleſiæ iuſtè præeſset: dum ipſe ad redimendum pergeret Chriſti ſepulchrum. *Satis* (ſe inquit) *vixiſse*: vbi videret eccleſiam habere paſtorem, cui curæ ſit animarum ſalus, lætum ſe aut Hieroſolymam iturum contra hoſtes fidei, aut ex hac vità migraturum, ſi poſt ſe relinquat imperio, & Eccleſiæ tranquillitatem. His plurimos aduersùs Pontificem commouit Principes. In Bohemum excitatis Auſtriacis, vt faciliùs iras expugnaret Pontificis, nouam adornauit legationem per *Arnoldum Miberniachium* Canonicum Eyſtetenſem, & *Vdalricum* de Auguſtà Cancellarium ſuum.

C Nil tamen impetratum: quòd imperij abdicationem exigeret Pontifex. Anno ſequenti, qui fuit XXXII. ſupra 1300. inſtauratur legatio ſed fruſtra. Nam diræ in Bauaros, & fœderatos renouatæ, cum Pontifice colludente Bohemo, qui in Italiam reuerſus, libidine ſuà concitatis animis Italorum, coronam perdidit, quam ei deſtinabat Italia. Ne autem inter ludibria rediret, ſequeſtrem pacis ſe obtulit, Bauaro conſentiente, iam iſte paratus *Henrico* nepoti inferioris Bauariæ Duci imperium renuntiare, ſi Pontifici non aliter ſatisfacere poſſet. Eo tamen pacto, ne Henricus vulgaret arcanum; priuſquàm Ludouicus reſtitueretur Eccleſiæ. Addit *Rebdorfius* famam fuiſſe etiam Principibus literas ſcripſiſſe

D commendatitias, vt in Henricum faſces transferrent imperij. Vera hęc fuerint vel falſa; cū audijt Ludouicus abdicationem ſuam in ore omnium vagari, negauit vnquàm cogitaſſe ſe regno abdicare.

4. *Palæſtina*. Io. Pontificis vigilantia in profligandis Sarracenis enituit cùm aduersùs Africanos Sancio Maioricarum Regi decimas conceſſit Eccleſiaſticas. *ep.* 3004. Contra Mauros Granatenſes Petro Duce Caſtellæ Rege milites cruce ſignauit. *ep.* 1002. In Mauros Aragonenſes Equites inſtituit Calatrauæ, attributis arcibus Templariorum (teſte *Suritá l. 2. Anno* 1317.) quorum militari virtute repreſſi Mauri, qui Valentina litora infeſtabant. In Luſitanià nouam excitauit militiam, cui à Chriſto nomen, & ad caſtrum Marinum, Ordinis poſitum domicilium cum oppidis, & agris Templariorum: *Mariana l. 5. c. 16.* Algarbij, & Luſitaniæ equites Papa mouet in Sarracenos.

S. Ia-

S. Iacobi ad veterem viuendi formam, ac Caſtellani obſequium redire iuſſit magiſtri. *ep.* 3366. Miſſis ad Tartaros Euangelij præconibus, cum in Scithià, Perſide, Indijs ſe ſe diffudiſset religio, Soltanienſem ſedem Partiarchalem excitauit in Perſide, eiq. Francum Pernſinum præfecit Ordinis Prædicarorum, ac laborum & gloriæ ſocios ſex Epiſcopos ex eodem ordine ſuffraganeos adiunxit. *ep.* 61: 63. Vsbecbium Tartarorum Regem, ſub cuius auſpicijs Chriſti florebat religio (cum impiorum monitu Tartari triſte omen concepiſsent campanas eſſe, quæ ad congregandum populum ritu pulſantur Chriſtiano, magno religionis detrimento, quòd ſine eis neophyti non poſsent facile conuocari) monuit Pontifex ſuperſtitionem deponere, & ritibus incumbere Chriſtianis. *ep.* 40. Deſudauit ſtrenuè in diſcutiendis Armeniorum erroribus, apud quos oleum Confirmationis à ſacerdote, non ab Epiſcopo conſerebatur. *Leander l.* 3. Proinde vt fidei puritas exoleſceret, aperienda gymnaſia in Armenià curanit, in quibus Armenij linguam edocerētur Latinam. *ep.* 67. Georgianos ſollicitauit, vt abiuratis Græcorum erroribus ſe Eccleſiæ Romanæ reſtituerent. *ep.* 63. Hiſce præludiis annhelabat Ioannes ad expeditionem Syriacam maturè tamen, nè poſtea illuderetur cœpiſse, & non conſumaſse. Propterea eius operà *Philippo Longo* Gallorum Regi reconciliatis Belgis; ac Galliæ pace reſtitutà, cum ſeriò ſacrá expeditionem meditaretur Philippus ab oratoribus Armeniæ Regis excitatus; eiuſq. aggrediendæ deſiderio flagraret Rex Angliæ Eduardus; immaturum adhuc opus ſuſpicatus Ioannes, quòd Gallià exceptà, reliquus Chriſtianus Orbis bellis arderet ciuilibus; ſuperſedere iuſſit. *To.* 1. *ep. ſecr. n.* 371. *& to.* 2. *ep.* 54. *&* 302. Cum itaq. in conciliandis Chriſtianis Regibus verſaretur; ac in ipſo conatu Pontifex diem traiectionis conſtituturus eſset; morbo Philippus abſumptus, relicto magno ſui deſiderio exceſſit è vita, Anno 1322. quòd ſinè fictione in Sarracenos eſſet ſacrum reintegraturus bellum. Mœrorem auxit Armeniæ cædes, quam Sultanus Babyloniæ in extremum adduxiſset exitium, ni *Boyſetam* Tartarorum Imperator à Pontifice excitatus accurriſset ſubmiſſis in auxilium Chriſtianorum viginti millibus equitum: ac Triginta aureorum millibus Leoni Armeniorum Regi Pontifex ſubminiſtraſset vt ex *to.* 3. *ep. ſecr. p.* 266. Adſcripta eſt clades vindictæ diuinæ; quòd vitijs priùs victi fuiſſent Armeni, quàm vincerentur à Sarracenis. Reſcriptum propterea à Ioanne, ad Barbaros propulſandos nullum potentius auxilium fore, quàm iratum Deum morum correctione placare. *An.* 7. *ep.* 2. *p.* 1. Cum verò Occidentalium diſſidijs retardarentur ſubſidia, miſit ſecundò eidem Leoni Armeniæ Regi triginta aureorum millia, ne deſperatione adducti Sultano cederent Armeni. *Tom.* 4. *p.* 2. *ep. ſecret. p.* 89. Miſſus etiam *Ioannes è Ianuillà* ad Sultanum Babylonium, vt Terram Sanctam repeteret. Repulſam paſſis, renouauit conſilia bellica cum Philippo VI. Francorum Rege; vt vere ineunte Anni 1331. Chriſtiani ſuſciperent expeditionem, Iuncta ſunt orationum ſuffragia, ac ſacrificia ab hebdomadarijs per Galliam peragenda, quibus Numina ſollicitarent in ſuppetias. Anno

Cōſilia ſacræ expeditionis.

Sal. 1331. ipſo Domini Natali die inter frequentes procerum cœtus Philippus ſe traiecturum in Aſiam poſt biennium à proximis Martij Kalendis ſpopondit. Huius voti certiorem cum feciſſet Pontificem, poſtulata ſua in XXVII. capita diuiſit: quæ cum grauiora eſſent, & iniqua à Pontifice repulſa, Philippi ardorem adeò refrixerunt; ut tandem per inrus, ac voti immemor, bella captarit ad ſubterfugiendam ſacram expeditionem. Poſcebat Philippus *ingentem theſaurum, quem cumularat Ioannes. Sexennales toto Orbe decimas, & ſacerdotia conferendi ac permutandi ius in Gallijs. Tum vt filius Viennenſi, et Arelatenſi Regno, frater verò Carolus Italico donarentur.* Villanus *l.* 10. *c.* 198. Agnouit tunc Ioannes quàm durà ſeruitute teneretur Eccleſia; dum Romæ abſens Pontifex in ſolo ſederet alieno. Secretò itaq. meditatus Bononiam ſedem traducere, conſilium implere nequijt Rege obſtante Philippo, qui damnum præuidebat, ſi Pontifex Gallias deſereret. Non ceſſabant interim Africani, & Granatenſes Sarraceni Hiſpanias, Turcæ Græciam, Babylonij Armeniam infeſtare. Exhauſtus Leo Rex Armeniæ ob acceptas clades, arces reficere, militum ſuſtinere nequiens præſidia, ſupplices porrigebat manus, auxilia poſcens. Hoc cum aduerterent Turcæ, ab eo Siquinum & Antiochetam emere voluerunt: at dono tradere equitibus Rhodijs Rex maluit, vt eas communirent. Ex aduerſo Pontifex ſacræ expeditionis Duce declarato Philippo, Gallias in tutelam ſuſcepit Apoſtolicam, ne eas expeditione durante quis bello auderet laceſſere. Indulgentias propoſuit, auro, armis, vel alio modò expeditionem iuuantibus. Decumas toto Orbe colligi Chriſtiano mandauit. Beneficiorum omnium fructus primo Anno per ſexennium vacandorum, in belli ſumptus redigi iuſſit. Clementis IV. exemplo pluribus priuilegiis exornauit Cruceſignaros. Mandauit iu omnibus eccleſijs, nullà exceptà, quauis hebdomadà rem diuinam peragi ritu ſolemni: ibiq. gazophylacium exponi, in quod fideles ſtipem ſubſidiariam in ſumptus belli ſacri demitterent. Sollicitatis principibus, Veneti inſtructiſſimam obtulere claſſem, in quà quatuor millia pugnatorum veherentur, præter centum alias naues ad tranſportanda bellica inſtrumenta. *Boſius*. Philippus vt Gallos maiori ardore concitaret, dolo vtendum ratus, poſcebat à Pontifice: vt omnibus Galliarum præſulibus permitteret ſymbolum Crucis non tamen animo ineundæ expeditionis, ſed officioſæ fraudis, vt ignaros allicerent. Negauit Pontifex in re tam ſacrà ſimulationem; ne dolo ira concitaretur diuina. *To.* 9. *p.* 2. *ep. ſecr. p.* 149. Excitatis poſtea Græcis & Tartaris; ab vno claſſicum pendebat Philippo: cum interpoſitis aliis perendinationibus, conuentum nouiter fœderatam claſſem in Turcas immittere Duce *Ioanne è Cepeyo*, veluti præludium expeditionis Siriacæ. E triginta duabus triremibus conflatam *Villanus* refert: nam Andronico deficiente Græco Imperatore, ſoli adfuere Galli, Veneti, Siculi, Rhodii; Quorum aſpectu territi Turcæ in litora fugientes vicina, cœſis quinque ſuorum millibus; ducentas, & quinquaginta amiſere naues. *S. Antoninus* 3. *p. tit.* 21. §. 15. Victoria hac accenſi animi fœderatorum, iu Arme-

me-

meniam anno proximo ducere feſtinabant. Claſſi præfectus Ludouicus Dux Borbonius in procinctu erat; cum periculoſa inter Occidentales diſſenſio occaſione venditæ villæ Machlirienſis per Adolphum Epiſcopum Leodienſem Ludouico comiti Flandriæ, Ioannem Ducem Brabantiæ excitauit ad arma. Ad eam ſopiendam miſit Pontifex Internuncios, Ducem obſecrans per auguſtiſſimum Dei nomen, perq. effuſum pro noſtrâ redemptione ſacratiſſimum Chriſti cruorem, temperaret ab armis. *tom.9.p.2.pag.*176. Expeditionem etiam turbabant Ianuenſium, & Aragonum diſſidia: Italorum motus, præcipuè Bononia rebellis, quæ poſtea à tyrannis dilaniata, cum de vrbis principatu contenderent. *Villanus*. Sic digladiantibus Chriſtianis protracta expeditio, vſq. dum obitus ſuperueniens Pontificis cuncta diſſlauit.

Origo Rotæ Romanæ.

5. *Rota Romana*, ideſt tribunal duodecim Capellanorum Pontificis, quos Rotæ Auditores vocant, à Io: XXII. inſtitutum Ciaconius ſcribit, vt ad eos ex omnibus Orbis regionibus eſſet prouocatio. Sed *Rota Romana* vſus videtur antiquior: quia *Durandus* Epiſcopus *Maimatenſis* Gallus, vulgò *Speculator*, *Rotæ dicitur* Auditor fuiſſe, & tamen Ioanne Pontifice antiquior eſt. Inſuper Bulla Io:XXII. quæ in Bullario num. 14. incipit. *Ratio iuris exiget* &c. Rotam non inſtituit, ſed inſtitutam reformat & regulis coarctat. Moribus ego crederem introductam, cuius initii non ſit memoria, occaſione litiũ, quas huic, vel illi committebant Pontifices decidendas: hinc factum; vt poſtea *Auditores* Tribunali, & regulis adſtringerentur, vt locus eſſet, quò poſſet Orbis confluere.

6: *Iudæi*. Peſtilentià annus exareſcebat vigeſimus ſupra 1300. ſed fraude potiùs humanâ, quàm vitio Cœli. Iudæi à *Philippo Pulchro* deportati, Gallijs iterum reſtituti ab *Hutino* Pulchri filio, veneno in puteos demiſſo, plura hominum millia ſuſtulere. Conuicti criminis, damnati ſunt non ſolùm vltricibus flammis, ſed vbiq. locorum perſecutio in eos excitata crudelis. Horreſcẽs Ioannes aduersùs innocentes ſæuitiam, Chriſtianis præſcripſit vniuerſis, ne in Iudæos furerent, quòd in Chriſtianæ fidei teſtimonium, eſſent miraculo reſeruati. *ep.*952. Adiunxit, quòd ſi ad lauacrum regenerationis accederent non turbarentur in poſſeſſionibus ſuis. *Ne qui in perfidia abundabant; cogerentur mendicare fideles. Extrauag. de Iudæis*. In Germaniâ verò vbi Iudæorum auaritiæ bona Chriſtianorum quaſi prædæ loco iacebant; per Archiep. Treuirenſem in eorum fœnora inquiri mandauit (*ep.*248.) & ad frænandam eorum perfidiam, Libros *Talmuthicos* reſperſos blaſphæmijs flammis aboleri.

Origo ... ad ſalutationem Angelicam.

7. *Campanas pulſat*. Pius iam mos cum in Xantonenſi Eccleſiâ inoleuiſſet, vt ad accendendam fidelium pietatem, vergente in noctem die, campanâ excitarentur fideles ad recitandam ſalutationem Angelicam, lubens confirmauit Io:XX. A. Sal. 1318. ac vt totũ per Orbem faciliùs diffundi poſſet; decem dierum indulgentias ſacram orationem pronunciaturis adiecit, Anno 1327. quo grauis in Eccleſiam à Bauaro ingruebat procella. *To.6.ep.ſec.p.*1.

8. *Speculo incluſi vel annulo* &c. In eo publico Orbis malo, quod Bauarus excitauerat, Bello vbiq. fremente ciuili, diſcordiarum expers non extitit aula Pontificia. Inſtigatis in Pontificem nonnullis Cardinalibus, facem conſpirationis præbebat *Bernardus de Artigia* Capellanus Pontificius, quo carceri tradito; cum ſedata crederetur conſpiratio, vt ex *ep.ſecr.*377. *Tom.*2. *p.*2. in grauius exarſit incendium. Nam Pontifex veneno petitus, & incantationibus, vix per antidota diſcrimen mortis euaſit. *ep.* 316. *ibid.* Pateſacto flagitio, *Margareta Comitiſſa Taxenſis* eidem cornu tranſmiſit ſerpentinum, ad detegenda venena natum, quod cum inæſtimabilis pretij cenſeretur, bona ſua omnia mobilia, & immobilia Pontifex Comitiſſæ obligauit, anathemate incuſſo ijs, qui illud inuitâ Comitiſsâ detinerent. In maleficos poſtea inſtructo iudicio, faſcinatarum illarum imaginum (quas aduersùs nonnullos Cardinales & Pontificem parauerant) comperti ſunt *Ioannes de Amanto* Medicus, barbitonſor, ac plures aulæ Pontificiæ clerici, cultu Dæmonum inquinati. Incluſerant ſæpiùs annulis, ſpeculis, circulis ad captanda vaticinia Dœmones; & ſolis verbis hominem poſſe perdere iactabant. *ep.*550. *ib.* Aluarus Pelagius *de planctu Eccleſiæ l.* 2. *c.*45. Ptolomæus Lucenſis *l.*24. *c.* 42. Hinc plura à Io: Pontifice in Magos edicta, quæ habes in corpore Iuris.

Cõſpiratio in Papam.

9. *Tartaros donauit ſymbolo fidei* &c. De hoc lege ſuprà *n.*4.

10. *De Viſione Beatà* &c. Inueſtigandum priùs quid de Animabus Io. XXII. ſenſerit? Caluinus 4. *Inſtit.c.*7. §.28. occurrit (vt ab Hæreticis me expediam primò) Ioannẽ inſimulans, *Animas* credidiſſe *Mortales*, dicens: *Si priuilegium quod obtendunt* (ſcilicet de infallibilitate ſedis Romanæ) *ratum eſſe volunt, expungant è numero Pontificum oportet Io.XXII. qui palam aſſeruit animas eſſe mortales, vnaq. cum corporibus interire vſquè ad diem Reſurrectionis. Atq. vt videas totam ſedem cum præcipuis ſuis fulturis tunc prorſus concidiſſe, nemo Cardinalium huic ſe tantæ inſaniæ oppoſuit. Sed Schola Pariſienſis Regem Galliæ impulit, vt ad Palinodiam hominem cogeret. Rex eius communionem ſuis interdixit, niſi mox reſipiſceret; idq. de more publicauit per præconem. Hac neceſſitate adactus ille errorem abiurauit.* Calumnia hæc liquidò patet; quia Caluinus Ioannem XXII. accuſat ex ſolà Gerſonis auctoritate, quem citat in margine, tanquàm contemporaneum Ioannis, propterea teſtem omni exceptione maiorem; cum tamen Gerſon natus ſit Anno 1363. teſte Trithemio *de Viris Illuſtribus*. Ioannes XXII. fuerit præmortuus Anno 1334. teſte *Io. Villano* verè Io: contemporaneo *l.*11. *c.*19.

De Viſione Beata quid ſenſerit Papa.

Teſte Io Gerſone qui tũc viuebat

Secundò clariſſimè conſtat Caluini calumnia: quia cum vnicus ab omnibus citetur Gerſonis locus contra Ioannem XXII. nempè in *ſermone de Paſchate*, qui legitur *Tomo* 4. vbi ſic loquitur Gerſon. *Hoc fecit latroni, qui veriſimiliter compleuerat pœnitentiam pro omnibus peccatis ſuis, qui illâ propriâ horâ beatificatus, vidit Deum facie ad faciem, ſicut Sancti in Paradiſo. Propterea quod inſuper apparet falſitas doctrinæ Papæ Io:XXII.* Hic Gerſon Ioannem XXII. redarguit non de Animæ mortalitate, ſed de viſione beata Sanctorum propriâ illicò poſt mortem. Accedit, quòd nullus (*Caluino* excepto) nec

ipſe

Caluini calũnia in Io: diluitur

ipſe Ochamus licet Ioanni infeſtiſſimus non auſit Ioãni XXX. hunc impingere errorem, quòd iſte animam dixerit mortalem. Diſputauit quidem Ioannes, *Piorum Animas licèt peccati expertes ante diem Finalis Iudicij non videre Deum facie ad faciem*; & licèt error ſit, negare *Animas piorum illicò non frui viſione Beatâ*; cum tamen Caluinus non poſſet, in Ioanne Papâ reprehendere, quod in ſeipſo laudabat: Ipſe enim *l.3. Inſtitut. c.20.* ſcribit, ſolum Chriſtum eſſe in Cœlo, reliquos Sanctos expectare quodam in atrio vſquè ad Mundi conſummationem; errorem machinatus, quem Ioannes non ſomniabatur, accuſauit quòd Io: animas crediderit eſſe mortales.

Difficultas ergo quam excitauit Io: XXX. non de Animæ Mortalitate, ſed *An Piorum animæ corpore ſolutæ, peccatis non adſtrictæ videant illicò Deum clarè & intuitiuà viſione, facie ad faciem?* (licet de B hoc nulla fuiſset vſquè modo in Eccleſiâ controuerſia) Theologos in factiones diuiſit. Alij Viſionem Beatam ſolummodò poſt ſæculi conſumationem, conabantur probare ex Chriſti verbis, *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete Regnum, quod paratum eſt vobis à conſtitutione Mundi*: quæ fruſtratoria forent, ſi iam antè Sanctorum animæ viſionem eſſent adeptæ beatificam. Sed alij occurrebant tuentes: finalis iudicij quadruplicem futurum effectum, qui erunt. 1. *Generalis ſeparatio bonorum à malis: quia in particulari iudicio non omnes mali exterminantur, ſed in bonorum exercitium relinquuntur. 2. erit propalatio diuinæ iuſtitiæ, quià omnibus de iuſtà retributione conſtabit, & habebit diuina iuſtitia teſtimonium non ſolum ab illis, qui intùs ſunt per diuinam electionem; ſed etiam ab illis, qui foris ſunt per iuſtam reprobatio-*C*nem: quod non fit in particulari iudicio. 3. Gloriæ tàm corporis, quàm animę perfecta conſumatio. Item ex inſpectione miſeriæ reproborum, ex cuius euaſione exultabunt iuſti, & gratias agent. Item ex ſpeciali reuelatione multorum ſecretorum diuinorum, quæ nunc non reuelantur ſanctis de communi lege. Item ex introductione etiam corporali in Cœlum empyreum, quod eſt propriè locus corporum beatorum: ſi enim ſecundùm eos animę beatę nunc ex amœnitate cœleſtis habitationis nunc iucundantur, et delectantur, quę propriè non afficiuntur ad loca corporalia, quid mirum ſi corpora glorificata ex Cœli empyrei introductione, & habitatione amœniſſimà delectabuntur amplius. 4. eſt reproborum omnium tàm Angelorum, quàm hominum perfecta, & completa punitio, & quoad corpora, & quoad animas: quæ pœna tantò erit maior, quantò in pluribus, & cum pluribus gehennæ ignibus, & ſupplicijs relegati erunt.* In hàc controuerſià, vt maturè procederet Papa, cępit tanquàm doctor priuatus argumenta vtriuſq. partis contexere, ac S. Patrum teſtimonia colligere non ſolùm ſcriptis, ſed in concionibus ſuis. Hinc *Michael Caſenas, Guillelmus Ochamus*, & *Bonagratia* cęteriq. Schiſmatici, & Bauari ſequaces improbo zelo Ioannem accuſantes, quaſi ab eo decretoriè pronuntiatum, *ab animabus iuſtis antè vniuerſale iudicium non videri diuinam eſſentiam*, formulas concepere prouocandi ad generale Concilium, in quibus hæc obiiciebant. *Dominus Io: Anno Sal.* 1331. *in feſto Omnium Sanctorum in ſermone, quem publicè fecit, qui incipit*: Mementote operum patrum,

A quæ fecerunt in generationibus ſuis &c. *& in alio ſermone, quem publicè fecit eodem Anno in Dominicà III. Aduentus, qui incipit* &c. Gaudete in Domino ſemper &c. *& in alio ſermone, quem publicè Anno Sal.* 1332. *in vigiliâ Epiphaniæ, quæ incipit*: Surge, tolle puerum, & matrem eius &c. *Dogmatizatus eſt, quòd ſancti in Cœlo non vident, nec videbunt vſquè ad diem generalis iudicii, et futuram corporum reſurrectionem faciem Dei: ſed tantummodò vident vſquè ad futurum vniuerſale iudicium humanitatem Chriſti*. Aduersùs iſtos calumniatores ſcripſit Vlricus inſignis doctor Germanus, ac poſt conſtabilitam de fruitione eſsentiæ diuinæ antè finale iudicium, opus ſuum concludit aduertendo dicta Ioannis Papæ, ad inſtar ſcholaſtici diſceptatoris recipienda, ad indagandam magnâ ſollicitudine veritatem. Extat libellus Vlrici M.S. *in Vaticanâ bibliothecâ num.* 4005. Maior poſtea ei eſt inuidia conflata, cum libellum à ſe conſcriptum in formam diſputationis Petro tranſmiſit Archiep. Rothomagenſi; vt Gallicè redditum Regi exponeret atq. Reginæ: ſuſpicantes namq. Galli, Ioannem viſionem negare Beatificam antè finale iudicium, notà hæreſis inuſſerunt; Proinde Philippus Rex Franciæ (teſte *Villano*) eum amicè atq. honorificè monuit, vt caueret ab illis opinionibus, quæ poſsent ſuſpicionem erroris generare. Sed grauiter Papa reſpondit ſe dicta Sanctorum tantùm recitaſse, ac cuiq. diſputandi facultatem dediſse, vt ſic pleniùs diſputata veritas poſset inueniri. Interim Regem rogabat, nemini vim inferre, cuiq. permitteret docere, diſputare, prædicare, donec aliud per Sedem Apoſtolicam foret deciſum. Mandauit etiam Cardinalibus, C Theologis, Canoniſtis diligenter inquirere Patrum ſententias ſub pęnà excommunicationis, qui præmiſsa non adimplerent, vt plenè edoctus Spiritus Sancti poſteà præſidio dogma eligeret catholicum. *ep.192. tom.2. ep. ſecr. ad Reginam Francorum*. Laudabilis vigilantia Ioanni fortiorem conflauit calumniam, eum ſcilicet, aliquid Fidei contrarium ſentire; Calorē addebat calumniæ Geraldus Otho ſupremus Minoritarum præpoſitus, Apoſtolicus Internuncius, eò ad ſopienda Angliæ, & Scotiæ diſſidia tranſmiſſus, qui cum Pariſijs errorem illum pro ſacrà concione expoſuiſſet; rumor increbuit, à Pontifice miſſus, vt eam opinionem diuulgaret. Hinc inſtantibus Theologis Pariſienſibus, Philippus Rex Francorum damnari mandauit cum ſono D buccinarum, & tubarum huiuſmodi opinionem, magis credens Theologis Pariſienſibus, quàm Curiæ (verba ſunt hæc Gerſonis. *tom. 4. ſerm. de Paſchate*) Hinc alia refulget Caluini calumnia mentientis; quòd Philippus Rex *communionem ſuis interdixerit, niſi Ioannes mox reſipiſceret*. Simile etiam redarguitur mendacium Eraſmi *lib.5. Irenei*, quòd *coactus operà Theologorum Pariſienſium ad Palinodiam coram Rege Philippo non ſine buccinâ; quod indicat Io. Gerſon. ſerm. de Paſchate*. Vbi enim apud Gerſonem, quòd Rex Chriſtianiſſimus auferit *Pontificem excommunicare*; vel cogere ad palynodiam, & quòd huiuſmodi recantatio facta fuerit coram Rege? Verum quidem, quòd ad diluendam calumniam, dederit primò ad Regem literas Anno 1333. die XIV. Kal. Decemb. in quibus legitur *p. 191. ep. ſecr.*

Ad

Ad quod dicimus, et aſſerimus, quod nunquàm hoc in-cor noſtrum intrauit, nec exiuit ab ore. In publico poſtea Cardinalium Senatu (die 3. Ian. Ann. 1334. ità inſtantibus affinibus, & amicis, vt ſcribit *Villanus*, non Rege cogente Philippo, vt mentiuntur Eraſmus, atquè Caluinus) accitis tabellionibus vt conficerentur publicæ tabulæ, & Orbi vulgarentur Chriſtiano, ita eſt conteſtatus: *Ne quis ſiniſtrè interpretari poſſit, nos aliquid ſentiſse aut ſentire quod Sacra Scriptura obſtet aut fides Orthodoxa, dicimus et proteſtamur expreſsè, quod quidquid in quaſtione ſeu materià viſionis animarum, videlicet an anima à peccatis, et pœnis peccatorum purgata videant diuinam eſsentiam illà viſione, quam Apoſtolus vocat facialem; ſeu quacumq. alià materià in ſermonibus, et collationibus noſtris diximus, alleganimus, ſeu propoſuimus,* B *non intendentes aliquid determinare vel decidere, ſeu credere, quod eſset quouis modo Scriptura Sacra obuium, vel contrarium fidei Orthodoxa: ſed illud ſolum tenere et credere, quod et ſcriptura ſacra poteſt, et poterat, et catholica fidei conuenire: et ſi forſan in prædictis ſermonibus vel collationibus aliqua, qua vel ſcripturę ſacra, ſeu fides Orthodoxę quouis modo eſsent vel viderentur obuia, ipſa pręter intentionem à nobis fuiſse prolata dicimus et aſſerimus, eaq. reuocamus expreſsè, non intendentes illis adhærere, nec in pręſenti defendere, nec etiam in futurum*. De hac Ioannis ſolemni profeſſione non ſolùm in Vaticanà bibliothecà catholica extant monumenta, ſed in ipſius *Bonagratię* pſeudominoritę *Commentariis* Mentitur etiam Caluinus fingens nullum Cardinalium reſtitiſſe Ioannis ſententiæ: extant namq. in Vaticano, Iacobi C Card. S. Priſcæ, & Epiſcoporum edita tunc in aduerſam partem erudita commentaria *M. S.* 4008. Benedictus XII. *in ſuà extrauaganti* Ioannem Papam ſeuerè præcepiſſe Cardinalibus, alijſquè doctoribus omnibus, vt ſincerè dicerent, quid ſentirent; vt veritas poſſet inueniri. Deniq. *Ioannes Villanus*, qui tunc viuebat *lib. 10. c. vlt. ſuę hiſtorię* ſcribit maiorem partem Cardinalium repugnaſſe Ioannis Papæ opinioni, illo uiuente.

Ioan. XXII proteſtatio.

Expunctà in Gallijs per Ioannis proteſtationem calumnià; Bauarus tamen cum ſuis non ceſſauit aſſeclis. Michael itaq. Bonagratia pſeudominoritarum ſignifer, arreptà occaſione indignationis conceptæ à Neapoleone Vrſino aduersùs Pontificem, quòd Italiæ ſedem minimè reſtitueret Apo- D ſtolicam, vt præſetulerat, eundem Neapoleonem Vrſinum excitauit manus dare ad Conciliabulum congregandum aduersùs Ioabnem; ita ex *ep. Ludouici Anno Sal. 1334. die 3. Kal. Iul.* Aſſenſiſſe conſpirationi Neapoleonem Cardinalem patet ex M. S. ſupracitato *Bonagratię num. 4009. in Vaticanà*, arcanum agente *Gualtero*, ſeu *Geraldo Othone* Minoritarum præpoſito, qui nuntium agens Apoſtolicum, fidem, ſocietatem, Pontificem impiè prodiderat. Non paſſa eſt tamen ſacrilegam coniurationem contra Ioannem erumpere Prouidentia ſuperna. Facinus cum perhorreſceret Archiep. Treuirenſis, tentatus in conſortium deſcendere criminis, appellationem ſuo nomine conceptam publicare noluit. Pontifex verò cum in calce eſſet ferendæ ſententiæ pro viſione beatà, ſenio, ac morbo confectus, nonnagenario maior occubuit. Quid tamen de ea ſentiret, priuſquàm obiret; audiamus à *Benedicto XI.* eius ſucceſſore.

Conſpiratio in Papam.

Ioan. XXII obitus.

Benedictus &c. Sicut habet humana natura corruptio, quòd dictum vnius facile ſequitur multitudo, quodquè minores dicta maiorum in deteriorem partem frequenter interpretari nituntur: ſic habet recta rationis ordo, cui teſtimonium Patrum aſſiſtit, quòd facilitati & interpretationi huiuſmodi ſemper veritas prævalet res geſta. Sanè cum iamdudum per nonnullos reuocaretur in dubium, an anima à corporibus ſeparata, ac à peccatis & pœnis peccatorum purgata antè reſumptionem corporum videant diuinam eſſentiam, illà ſcilicet viſione, quam vocat Apoſtolus facialem; & ſuper hoc tàm in ſermonibus, quàm in alijs collationibus, & collocationibus per fel. record. Io: Papa XXII. prædec. noſtri, & plures alios in eius præſentià multa dicta, recitata, ſcripta, & prædicata fuiſſent: volens idem prædeceſſor verbis, & linguis malignantium obuiare, Anno Sal. 1334. Ind. 11. dies 3. Ian. S.R.E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, multiſq. prælatis, & in ſacrà Theologià magiſtris, alijſq. perſonis, & tabellionibus publicis in publico conſiſtorio Apoſtolico coram eo perſonaliter conſtitutis dixit, aſſeruit, & proteſtatus ſub hac formulà. Ne quis ſiniſtrè interpretari poſſit, nos ſentiſſe aliquid aut ſentire, quod ſacra ſcriptura obuiet, aut fidei Orthodoxa, dicimus, & proteſtamur expreſsè &c. Quòd quidquid in ſermonibus, & collationibus noſtris diximus, alleganimus, ſeu propoſuimus, non intendentes aliquid determinare, vel decidere, ſeù credere, quod eſſet quouis modo obuium ſacra ſcriptura, vel C *contrarium Fidei Orthodoxa: & ſi forſan in prædictis ſermonibus, vel collationibus aliqua, qua ſacra ſcriptura, ſeu Fides Orthodoxa quouis modo eſſent, vel viderentur obuia, ipſa præter intentionem à nobis fuiſſe prolata dicimus, & aſſerimus, eaq. reuocamus expreſsè, non intendente illis adhærere, nec ea in præſenti defendere, nec etiam in futurum.*

Io: ſententia de Viſione beatà.

En ergò quòd ſi diſputando Ioannes aliqua protulit veritati minùs congrua, ea non vt Papa decidendo aſſeruit, ſed Doctor priuatus colloquendo inquiſiuit. Tandem quid corde crediderit, & pro tribunali ſedens decreuerit, Dei non Philippi Regis timore, audiamus ab eius ſucceſſore Benedicto.

Demùm quoquè idem præceſſor decumbens in lecto infirmitatis, de quà deceſſit, intentionem, quam ſuper præmiſſis habuerat, et habebat, volens clariùs et ſe- D *rioſius aperire, Anno Sal. prædicto, die III. Decemb. nobis tunc nominato Iacobo S. Priſca Card. ac reliquis Cardinalib. et nonnullis prælatis, & tabellionibus publicis præſentibus, & propterea ſpecialiter euocatis, quandã groſſatam ſcripturam ſub eius nomine legi fecit, ac ſe credidiſſe, & credere declarauit: et confeſſionem, reuocationem, et ſubmiſſionem fecit, de quibus in ipsà litera agebatur ſub his verbis.*

Bulla Io: XXII. de Viſione Beatificà.

Ne ſuper ijs, qua de animabus purgatis, ſeparatis à corporibus, an citrà reſumptionem corporum diuinam eſſentiam illà viſione, quam vocat Apoſtolus facialem, videant, tam per nos, quàm per nonnullos alios in præſentià noſtrà recitando, & allegando S. ſcripturam, ac originalia, & dicta ſanctorum, vel aliùs, ratiocinando, ſæpiùs dicta ſunt aliter, quàm per nos dicta, & intellecta fuerant, & intelligantur ac dicantur, auribus fidelium valeant inculcari; ecce quod noſtram intentio-

nem, quam cum ſanctâ eccleſiâ catholicâ circa hac habemus, et habuimus, ſeriè præſentium, vt ſequitur declaramus. Fatemur ſiquidem, et credimus, quod animæ purgatæ ſeparatæ à corporibus ſunt in cælo, cælorum regno, & paradiſo, et cum Chriſto in conſortio angelorum congregatæ, & vident Deum, ac diuinam eſſentiam facie ad faciem clarè, in quantum ſtatus, et conditio compatitur animæ ſeparatæ: Si verò alia vel aliter circà materiam huiuſmodi per nos dicta, prædicata, ſeù ſcripta fuerunt quoquo modo, illa diximus prædicauimus, ſeù ſcripſimus recitando dicta ſacræ ſcripturæ, et ſanctorum, et conferendo, et non determinando, nec etiam tenendo, & ſic, et non aliter illa volumus eſſe dicta, prædicata, ſeù ſcripta. Inſuper ſi qua alia ſermocinando, conferendo, dogmatizando, docendo, ſeù aliter quouis modo diximus, prædicauimus, vel ſcripſimus, circa præmiſſa, vel alia, quæ fidem concernunt catholicam, ſacram ſcripturam, vel bonos mores, ea in quantum ſunt conſona fidei catholicæ, determinationi Eccleſiæ, ſacræ ſcripturæ, ac bonis moribus aprobamus: aliter autem illa habemus, & haberi volumus prò non dictis prædicatis, & ſcriptis, & ea reuocamus expreſſè: ac ea quæ de prædictâ viſione, & omnia alia dicta, prædicata, et ſcripta noſtra de quacunquè materiâ, vbicunquè, & in quocunquè loco, ac in quocunquè ſtatu, quem habemus, vel habuerimus hactenùs, ſummittimus determinationi eccleſiæ, & ſucceſſorum noſtrorum. Ex his ergo alia Caluini refulget calumnia, quòd Io: errorem retractauerit; errorē namq. retractare non poterat, in quem non inciderat. Suas ſolummodò colloquutiones, & diſputationes ad normam fidei abſoluit, & declarauit. Nec obſtat, quòd *F. Thomam de Valar* Iacobinū carceri tradiderit, aliter ſentientem: Puniuit enim quis huius Iacobini non erat ex publico ſuggeſtu (vt Auenione in publicis concionibus audiente ipſo Ioanne faciebat) Pontificem damnare, & vt hæreticum redarguere, circa articulum, qui adhuc indeciſus erat ab Eccleſiâ Orthodoxâ.

Ioan. XXII. Cur Iacobinū carceri dederit.

Videamus nunc quid de eo Benedictus aſſeruit. *Verùm licèt idem prædeceſſor ſuper huiuſmodi contentis in dictâ literâ groſſatâ voluerit, & mandauerit fieri publica inſtrumenta, ipſamq. literam bullæ ſuæ munimine roborari: quia tamen ſuperueniente obitu eius, huiuſmodi litera bullata non extitit, nos volentes, quòd eiuſdem prædeceſſoris declaratio, et omnia alia ſupradicta ad communem fidelium notitiam deducantur, ſuper contentis in dictâ literâ, & alijs ſupraſcriptis de præfatorum Cardinalium fratrum noſtrorum conſilio præſentes literas bullâ noſtrâ munitas, fieri mandauimus in teſtimonium præmiſſorum. Dat. Auin. 16. Kal. April. An. 1.* Conſentiunt Io: Villanus *l. 11. c. 19.* Nicolaus pſeudominorita in *M. S. Vatic. num. 4008. p. 172.* S. Anton. 3. *tit. 21. c. 7. §. 5.*

Io. XXII ſentētia declaratur à ſucceſſore Benedicto.

Nec obſtat Hadrianus VI. Pont. Rom. cum doctor priuatus 4. *Sententiar. de Miniſ. Confirm.* 22. Scripſit quod Io. XXII. *Docuit, declarauit, & ab omnibus teneri mandauit, quòd animæ Iuſtorum modo non videant Deum*, &c. Ducentos namquè poſt Annos ab obitu Ioan. 22. ſcribens Hadrianus doctor priuatus ſcire non poterat, quæ & quomodo ſcripſerit Io. 22. Dicemus forſan, quòd Hadrianus vt priuatus ducentos poſt annos ſecuriùs veritatem ſciuerit, quàm Benedictus XI. qui præ cathedrà opinionem reſ...tu ſui anteceſſoris?

11. *Moritur nonnagenario maior* Auenione die 4. Decemb. quæ fuit dominica, literà Dominicali currente B. Pontificatus ſui Anno 19. Adfuere morienti Cardinales omnes duobus exceptis, Io: Caietano abſente; & *Neapoleone Vrſino, qui antiquior cæteris Cardinalibus, licèt in ciuitate eſſet, et vocatus à Papa, venire noluit, nec intereſſe exequiis, nec teſtamento Papæ: et præſumitur* (ita Ptolomæus Lucenſis l. 24. c. 42) *quòd ex eo fecerit, quia Papa in ſuâ electione iurauit ſe nunquàm aſcenſurum equum, vel mulum, niſi iret Romam: quòd et ſeruauit, quia nauigio iuit vſq. ad Auinionem, et pedes aſcēdit palatium, de quo poſtea niſi intrando eccleſiam maiorem, quę contigua palatio eſt, non exiuit: et ſic ſuum ſacramentum ſeruauit, quia poſt ſacramentum præſtitum, ſicut fecit, nunquàm equitauit, vnde prædictus Cardinalis ſibi non fauit.* Conſpirationis forſan initæ causà Neapoleo vocatus abſtinuit) *Nihilominùs Papa coram alijs Cardinalibus diſpoſuit ritè, et legitimè teſtamentum ſuum: commendans S. Eccleſiam, et nepotes ſuos Cardinalibus: et ſic ſecunda Non. Decemb. poſt auditam miſſam in aurorà diei, et communione perceptà, orando migrauit ad Dominum de hoc ſeculo, horà tertià, die Dominicà. Sepultus eſt Auenione in eccleſiâ cathedrali nonis Decemb.*

Io. XXII obitus.

12. *Vtinam Minor ſanguine, & auro.* Minor *ſanguine* ob bella in Italià, & Germanià geſta. *Auro*, quia *Villano* teſte, aureorum ſignatorum ſupra decies octies decem centenna millia, auri verò non ſignati pretium in gemmis, & ornamentis, ad ſepties alia decem centenna aureorum millia à ſe congeſta reliquit. Hæc moles auri anſam calumniantibus præbuit, inſimulandi Ioannem auarum, & impudicum; licet *Villano* teſte, ſanctè uiueret antè Pontificatum, nec malè ageret, cum teneret. Nam ſingulis noctibus ad diuinas laudes celebrandas ſurgere è ſtrato conſueuit. Argumentum animi non mollis, nec effęminati, ſed diuinis addictiſſimi, & corporis contemptoris deliciarum. Sobrius, modeſtus, cibis contentus communibus, in ſumptibus parcus, ſtudio deditus, vt literarum causà nocte conſurgeret, doctrinà inſignis, ingenio acutus, in exiguo corpore ſpiritus geſſit ingentes ad magna quæq. agitanda, pronior tamen ad iras. Conſonat *Ludouicus Dominici* l. 5. hiſtor. *Cò la virtù, e Dottrina aſceſe al Pontificato, nel quale non corruppe altrimenti i ſuoi buoni coſtumi colle diſoneſtà, e laſciare ... ma portandoſi da vero Pontefice con l'armi col vigore dell'animo abbaſſò la ſuperbia, è l'animo arrabiato di Ludouico Bauaro Imperadore. Alla qual coſa hauendo egli aggionto molte altre virtuoſe operationi, morendo laſciò l'imperio eccleſiaſtico di ricchezze, e di riputatione molto maggiore, che non l'hauea hauuto.* Theſaurum ampliſſimum congeſiſſe non negamus; ſatis tamen ad famam Ioannis, non in crumenà affinium, & nepotum, ſed in publico ærario eccleſiæ fuiſſe repertum ad reprimendos Sarracenos, quo voto congeſſerat. Accuſant ex inferiori ſorte ad altiſſimum ſtatum inſurrexiſſe, nepotes eius: dicas facile hoc fieri potuiſſe ſine Eccleſiæ detrimento; & quòd Regum Francorum potiùs beneficio, quàm Ioannis liberalitate fuerint exaltati. Hinc *Arnaldum e Dueza, e Caramanno, & Arnaldum è Caſſano, è Talardo vicecomites, ac Petrum è via*

Diuitiæ ab eo relictę.

Calumniæ in eum, malâ vitâ.

Vil-

Villemuri, & *Calnineti Dominum* Benedictus eius ſucceſſor Regi Francorum comendauit *epiſtol. ſecr.* 14. Suauiùs tamen reſonaret fama Io: ſi liberalior in pauperes, vel in ſacros milites ad redimendam Palæſtinam aurum erogaſſet. Tantam porrò auri ſummam eà ratione collegit, quòd reditus primi anni omnium beneficiorum vacantium ſibi reſeruauit, & frequentibus collationibus, mutationibus, & translationibus Sacerdotiorum, quas ipſe (vt ſimoniæ labem tolleret) frequentes fecit. Si opulentum aliquem Epiſcopatum vacare contingiſſet, Epiſcopo tenuiorem habenti conferebat: ita vt ſępè vnius vacantis Epiſcopatus occaſione, tres aut quatuor fierent translationes, prò quibus ſoluerentur Annatæ. Ita aurum collectum, quod ad bellum in Sarracenos gerendum ſeruare affirmabat. Multum ſanè auri in bello profuſum Longobardo, vt hoſtes Eccleſiæ deprimeret, & *nepotes* exaltaret, teſte *Ciaconio*. Scribit de eo Albertus Argentinenſis, Ioannis contemporaneus: *Papa Ioannes de militari progenie natus, ditans fratris, & ſororum ſuarum filios, & nepotes diuitijs, & honoribus, Anno Pontif. ſui XIX. moriens, reliquit ſedi decies ſepties centum millia florenorum, Anno* 1334. *Erat autem quidam vicinus Epiſcopus Romæ, in via eundi ad Curiam Auinionenſem ad Papam, cui in nocte mortis Papa in ſomno apparuit quidam dicens:* Papam quæris? non eſt. *Et poſt puſillum:* Vis videre Papam? ecce iſte eſt, *monſtratà ſibi perſonà incognità. Qui procedens in itinere, audiuit de morte Papæ Ioannis. Accedens autem ad Conſiſtorium Auenionis, et diligenter inſpiciens ſingulos Cardinales, cum non vidiſſet perſonam ſibi monſtratam, quæſiuit numquid omnes Cardinales ingreſſi fuiſſent? accepto reſponſo, quòd omnes excepto* Blanco *ordinis Ciſtercienſis, quæſiuit in domo, ipſumq. perpendens faciem ſibi monſtratam, ait: Pater vos eſtis Papa futurus: Riſit ille, cum eſſet humilior, & pauperior omnibus. Epiſcopus ſomnio expoſito adiecit: Pater qui mihi monſtrauit faciem veſtram, introduxit me ad ſtabulum immundiſſimum, ſtercoribus plenum, vbi vidi arcam marmoream altiſſimam, ſed vacuam. Vos eſtis illa arca, quam debetis officio veſtro implere virtutibus. O Paſtor et ſtabularie Curiam, et ſedem Apoſtolatus, iam immundiſſimum ſtabulum, ab auaritiis, et ſimoniacis ſtercoribus expurgate, vobiſq. S. R. E. et vrbem commendatam habete.* Paſſus eſt Ioannes inter hiſtoricos hoſtem Petrarcham Gibellinę factionis Principem.

Impudicitiæ iniuſtè accuſatur, teſte Io. Villano *l.* 11. *c.*6. quia Bertrandus Pogietus Cardinalis Io: Papæ nepos, ob oris ſimilitudinem exiſtimatus eſt filius eius. Propterea cum idonea defuiſſet ſuſpicionis cauſa; Bauarus, & pſeudominoritæ in ſatyris ſuis, hoc non auderunt ei impingere, licet in Bertrandum, qui vt Legatus Pontificis arma gerebat in Bauarum, declamandi campus pateret.

Sunt, qui Ioannem Franciſcano Ordini aduerſatum traducant: Sed eum defendens Aluarus Pelagius *de planctu Eccleſiæ l.*2. *c.*67. planè demonſtrat: actum fuiſſe de Franciſcanà familià, niſi ſæculo illo contigiſſet Ioannes, qui contra gloſſas peſtiferas Geraldi præpoſiti Generalis, regulam defenderet S. Franciſci. Sic A. Sal. 1328. petenti *Philippo è Maioritis*, patruo Iacobi Regis Balearis, Aragonum, Siciliæ, ac Francorum Regum conſanguineo nouum inſtitutum S. Franciſci, in quo præſcripta à S. Franciſco religioſę vitæ formula ſine vllà interpretatione ſeruaretur, iuxta illud in teſtamento S. Franciſci: *Ipſe Altiſſimus reuelauit mihi, quòd deberem viuere ſecundùm formam S. Euangelii, & ego paucis verbis ſimpliciter feci ſcribi, & D. Papa confirmauit mihi.* Infra: *Dominus dedit mihi ſimpliciter, & purè dicere, et ſcribere regulam, et iſta verba ſimpliciter, et purè ſinè gloſſà intelligatis, et cum ſanctà operatione obſeruetis vſq. in finem etc.* Negauit Pontifex aſſentiri, ne Franciſcana ſocietas tot concuſſa factionibus magis labefactaretur. *Vuadingus.* Henricus de Cecca namq. Franciſcanæ familiæ apoſtata atq. hereſiarcha cum plures ex eo ordine infeciſſet, à regulà deficiens B. Franciſci, in quà reuerentia Chriſti Vicario, ac Eccleſiarum præſulibus imperatur, in eam ſuperbiam proruperat, vt Eccleſiam geminam fingeret: Alteram delicijs, & opibus affluentem, obſitamq. ſordibus, cui Pontifex præeſſet Romanus: alteram humanarum rerum inopià diuitem, ac virtutum omnium genere exornatam, in quà ipſi ſoli cōtinerentur. Negabant pręſules vllà vel ad ius exercendum, vel diuina conficienda auctoritate pollere: Virtutem Sacramentorum à ſacerdotis ſanctitate pendere: Iuſiurandum ſine crimine vſurpari non poſſe: Chriſti Euangelium antea extinctum, in ipſis nunc refloreſcere. Has nefandas hæreſes vt Ioannes elideret, cumulatis pluribus ſacræ ſcripturæ oraculis, in Bullà *n.*3. refellit, arguendo, quòd ſi vnum Chriſtum prædicant; ſic vnam Eccleſiam profiteantur, doctore Gentium atteſtante: *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius.* Vna igitur ſancta, vniuerſalis, Apoſtolica atquè Romana Eccleſia, quæ non humanà ſed diuinà poteſtate fundatur, in quà fides B. Petro collata, per legitimam Romanorum Pontificum ſucceſſionem illibata decurrit, donec ad portum æternæ ſalutis deueniat: in quà velut in arcà animalia munda, & immunda ſeruantur, & in ſagenà coeunt boni & mali piſces: ita eccleſiam membrorum infirmantium immunditia minimè polluit, nec nequitia corrumpit, nec eam diuitiarum cumulus ſuffocat; quòd in eis non finem conſtituat, ſed aurum ſeruet, vt ſuccurrat egentibus. Extra hanc cum ſolus eſſe non poſſit; fit, quod mēbrum à corporis vnitate ſeiunctum, omni bonitate priuetur, quia Dominum virtutum, cuius eſt membrum, per inobedientiam derelinquit.

Secundus error, quo eccleſiæ miniſtros iuriſdictionis, & ordinis clamat auctoritate deſertos, *Donatiſtarum* fuit; qui olim in ſuà ſectà gratiam Dei ita dixere coactam, vt nullus eam recipere eſſet idoneus, qui non eſſet eorum ſcelere maculatus. Quorum impietatem Zelus fidelium eo tempore ita compreſſit, vt eos vltimo damnaret ſupplicio.

Tertius error, quo Iuſiurandum damnat, cum Vualdenſibus conſpirat: quorum blaſphæmias pietas Chriſtiana condemnans non leuitate mota, ſed neceſſitate coacta, veritatē præteritorum atq. præſentium, religione iuſiurandi confirmat, Chriſti exemplo, qui ta neu nullum fecit peccatum, ſed peccatum omne ſuà paſſione damnauit.

Quibus ſibi aurū congeſſerit. — Henrici de Cecca hæreſis. — Defendit Franciſcanos.

Quarta blaſphemia, quòd ſacramenta pendeant à ſanctitate miniſtri, etiam de Vvaldenſium venenato fonte prorupit. Sacramentorum namque virtus non in merito conſecrantis, ſed in virtute Spiritus Sancti,& verbo perficitur Creatoris.

Quintus error, Euangelium vſq. modo extinctum in eis reuireſcere; eſt Manichæorum impietas, Montani ac Priſcillæ fœda ſequens veſtigia. Sancta tamen Eccleſia talia figmenta deridens firmiſſimè tenet, & nullatenùs dubitat, Spiritum Sanctum in B. Apoſtolos die Pentecoſtes, ita transfuſum, vt S. Eccleſiam vſq. ad finem ſæculi, nouâ ſemper prole fœcundet.

Venerabile etiam coniugij Sacramentum polluerunt, iurato meretricio, quod nec inflammis abiurare voluerunt, vt de *Durando Baldach* Gerundæ refert Eymericus *2.p.Dir. Inquiſ. q. 11.* Vxorem etiam dimittebant inuitam, vt verbo docuit, atque firmauit exemplo *Petrus Corbarius* Antipapa, cum vxore repugnante Minoritis ſe aggregauit. In Siciliam cum ſe recepiſſet, & Græciam hæc pſeudominoritarum colluuies, vt obedientiam ſubterfugeret ſuperioribus debitam; mandauit Ioannes Rectoribus ciuitatum apoſtatas vinculis illigare, & ſuis reſtituere monaſterijs. Ex hac ſectâ (quæ *Beguinis* vel Bizochis affinis eſt) alia prodijt pſeudominoritarum aſſerentium Chriſtum, & Apoſtolos nil habuiſſe iure proprietatis, dominij in ſpeciali, vel in communi tàm quoad immobilia, quam mobilia. Prodijt hæreſis occaſione cuiuſdam Beguini iudicio hæreſis poſtulati in prouinciâ Narbonenſi: Ad cuius actionem exercendam eum Fidei cenſor ad conſilium, religioſarum familiarum præpoſitos congregaſſet: *Tolora* Theologus Minorita negauit ſuperiorem articulum de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate hæreticum eſſe, ſed Orthodoxum. Dictum reuocare iuſſus, ad ſedem prouocauit Apoſtolicam, quæ dum in agitandâ, atq. definiendâ controuerſiâ occupata eſset; nonnulli Minoritarum Peruſijs congregati Duce *Michaele Caſenate Generali Miniſtro*, Chriſti Vicario auctoritatem præripientes, ſanam & catholicam declararunt propoſitionem, *Nil proprietatis, et dominij habuiſſe Chriſtum vel Apoſtolos in communi, vel in ſpeciali.* Nicolai Papę Decretali *Exiit* &c. ignoràter extortâ, qui Chriſtum habuiſse dominium negat, ſed quantum ad immobilia, non ad mobilia: vt Ioannes poſtea declarauit, contra quem tumidi nonnulli Minoritarum extulere cornua; Franciſcanâ tamen ac Seraficâ Religione in fide, deuotione, obedientiâ, reuerentia, ac vnitate S.M. Eccleſiæ R. inconcuſsè perſeuerante. De hac controuerſiâ, quæ fuerit in Chriſto, & Apoſtolis paupertas? Vide *Bellarminum; Turrecrematam; Canum; Pegnam.*

Petrus Corbarius vxorem deſerit.

Minoritarū audacia.

Scripta Io: XX. dicti XXII.

De Contemptu Mundi ſcripſit Io: XX. notis illuſtrauit *Patritius Factorius* Turritanus, teſte *Allatio* in Apibus Vrbanis.

Artem metallorum transmutatoriam latinè.

Sermones de B. Virgine, teſte *Ludouico Iacobo à S. Carolo*. De Viſione Beatâ, quod M. SS. aſseruatur Cantabrigiæ in publicâ bibliothecâ.

Epiſtolarum plura volumina in Vaticanâ bibliothecâ. *Bullarium*.

Viginti Conſtitutiones Apoſtolicas, quas appellare decreuir *Extrauagantes*.

Vulgauit etiam *Clementis V.* Conſtitutiones, quas publicis tranſmiſit Aceademijs, Quas Clemens publicaras non ſuppreſſit, quia ſimplicitati contrarias; vt mentitur *Mornaus*; ſed Clemens non publicauit morte præuentus.

Cupidiſſimus reſtituendi priſtino decori Aceademias publicas, Pariſienſes corripuit doctores, & Theologos, qui Theologiam conquiſitis Theologorum fucis, derelictis ſententijs SS. Patrum inquinabant. *Tom. a. ep. ſecr. 157.* Priſtinæ reſtituit dignitati Aceademiam Aurelianenſem *ib. ep. 23.* Peruſinam in Italiâ *ep. 1590.* Cantabrigianam in Angliâ. *ep. 1230.* Cadurci nouam inſtituit, vndè vtiles Reipublicæ prodiere viri.

Sanctorum Catalogo plures adſcripſit: inter quos Claram è Montefalconis; Thomam Ep. Herfordienſem; Thomam Aquinum.

Ædificia conſtructa à Io: XX.

Capellam excitauit in honorem B.V. iuxra Auinionem *ep. 177. Tom. 8.*

Synagogam Iudæorum In Caſtronouo mutauit in ædem ſacram ſub titulo B. M. ac tribus presbyteris ſtipendia attribuit, qui cultui incumberent diuino. *ib. p. 156.*

Baſilicam Auenione ſtruxit D. Bartholomæo (quam Anno 1580. menſe Maio Caluiniani inuadentes ſpoliarunt) cum ingenti palatio in editiore Vrbis parte, ad cuius angulū turrim excitauit prealtā, quę adhuc à cognomine Pontificis *Deyſa* dicitur

Cœnobium Carthuſianorum ad mœnia Vrbis Auenionenſis.

Sepulchrum Clementis V. anteceſsotis ſui extrui curauit.

Cardinales creati à Io: XX.

Dicuntur numero viginti quatuor, ſed de eorum familiâ, & moribus in libro dabimus *de Cardinalibus*.

SIGNVM IO. XXII.

Dominus mihi adiutor.
Io: PP. XXII.

BENEDICTVS VNDECIMVS
PONTIFEX ROMANVS CXCVII.



PRobatica Piſcina Summi Pænitentiatiæ Romanæ tribunalis hieroglyphichum eſt, à Benedicto XI. inſtituti, in quo cæci, claudi, languidi, aridi, Pontificis ſanantur indulgentiâ.
Eligitur Anno Sal. 1334. die 20. Decemb. Coronatur Kal. Ian. An. 1335. Obijt Anno 1342. die XXV. Aprilis. Cum ſediſset An. 7. Menſ. 4. dies 6. Vacat ſedes dies 13.

E L O G I V M.

QVem dediſtis Ioanni ſucceſſorem Patres? A
Anni *Aſinum*, [1] ipſe clamat Benedictus
Sal. l. Be *Chriſtus ipſe factus eſt iumentum inſipientibus.*
1334. l. 1 Onagrũ onuſtum auro, quod Io: congeſſerat,
Exonerauit protinùs ad [2] exornandas Eccleſias.
Nemo namq accuſare poteſt:
Cur Templum Dei ædificatum ſit.
Auaritiã vicit, Hippomenis aſtu proijciẽs aurũ
Profuſis 3 Indulgẽtijs, ut fideles prouocaret ad orationẽ
Centum mille florenos Cardinalibus erogauit.
Ab eâ die cœperunt Principes timere filium Piſtoris

Anni
Sal. l. Be
1334. l. 1
Verè ſacerdos ſecundùm ordinem 4 Melchiſedech:
Sinè patre, ſinè matre, ſinè genealogiâ.
Mitiota poſtea ergà Bauatum 5 conſilia
Pontifici ſuadebat cum Gallo Rege ſimultas.
Nouus veterem conciliat inimicus:
Et prior plaga vulnere miteſcit recenti.
Sed lenitas à Gallis, & Apulis leuitate notatà,
Cæſari obſtitit; vt cũ pænitere vellet, nõ poſſet.
Regum factionibus acceſſerant Purpurati:
Quos cũ Gallus prece, & pretio occupaſſet, (rat.
Patronos habuit, quos dignitas iudices cõſtitue

Diſ.

quàm extra ipſum ſucceſſiuis prælationis honoribus, & tandem conſcendimus, quamquàm immeriti ſummi cathedram paſtoratus &c. Quæ verò in epitaphio exponuntur Romano, non ſpectant ad hunc Benedictum, qui Romæ non iacet, ſed Auenione; nec illum Roma ſed Auenion coronauit. Cardinalis dictus eſt *Albus* an à patris farinâ, vel à veſte Ciſtercienſi? dubiũ. Occulto Dei iudicio, nullo habito humano conſilio ad Pontificatum fuiſſe vocatum, ſcripſit Albertus Argentin. contemporaneus eius: vt ſupra adnotauimus in vitâ Ioannis XXII. *numero 7. et* 8. Arcanum electionis ſequens fuit teſte Argentinenſi. *Et eccè in electione à tot Cardinalibus quaſi inſcijs, ſub altercatione electus extitit. Ego N. nomino illum: qui ſi eſſe non poterit, nomino Blancum, quod repertum eſt à duabus partibus nominatum, dictuſq. Benedictus XII.* In hunc per contemptum conueniſſe Cardinales, tanquàm omnium miſerrimum, & contemptiſſimum legimus. Sed abiecta Mundi elegit Deus, vt ſapientes confundat. Cardinali Optimo ac generoſo viro, Comitis Conuennatum fratri cum Pontificatum eâ lege obtuliſſent, vt Romam ſe nunquàm transferret; tale pactũ cum iſte reſpueret vt Eccleſiæ aduersùm Romanæ, mutato conſilio in *Blancum* conuenere. Mirabantur Electores quomodò præter expectationem elegiſſent. Ipſe etiam multo magis factum obſtupeſcebat, dicens: *Scitè admodùm feciſtis, qui Aſinum elegeretis*; licèt enim Theologorum, & Iuriſperitorum ſummus, ſe imparem verebatur Eccleſiæ adminiſtrandæ, vt aulicis aduerſum inſtitutis. Fabella hæc tamen, quam in ora tantùm libri Alberti Argentinenſis notauit nouator, ipſis inuiſam Francofurtenſibus typographis, vt ex collectione Vrſtiſiana Anno 1585.

Electio Papæ.

Electus Benedictus Coronationis inſignia ſuſcepit per manus Neapoleonis Vrſini S. R. E. Archidiaconi, Auenione in eccleſiâ Prædicatorum ineunte Anno 1335. die Dominico Kal. Ian. Impletum in eo vaticinium S. Malachiæ *Frigidus Abbas*, quia Benedictus antea fuit Abbas *Fontis Frigidi*.

2. *Ad Romanas exornandas eccleſias*, ſtatim teſte Alberto Argentinenſi, *quinquaginta millia expendit florenorum, Et ſic vt à Ioanne Papâ diſcrepabat in ſtaturâ (ille enim fuit pallidus ſtaturâ, et voce puſillus: iſte in corpore maximus, facie ſanguineus, & voce ſonorus) ita et in moribus diſcrepabant: Ille ad magnificandum, et ditandum conſanguineos, ad regnandum nobilibus, et exaudiendis eorum petitionibus, ad veſtiendum annuatim plus quàm ſeptuaginta comites, et milites intendebat: iſte de talibus non curauit. Dixit enim: Abſit, quòd Rex Franciæ ſi per conſanguineos meos ſuper me ditaretur, me ſicut prædeceſſorem meum ad quamis vota coarctaret. Fuit enim ex Tholoſa Regis Franciæ, filius piſtoris, Theologorum ſummus, ſed nullus in iure, quem inter omnes à longiſſimis temporibus iuſtiſſimum æſtimabant, cui et antè ſuam mortem quidam ſanctus homo, ſe pro eo captiuum tradens, quòd illo Anno moreretur, prædixit, quod factum eſt.*

...ici- ...m de ...Pa...

Natalia

3. *Indulgentiarum etc.* Acceptis inſignibus Pontificatus Benedictus, literis encyclicis certiores fecit Præſules, Reges, Principes, Duces, Comites, Vrbis ſenatores, Religioſorum magiſtros, vt pro felici regimine, precibus adiuuarent. Die Natiuitatis Dominicæ profuſione Indulgentiarum omnes Chriſti fideles ad orationes inuitauit, inq. ſumptus centenna millia florenorum diſtribuit Cardinalibus. Hac liberalitate turpem auaritiæ labem nonnihil ſubmouit ab aulâ, Patrumq. animos ſibi deuinxit, præſertim principes Senatum *Pelagrui*, & *Columniam*, qui eum vt monachum nobilitatis, diuitiarum, ac politici regiminis inopem minimè metuebant. *Ptolomæus Lucenſis*.

Lit...

4. *Verè ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech*, quòd *patre ignotus, et matre, ac genealogiâ*. Elogium hoc Benedicto XI. concinit Cardinalis Ægidius Viterbienſis.

Eius natalia.

5. *Mitiora erga Bauarum conſilia* Benedicto fuiſſe, quàm Ioanni, non tam mitis indoles Benedicti, quàm Philippi Francorum Regis ſuperbia, occaſio fuit teſte *Alberto Argent*. Creato namq. Benedicto, Philippus protinùs miſsâ legatione, *inaudita petiit quaſi nil ei denegare Benedictus auderet. Inter alia, vt filium ſuum primogenitum generum Regis Bohemiæ faceret Regem Viennæ: quòd ſe faceret vicarium Italiæ: quòd ſibi per totam Chriſtianitatem daret decimam decimarum per decennium, et ſibi daret totum eccleſiæ theſaurum in ſubſidium terræ ſanctæ. De quo ipſe, et Cardinales territi, ſe reformare cum Ludouico Romanorum principe decreuerunt. Hoc Ludouicus princeps ex ſcriptis quorundam familiarium ſuorum, quos in curiâ Papæ ſemper habuit, qui et hoc ex Cardinalibus certiſſimè intellexerant, intelligens; ſtatim Papæ, et Collegio nuncios et literas humillimas deſtinauit, qui nuncii à Papa, et fratribus educti, qualiter, et ſub quâ formâ redire deberent, et ſuam quibus articulis abſolutionem, et gratiam petere: iterùm à Principe cum illis articulis, et mandatis ſufficientiſſimis ſunt reuerſi.* Dabatur namq. legatis poteſtas etiam coronam Imperialem deponendi in manu Pontificis, ac nomine Imperatoris depoſito, Ludouicus à Pontificis piâ liberalitate regnum expectaret, & indulgentiam præteriti criminis, quo ſe pollutum fateri teneretur, ac de eo ſigna oſtendere pœnitentiæ. Mandata hæc ampliſſima legatis à Ludouico data habes in noſtrâ *Aquilâ Vagâ p.* 202. Quid vltra deſiderare poterat Vicarius illius Dei, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat? Legati itaquè à Bauaro, *Comites de Otingen; et præpoſitus Auguſtenſis, et Marquardus de Randeche canonicus Auguſtenſis, et R. Bambergenſis, poſtea à Papa eiuſdem eccleſiæ præpoſitus, et magiſter Vdalricus protonotarius Principis decretiſta, et propoſita in publico conſiſtorio, per prædictum de Randek ex parte principis humillimè, ſuper petitione abſolutionis, et reſtitutionis, facundo ſermone, de quo omnes qui aderant mirabantur; Papa gratioſiſſimè reſpondens, dixit: Se & fratres ſuos de hoc, quod nobilis ramus eccleſiæ Alemaniæ, qui ſe in perſonâ D. Ludouici, lædi per eccleſiam æſtimans, iam ab arbore eccleſiæ ſeparari cœperat, eidem arbori cum tam magno honore ſedis redintegraretur, plurimum gratulari, multum commendans Alemaniam (et Ludouicum) quem nobiliorem Mundi dicebant; conquerens regs Italiam per tyrannos, ac Regnum Armeniæ capi à Paganis, principes tempore Io. Papæ, et ſuo, Chriſtianorum implorabant auxilium, ac Terram Sanctam propter Imperatoris carentiam occupari*

Bauarus petit abſolui.

pari

pari ; vndè meritò dixit abſolutionem eidem impertiri ſe debere, quæ & dari craſtino ſperabatur . Verum coeuntibus in Ludouicum Regibus Galliæ, Siciliæ ſerè cum omnibus Cardinalibus ; duodecim venete legati improperantes, *Tantum hæreſiarcham velle proponere dominis eorum , Papam cauere debere , ne fautor diceretur hæreticorum . Papa verò dicente ; Quid volunt Domini veſtri , quod non ſit imperium ? Illis verò proteruè dicentibus . Pater non impingatis hoc Dominis noſtris vel nobis, quia contrà imperium non loquimur , ſed contrà perſonam Ludouici damnatam , Cumq. dicerent , Ludouicum multa feciſſe contra Eccleſiam; Papa dixit . Immò nos multa fecimus contra eum . Ipſe enim cum baculo veniſſet ad pedes prædeceſſoris noſtri, ſi voluiſſet; ſed ipse voluit eum recipere , et quicquid illa fecit , quaſi prouocatus fecit . Quantumcumq. autem Papa aſſereret , ſe meliora pacta ab ipſo Ludouico, pro prædictis Regibus , eorum regnis, & poſteris extracturum, quàm ſi eum in turri tenerent; penitùs nil profecit . Rex Franciæ etiam in terrà ſuà vndiq. bona, & redditus Cardinalium interdixit , & occupauit . Scripſerant etiam illis diebus ad Curiam Io. Rex Bohemiæ, Henricus Dux Bauariæ gener eius , quòd auxilio Vngariæ, et Cracouiæ Regum, & aliorum, alium vellent conſtituere Regem Romanorum potenter. Sic Cardinales Papam pro tunc ab abſolutione Principis retraxerunt dicentes . Cum ſui in partibus ſuis vellent eum deſtituere , inconſultum eſſe ſedi ; ſi propter impotentem, et inopem tot Principes offenſaret . Sic dato alio termino deliberationis, nuntii Principis ſunt infecto negotio dimiſſi .*

Papa ſatagit pro reconciliatione Ludou.

Bauarus autem valido collecto exercitu ſeptem millium galeatorum tantum terrorem hoſtibus iniecit , vt retrocedentes confinia Bauari aggredi formidarent . Exultauit tunc Pontifex in corde ſuo ; miſſoquè in Germaniam , qui mores , & animum Principis erga Eccleſiam indagaret , cum omnia audirentur propitia, nitebatut Pontifex pro abſolutione Ludouici , conſenſum ſacri ſollicitare ſenatus : quo renuente , vt ſuæ Pontifex conſuleret uerecundiæ , qui ſolus decernere vel neſciret , vel non auderet , vrgentibus Ludouici legatis reſpondit; ſe a lite dirimendà diuinitùs prohiberi , in Deum culpam refundens humanam . Porrò in *Philippum Valeſium* Franciæ Regem , diſcordiæ fomitem armauit Deus *Eduardum III.* Angliæ Regem, qui Galliæ regnum nomine repetebat materno . Tres filios ex vxore *Ioannà* procreauerat *Philippus Pulcher* , Ludouicum Huttinum, Philippum Longum,& Carolum Pulchrum; & filias duas, quarum alteram infantem mors rapuit , *Iſabellam* alteram , quæ nupſit *Eduardo II.* Anglorum Regi, ex quà natus *Eduardus III.* In Carolo ſtirps defecit virili Philippi Pulchri, ex quo de regno inter Valeſium, & Eduardum eſt orta contentio . *Eduardus* ſibi vt legitimo hæredi ac nepoti materno Philippi Pulchri regnum conuenire dicebat . Ex aduerſo *Valeſius* , qui ſuit frater Philippi Pelchri , fundamento legis Salicæ, quæ à Regià ſucceſſione ſœminas excludit, maſculo iure ſceptrum arripuit. Hunc Flandri illudentes *Regem repertum extra locum* appellabant . Grauiſſimo itaq. excitato bello , quod Philippi regiam prolem traduxit in vincula ; Benedi- Pontificis impletum eſt vaticinium, cum Philippo

A bellum ſpiranti, vetus repetiuit oraculum ; *Noluit pacem, & elongabitur ab eo .* Cum Anglo conſpirans Bauarus literas *Philippo* dedit , Regi ſuppreſſo titulo, mandans ab iniurià ceſſare Imperio illata , & Anglo Regi . *De qua diffidatione Benedictus Papa multum iucundabatur* , teſte Argentinenſi . Aperitur intem Annus 1336. qno Spiræ ſynodum coegit Archiep. Moguntinus . Adfuit etiam Cæſar, nonnihil animo commotus in Patres , cum ad vetera experimenta redirent. Nouà tentandum legatione ſuadebant Pontificem , Cleri nomine . Tot legationum cum recordaretur conatus inutiles , etſi ad ſplendorem Principum , qui legationes obiecrant , nil addi poſset ; Pontificem Bauarus obijciebat minimè ſui iuris , ſed alieno obſtrictum imperio . Modeſtiam, pœnitentiam, humilitatem, obſequia memorabat oblata , quibus ſe abundaſse

Obſt. Gallus Bellum inter Gallos & Anglos e Papæ vaticinio

Noua legatio Ludouici à Papa reiecta.

B non ſinè lacrymis exclamabat. Ceſſit tamen Antiſticum auctoritati, vt potiùs ſupplici compareretur , quàm contumaci . Literas habes in noſtrà *Aquilà Vagà p.*222. Legit literas Papa , & reiecit . Hoc vnum à iuſtiſſimo, ſed meticuloſo iudice æquitas exegit : *Quod cum nuntios benignè recepiſset* (teſte *Alberto Argent.*) *in aurem nuncij flens quaſi conquerebatur , quòd ad Principem eſset inclinatus , ſed Rex Franciæ ſibi ſcripſerit certis literis , ſi Bauarum ſinè eius voluntate abſolueret , peiora ſibi fierent , quàm Papæ Bonifacio à ſuis prædeceſsoribus eſsent facta .* Ruperto etiam Palatino Duci Bauariæ, nepoti Ludouici ex fratre, qui proximè Cęſaris orator ſuerat, data eſt *Roſa Aurea* benedicta, quæ Poutificiæ beneuolentiæ argumentum erga Ludouicum fuit. Infecto verò negotio reuerſis legatis ; Renſij Principes

Gallorum minæ Papæ

C conuenerunt Imperij , qnòd tot legationibus ſpretis, eorum patientià Pontifex abuteretur: *quaſi Curia Romana ligium imperium, et præeſse nemo poſset, niſi à Gallis Pontifici obtruderetur . Id verecundiæ Germanis Principibus ad poſteros fore, quod per annos viginti quinque ignauia, et craſſo ſilentio, Germanorum iura lædi paſſi fuerint, ac iniuria, ſilendo, conſenſerint . Tot uicibus inclinatum ad pedes Pontificis Cæſarem nil reportaſse, præter verba ab eo, qui omnium parens ſeruiebat paſſionibus Gallorum ; cor contritum teneretur reſpicere , et humiliatum . Hoc vnum ſupereſse, vel Gallis imperium remittere, vel Bauarum totis viribus propugnare .* In hunc modum concitati, decretum edidere, *Quod dignitas Imperialis, et poteſtas eſt immediatè à ſolo Deo: et quod à iure, et imperij conſuetudine antiquitùs approbata poſtquàm aliquis eligitur in Imperatorem*

D *ſiuè Regē ab Electoribus Imperii concorditer , vel maiori parte, ſtatim ex ſolà electione eſt Rex verus, et Imperator Rom. cenſendus, et nominandus, et eidem debet ab omnibus Imperio ſubiectis obediri ; et adminiſtrandi iura imperii, et cætera faciendi , quæ pertinent ad verum Imperatorem, plenariam habet poteſtatem, nec Papa ſine ſedis Apoſtolicæ approbatione indiget, vel conſenſu &c.* Huius decreti (quod ex Alberico de Roſate in l.3. C. de quadrien. præſcript. & Henrico Rebdorſ tranſcripſimus) cum certiorem per literas Electores Imperij fecilſent Pontificem (hæc omnia habes in p.224. Aquilæ Vagæ) Ludouicus Francofurti VI. Id. Aug. diademare redimitus, populo ſe ſpectandum exhibuit , vbi fidem profeſſus Catholicam, *Deo, Fide , Eccleſià , Animà* , nil vnquàm ſibi cha-

Comit Germ norū Gallu concit tur p Ludo

Ludouic. a proteſtatione fide fal.

eharius fuiſſe proteſtatus, in eà natum, enutritum; etiam mori velle. Si aliter corde ſentiret, quàm ore proferret, Deum inuocare vltorem periurij, vt fallentem falleret Chriſti redemptum ſanguine: hoc vnum poſcere eidem rependere ſanguinem, & in monimentum gratitudinis mortem obire. Ac vt lateret neminem, quem fidem profiteretur, & religionem, altà & clarà voce orationem recitauit *Dominicam*, poſteà *Salutationem Angelicam*, tandem *Symbolum fidei*, riuis decurrentibus lacrymarum, ac tanto adore verbis expreſſis, vt populus præ letitià, & miſeratione collacrymarentur. *Aduersùs diras Pontificis* (adiunxit) *non habeo, quod apponam præter innocentiam: quam ſub potenti manu Dei depono cuſtodiendam.* Hoc pietatis ludo, ſinè præludio cum populum ſibi conciliaſſet, recitari mandauit dictum S. C. cui adiunctum; ne quis literas ſedis reciperet Apoſtolicę, vel ſine licentià eas executioni mandaret. Hęc cum Pontifex accepiſſet, imminens aperuit periculum Galliarum, & Siciliæ Regibus, mandans omnibus Eccleſiæ Prælatis, iterùm latas ſententias Io:XXII. in *Bauarum* publicari. Cœperunt tunc diræ in Ludouicum magis timeri. Bauarus verò inops conſilij monachos conſulebat, qui tunc apud Principem in pretio erant. Quàm ſanior, ſi patientià certaſſet; viciſſet forſan etiam Pontificem, qui perſonas non reſpiciebat nec munera. Non minus famæ, quàm conſcientiæ eſt factum periculum, cum iuſtitiam arripere maluit, non expectare. Conſulentibus itaq. nonnullis pſeudominoritis, in comitijs Francofurtenſibus Apologia quædam eſt exarata, *quà contra Bullas Io. XXII. conabantur oſtendere ex ſacrorum auctoritate, Imperatorem electum à ſolo Deo pendere; & non à Papà, qui etiam ante coronationem poteſtatem habeat imperialem. Propterea nullum ius fuiſſe Ioanni electionem caſſare, cum in praiudicium libertatis Allemannę Bauarum hoſtem ſuum nullo ſeruato iuris ordine, ex cauſis notoriè falſis deponere tentauit, & ſubditorum obſequia ſubtrahere, quæ ſecundùm humana atq. diuina iura debent ſubditi Principi ſuo. Hinc cum plura Ioannes nullo iure protulerit aduersùs Bauarum, ab eis ſolemniter appellare ad Generale Concilium, quod in articulis Fidei, & iure diuino eſt ſupra Pontificem.* Hęc Francofurti, An. D. 1338.

Excommunicat.

Hoc edicto diuiſa Germania, cum alij ſe Cæſarianos, alij dicerent Pontificios; Bauarus concionatores delegit, qui dietim ex ſuggeſtu reſonarent, *Imperium immediatè* à Deo pendere. Papam in temporalibus non præſidere. Si quid habeat, non niſi ex Cæſarum priuilegio. Ex aduerſo Pontificis promulgatà excommunicatione, cuncta rapinis miſcebantur & cædibus. *Mutius*. Inter tot rerum diſcrimina, vnum Ludouico ſolatium tutela ab Electoribus ſuſcepta. Vnus deerat Bohemus, qui in partes Philippi Galli deſcenderat alius tandem vices expertus alternanti fortunæ, non ſemel ab Anglis terra, mariq. victus cum inclinaret ad pacem, hac conditione cum Bauaro eſt fœdus percuſſum; vt Gallus Bauarum ſedi reconciliaret Apoſtolicæ. Fœdus minimè probauit Pontifex, indignatus quòd ad Gallorum placitum Ludouicus modò hæreticus modò Chriſtianiſſimus eſſet cenſendus. Sic nouis perendinationibus protracto negotio, creditur Francus velle ſimulaſſe, quod nolebat. Benedictus verò voluiſſe, cum ſimularet ſe nolle. (*Albertus Argentin*) vt rumoribus tempus daret. Ne Pontifex indulgeret; ſolos *Fratricellos* accuſet Bauarus, quorum doloſis corruptus conſilijs, Pontificem diætim concitabat ad iracundiam, immiſsà falce in meſſem alienam: præcipuè cum auctoritate Imperiali non ſolum *Diuortium* adprobare præſumpſit inter *Margaretam Maultaſchiam*, & *Ioannem* filium Regis Bohemię, teſte *Rebdorf*, ſed etiam impedimentum diſpenſare conſanguinitatis, quaſi Rex idem hominum, Phæbiq. ſacerdos Ludouicus eſſet. Horum conſiliorum auctores, *Ochamum*, *Bonagratiam* cum agnoſceret Benedictus, in eos

Mali conſilia rij Ludouici Fratricelli.

6. *Fulmen* intulit anathematis. Cum enim per mortem Io. XXII. viri doctrinà ac religione prȩſtantes crederent expiraſſe anathemata ab eo prolata: vnde & Siculi (quibus ſacra erãt interdicta) Miſſas protinùs celebrare cȩperunt, teſte *Phazelo de reb. Siculis*. Benedictus cum nil grauiùs vſquè huc decreuiſset in Ludouicum, *Fratricellos* tamen totius ſchiſmatis auctores excommunicatione percuſſit, quorum antea inter Cardinales exiſtens hæreſes confutauerat. Vnus eorum Anno Sal. 1337. die 3. Iunij Venetijs combuſtus: Soli namq. refractarij cornua deponere dedignantes; licèt

Fratricellos excommunicat

7. *Itali* reconciliati, ad Papam faterentur ſpectare adminiſtrationẽ vacantis imperij: quorũ vigore Papa Ferrariã Obicioni Aceſtino, iure fiduciario conceſſit, ea conditione vt annuatim decem millia aureorum Eccleſię ſolueret. Luchinum V. C. & Io: fratrem eius Archiep. Mediolanenſẽ, Mediolani & adiacentiũ Vicarios inſtituit. Veronæ & Vincẽtiæ Martinum Scaligerum; Mantuæ & Regij Philippum Gongazam. Patauij Martinum Carrarium: Mutinæ Obicionem Aceſtinum: Senatoriam Romæ dignitatem Stephano contulit Columnæ in annos quinque. *Flauius Blondus Anno* 1335. Refragantibus verò Vrſinis, nè pax turbaretur; conuentum. Dignitatem alteri non ambirent, alteri non retinerent. Pontifici reiectam ipſe conferret. Sic factum: Ioanni Pinco tantiſper commiſſa, donec aliquem præficeret. Bononienſes, Pepulis inſtigantibus, cum legatum Apoſtolicum expoliaſſent, eius familiares in fruſta diſſectos canibus ad deuorandum proieciſſent, excommunicauit; Anno poſtea 1340. verè pœnitentes reſtituit datà abſolutione.

8. *Galli* &c. Gallorum Regem non ſolùm Benedictus admonuit, ſed Vngariæ; ne perſonas opprimerent eccleſiaſticas; hunc *ep.* 151. illum *ep.* 272. Sic Eduardum Angliæ Regem, quòd titulum Vicarij Imperialis à Bauaro ſuſcepiſſet excommunicato: *ep.* 380. In Ioannem Regem Bohemiæ, anathema prolatum ab Epiſcopo Vratislauiæ confirmauit: Caſtrum eccleſiæ ſuæ repetenti Epiſcopo cum reſtitutionem negaret Rex; arreptà Epiſcopus cruce; *Auctoritate* (inquit) *Omnipotentis Dei te velut eccleſiaſticorum bonorum inuaſorem excommunico in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen.* Ægredientem à conſpectu Regis Epiſcopum carpebant aulici, quòd alijs uiris neglectis, ſolum Regem excommunicaſſet. At ille: *Ego vos conſiliarios ſuos eadem auctoritate, quà & Regem veſtrum excommunico. Sed neq. Rex veſter glorietur ſe fore Regem; quàm magis*

Reges corrigit

Rex differt à Regulo.

regulus, quàm Rex ſit exiſtimandus. His verbis Rex durius quàm cenſuris ſe luſum exiſtimans, per legatos interrogauit, quâ de causâ Regem Bohemię putaret Regulum, non Regem appellandum? Quibus Epiſcopus. *Qui in ſuo regno Metropolitanum non habet, & in coronatione ſuâ, prece, & pretio aliarum nationum Archiepiſcopos conducit, Regulus eſt, & inter omnes Catholicos Reges minimus.* Sugillatio hæc Regem Bohemiæ mouit, vt Pragenſem Eccleſiam in Metropolitanam creari curauerit. *Matthias Mechouienſis.*

Alphonſum Caſtellæ Regem, quòd inſcio ſummo Pontifice, fructus occupaſset beneficiorum Eccleſiæ, ad reſtitutionem compulit, ſubſidia ſolùm habiturum poſt reſtitutionem. *ep.*277.

Præfectum aulæ ſuſpẽdi mandat

9. *Præfectum.* Bello ineunte inter Gallos, & Anglos; cum aulæ Pontificiæ Præfectus, quem Mareſchallum appellabant, nonnullos Anglos tunc Auenione moram facientes, Regi prodidiſset Philippo, qui viros innocentes laqueo finiuit; ex eadem feneſtrà Pontifex Præfectum ſuſpendi mandauit, ac ſepulturà prohibuit Eccleſiaſticà. *Richard. Ciſter. in Bened. XII.*

Affines non ditauit.

10. *Affinibus.* In beneficiorum collatione cum id potiſſimum caueret Benedictus, ne indignis darentur, ſæpè dicens nolle ſe lutum exornare; agnatos etiam ſibi fingebat ignotos, aſserens Romanum Pontificem conſanguineos non habere. Inſtantibus verò amicis prò affinium promotione, illo Dauidico reſpondebat carmine, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Victus tandem piorum precibus, ſororis filium pium, doctum Archiep. Arelatenſem, vel Albienſem (vt vult Henriquez) eſse iuſſit, quo excepto, neminem agnouit conſanguineum. Bernardus (qui falsò dicitur Petrarcha) *l. de vitis Pontificum. in Bened.* 12. refert mercatorem Tholoſanum diuitem ſe Auenione vidiſse, qui eò cum vxore profectus Benedicti nepte, ad colloquium magnà admiſsus facilitate, & indulgentià receptus, hoc tamen retuliſse reſponſum: *ſe equidem vt Iacobum Furnum eos agnoſcere; at renuntiatum Pontificem conſanguineos, et affines non habere*: nihilq. obtinuiſse præter expenſas itineris. Sic moriens multum auri reliquit eccleſiæ, non familiæ. Poſtridiè coronationis ſuæ in palatium è cœnobio reuersùs Prædicatorum, cum plurimorum ſupplices recepiſſet libellos, reſpondit nemini, nec quicquam conceſſit, priuſquàm conditiones rimaret petentis. Beneficia Eccleſiaſtica à prędeceſsoribus titulo collata *Commendæ* reuocauit, Cardinalibus exceptis. Gratias etiam irritauit Prædeceſsoris, quòd ita honeſtas exigeret, & publica flagitaret vtilitas. *Henricus Rebdorf. Henriquez.* Vnicam cum haberet neptem, pluribus eam in vxorem petentibus æquitibus, atq. magnatibus reſpondit, *talem equum non hanc decere ſellam.* Propterea eam tradidit mercatori Tholoſano, dote viro non diſſimili. *Boſquetus.*

Liberalis in pauperes.

11. *Pauperes* &c. Quantus Benedictus fuerit ergà pauperes, in M. S. legitur, quod extat in Bibliothecà Io. Baptiſtæ Cornelij, Procuratoris S. Marci, Mœcenatis mei. Pauperum non ſolum Auenione, ſed Romę degentium nomina in abecedario exſcripta tenens, diligenter ſuppurabat diœrim, quantum eis ſoluere teneretur. Diſcretos viros elegerat, quorum conſilio, & fide alimenta diuidebantur in pauperes. *Epiſtolę Bened. Anno* 1340.

Regulares reformat.

12. *Franciſci, ac Dominici Ordines.* Conſiderans Benedictus *à multis religioſis Sanctorum ſtatuta primum, et ordinum regulas, ex inſolentià, vel deſidià negligi, humeriſq. ſuis ſentiens reformationis eorum onus incumbere, more Galli ſeipſum priùs alis excutiens, antequàm cantaret, à perfectà charitate non diſcrepans, Ciſtercienſis, & S. Benedicti Ordines, ex dictà iam negligentià reformandos per quaſdam conſtitutiones ſuſcepit, quas ad perpetuam rei memoriam ordinauit (et niſi mors eum prauenisset, cæteros Mendicantium ordines, negligentià iſtà non parum deformes, iſtà inditij limà reformaſset. Eorundem tamen ordinum fratres ſinè ſpeciali, et iuſtà causà limina Curia Romana terentes abire iuſſit non redituros abſq. ſedis licentià Apoſtolica*, Magnum Chronicon Belgij. Henricus Rebdorf.

13. *Clerum Gallicanum* reformatum à Benedicto XI. habes in eius *ep.*34.

Procurat vnionẽ Græcorum

14. *Gręcos* cum Benedicto expoſitum fuiſſet reintegrandæ coniunctionis cupiditate teneri, non ſolùm Andronicum Imperatorem literis prouocauit, ſed etiam Barlaamum monachum titulo miſit Apocriſarij, in Orientem, vt pro concordià ineundà conuenirent. Coacta itaq. An. Sal. 1337. in ſacroſancto diuinæ ſapientiæ templo ſynodo, præſidente Imperatore, & Patriarchà, diſputatum acriter de Proceſſione Spiritus S. At Græci dolosè agentes, vnionem ſimulantes eo ſolo voto, ut auxilia Occidentalium efflagitarent in Turcas; Pontifex verò Romanus vnitatem Fidei, & confeſſionem ueritatis de Proceſſione Spiritus S. factũ eſt, ut nec Gręci abiurauerint errores ſuos: nec Latini ſuppetias tulerint aduersùs Turcas.

15. *Schytas.* De Tartaricà ad Pontificem Benedictum legatione ſuperſunt adhuc literę magni Chami Tartarorum Imperatoris ſequentes.

In fortitudine Omnipotentis Dei Imperatoris Imperatorum præceptum.

Tartarorum legatio

Nos mitimus nuncium noſtrum Andream Francum cum quindecim ſocijs ad Papam Dominum Chriſtianorum, in Franchiam vltra ſeptem maria, vbi Sol occidit, ad aperiendam viam nuncijs ſæpè mittendis per nos ad Papam, & per Papam ad nos: & ad rogandum Papã, vt mittat nobis ſuam benedictionem, & in orationibus ſuis ſanctis, ſemper mentionem faciat de nobis, et quòd Alanos ſeruitores noſtros filios ſuos Chriſtianos habeat recommendatos. Item quod adducant nobis ab occaſu Solis equos, & alia mirabilia. Scripta in Cambaleo in Anno Rai. Menſe 6. tertio die Lunationis.

De Viſione Beatà

16. *De Viſione Beatificà* cum quæſtio recurreret inter Theologos, Io. ſedente XXII. *An iuſtorum animæ Deum viderent facie ad faciem ante finale iudiciũ?* Cumq. teſte Benedicto XI. idem Ioannes, *ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad deciſionem huiuſmodi concertationum ſe pararet in publico Conſiſtorio, tam Fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quàm Prelatis & Magiſtris in Theologià, qui multi aderant præſentes, iniungendo diſtrictius, & mandando, vt ſuper materià de Viſione prædictà, quando requirerentur ab eo, deliberatè vnuſquiſquè diceret, quod ſentiret: tamen morte præuentus, ſicut Domino placuit, perficere illud nequiuit.*

Ipſe

Ipſe autem ex cathedrà docens, definiuit animas iuſtorum, in quibus nil purgabile reperitur, ſi vndà renatas baptiſmatis, etiam antè finale iudicium, Cœlum conſcendere, & ibi tanquàm verè beatas videre Deum facie ad faciem. Ita in ſuà Conſtit. quæ incipit: *Benedictus Deus in donis ſuis.*

Benedicti XI. decreta.

17. *Viſitationis* ſumptibus immoderatis ne Prælati viſitatores grauarent Eccleſias. Extat Conſtitutio Benedicti.

Pænitentiaria

18. *Pœnitentiaria*. Ordinem Benedictus XI. inſtituit, qui hodie ſeruatur in expeditionibus *Pœnitentiariæ* Apoſtolicæ, & pretium taxauit Bullarum, & Breuium. Longiore vitâ opus erat ad inſtaurandam eccleſiaſticam diſciplinam.

Obitus.

19. *Epitaphium*. Poſt annos ſeptem Pontificatus ſui Bened. XI. tibiæ dolore correptus, quam medici imperiti, ne flueret, impedire ſerò conati B ſunt, ſancto fine quieuit, Auenione, in palatio Apoſtolico, quod ipſe extrui curauerat: Sepultus eſt vir beatiſſimus in Cathedrali ſanctæ Mariæ de Donis. Eius funus magnificè curatum, collacrymantibus omnibus; quibuſdam exceptis Gallis

Calumniæ in Bened. XI

profanis, quòd eorum non indulgeret libidini. Quamobrem ineptientes, in ſanctam eius memoriã impiè luſerunt ſequenti epitaphio per inuidiam ſcripto, vt in *Chron. Belgis*.

Hic ſitus eſt Nero, laicis mors, vipera clero.
Deuius à vero, cuppa repleta mero.

Obijt vir optimus opinione ſanctitatis; quam poſt mortem miraculis comprobauit, vt apud Boſquetum, & auctores anonymos M. S. in Vaticanà bibliothecà num. 3765. *Si fas ſit ſcribere, poſt martyres & alios, quos Eccleſia veneratur, & colit vt ſanctos, inter meliores ipſe vnus fuit, & eſt meritò reputandus. Qui plenus magnis meritis poſt multa virtuoſa, ac laude digna ſpiritum reddidit Saluatori Ann. Dom. 1342. die XXV. Aprilis. Pontif. ſui Anno 8. fuitquè ſepultus in eccleſia maiore Auenione, in quà adhuc iacet in capellà pro ipſo ſpecialiter fabricatà, etiam miraculis coruſcando*. Concordat Calendarium Ciſtercienſe, die 26. Maij. *Obiit B. memoria Bened. 12. verè Deo, et hominibus dilectus, et cunctis lacrymantibus ſepelitur Auenione, Anno 1342. Vigeſimo autem Decemb. B. memoria Iacobus Fornerius Monachus, & Abbas Fontis Frigidi in Summum Pontificem Benedictum 12. eligitur*. Genebrardus *Sanctiſſimum vocat*. Conſonat *hiſtoria Gallica Rom.* D *Pontif.* quæ in bibliothecà Patrum Minimorum Bruxellenſium aſſeruatur: & *Chryſoſtomus Henriquez*.

Sepulchrum.

Sepultus eſt in Auenionenſi Templo abſq. vllà inſcriptione: vnde inter fabulas reijciendæ ſunt inſcriptiones ſepulchrales

Hic iacet Benedictus, Quem Carmelus protulit,
Vaticanum coronauit.

Quam in Vaticano appoſitam Benedicto refert Petrus Lucius in *bibliothecà Carmel.* Aberrat etiam *Sauſſay* in Gallicano Martyrologio ſcribens, Tholoſæ quieſcere Benedicti corpus. Legitur nunc in Auenionenſi Eccleſià ſequens epitaphium.

Hic ſubſunt Cineres, et Oſſa
Benedicti 12. Pontif. Max. Qui fuit oriundus ex oppido Sauarduno Diac. Apamienſis in Comitatu Fuxenſi, et appellabatur F. Iacobus Furnerius, Monachus A *Ciſtercienſis, Theologiæ Doctor eximius. Fuit primus Abbas Montis Frigidis, indè Epiſcopus Mirapicenſis: demùm Presb. Card. S. Priſcæ à Ioan. XXII. cui immediatè in Pontificatu ſucceſſit, creatus, vulgò Cardinalis Albus dicebatur: quem ob rei familiaris anguſtiam, Cardinalium penè infimum, in Summum Pontificem ob eius vitæ integritatem elegerant in Vigilià S. Thomæ Apoſtoli, in conuentu Fratrum Prædicatorum huius vrbis, vbi etiam Kalend. Ian. per Neàpoleonem de Vrſinis Diac. Cardin. Coronationis inſignia ſuſcepit Anno 1335. Vir fuit doctrinà, et vitæ integritate præſtantiſſimus, virorum bonorum, et doctorum valdè ſtudioſus: multa præclara ſtatuit tum ad morum, et præcipuè Cleri reformationem, et Eccleſiaſticam diſciplinam inſtaurandam. Sedit in Pontificatu Anno VII. Menſ. 4. dies 6. Vnicà tantum habità ſex* Palatiũ ędificat Auenione. *Cardinalium virorum præſtantiſſimorum creatione. Deceſſit in Auenionenſi Palatio, quod ipſe fabricari iuſſerat, ex tibiæ dolore 7. Kal. Maij Ann. 1342. Funus in præſenti eccleſia magnificè curatum fuit, omnibus qui aderant ob tanti Pontificis necem collacrymantibus*. Eius elogium breui concinit Petrus Boerius in principio Commentarij ſui in *Benedictinam*, teſte Arnoldo Vvion. *l. 1. c. 43. Ligni Vitæ. Benedictus, huic namq. & Bonifacij, & Benedicti nomina congruunt, quia in ipſo viro, quam gerunt, profectò ſortita ſunt. Benedictus igitur hic nomine vim Bonifacii vocabuli, ſemper ſtuduit opere exercere: Fuit enim vità caſtus, ſtatu humilis, ſcientià plenus, moribus non genere nobilis, voce & aſpectu terribilis, facie rubicundus. Albo ordine Monachus, Magnates non vere*C *cens, pauperes reſouens, corrupta depellens. Iſte quidem ad eccleſiaſticos gradus viros idoneos ſublimans, indignos noluit promouere. In iudiciis inſuper, factiſquè ſuis admodum mirabilis, non ſecundùm carnem, & ſanguinem, ſed in æquitate, & iuſtitià ambulauit. Meruit itaq. Thronum duodecimum poſſidere verè Benedictus in terris, pariter eſſe conuictor in Cœlis: nam bonis laboribus fructus retribuitur glorioſus*.

Fabella eſt, quam ex Hieronymo Squarciafico Mornæus recitat virginem eleganti formà ac virtutibus præditam, ſororem Franciſci Petrarchæ adeò deperiſſe Pontificem, vt purpuram Petrarchę obtulerit in pretium virginis: Petrarcham verò rã fætidum reſpuiſſe Galerum. Petrarcha namq. qui vitia aliena acuto execratus eſt calamo, ac Babylonis nomine ſæpè Auenioni increpauit, attrocem ſibi non ſiluiſſet iniuriam. Accedit Trithemius, qui cum reliquis concordat Hiſtoricis Benedictum *fuiſſe virum integerrimæ rectitudinis*. Chron. Germanicum l. 24. *Morum doctrinæq. præſtantià nobilem virum*. Ioannes Villanus Benedicti contemporaneus *hominem fuiſſe honeſta, & laudata vita*. Nauclerus *Moribus ac ſcientià clarum*. Petrarcha hoc celebrat elogio: *Era fecondo nella fede, e nelle buone opere Zelatore* qui certè non laudaret, ſi vera recitaret *Squarciaficus*. Concordat Platina.

Fabuloſum pariter creditur, quod idem *Squarciaficus* refert, Benedictum Franciſco Petrarchæ Lauretæ amore capto ſuaſiſſe coniugium, ne magnus amor, quo ardebat vacuus euaneſceret: conceſſurum ei, ſi annuiſſet, vt beneficia retineret eccleſiaſtica.

Ædificia extructa à Benedicto XI.

Ædificia Benedicti. Palatium Apoſtolicum Auenione;cum Philippi Valeſii inſidijs impeditus ſedem Italiæ reſtituere non valuit Apoſtolicam, vt meditabatur. Ædes *Arnaldi de Via* defuncti Cardinalis cum Cameræ habuiſſet Apoſtolica cum ædibus permutauit Epiſcopalibus, quarum in ſolo Palatium extruxit, Architecto *Petro Oberio*. Viſuntur adhuc in portis Palatij ſtemmata Benedicti. Turrim *Trulatii* dictam, ab eodem Benedicto extructam ferunt altiſſimam.

Vaticanam Baſilicam cum Paulus V. reſtitueret: vetera monumenta, atq. inſcriptiones in Catacumbis eiuſdem Baſilicæ, memoriæ gratià reconditæ ſunt. Inter quas de tecto per Benedictum reſtituto legitur adhuc

Benedictus Papa XII.
Toloſanus
Fecit fieri de nouo
Tecta huius Baſilicæ
Anno ab Incarnatione Domini
M. CCC. XLI.
Benedictus Papa Duodecimus.
Magiſter Paulus de Senis me fecit.

Pariſijs cum Ciſtercienſes Collegium haberent ad ſtudia proſequenda, teſte *Iacobo Brulio. l. de antiquit. Pariſienſ.* in quo olim alumnus *Benedictus* fuerat, gratitudinis ergo, templum ædificari, ac collegium magnificentiùs reſtitui mandauit; opus morte præuentus cum abſoluere non potuiſſet Benedictus, perfectum eſt à Guillelmo Card. S.R.E. vt ex geminà inſcriptione in eodem templo recondità.

Hæc arma ſunt S, S. M. D.D. Benedicti Papæ XII.
Ordinis Ciſtercienſis
Cuius & præſens ſtudentium Collegium Profeſſionis,
Qui hanc fundauit eccleſiam
Et multis donauit Indulgentiis.

Alteram inſcriptionem dabimus in *vità Guillelmi*.

Lutetiæ Pariſiorum, Templum Bernardinorum ædificauit pulcherrimum. Myreus in *Chron. Ciſterc.* Genebrardus *in Chronol.*

Benedicto regnante prænobilem illam Agareno-
A rum victoriam largitus eſt Deus Alphonſo XI. Caſtellæ Regi in campis vulgo de Tariſa, in Bætica ad fretum Herculeum Anno 1340. die 30. Octob. cum copiæ Alphonſi, 14. millibus equitũ 35. millibus peditum cõſtaret. Sarracenorum verò 80. millibus equitum, peditum ſexcẽtis millibus. Tanta clades Sarracenis illata, vt ex eis pluſquàm quadringenti mille partim cæſi, partim capti fuerint. Ex Chriſtianis ſolum quindecim, vel viginti fuerint deſiderati. Ex hoſtium manubijs miſit Rex ad Benedictum XI. centum equos pulchrè phaleratos cum enſibus pendentibus, ac totidem Agarenos, qui eos ducerent, cum vaſis aureis, & gemmis magni pretii, & vexillum ſuum, ſub quo victoriam erat aſſequutus, cum ſexdecim aliis, quæ prelio cęperat. Auenionem cum perueniſſet Legatus, obuiam miſſis à Pontifice Cardinalibus, Pontifex die
B ſequenti miſſam celebrauit, ſermonem faciẽs in laudem Alphonſi. Cui tertiam partẽ decimarum regni contra Agarenos in perpetuum conceſſit, quibus adhuc Reges fruuntur Hiſpaniæ. *Mariana. Vaſæus.* Sarraceni victi ab Alphonſo.

Scripta Benedicti XI. dicti XII.

De ſtatu animarum antè generale iudicium. tom. 2.
Quæſtiones XI. eiuſdem argumenti.
Contra errores Fratricellorum. l. 1.
Sermones per omnes Anni feſtiuitates.
Commentaria in pſalmos.
De ſtatu Canonicorum.
Extrauagantes & Conſtitutiones l. 2.
Decretale Religioſorum
De Reformatione Benedictinorum
Vitam S. Io. Gualberti
Sententias varias
C *Carmina Prophetica*
Regiſtrum Epiſtolarum in decem tomos diuiſum.

SIGNUM BENEDICTI XI. DICTI XII.

Benedic Domine hæreditati tuæ.

Creatio Cardinalium Vnica

Quà ſeptem ſolummodò deſignati, quorum mores, doctrinam dabimus loco ſuo.

CLEMENS SEXTVS
PONTIFEX ROMANVS CXCVIII



VRbs, quam cernis in ſymbolo, *Auenio* eſt in prouinciâ Galliæ Narbonenſis, quam Clemens emptam à reginâ *Ioannâ* patrimonio adiunxit Eccleſiæ.

Sex Roſæ aureæ in campo argenteo, diuisâ areâ per lineam tranſuerſam coloris Cærulei apparent in ſtemmate Clementis VI. ex Ciaconio: cum tamen gentilitia Clementis quinque ſolumodò roſas complecterentur, teſte *Alberto Argentin.* Conſonat ſignum eiuſdem Clementis, in quo quinque Roſæ interciſæ crucem formant.





Conſonat aliud ſignum eiuſdem Clementis, in quo Roſæ mutantur in quinque Cruces *In honorem quinque Chriſti vulnerum*: forſan ad retundendam procaciam Bauari, et ſectatiorum eius, qui Clementem calumniabantur, quia Bullas ſignaret roſis ſuis Gentilitijs.

Eligitur Anno Sal. 1342. *die* 9. *May. Obijt Anno* 1352. *die* 8. *Id. Decemb. Diuo Nicolao ſacrâ. Cum ſediſset An.* 10. *Menſ.* 7. *minus duobus diebus. Vacat ſedes dies XIII.* No-

ſedcum modici illi redditus, *Clemens* nondum excedens pubertatis annos, apud *Caſam Dei*, in prçaltis Auernorum iugis monachus D. Benedicti eſt initiatus. Sororem habuit (teſte Oldoiuo) *Ioannam*, quæ primùm nupſit Domino Cambonij ciui in finibus Lemouicum, deinde Guillelmo Comiti Belfortio, ex quo prodijt *Gregorius Vndecimus*, vel potiùs cum Ciaconio, Gregorius Vndecimus nepos Clementis VI. ex patre fuit. Lutetiam miſſus ad ſtudia, tantà auiditate Theologiam amplexus eſt, vt eo nemo melior, neq. diligentior in ſcientijs verſaretur. Hinc Petrarcha *Literatiſſimum* appellauit Pontificem. Vitam, meus eius breui deſcribit elogio Trithemius in *Cron. Hirſaug. Virum pietate, & clementià plenum*. Platinam, *virum multa doctrine, compoſitaq. eloquentia, liberalem in omnes, comem, & perhumanum*. Inter hiſtoricos infenſum habuit Albertum Argentinenſem, fautorem Ludouici Bauari. Apud hunc legimus de Clemente VI. *Statim vt electus eſt, ſermonem faciens, & grates Deo referens, qualiter primo in diuitem Abbatem, poſtea in meliorem Epiſcopatum, tertio in optimum Archiepiſcopatum Franciæ promotus fuerit, & has dignitates omnes gratibus reliquerit ſarcinis debitorum grauatas, & poſteà ad Cardinalatum, & poſtremò ad ſummam hanc dignitatem peruenerit, nutu diuino; & quòd priora eum nutrire nequiuerant, per ordinem enarrauit. Hic ab antecesſores ſuis moribus multum diſtans, mulierum, honorum, et potentia cupidus, ac ſuorum nimius promotor, ac ſeipſum, et Curiam de Simonià diffamans, ipſe Francus Franco feruenter adhæſit. Tempore quoquè coronationis ſuæ, primogenito Franci, qui cum Duce Burgundiæ auunculo ſuo aderat, magnam pecuniæ ſummam erogauit. Qui filius Franci, gener Bohemi, intrans Conſiſtorium pro Rege Alemanniæ rogauit, ſed in dolo. Hic Papa cum arma progenies ſua haberent quinq. roſas, contra morem antecesſorum, totidem roſas poni fecit in bulla*. Hæc Romanis ſuſpecta redduntur, quòd ab Hiſtorico exarata Alemanno, & Ludouici Bauari ſtudioſo, Pontificibus infenſo, ad quos legatus abierat vt Bauarum reconciliaret, ſed in caſſum.

Ioanni XXII. ſcientiæ famà gratiſſimus *Clemens*, cœnobio S. Baſilij apud Nemauſum Prioris titulo prælatus, inde Abbas Fiſcanens. in Normandià, poſtea Epiſcopus Atrebatenſis, mox Regij ſcrinij, ac ſigilli præfectus, poſtea Genonenſis deinde Rothomagenſis Archiep. & à Benedicto Vndecimo Cardinalis creatus tit. S. Neræi, & Achillæi, per gradus uirtutis ad apicem aſcendit Pontificatus, iuxta id quod quidam paſtor animarum prædixerat. Cum enim Luteti̧ Pariſiorum, laureà Theologali donatus, ad monaſterium Caſæ Dei reuerteretur; in itinere apud Aruernos in ſaltu Candanio à latronibus uſq. ad induſium expoliatus, ab eo ueſte, & neceſſarijs benignè donaretur; *Ecquando acceptum ego beneficium referre potero dicente Clemente*, repoſuit Parochus (cui Stephanus Aldebrandus nomen erat) *Cum eris Pontifex Romanus, par pari referes*. Pontifex renunciatus ueteris memor officij, Auinionem euocatum *Aldebrandum*, primò cubicularium, mox Tholoſanum Antiſtitem eſſe iuſſit. De eodem prædixiſſe dicitur S. Malachias, uerbis illis, *de Roſa Atrebatenſi*. Roſas enim gerebat pro ſtemmate, & fuit Ep. Atrebatenſis.

A Die Pentecoſtes coronatus Clemens 14. Kal. Iunii, & per vias Auenionenſes à Ioanne Normanniæ Principe, hærede Gallici ſcepteri, ſtratorem agente circumducitur. Pompà peractà literas ad Reges dedit encyclicas de Benedicti obitu, ſuſceptiſquè à ſe Eccleſiæ gubernaculis *l.* 1. Accepto Romani nuntio, rogarunt illicò, Romæ D. Petri ſedem inuiſeret. Idem fecit Italia vniuerſa; vt ex elegantiſſimo Petrarchæ carmine, quo reditum rogabat in Vrbem, ac Iubilæi ad annum 50. indictionem. Reſpondit *Clemens* ſe quidem reditum maximè cupere, ſed nondum venire poſſe. Quoad

Inuitatur Romam.

2. *Iubilæum* ab Antiquis *ſæculum* appellatum, vnde ludi ſæculares ſunt dicti; (cum mortalium nulli, vel pauciſſimi centeſimum attingerent annum) libenter annuit, vt quoquo quinquageſimo anno celebraretur, vt in *c. Vnigenitus. ex. de pœnit. & remiſſion.* & Limina viſitantibus Apoſtolorum Petri, & Pauli, vt Bonifacius conceſſerat; cui Eccleſiam addidit Lateranenſem, (Gregorius vero XI. Eccleſiam addidit S. Mariæ Maioris, teſte Nicolao V.) plenam peccatorum omnium remiſſionem. Per hanc bullam, fingunt hæretici (inter quos *Mornæus*) mandatum Angelis, vt ad libitum viſitantis limina ſacra, animas à purgatorio educerent ex inferno, & in ſinum Abrahæ deportarent. Hæc falſa, nullus namquè Pontificum aduersùs Anglos ſibi imperium arrogauit; nec per modum iudicij, vel abſolutionis animabus defunctorum largitus eſt indulgentias, ſed tantùm per modum ſuffragii, Deum ſcilicet deprecando. Annum ſecularem abbreuiauit quinquageſimo, vt humanæ occurreret breuitati; & ne inferioris conditionis eſſent Chriſtiani, quàm Iudæi, quibus annus quinquageſimus *Iubilæi* erat; in quo non ſolùm remittebantur peccata, ſed etiam debita. Nam agri, poſſeſſiones, oppignoratæ etiam non reſtituto pretio, priorem reuertebantur ad Dominum, ſoluebantur carcerati, manumittebant ſerui. *Leuit.* 2.5. *Ex* 21. Ne terra manu Domini diuiſa confunderetur; & vt recordarentur Hebræi, quòd colonni eſsent, non Domini. *Terra in qua eſtis mea eſt* (dicit Dominus) *& vos colonni mei eſtis*. Remittebantur debita in Iubileo Hebræo: quia Hebrei proniores ad fœnora, & vſuras, quaſi Iubilæi comprimebantur catenis. Vel non Iubilæi, ſed arbitrii, & lege voluntatis ac pacto. Sciebant namq. pecuniam fænerantes, quòd etiam minimè refuſo pretio, tenerentur ad pignoris reſtitutionem, Anno adueniente Iubilæi. Miſit itaq. Clemens pro futurà ſolemnitate Romam legatum à latere *Annibalem de Cenano* Cardinalem, qui honoris ergo obuium habens *Ioannem Viſcontem* Archiepiſcopum Mediolanenſem cum quinquegenerosis equis phaleratis, Archiepiſcopū interrogauit? *Quid iſte faſtus?* Reſpondit Archiep. *Non ad faſtum: ſed vt cognoſcat Pontifex, ſubditum habere, clericulum, qui aliquid valet*. Romam poſtea legatus venit, ſed Romanis odioſus quòd *Campanus* eſſet 2. quòd ſtrabus 3. quòd vanus, & tumidus. Quarta cauſa ſilet. Ità *S. Antoninus*.

Iubilæū publicat

Iubilæū Iudęorū

Diuinitus Clementem permotum fuiſse ad propagandum Iubilæum à quinquageſimo in quinquageſimum, Albericus refert de Roſate in ſuo *Iuris Dictionario* verbo *Iubilæus*. Qui Romæ adfuit cum

vxo-

vxore, & tribus filijs; Tres Bullas refert Clemen-
tis, quarum in ſecundà ſequentia leguntur. *In
Craſtinum mandauimus Conſiſtorium conuocari, et no-
ćte Conſiſtorium praexiſtente apparait nobis in viſione
quadam reuerenda perſona in manu duas claues gerens,
qua nobis verba ſequentia dirigebat. Aperi oſtium, et
ex eo ignem mitte, quo caleſiat, & illuminari valeat
totus Mundus. Et in craſtinum celebrauimus Miſſam
de S. Marià, vt ſi viſio iſta à Deo erat, iteram appare-
ret: ſi autem phantaſma eſſet vel illuſio, totaliter eua-
neſceret. Pramiſſà igitar huiuſmodi oratione, ſecundà
noćte vidimus ſimilem viſionem. Quare vocauimùs
fratres noſtros Cardinales, Archiep. Epiſcopos, et Cle-
rum in noſtro palatio coram nobis, et reſpondentes filijs
noſtris ſupradićtis Romanis aućtoritate noſtrà, ac B.
Petri, et Pauli, genibas flexis, et manibus erećtis in
Cœlum, os aperimas in hunc modum etc.* Chriſtiani
tanto numero confluxere Romam, vt in Domini
Natiuitate, ac quadrageſimà, & Paſchate circiter
ad duodecies centena peregrinorum millia conti-
nuò euntium, & redeuntium verſarentur in vrbe.
Aſcenſionis die, & Pentecoſtes vltra oćties cen-
tenna millia. Adultà æſtate quamuis numero immi-
nuto, adhuc ducenta millia conſpiciebãtur quotidiè.
In huius Iubilæi teſtimonium adhuc numiſma ſu-
pereſt, in quo porta inſpicitur clauſa, ſuper quam
Saluatoris imago, aperienda ſcilicet pretio ſan-
guinis Chriſti, cum epigraphe. *Iuſti intrabunt per
eam. Pſal.* 117.

Bauarũ excommunicat.

3. *Bauaro* &c. Mortuo Benedićto XI. Romano
Pontifice, Sal. Anno 1342. nè nouis Itali diſſidijs
Bauarum in Italiam euocarent Clemens VI. *Guil-
lelmum Curte* Cardinalem S. quatuor Coronatorũ,
legatum miſit, qui ſtrenuè ſuo funćtus officio Italos
ſacro ita deuinxit fœdere; vt Bauarus non auſerit
in Italiam deſcendere: immò Germanorum copiæ,
quæ Æmiliam depaſcebant, Italià fuerint exactæ.
Cartaſiorum hiſtoria l. 8. Duo comiſſa Legato *in ep.* 1.
Clem. 6. *An.* 1. *p.* 6. legimus. Ingreſſu Italiæ prohi-
bere Bauarum, vt excommunicatum: ac fędus in
Turcas cum Venetis paciſci. De Veneto fœdere
habes infra num. 7. Quod ad Bauarum ſpećtat, cum
eius contumaciam non vltrà tolerandam Pontifex
crederet, renouato anathemate maodauit omnibus
Europæ Epiſcopis, populo diebus feſtis in concio-
nem vocato, Ludouicum hoſtem Eccleſiæ, nec ad-
huc reconciliatum pronuntiare; Hoc agerent ad
ſonum campanæ, cum facibus lugubribus, impium,
& mortalium ſocietate proclamantes indignum.
Eiecit inſuper piorum cętu omnes, & ſingulos, qui
Ludouico adhærerent, inter quos Archiep. Mo-
gunt. Cogitabat inſuper Elećtores vrgere ad creã-
dum nouum Cæſarem; ſed Francorum Rege per
Ludouicum admonito, ſi quid triſtius ſibi accidiſ-
ſet, ita accepturum, tanquàm à Rege procuratum,
qui iras dićtaret Pontifici: vltra Pontifex (ità ſua-
dente Gallo) non proceſſit. Anno proximo (qui
fuit Sal. 1343.) pax iterum maximis tentata cona-
tibus, ſed fruſtra. Bauari impęnitentiam *Albertus
Argentinenſis* ſequentibus excuſare conatur. Quod
Gallo iterùm inſtigante forſan Romanus Pontifex
Bauaro præſcripſerit pęnitentiã ſeruilem, turpem,
& grauem, in quam vix homo priuatæ conditionis
præbuiſſet aſſenſum, etiam ſi carceri eſſet mancipa-
tus perpetuo. Mandatum namq. exigebat Pontifi-
cis, vt præſentes Cæſari legati (*erant iſti Epiſcopi
Augaſtanus, & Bambergenſis, ac Henricus Archicancel-
larias, et Hannibertas auunculus Imperatoris.*) nomine
Domini ſui confiterentur omnes hæreſes, & erro-
res, quorum accuſabatur; Imperium reſignarent,
non reſumendum, quàm gratia Pontificis: Ludoui-
cum, & liberos eius in manu Papæ deponerent:
Item non ſolùm de perſonà Ludouici mandatum
diſponebat Apoſtolicum, ſed etiam plura de impe-
rij coronà decernebat in præiudicium imperij, atq.
Elećtorum, & Principum. Quæ tamen Cæſaris le-
gati omnia ſigillis ſuis confirmarunt, ac nomine
Imperatoris ſeruanda iurarunt, iuxta ſibi comiſſa.
Harum literarum exemplar Principibus tranſmiſſa
Germaniæ, inuidiam Pontifici concitauit Romano.
Quod vbi Bauarus intellexit, Francofurti protinùs
eos conuocauit, vbi expoſitis poſtulatis Romanis;
denuò excitatus à Principibus, *nè quid humiliùs,
quàm deceret Imperatorem, facere.* Non defuit in eo
conuentus, qui timidè plura de Religione, quomo-
dò ſeruanda, diſſereret, quaſi ab eà etiam deberet
ſibi homo cauere. In eo tandem conceſſum: vt alij
ad Pontificem decernerentur legati, qui ei ſignifica-
rent, *Bauarum mandato non poſſe ſatisfacere Apoſtoli-
co, ex nouo decreto comitiorum Francofurtenſium.* Hæc
audiens Papa non amplius bullis, ſed armis contra
Germanum iudicauit agendum. *Mutiar*, ex *Alberto
Argentin.* Cum Pontifice conſpirabat Gallus; &
propoſitis indulgentijs, quas arma gerentibus in
ſacrà expeditione Eccleſia diſpenſat, plures coibant
aduersùs Bauarum, pręcipuè Rex Bohemiæ, vt eius
planè cauſa videretur deſerta, ni Galli conſilia An-
glus diſſipaſſet, in gratiam Bauari. Cędes etiam
repentina *Andrea* Regis Apuliæ (de quo habes in-
fra *num.* 5.) qui pars belli Pontificij non exigua fu-
turus erat, Clementem coegit, iterùm depoſitis ar-
mis, ad fulmina redire anathematis. Renouatis
itaq. Io: prædeceſſoris proceſſibus, ad Elećtores mi-
ſit Imperij, rogans per ſanćtam matrem Eccleſiam,
vt ſchiſmaticum deſerant, & hæreticum; ac pro
animarum ſalute, ac pace Orbis Chriſtiani, alium
eligant Imperatorem, qui bono excubet imperij.
Hoc ni faciant, ſe cum ſanćtà Patrum ſynodo proui-
ſurum imperio de nouo Imperatore. Crimina, qui-
bus Bauarus damnabatur à Pontifice, erant: Hære-
ſis, qua Bauarus non timuit aſſerere ſibi ius fuiſſe
Papam creandi, & deponendi. Quòd hæreticos à
Papa condemnatos aleret, & foueret in aulà. Quòd
ſæpiùs citatus ad Concilium, contumax venire
contempſerit, ac pertinax in excommunicatione
permanſerit. Quòd pro arbitrio ſuo Epiſcopatus
diſtribueret, & ſacerdotia conferret, clericos ſequa-
ces Pontificis ab officio deponeret. Matrimonia
diſiungeret, ius ſoli Pontificis reſeruatum. Inter
affines, & conſanguineos matrimonia permitteret.
Nam filio ſuo Ludouico vxorem dederat Comitiſ-
ſam Tyrolis, adhuc priore ſuperſtite marito, *Ioanne*
filio Regis Bohemię; quæ tamen erat etiam Ludo-
uico in gradu conſanguinitatis iuncta prohibito.
In eadem bullà Antipapam redarguebatur creaſſe
contra Papam legitimè electum. Inſuper execra-
tionis cauſa erant cædes, rapinæ, periuria, &c. Hinc
coacto Rhenſeano conuentu (quem *Bacharenſem*
no-

Dura conditiones Bauaro propoſitæ.

Error Ludo ci Bau ri-

nominat *Rebdorf.*) alij cultus, aliæ voces promiſ. cuere ac in Francoſurtenſi. Plures in Germaniâ Gallus pecuniâ expugnauerat: Alios longa, & odioſa diſcordia: ſtimulus præcipuè religionis pulſabat Epiſcopos, poſtquàm audierunt Moguntinum depoſitum eiq. ſubrogatum *Gerlacum* filium Comitis de Naſſau. Is iterum coactis comitiis in Rens, itâ inſtigante Pontifice, nouum elegit Imperatorem, *Carolum* Marchionem Morauię, filium Regis Bohemiæ. Electionem hanc anathema præceſſit in *Ludouicum* tanquàm impium, fautorem hæreſum, & pertinacem, Anno Sal. publicatum 1346. Cęnâ recurrente Dominicâ; Idib. April. Mandatum poſtea Electoribus vt aliud Reipublicæ caput imponerent; id ni facerent, fore; vt ſuo iure ſpoliarentur. Hinc electum *Carolum* Bohemum pleno iure *Clemens* ſuâ Bullâ confirmauit, quam habes *p.* 243. *in noſtrâ Aquilâ Vagâ*. Nec ipſi tamen Carolo fortuna conſtans à ſolis Leodienſibus victo vnâ cum patre. Fuit clades hæc omen maioris. Nam menſe ſequenti, Gallias Anglo populante, cum in ſuppetias Gallorum accurriſſet *Carolus*, iterum victus *Ioannem* patrem cæſum reliquit in prælio. Sic alternante fortunâ; donec Ludouicus repentinâ morte ſublatus pacem reliquit Eccleſiæ; iuxta ea, quæ prædixerant Ioan. XXII. *tom.* 5. *p.* 2. *ep. ſecret. p.* 224. Benedictus XII. *tom.* 5. *ep. ſecret.* 392. Eo extincto, Clerus vt grates Deo perſolueret, *Te Deum laudamus* cecinit, præſentibus Carolo IV. Imper. Archiepiſcopis Moguntino, Treuirenſi, Colonienſi; Epiſcopis Herbipol. Spirenſi, Argentinenſi, & Bambergenſi, Ludouico namq. viuente, mos erat ob rerum anguſtias, amictâ ſtolâ antè crucem in medio templi expoſitam quotidiè canere, *Deus laudem meam nè tacueris.* Ferrarius *l.* 5. *rerum Mogunt.* An pœnitens obierit? Auctores variant. Rebdorf. ſub Anno 1347. ita deſcribit: *Et ſic notabiliter diuinâ plagâ interijt non ſinè causâ, quia aliquot annis antè obitum ſuum officiis, & iudiciis ſuis præpoſuit tyrannos, & excoriatores pauperum, minimam facientes iuſtitiam. In expeditionibus ſuis permiſit terram, & pauperes excoriari: in hoſpitiis, eccleſiis, monaſteriis, ſecularibus, & religioſis prælatis, ipſe et filii ſui grauiſſimi fuerunt. Clerum ſecularem odio cordis habuit, immò expreſſè pluries dixit: Quod ſi theſaurizaret theſaurum de luto, collegia ſecularia non fundaret: et ſic non abſolutus à ſententiis excommunicationis Eccleſiæ, quas Io. Papa contra ipſum fulminauit, miſerimè expirat.* Monachium deportato cadaueri Ludouicus Brandeburgicus apud Cęnobitas Auguſtinianos tumulum optauit, ſed illis diras excuſantibus Pontificias; D. Virginis ædes exuuias accepit. *Annal. Boioram l.* 4. *par.* 2. Eius filii quommodò paterna ſint execrati facinora? habes in *vitâ Innocētii VI.* Cōcepta eſt poſteà abſolutionis forma, qua Ludouici ſequaces Clemens in ſinum reciperet: in eaq. mandatum. Iurare, *ſe credere, quòd non ſpectat ad Imperatorem, Papam deponere, et alium creare; ſed hoc eſſe hæreticum.* Item iurare etiam abſoluendos oportuit: *Quod deinceps nulli vt Imperatori obedirent, niſi iſte priùs foret per eccleſiā approbatus.* Rebdorf. Hanc verò formulam & nimis duram, & imperio grauem minimè omnes ſeruaſſe Germanos, auctor eſt *Albertus Argentinenſis*. Iurauit Bertholdus Ep. Argentinenſis, teſte eodem Alberto *in vitâ Bertholdi*.

4. *Renzius*, ſiuè *Nicolaus Laurentii* filius, aliis *Nicolaus Gabrinus*, infimæ ſortis homuncio, ex popinâ, vel ex piſtrino in ludum literarium egreſſus, antiquitatis monimenta edoctus, alta cogitare cæpit, ſtudia plebis captando, diuites criminando, veterem Romā cum nouâ componendo, ac dulce iactando libertatis nomen. Publico natum bono cum populus crederet Romanus, Legatum vnâ cum Franciſco Petrarchâ miſit ad Clementem VI. Papam, rogatum, vt Vrbi ſedem reſtitueret Apoſtolicam. Declamauit magno eloquentiæ apparatu, Anno 1342. Sed fruſtra Anglorum, Gallorumquè diſſidia excuſante Pontifice; Orator ipſe malè acceptus, qui poſtea operâ Cardinalis Columnæ in gratiam reſtiturus ac Senatus, Populiq. Romani ſcriba dictus, graues Romæ ſeditiones commouit, vt in *eius vitâ*. Fuit iſte eloquentiâ admirabilis, auidus gloriæ, iuſtitiæ ſimulator, & verſipellis ad auram captandam popularem doli ac fraudis mirus artiſex, vt Pontificiam oppugnaret dignitatem tutelæ ſpetie: hypocrita ſceleſtiſſimus ſanctorum mentiebatur colloquia, cum Dæmones alloqueretur. Captatâ itaq. Procerum abſentiâ in Vrbe, populum, quem ſibi eloquentiâ ſubornarat, vocauit in Capitolium, vt Rempublicam à tyrannis labefactatam inſtauraret, & ab eo Anno 1347. in ſacro Pentecoſtes Peruigilio, *Rector Vrbis* creatus, vnâ cum Raymundo Epiſcopo Vrbeuetano, quem Vicarium dixere Pontificium in ſpiritualibus, eâ tamen lege, ſi Romano Pontifici res grata accideret. Confirmationem petenti Clemens Papa doli, ac ſeditionis ignarus non negauit, acceptâ prius promiſſione ab homine nefario, de tuendo honore Pontificio. *epiſt.* 469. *Clementis* 6. *Tom.* 6. Sic Tribunitiâ arreptâ poteſtate, pompâ inſtructâ ſolemni, ad Baſilicas Lateranenſem, indè Vaticanam ſuperbiſſimo cultu, præferens manu ſceptrum pertexit, pecuniâ in populos effusâ. Kal. poſtea Auguſti equeſtrem baltheum magnâ cinxit celebritate, ſed ritu ſacrilego. Nam in ſacrâ conchâ, in quâ olim M. Conſtantinus a S. Silueſtro baptizatus eſt, atq. à leprâ mundatus (quam ad miraculi memoriam religioſa ſeruat poſteritas) lauari voluit, ac deinde militari baltheo à *Vico Scotto* pręnobili ciue Romano cinctus, iuxtà fontes baptiſmales lectum ſplendidum ſterni iuſſit, vt in loco ſacro homo quieſceret profanus. Superbiam ſacrilegam ſpernentes Cælites, lectum etſi nouum, ac benè compactum, mox ac ſacrilegus inſilijt, concidère. Die inſequenti, cultu indutus equeſtri, in ſacello Bonifaciano Lateranenſis Baſilicæ, rei Diuinæ interfuit ſtipatus magnâ Procerum cateruâ. Inter ſolemnia progreſſus ad populum voce profusâ, atq. tonanti, Clementem 6. Rom. Pontificem, vt in Vrbem ſedem reducerer Apoſtolicam, citauit: deinde Collegium Cardinalium, vt titulares curarent Eccleſias: ac demum Carolum Bohemum, ac Ludouicum Bauarum in Imperio ęmulos, vt iura ſuę oſtenderent electionis, quæ ad Populum ſpectabat Romanum. *Argentin. Rebdorf.* Propoſito veſano edito, vt ſuperba ſibi vniuerſi Orbis ſubijciendi explicaret conſilia, educto è vaginâ ferro aerem ad tres mun-

Nouum ... in Ludouicum.

Ludouici Bauari mors.

... Ludouici pœnitentia.

Formula abſoluendorum.

Renzij natalia, vita.

Sacrilegia.

mundi partes conuerſas repetitâ ter verborum formulâ, *Hæc ad me pertinent*, diuiſit. Ad hæc vehementi ſtupore defixus collega Nicolai Epiſcopus Vrbeuetanus, palàm clamare cœpit, his ſe non aſſentiri, ac publicas de eo tabulas, à tabellionibus confici iuſſit. Tyrannus verò vt illius vocem obrueret, tubis clangi Imperauit. Sacrâ tandem Aſſumptæ Virginis die, quâ veteres Tribunos olim inſigniri iactabat, Sindicos Vrbium Italicarum Romam conuocauit, vt fœdus percuteret pro Italiæ libertate, in cuius argumentum, nouum pecuniæ genus percuſſit, ac inſignia Florentinis donauit atq. Piſanis emblematibus picta, quæ Italos concitarent aduersùs Reges. *Io: Villanus l.12. c.89.* Huius illecebræ adeò Italos palparunt, vt poetas atq. oratores in eius laudes excitauerint, inter quos B Petrarcha conſcripſit panegyrim. Eius amicitiam non ſolùm captarunt Itali; ſed Ludouicus ipſe Bauarus, Ludouicus Rex Vngariæ, Ioanna Regina Siciliæ miſſis oratoribus cum eo inire ſtuduerunt. *Hocſemias c. 35.* Eius ſuperbiam oſtentaot tituli ab eo vſurpati. *Candidatus Spiritus Sancti miles: ſeuerus, et clemens liberator Vrbis, Zelator Italiæ, amator Orbis, Tribunus Auguſtus*. Eius tandem faſtum cum Roma faſtidiret; ferocienti faſces eodem, quo dederat, Anno detraxit, eiecitq. in exilium. Eum *Carolus* Rex Bohemiæ interceptum, ferro onerauit, & ad Pontificem vinctum deduxit *Tom. 6. ep. ſecret.* 4. Quamdiù in carcere ſteterit? habes *in vità Innocentis VI.*

Carceri datur.

5. *Ioannam* &c. Moriens *Robertus* Apuliæ Rex Anno 1343. æternitatis dignus princeps, cui frequēs vox erat, *Dulciores ſibi literas regno eſſe*. Marian. *libro 16. capit. 1.* cum ſatis ſe naturæ uixiſſe videret, & gloriæ, cum gaudio à regno mortali ad regnum ſe diſponebat æternum, Aduersùs diſcrimina, quæ paruulis regnaturis imminentia præuiderat, moriens dictabat remedia: ſuperſtites conſolaodo, tanquàm non ipſe, ſed hi eſſent morituri. *Petrarcha de Rer. Memor. l. 3.* Succeſſores, ad quos regnum ſpectabat, erant *Ioanna* neptis ex Carolo filio Duce Calabriæ, quem in ipſo iuuentutis flore extinctum luximus: atq. Andreas pronepos ex fratre Carolo primogenito Caroli II. Regis Siciliæ; Ætate verò deficiente legitimâ; regni adminiſtrationem Clemens Papa VI. ſuſcepit veluti regni Dominus ſupremus, teſte *Ioan. Villano l. 12. c. 9.* ac *Aymericum* tit. S. Martini in Montibus Cardinalem legauit, vt Siciliam nomine adminiſtraret Apoſtolico (teſte *Boſqueto*) Parum vel nihil paruit monitis Pontificijs fœmina leuis: annuum tamen vectigal ſoluit quadraginta millium florenorum, vt ex *ep. 31. ſecret. l. 1.* Idem fecit *Petrus Aragonus*, numeratis duobus millibus marcarum, pro Corſicà, & Sardinià, *vt ex epiſt. 43.* Ad Ioannam redeo, nupſit hæc Andreæ fratri Ludouici Vngarorum Regis (Carolo namq. Mattello Vngarorum Regi tres filij fuere Ludouicus, Andreas, & Stephanus (teſte *Bonfinio Rer. Vng. l. 9.*) poſtea Pontificem rogauit, vt *Aymericum* legatum a regni adminiſtratione iuberet diſcedere. Annuit *Clemens* accepto iuramento *nè cum hoſtibus conſpiraret Eccleſiæ Romanæ. 2. nè ad imperium aſpiraret Romanum per ſe, vel per maritum. 3. Beneficiorum collationes omnes liberas fineret Romano Pontifici. Recurſum non impediret ad Sedem Apoſtolicam. In eccleſiaſticum iudicium non vſurparet. 4. Singulis Annis octo millia vnciarum auri, & equum album, cenſus nomine ſolueret, & 300. equites, vel claſſem armatam ad nutum mitteret Pontificis per tres menſes. 5. In terris eccleſiæ nullum ius quæreret. 6. Grauamina eccleſiis non imponeret. 8. Si quæ eſſent ſtatuta contra libertatem eccleſiaſticam reuocaret. 8. Beneuenti nullum ius quæreret. 9. Prò primà regni inueſtiturà quinquaginta millia marcarum Sterlingorum Romanæ numeraret Eccleſiæ. Summontius lib. 3.* Hiſce conditionibus regnum Ioanna accepit beneficiarium Eccleſiæ Romanæ, & ligium, vt ex *ep. Ioannæ, quam habes inter coll. Plat. l. 3.* Ornari etiam Pontifex per legatum regali coronà non tam Ioannam, quàm virum eius *Andream*, vt maior *Andreæ* auctoritas conciliaretur, mandauerat. Quanto uerò Regni Siculi detrimento erepta fuerit adminiſtratio Reipublicæ Legato Apoſtolico, diſſidia monſtrant exorta Anno 1344. inter *Andream*, & *Ioannam*, quæ faſtu tumens muliebri, virum ſpernens, ad regiæ auctoritatis ſocietatem admittere dedignabatur. Tentauit Papa coniuges reconciliare; propterea miſſo legato *Ioanne* Auditore cauſarum Sacri Palatij iuſſit, XII. Kal. Octob. Anno 1345. *Andream* ritu coronari ſolemni, eà tamen conditione, vt ſi *Ioanna* ſinè liberis decederet; regalia inſignia ad *Mariam* ſororem *Ioannæ* rediret, ac reliquos conſanguineos; Andreæ nullo iure relicto. Hactenus regiam vnctionem *Andreæ* diſtulerant aduerſarij. At cum ampliùs differri nō poſſet, biduò ante deſtinatum coronationis diem, laqueo ſerico ſuffocatum inueniunt. Tanti criminis cōſcia credita eſt vxor Regina *Ioanna*, inſo C litæ libidinis fœmina, quæ uiuente marito cum debachari liberè haud poſſet, eum cognatis conſpirauit in Regem. Nefariam mortem rumor velox detulit in Pannoniam. Paucos poſt dies tentauit *Ioanna* datis literis ad *Ludouicum* ſe ſuſpicione purgare, dolorem ſimulando, ac vindictam prouocando aduersùs auctorem tanti ſceleris. Nullà tamen *Ludouicus* excuſatione admiſsà, arma parabat. Itali etiam indignati, *Ioannam* in inuidiam adducebant, exclamantes totius Italiæ intereſſe, ſcelus vlciſci. Suſpicionem augebat, quòd *Ioanna* illicò ſecundas nuptias meditaretur, cum *Aloyſio* Principe Tarentino, cum quo adulterè commiſcebatur etiam viuente *Andreà* marito, nec vno contenta amaſio, copiam ſui corporis faciebat alijs, conſentiente filià *Caroli* D de *Vallois* Francorum Regis, quę & ipſa famà laborabat inhoneſtà. Prima vindicta aduersùs auctores, à *Clemente* Papà datà facultate *Bertrando de Bancio comiti MontisCaucoſi*, 3. Non. Iunij. Anno 1346. vt in proditores legibùs ageret. Hoc itaquè iubente, Comites de *Tralizi*, & *Ebuli* vt regiæ occis auctores (is magnus regni Seneſcallus carnaliter cum Reginà commiſceri dicebatur) infami tolluntur ſupplicio, linguę eorum hamo iniecto, ne loqui poſſent, vt ex *Io: Villan. c. 51.*, Pontifex enim *Bertrando* imperia dederat, vt ſi Regina reperiretur criminis particeps, ad euitandos tumultus, rem ſilentio præmeret, ac ſedi Apoſtolicæ iudicium reſeruaret. Plures alij lapidibus obruti, & igni traditi, inter quos *Raymundus* cum filio ſuo præfectus regij cubiculi, cui *à Pace* nomen erat; ac *Raymundus*

Ioanna regnum ſcandit.

Regi... Ioan... libid... tyran...

Iudic... petitu...

dus Cabanns, & *Nicolaus Mirazanenſis*. Hæc minimè placarunt *Ludouicum* Vngariæ Regẽ, ægrè ferẽtem ad ſupplicium poſtulari ſceleris adminiſtros, illius verò auctricem diſſimulari. Comparabat itaquè arma, vexillo expoſito in quo frater eius laqueo pendebat ſuſpenſus, vt Vngaros in vindictam excitaret. *Villani. c.* 58. Miſſis poſtea oratoribus ad Sedem Apoſtolicam, *Ioannam* vt adulteram in crimen vocabat, de Pontifice queſtus, quòd coronatione fratris dilatâ, occaſionem ambitioſis dediſſet vitam eripiendi fratri ſuo: De *Talayrando* Cardinale, qui in gratiam Principis Dyrrachini nepotis ſui, flagitio aſſenſiſſet: De *Ioannâ*, alijſq. principibus diræ mortis auctoribus, in quos legibus agi poſtulabat, ſibiq. Siculam conferri coronam iure fiduciario: Ne leges ſolueret Canonicas, vt Robertus Princeps Tarentinus, vel alius à regiâ ſtirpe cũ Ioãnâ contraheret; ſed nuptias prohiberet: His Pontifex reſpondit, *ep. ſec.* 978. *T.* 4. Ioannã non adhuc coniunctam, hæredem legitimam regni, regno non exuendam, nec regnum ad ſedem rediiſſe Apoſtolicam. Extractam coronationem Andreę, per menſes, propter difficultatem negotij; & an legitimum? dubitarent Iuriſperiti. Puriſſimum eſſe ab eo crimine *Talayrandum*. Preces addidit, ne fraternæ necis vindicandę, ac regni Neapol. occupandi cupidine bello Siciliam adoriretur. Cẽſuras ad terrorẽ propterea Clementis V. ac Io: XXII. in eos, qui regnum armati inuaderent, iterùm publicari mandauit. Peperit interea Regina *Ioanna* die 26. Dec. 1646. filium maſculum, quem appellauit *Carolum Martellum*, & licèr de eius patre dubitaretur, *Andreas* dictus eſt filius propter corporis ſimilitudinem, teſte *Io: Vill. c.* 51. Hunc à Neapolitanis agnitum regni ſucceſſorem legitimum, An. 1347. die 20. Nou. *Ludouicus* Rex Vngarorum, eius patruus tranſmiſit in Pannonias, inſcio Pontifice, vt is queritur, in *ep. ſecr.* 1397. *to.* 6. Irrumpere poſtea in Siciliam citeriorem *Ludouicũ* meditantem retardare nixus Pontifex, ne inſontes populi alienis inuoluerentur calamitatibus; miſit Bertrandum legatum Cardinalem, qui in Ioannam & regios inquireret conſanguineos: Vngarus tamen perſuaderi non poterat, eà valere auctoritate legatum Cardinalem, vt Principes ac Ioannam ordini ſubijceret iudiciario. Nec vana eum tenebat opinio. De Reginà nãq. quamuis rẽ Clemẽs vrgere ſepiùs videretur, non eſt habita quæſtio, fęminâ prohibente quæ non agnoſcebat hæc omnia in ſpeciem agi à Pontifice, vt Vngarum iuſtè placaret iratum. Hinc Ludouico iræ grauiores, qui vt ferro leges armaret, cum Germanis, Italis, ac pluribus Regnicolis percuſſo fœdere, adulto autumno Anni 1347. irrupit in Italiam. *Bertrando* Cardinali apud Fulginates occurrenti, ac anathema intentanti reſpondit; *ſua iuſtę vindictæ nec Papam, nec eccleſiam partes habere. Regnum ſibi deberi ex aui iuſtâ ſucceſſione. Regno recepto, Eccleſiæ ſe ſoluturum quod debetur. Anathema ſi iniuſtè ei illatum foret; prouocaturũ ad Deum qui maior Pontifice, reſpicit iuſtitiam meam*: Villani. *libr.* 12. *capit.* 117. Pontifex verò vt regno ſuccurreret periclitanti, per legatum Principes ſolicitauit Neapolitanos inter ſe fœdere conſtringi, vt Vngaros repellerent. Leges diſpenſauit conſanguinitatis, vt *Ioanna Aloyſio* nuberet Principi Tarentino, ex quo vterum iam gerebat, vndè Anno 1347. die 20. Auguſti, nuptiæ celebrantur inter eos, licèt ſecundo gradu iunctos affinitatis, Pontifice diſpenſante, in gratiam *Eliæ de Nabanal Petragoricenſis* Cardinalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Orbe muſſitante vniuerſo de ſcandaloſà diſpenſatione, teſte *Io: Villani libr.* 12. *cap.* 98. cum tamen aliter procedere haud poſſet Pontifex cum Reginà, cuius vterus intumuerat ſemine conſanguinei. Aquilam autem cum veniſſet Vngarus in peruigilio Natiuitatis Domini, plures obuios habuit Neapolitanos principes: quorum metu *Ioanna* perculſa, triremi impoſitis reliquiis auiti theſauri, cum exiguo comitatu in Prouinciam feſtina contendit; eam proſequens Ludouicus Princeps Tarentinus, ut mortem effugeret imminentem, cum ſe à patruelibus proditum agnouit. *Idem cap.* 110. Vrgebant eodem tempore *Ioannam* Arragonii ex Trinacriâ irruptionem minitantes, quos vt pacaret iuribus ſuis in Trinacriâ ceſſit, pacto fœdere: *vt Sicilia regnum apud Ludouicum Trinacrium eſſet iure perpetuo, qui pro annuo cenſu tria millia vnciarum Romano Pontifici annuatim ſolueret nomine Reginæ Ioannæ: ac claſſem quindecim triremium per trimeſtre mitteret auxiliarem cum ſolito milite, ſi regnum ab hoſte inuaderetur Neapolitanum*. Ex hoc fœdere Aragonij in Trinacriâ regium nomen ſibi aſſeruerunt. *Fazel. l.* 9. *c.* 5. Hæc omnia inſcio Pontifice, vt ex *ep. ſecr.* 835. *To.* 6. Ioanna itaq. cum in Prouinciam ſeceſſiſſet; cęteri regiæ ſtirpis principes, nimirum Robertus Imper. Conſtantinopolitanus appellatus, Tarenti princeps ac Philippus frater minor natu, Carolus Dux Dyrrachinus, ac Ludouicus, & Robertus frater, pluribus ſtipati proceribus, officij causà Vngarum Auerſæ agentem conuenere, à quo ad oſcula, & regias dapes admiſſi, inter pocula cecidere. *Carolus Dyrrachii Dux* laqueo finitus, vbi Andreas fuerat præfocatus; cæteri vinculis mancipati in Vngariam tranſmiſſi fuere. Sæuitiam hanc eſt, qui condamnet; quòd eos Vngarus conuiuio excepiſſet. Sed eà conditione admiſerat, ni conſcij fuiſſent necis fraternæ. *Ioannes Villani libro* 12. *capit.* 11. Attolli deindè ſigna iuſſit Neapolim verſus, eamquè armatus ingredi voluit, vt iudicem ſuſpicerent venientem, non amicum. Ciuium propterea contempſit honores, ueteres magiſtratus mutauit, ac de proditoribus iterùm quæſtionem inſtituit. Grauibus poſtea apud Clementem repetitis querelis contra Ioãnam, quę iam ſceleris auctrix conuincebatur ſontium omnium teſtimonijs: Paratum Auenionem ire, ut manibus Pontificis Siculà exornaretur coronà, rogabat; ne pactũ confirmaret inter *Ioannam*, & *Ludouicum* olim *Friderici Trinacriæ Regis* nepotem, cui *Ioanna* iura ſua ceſſerat in Siciliâ, quòd eam inſulam ex Aragoniorum manibus recuperare meditaretur. Inſtabat etiam, ut *Ioanna* in cuſtodiâ, in quam Prouinciales coniecerant, detineretur. Significabat denuò ſe inermen Auenionem acceſſurum, dummodò Papa *Carolum Martellum*, uel *Stephanum* Ducem Tranſiluaniæ, regni Siculi moderatorem crearet. Iſtis reſpondit Papa, ſe Ludouico inſignia Siculi regni elargiri non poſſe; cum *Ioanna* ſceleris

Ludouicus Rex Vngariæ Ioannam accuſat.

Ioanna maſculum parit.

Scandalum Orbis ex Papæ diſpenſatione cũ Ioãnâ.

Arragonij Trinacriã occupãt.

Vngaris regni occupat.

conuicta non eſſet. Inita fœdera inter *Ioannam*, ac *Trinacriam* nec confirmaſſe, nec vidiſſe. Iudices iam conſtituiſſe ad excutiendam Ioannæ cauſam. Carolum Dyrrachij non iure cęſum, nec reliquos Principes vinculis traditos ſeruato ordine iudiciario. Hęc *Bertrando* ſignificauit legato, Nonis Maij, Anno 1348. ut Regem ab iniuſtè præſumptis reuocaret. *ep. ſecr.* 1397. *Tom.* 6. Reſtituendæ tamen concordiæ Siculo regno, actum per *Clementem*, ut *Ludouicus* regni cuſtodiam Sedi permitteret Apoſtolicæ, quæ controuerſiam exciperet, cui litigantium, iura maiora. Vel ſi regnum Carolo Martello tribueretur, Legatus interim regno pręficeretur Apoſtolico. Vel deniq. ſi Ludouicus Rex Vngariæ in regno permitteretur Neapolitano, ibi tolerari poſſe eà lege, ut Sedes Apoſtolica cum ipſo nulla pacta iniret, imò aduerſæ parti eum in ius uocanti coram Pontifice teneretur de iure reſpondere, ordine iudiciario: interim cenſum ſolueret conſuetum. At nullam ex ijs propoſitam concordiæ rationem Vngarus iniit cum Pontifice, cum antequàm literæ à Cardinale legato afferrentur, iam ille ſæuientis epidemiæ metu in Pannoniam euolaſſet. *To.* 6. *ep. ſecr.* 1399.

Intereà *Ioanna* cuſtodiæ tradita, Aloyſio Tarentino rogante, atq. Pontifice iubente dimiſſa, Auenionem ſe contulit Anno 1348. die XV. Martij, vbi more Regio ab omnibus Cardinalibus obuiam egredientibus ſuſcepta eſt. Venit etiam Aloyſius, eoq. die diſpenſauit Pontifex matrimonium inter Ioannam, & Aloyſium, non ſine Chriſtianorum indignatione. Induti poſteà more Regum, Aloyſius vna cum Ioanna viſi ſunt deambulare Auenione; Ponifex enim titulum regium Alo yſio indulſit, regni tamen ſuppreſſo nomine, ac Rege dicto regni, quod nunquàm erat accepturus. Io: Villani. *l.* 12. *c.* 114. Mathæus Villani. *l.* 1. *c.* 17. Ioanna poſtea ab Vngaris Legatis iudicio petita, obiectà exceptione violentiæ, quòd à Ludouico eſſet vi regno pulſa, reſpondit incumbendum eſſe, *vt vi vim repelleret*. Pecunia cum deficeret, Auenionem pretio diſtraxit Clementi Pontifici, qui à Carolo Imperatore impetrauit, ut vrbem imperij beneficiariam regià liberalitate ab imperio diuelleret, vt eà iure ſupremo frui poſſet Eccleſia. *Mathæus Villani l.* 1. *c.* 17. Sic congeſtà pecunià ex venditione Auenionis, ac ex ſacris Prouinciæ decimis, pignoratiſq. monilibus, decem Ianuenſium triremibus conductis, ac *Vuernero* Germano cum equitibus 1200. *Aloyſius* vſurpato Regis Hieroſolymitani titulo, Neapolim venit obuiam ægredientibus ciuibus; cum Vngarus imprudens pro regno tuendo nullam claſſem comparaſſet, vndè facile fuerit ferro, vel auro Vngari expellere præſidia. Felices ſucceſſus cum Ioanna Pontifici ſignificaſſet, Clemens ad agendas Deo grates excitauit; ac duos Cardinales direxit, quorum alterum, Guidonem tit. S. Cæciliæ in Vngariam: alterum Ep. Tuſculanum, vt regnum componeret. Diſcordia non minus linguà quàm ferro agitata, diù Pontificem, Cæſarem, Reges conturbauit. Sopita tandem (teſte *Bonfinio*) cum in gratiam Romani Pontificis, Ludouicus Rex Vngariæ, adulteræ indulſit Reginæ, eiq. vltro regnum reſignauit, vt cum marito vel adultero poſſideret. Vel cum *Matthæo Villani l.* 1. *c.* 92. cum vndiq. conſumpta pecunia, Vngaro deeſſet, quo ſtipendia militi ſolueret: Aloyſio, & Ioannæ vndè ſibi alimenta pararent, facilè ſuſceperunt inducias vſq. ad Kal. Aprilis Anni 1351. Interim quilibet arces ſuas, & oppida in regno poſſeſſa, pacificè teneret, donec à ſede Apoſtolicà *Ioanna* iudicaretur nocens vel innocens. Si nocens, regnum totum *Ludouico* deuolueretur Vngarorum Regi, excluſis omnibus *Ioannæ* conſanguineis. Si innocens; ei omnia oppida *Ludouicus* reſtitueret, vt *Ioanna* regno pacificè frueretur; refuſis ab ea ſolummodò tercentis aureorum millibus *Ludouico* ob bellicum apparatum. Interim *Ludouicus*, *Ioanna*, & *Aloyſius* perſonaliter regno ſecederent, audituri ſententiam ſedis Apoſtolicæ. Cum autem difficilè poſſet excuſari Regina; ſententiam iudices protrahebant, quibus perendinationibus magis lædebatur fama Reginæ. Cui tandem ſpetie impoſità maleficij, quod eam retrahebat à dilectione mariti, promulgarunt inſontem regicidij. *Matthæus Villani l.* 3. *c.* 22. Vngarus tunc arces citò reddidit, captiuos ſoluit, pecuniam pręter omnium expectationem remiſit, dicens ſe non auri cupiditate, ſed iuſtiſſimæ uindictæ ad bellum concitatum: itaquè iam placatà, & bello abſiſtere, ac ſibi pactum aurum repudiare. *Idem c.* 64. Reliqua Ioannæ habes *in vità Vrbani* 6. Sunt qui non gratis Pontificem defenſorem Reginæ Ioannę commemorent: quòd pretium Auenionenſis Vrbis permutauerit cū pecunià, quam Ioanna pridem coronata pro regno promiſerat. *Blondus Flauius.*

Ioanna vendit Auenione Pontifici.

Neapolim regreditur

Induciæ inter Ioannā & Vngarum

6. *Anglos & Gallos &c.* Cum ex Francorum, & Anglorum diſſidiis, quæ occaſione regiæ ſucceſſionis eos fatigabant, vt dedimus *in vità Benedicti XI.* *n.* 5. Soldanus Ægypti Armeniam concuteret; atq. Africani Reges Mahumeticà impliciti ſuperſtitione, vires omnes aduersùs Hiſpanos effunderent; vt tantùm diſcrimen Clemens auerteret, duos Cardinales legauit, *Petrum Praneſtinum de Pratis*, & *Anibaldum Tuſculanum* ad Gallos, & Anglos, vt Regibus obijcientes cladem imminentem, ad pacem adducerent: omneſquè, qui impedimento eſſent, quo minùs conciliaretur concordia, cenſuris reprimerent, ac fœdera de bello inter Chriſtianos promouendo diſſoluerent. *l.* 6. *ep. cur.* 1. Vt ergo Reges Pontifex à bello retraheret; anathema ijs omnibus incuſſit, qui naues conducerent vel ornarent, ad Gallias vel Angliam inuadendas *ep.* 9. Auxerat belli molem Flandrorum defectio, qui Gallo reconciliati flagitabant à cenſuris abſolui, quibus per Clementem V. fuerant irretiti, ſed cum non abſolutè ſed tantùm cautelæ gratià flagitarent abſolui, nil actum. *ep. cur.* 12. *l.* 1. In Anglià etiam cum bellorum occaſione libertas imminueretur eccleſiaſtica, Regem per legatos ſollicitauit, in priſtinum ſtatum reſtituere. *epiſtol. cur.* 4. Taliter obiurgatus Eduardus reſpondit, quòd cum beneficia eccleſiaſtica per Curiam Romanam Cardinalibus, ac alijs in Curià degentibus (qui linguæ imperiti Anglicanæ, minimè in Regno moram traherent, ſed detrimento diuini cultus, iniurià iuris patronatus, ſacras abligurirent opes extra regnum vagando) eſſent collata: proinde rogare, vt in gratiam eorum, qui ex uibus ſuis conſtruxerunt, atquè dotarunt

Anglorum, Gallorum pacem procurat Clemens.

Flandri excommunicati quomodo velint abſolui

runt

runt eccleſias vt indigenæ præficerentur, ac electio in ſui cathedralibus fieret, ne iura ac mores polluerentur primæui, regiæ cum iniuriâ coronæ. Inducijs poſtea abſolutis, aduersùs Gallos triplici claſſe (teſte *Io.* Villani l. 12. c. 46. Anno 1345.) Aquitaniam, Britanniam, Flandriam irrupit. Ex aduerſo Scoti Francorum fæderati, ad diſtrahendas Anglorum uires, contractis triginta armatorum millibus, populabundi irruerunt in Anglos. Tantorum malorum rumor cum in aulâ increbeſceret Pontificiâ, duos Cardinales Clemens ad ea ſopienda legauit, ſed fruſtrà: quod Clemens Gallis nimis propenſus eſſet, Anglo ſuſpectus. Volebat Papa ceſuris agere aduersùs Anglum, ſed diſſentientibus Cardinalibus, abſtinuit. *Villani ib.* Hinc Cardinales Legati cum ab Eduardo liberi commeatus ſyngrapham, vt in Angliam traijcerent, poſcerent: reſpondit iſte: *Quieſcite, nam ego veniam in Gallias.* Primus impetus in Normanniam cum nauibus octingentis, ferro & igne cuncta deuaſtans vſquè ad ſuburbia Pariſiorum. Paucos poſtdies adfuit Philippus cum quinquè Regibus, Carolo Rege Bohemiæ, electo Imperatore; Ioanne Rege Bohemiæ patre; Rege Nauarræ, Rege Maioricarum, ac Rege Scotiæ, cum alijs Ducibus, Comitibus, Baronibus, innumeriſq. nobilibus. Certatum fortiter; ſed Gallis aduerſo Marte. Occubuerunt ex eis Rex Bohemiæ, Dux Lotaringiæ, Comes de Lancono frater Philippi Regis, Comes Flandriç cum duodecim millibus armatorum. *Froſſar. l. 1.* Victor Anglus Caletum duxit, quod Anno 1346. durà obſidione circumuallauit; Interim noua victoria aduersùs Scotos, quorum Rex captiuus Londonium ductus, Eduardum coronauit. Sic in Aquitaniâ, Ouitaniâ, Britanniâ, quoties pugnatum, toties per Anglos Gallus deuictus ſuccubuit. Non ceſſabat Pontifex Eduardum à Gallis reuocare, vt in Orientem conuerteret. Sed religioni ſuam prçferens vtilitatem, nouâ pugnâ victor nauali duodecim triremes, ac ſeptuaginta naues demerſit. Tantæ victoriæ fructus ſolùm Caletum, impar ſanè triumphus. *Ioann. Villani.* Hæc vſquè in annum 1350. quo Pontifice intercedente inducias pacti triennales, cum de pace conuenire non poſſent; iterùm bellum recruduit. Fuit Philippus in cogendis pecuniis verſutiſſimus (teſte *Matthæo Villani c. 75. lib. 1.*) Vndè monetas ſæpè mutauit, decumas quinquennales ſacræ ſpetie expeditionis inuaſit, Gallicos proceres ad inopiam redegit, vt inter tot belli ſumptus, auro ſemper abundaret, & inter clades ei ab Anglo illatas, regna regno noua ſemper adiiceret. Montem enim Peſſulanum à Iacobo emit Rege Baleari (*Mariana l. 6. c. 12.*) Delphinatum Viennenſem Vmberti Principis dono habuit. Principatum hunc (mortuo Philippo Gallorum Rege, Anno 1350.) vt ſibi aſſereret *Ioannes* filius, ac Philippi ſucceſſor ſtudioſè curauit, vt *Delphinus*, qui inter Prædicatores vitæ religioſæ poſt reditum à Turcicâ expeditione inglorius reuerſus ſe addixerat, à Pontifice ſacris initiaretur ordinibus, ac Eccleſiæ præficeretur Rhemenſi. In eius ordinatione is ordo ſeruatus. In Feſto Natiuitatis Domini, quod fuit in Sabbato, ipsũ promouit ad tres Ordines ſacros; In primâ Miſsâ ad Galli cantum ordinat ipſum in ſubdiaconum; in ſecundâ Miſsâ ad Auroram ordinat ipſum in diaconum, in ſummâ Miſsâ in ſacerdotem, eodemq. die Delphinus Miſſam celebrauit; & poſt dies octo Papa ipſum Epiſcopum conſacrauit. *Rebdorfius.* Carolus verò Imperator filium Regis Gallorum ſuâ ex ſorore nepotem confirmauit in Delphinatu, qui Feudum erat imperii: *Argentin.* In Anglum Regem poſtea laxatum anathema, ſacrorum vectigalia in vſus bellicos conuertentem. Pœnitentem poſtea expanſo ſinu excepit Pontifex, ſeueritate anathematis nouo diplomate temperatâ, *vt ex ep. 70. ſecret. tom. 11.*

Galliæ cladis.

Galliæ adiicitur Delphinatus, & mons Peſſulanus

Anglus excommunicatur.

7. *Turcas &c.* Extincto *Othomanno* primo Turcarum Rege; *Orcanus* inter Græcorum diſſidia ita regnum ampliauit paternum, vt Thraciã, Bulgariã, Cappadociam, Bithiniam uſq. uictricia intulerit arma. Hinc naſcenti tyranno ut compedes inijceret Benedictus XI. teſte *Sagredo*; uel Io: XXI. teſte *Petro Iuſtiniano p. 69.* inito cum Venetis fœdere, centum triremes immiſit Duce *Petro Zeno*, qui in Ægeo Mari cęſis Turcis, felicem in auram Chriſticolas excitauit. Poſt Benedictum renouatum eſt fędus inter Clementem VI. Venetos, Cyprios, Rhodios, reliquis principibus diſcordiâ fatigatis; Extat epiſtola Clementis VI. *lib. 2. ep. cur. 23.* ad *Bertucium Gradonicum* (non Bartholomæum vt Veneti appellant annales) in quâ Dux Venetus ſacræ expeditionis ſocius quartam partem ſuſceperat expenſarum. Magnâ tunc arſere inuidiâ Hoſpitalarij, qui ad barbaros reprimendos ampliſſimis opibus aucti, abiectâ ſacri belli curâ, indulgerent delitijs. *ep. ſecret. 233. Tom. 2.* Sacrum apparatum ne Chriſtianorum diſſidia ſoluerent, Iannenſes, qui ad inuadendam Cyprũ claſſem adornabant, partim officio, partim pęnarum metu placauit. Gallos cum Anglis, Aragonios cum Balearibus, Siculos cum Trinacrijs conciliare non potuit. Horum diſcordiâ fretus Sultanus Babylonicus Armenijs inſultabat: qui ad Pontificem miſſis Legatis rogabant, fratribus eodem I. Chriſti cruore redemptis opem ferret. *Tom. 2. ep. ſecr. 134.* Idem flagitabat *Ioannes Palæologus* Græcorum Imperator, ſpe oblatâ reconciliationis cum eccleſiâ Latinâ, ſi in Turcas auxilia ſubmitterent, à quibus prçmebatur. Libenter annuit Clemens, nec ſolùm in Turcas, ſed etiam in Tartaros patrocinium pollicitus, ſi ad gremium matris eccleſiæ redirent Græci. *Tom. ep. ſecret. n. 414.* Nè autem quid intentatum relinqueret, grauiſſimis literis prouocauit Græcorum principes, Senatores, Proceres, Patriarcham, Clerum, populum, Monachos, nè tot populorum ſanguinem de eius manibus Deus requireret. Eas habes *tomo 2.* Veruntamen veteri obfirmati Græci perfidiâ, charitatem eluſere Pontificiam. *Ianibecham* etiam Scytharum Tartarorum Imperatorẽ, qui Chriſtianis liberam permittebat Religionem, orauit; nè à Chriſtianorum tutelâ deficeret, ſed in eorum patrocinio vltrò pergens, imperialem expanderet magnificentiam. *ep. ſecret. 582. Tom. 2.* Claſſe tandem *Henrico* Patriarchç Conſtantinopolitano commiſsa, A. Sal. 1344. qui nomine imperaret eccleſiæ; Venetis triremibus præeſſet *Petrus Zenus*; in Aſiam nauigarunt, ac Smyrnam munitiſſimam vrbem, vi-

Fædus Venetorum cũ Papâ in Turcas

Papa Græcos excitat.

cto

ſcto *Marbuſſano* infidelium principe, die Apoſtolis Simoni, & Iudæ ſacra tenuere, cruentâ barbarorum cæde, in quâ nullo ætatis diſcrimine fœminæ etiam cęſæ, & infantes. *Io: Villani l.2. c.38.* atq. ex *ep. ſecr. 605. ad Andream Dandulum Venetorum Ducem*. Durè cum accepiſſet *Marbaſsanus* infidelium princeps Smyrnam amiſſam, repetitis tentauit aggreſſionibus vrbem redimere; ſed vi apertâ ſemper repulſus, meditatus inſidias, aliquot relictis in obſidione turmis, ſe ſubduxit in montes, noſtros oppreſſurus incautos. Conſilio reſpondit euentus. Dum enim quodam feſto die Legatus extra mænia ſacrum celebraret, ex inſidijs Marbaſſano erumpente, opprimuntur circumuenti. Fugâ *Legatus*, & *Zenus* ſe cum poſſent ſubducere, ille ne ſacrificium prætermitteret non abſolutum: Zenus ne ſacra deſereret facientem, maluerunt ad altare confodi. *Petrus Iuſtin. l.4.* Io; Villani *l.12. c. 38.* Vrbs tamen ſeruata eſt manu Chriſtianorum ſtrenuè pugnantium. Submiſit in ſuppetias Clemens *Imbertum Delphinum Viennenſem*, cum pluribus Crucesignatis. Inſequebatur eum Gallica iuuentus, ſed à Philippo Rege prohibita, querente præclaros viros, quorum conſilia, & opera ſibi ad Anglos propulſandos neceſſaria eſſent, ad bella auerti non neceſſaria, & intempeſtiua. *Tom.3. ep. ſecr.* 1048. Ita Reges præteribant Cęli prodigia,

Venetorum cōſtātia.

Prodigia in Turcas.

8. *Cruce* &c. quibus Deus Chriſtianos excitabat ad arma. Nam apud Aquilam Neapolitani regni viſa eſt Deipara ſplendore circumfuſa geſtans filiū in vlnis, qui manu pręferebat Crucem. Plures etiam infantes impreſſam humeris ex vtero tulere crucē. Hiſce prodigijs Deus Chriſtianos excitabat in Turcas priuſquàm eorum ingraueſceret potentia. *Hiſtor. Piſtor.* Sed Galli, & Angli in mutuas cędes concitati, Deum ſpreuere vocantem. *Delphinus Viennenſis* cum nil proficeret, vacuus rediens, & inglorius, ſtatum mutauit, habitu ſumpto Regulari, vt vidimus *ſupra n. 6.*

9. *Græci*, & ipſi diſſentientes, Turcas iuuarunt. Nam Cantacuzenus vt Paleologo imperium vſurparet, acceitis Turcis (quorum gladio Byzantium excepit) ne ingratus videretur, *Orchano* Turcarum Regi filiam ſuam ſacris initiatam Chriſti, non perhorruit proſtituere, vt Mahomethi vltori accederet concubina. Hinc tantâ apud Byzantinos flagrauit inuidiâ, vt nonnulli qui *Zelotes* appellabantur, eius impurâ ſocietate ſe autumantes pollutos, vt ſe purgarent, more Anabaptiſtarum, iterùm baptiſmo luſtrari impiè voluerint. *Cantacuzenus l. 5. c. 93. 95.* Tantis calamitatibus obrutus Rom. Pontifex, inducijs cū infidelibus paciſcendis non diſſenſit. *ep. ſecret. 759. Tom. 5.* Claſſe tamen retentâ, cui præerat *Franciſcus Cretenſis Archiep.* ad coercendas in Europam Turcarum excurſiones, qui violatis inducijs, inſtructâ centum, & quinquaginta nauium claſſe, *Imbrum* inſulam perfidi oppugnabāt A. 1347 Sed auxilio afflante ſuperno, vigilantiâ Cretenſis Archiep. incenſis hoſtium nauibus centum ſupra octodecim, quinq. Turcarum millia, qui in terram euaſerant, in ſeruitutem abducta ſunt. *Boſius p. 2. l. 2. hiſt. Equit. Hieroſolym.* Indè in Sarracenos Syros arma conuerſa; Sultanus namq. Babylonicus expulſo

Gręcorū perfidia.

Agnato Aiacio, Armeniam populabundus inuaſerat, ratus eâ euerſâ Occidentales non ampliùs Orientalia bella meditaturos. Periclitanti Armeniæ auxilia tulere *Hugo* Rex Cypri, & *Deodatus è Gozono*, Rhodiorum equitum magiſter; quòd victis Armenis, Rhodijs, & Cyprijs par inſtaret exitium. Mandauit etiam Pontifex Archiepiſcopo Cretenſi in Ciliciam vela expandere, ad defenſionem Armenię. Legarat *Conſtantius* Rex Armeniæ Oratores ſuos ad Occidentales, vt eos excitaret ad colligendas in Oriente fęliciores palmas. Sed ſurdi Galli, & Angli obduruere ad tantas calamitates. *Clemens* maiora promiſit ſubſidia, ſi Rex Romanis Legatis, qui ad excindendos errores in Armeniam exortos potenter, & patenter adſtaret *ep. ſecret. 410. Tom. 6.* Rhodiorum verò ac Cypri Regis auxilio, Sultanum Armeniâ propulſatum, immò arcem inſignem *Iſſo* dictam aliàs *Alexandretam*, olim victi Darij ab Alexandro memoriâ celebrē à Conſtantio recuperatam, refert *Boſius. ib.* Agebatur interim de protrahendis inducijs inter Crucesignatos. Marbaſſanus Smyrnæ oppugnationem aggreſſus, ſed magnâ clade repulſis, vitam amiſerat. *Tom. 7. ep. ſecret. 199.* Io: etiam *Cantacuzenus* uſurpato Græcorum imperio, cum Turcas ſocios, & affines ſuos ſuſtinere ampliùs nequiret, ſpecie detergendi labem contractæ cum Turcis affinitatis, Legatos ad Clementē Rom. Pont. deſtinauit, dicens ſe paratum ad iungenda in Turcas cum Latinis arma. *Cantacuzen. l.4. c. 9.* Permouerat *Cantacuzenum* ad Pontificem ſollicitandum, ambitio *Solimannus*, qui mortuo Orchano patre, Byzantium adoriebatur. *Calchondylas l. 1. Anno 1348.* Honorificè excepti Legati ſynodum poſtularunt congregandam ex Græcis, atquè Latinis, quam negauerat Benedict. XI. quòd Græci hęreſi infecti, in dogmate decidendo, non poſſent ferre ſuffragium: neq. olim à Concilijs deciſa fides deberet in dubium reuocari. Clemens tamen cupidiſſimus ſchiſmatis abolendi, non negauit: cum ueritas non eſſet in diſcrimen adducenda, ſed per catholicos ſchiſmaticis exponenda, atq. ſcripturis confirmanda. Pium uerò deſiderium mors oppreſſit (*Cantacuz. ib.*) ubiq. pręualentibus Turcis, qui in Venetos cum Ianuenſibus fędus percuſſerant. *Matthæus Villani l. 2. c. 74.* Fuit Pontifex Venetis non ingratus, quos rebus implicatus domeſticis cum ęre multum iuuare non poſſet, ſuppleuit laudibus, & exactionibus Decimarum: vt ex ſequentibus literis, quas etiam recitat *Alex. Maria Vianolus l. 14. Hiſtor. Venet. par. 1.*

Turcæ in Armeniā irruunt.

Legatio Gręcorum ad Papam.

Clemens Ep. ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Apoſtolicæ ſedis Auctoritas prout ſæpè temporum varietate didicit, ſæculari principum Dominio ſuffulta, eò ſæpè ſuos protulit fines, vt ſi quos ſpirituali gladio incuſſus terror ad congruos obedientię non impulit fructus, ab iis licèt inuitis Chriſtianorum principum poteſtas in eandem ſedem debitum reuerentiam extorqueret, quæ ideò, vt ſæpè grauioribus hoſtium attrita periculis non ſatis tutam ſine pro eorum fauore ſpiritualem dignouit exiſtere poteſtatem, ita in eos ad digna gratitudinis officia procedendum eſſe duxit, per quos pro temporum opportunitate eam contigiſſet efficaciter defenſari; in quod nunc eò propenſiùs vires pro noſtri paſtoralis officii munere impendimus, quò inclytam

Clemens VI. Venetos laudat.

tam

tam Italiam, ac Romani Imperii Arcem Romani, ad quam B. Petrus Apoſtolorum princeps, extitit deſtinatus, præſentium temporum iniuriâ ad perniciem, & fidei periculum ferè redactam, & dubiis tantum derelictam rebus infidelium, et Barbarorum incurſionibus, patere dignoſcimus, paſtoriſquè ſolatio deſtitutam, ſolâ Chriſtianorum principum propenſione, vt matrem ſuam fouere, ac tueri poſſe confidimus, in quo opportunè attendentes, et debitâ conſideratione præ oculis habentes, quot labores, ac ſudores prò eadem ſede Veneti continuò ſubierint, qualia beneficia eidem tanquàm dilecti filii perpetuo atquè continuo Catholicæ fidei pabulo, ab eorum ortu enutriti contulerint, et quàm diuturni laboris, atquè impendii, Maris ſui Adriatici legitimum tuentes Imperium, ſæpè ab eo hoſtium, arcendi conatus occaſionem ſint nacti, in eoſdem tanquàm Apoſtolicæ ſedis defenſores, et per quos olim dum collapſa dubiis derelicta prope videbatur euentibus, ad opportuna gratitudinis officia procedendum eſſe arbitramur; Quam ab rem motu proprio, non ob eorundem Venetorum, ſeù alicuius pro eis, nobis ſuper hoc oblata petitionis inſtantiam, ſed ex merà, & debitâ gratitudine cum ipſi agentes, ac eidem ſedi commodum, ac vtilitatem exoptantes eiuſdemq. dubijs rebus in futurū proſpicientes, eiſdem Venetis vt quotannis perpetuum ſui Maris inuiſentes Imperium; vt dilecti filii Apoſtolicæ ſedi propenſionis exhibeant fructus, quò ad id aliquo gratitudinis officio, & opportuni auxilij munimine ab eadem ſe viderint communiri, quotannis ſingulas Decimas omnium, et quorumcunq. beneficiorum Eccleſiaſticorum concedimus, etc. Data apud Villam Nouam Auenionenſis diœceſis 18. Kal. Iulii Pontif. noſtri An. V. Sal. 1346.

Veneti Maris Domini

10. *Gallo magis, quàm Petro Clemens.* In ſumptus defendendę Galliæ ab Anglorum incurſione, Theſauros Eccleſiæ per Clementem diſperſos fuiſſe, auctor eſt Bzouius *An.* 1352. *l.* 23. ex Matthæo Villani *l.* 3. *c.* 39.

11. *Affinium*, & conſanguineorum ſuorum valdè amator extitit Clemens, quibus liberali manu theſauros diſtribuit Eccleſiæ. Cardinales ferè omnes creauit uel conſanguineos, uel Gallos in gratiam Regis Gallorum, nimis iuuenes, ac turpis, diſſolutæq. uitæ. Ipſum etiam libidinis accuſant Matthęus Villani Rebdorfius, Argentinenſis, mancipia Ludouici Bauari contrà Pontificem; non ſinè ſcandalo, eidem ægrotanti miniſtraſſe Domicellas, inter quas Comitiſſa Turenæ. More inſimulant uixiſſe regali, aulicos iuuenes promouens dedecoris immemor, quod patiebatur Eccleſia Dei. Fabulam recitat Squarziaficus in vitâ Petrarchæ; huic venuſtam fuiſſe ſororem, quâ interprete galerum potuiſset conſequi Cardinalitium. Iniuriam etiam ſibi vindicaſſe illatam eundem Petrarcham, ſcripſit *Philelphus* in eâ cantilenâ; quæ incipit: *Io non vò più cantar come ſolea.* Huius uirginis lenonem adiungit fuiſſe eiuſdem Petrarchæ fratrem Gerardum, qui poſteà pœnitentiâ ductus, nuptâ ſorore, inter Carthuſienſes ſanctè quieuit. Hæc omnia in fabulis. Nam in eo libello, qui de *Vitis Pontificum*, Petrarchæ inſcribitur, Clemens VI. laudatur non uituperatur: licet Mornæus, aliiq. Eccleſiæ infeſti Romanæ uitia Pontificum uel excogitent, uel ſi uera pleno reſonent ore; quaſi auctoritas Apoſtolica geſtis inhæreat humanis; & Angelum non hominem Deus nobis in Pontificem delegauerit. Quid mihi ſacerdos cum ſacerdotio, & Apoſtolus cum Apoſtolatu? Hebręi etiam iniquos ſunt paſſi Pontificē, eorumq. vitia calamo exararunt acuto, apertoquè ſtylo ſine figuris: Vt cùm eorùm vitam, & vitia legerent ſucceſſores, erubeſcerent ſi iniquis ſe diſſimiles non agnoſcerent, ac pari libertate feriendos apud poſteros expectarent. Heu ſi libertas vinciretur, & veritas. Huius ſolo timore plurimi peccare formidant. Reliqua ergo, quæ de Clemente ſcripſerunt, audire non pigeat in laudem bonorum, & malefactorum vindictam. Hæc à Germanis ſcripta Bauari ſtudioſis; vel Italis Clementi infenſis quia Romam non rediret, ne prætereas ſine aſteriſco. Nam ſi Itali, & Germani vituperant: Galli laudāt; Palatio eius (ad hiſtoriam redeo) affixam fuiſſe chartam, in quâ Leuiathan Princeps tenebrarum ſalutabat Vicarium Papam, & Cardinales famulos ſuos, quorum ope in Chriſtum vincere gloriabatur. Salutabat eos mater eorum ſuperbia, & ſorores Auaritia, & Luxuria. *Albertus Argentin. p.* 156. eſt auctor. Eodem anno cum quidam *lector Carmelita* ſermonem faciens in Miſſa Papę, eum & Cardinales de eorum vitijs adeò reprehenderet, vt adſtantes omnes terrerentur; meritò fuit è gradu depoſitus; *Argentin.* Idē cōrigit Haiabalo Franciſcano, qui Auenione declamabat Eccleſiam Romanā eſſe Babylonicam meretricem; Benedictum, & Ioānē Clementis prædeceſsores damnatos: Zelo namq. indiſcreto nec ſinè graui ſcandalo, tumidus vulgabat vitia maiorum. *Beſtia, quæ tetigerit montem, lapidabitur. Exodi* 19. Oza à Domino percuſſus interijt; quòd Arcam Dei tetigiſset. Hinc Thomas 2.2. *qu.* 33. *art.* 4. *Tunc Prælatus inordinatè videtur tangi, quando irreuerenter obiurgatur, vel etiam quando ei detrahitur. Et hoc ſignificatur per contactam Montis, & Arcæ damnatum à Deo. Paulus non reprehendiſſet Petrum, niſi aliquo modo par fuiſset quantum ad fidei defenſionem: ſed in occulto admonere, & reuerenter poteſt etiam ille, qui non eſt par.* Hiſtoriam cum ſcribam non panegyrim, nil prætermittere volui ex his, quæ uel ab æmulis ſcriptoribus, quorum princeps Argentinenſis, & Villanus, exarata ſunt; Petrarcham imitatus, qui licèt uitia nonnullorum Pontificum damnauerit, dignitatem tamen non imminuit Apoſtolicam: immò in gratiam ſcribere eſt proteſtatus Eccleſiæ Romanę, cuius honori non iuriſdictioni vim faciebant uitia Pōtificum *l.* 2 *ſen. ep.* 3. Quantis porrò uirtutibus Clemens VI. uitia ſua moderatus ſit, ultra ea, quæ ſupra habes, modeſtiam

Vitia perſonę non prę iudicat dignitati.

Maiores quo modo arguēdi;

12. *Neptem &c.* adiunge licet damnoſam affinibus. Cum enim Ludouicus filius Friderici Regis Trinacriæ unam ex nepotibus Pontificis in uxorem ſibi poſtularet; excuſauit Clemens, affirmans neptem ſuam tantò imparem eſſe faſtigio, & connubio. Hinc Euſtachium Paſchalem ciuem Meſſanenſem, Regis legatum benignè accepit; Regiam uerò affinitatem modeſtè excuſauit. *Bzouius ex ep. non. Iul.* Carmina accipe ſupplicia, quæ & Pontificem laudant, & ordine lectu retrogrado, vituperant, teſte *Ciaconio & M. Chron. Belgii.*

Negat neptem Regi tradere in vxorem.

Laus tua, non tua fraus, non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium.

Pau-

Pauperibus tua das, nunquàm ſtat ianua clauſa,
Fundere res quæris, nec tua multiplicas.
Conditio tua ſit ſtabilis, non tempore paruo
Viuere te faciat hinc Deus Omnipotens.

13. *Obiit* Clemens, mortem prænuntiante diro Comete; ac quatuor diebus ante eius obitum 4. Non. Decemb. turri tintinnabularia S. Petri fulmine tacta diſiecto tecto, ac fuſis campanis, *Matth. Vill.* Pauco tempore languens, inſperatè obiit vt ex *M.S. Vatic.* cum Patres legeret, ita *M. S. apud Io. Bapt. Cornelium P. S. Marci*. Literatiſſimum Pontificem appellauit Petrarcha, *l. 2. rerum famil.* ſed occupatiſſimum, propterea compendiorum auidum. Hinc *Fr. Bartholomaeum de Vrbino Eremitam Auguſt.* qui ex Auguſtini ſententijs ingens ſententiarum volumen ordine congeſſerat alphabetico, ſub titulo *Milleloquii*, Epiſcopum creauit Vrbinatem, iubens vt idem faceret de Ambroſio. B Diſcipulus fuit magni illius *Auguſtini Triumphi*. De eius tenaci memoriâ ità Petrarcha, *ib. Clemens 6. egregius nunc Romulei gregis paſtor, tam potentis, & inuictæ memoriæ traditur, vt quicquid vel ſemel legerit, obliuiſci (etiam ſi cupiat) non poſſit. Illud additur miraculo, hanc tantam ſibi memoriã magno quondam capitis ictu, cuius adhuc teſtis extat ingẽs ſupremo vertice cicatrix perueniſſe. Memorabilis caſus, ſi modò verus: hoc enim habet inter multa clarorum admiratio: viã fabulis aperire*. Auctor qui ad *Bernardum Guidonem* appendicem adiecit, Clementem elogio exornauit ſequenti, vocans *Clementiæ ſpeculum, hoſpitem charitatis, miſericordiæ patrem, pietatis alumnum, liberalitatis miniſtrum, iuſtitiæ pugilem, æquitatis athletam, concordiæ ſatorem, pacis amatorem, modeſtiæ normam, religionis exemplar, amicitiæ fomitem, ſpei anchoram, fidei baſim, complacentiæ morem*, C *eloquentiæ florem, honorem generis, & patriæ decus*. Clementiæ ſanè ſpeculum fuit; nam veteres inimicos ornauit beneficijs: vndè Petrarcha *poem. ad Io. Card. Columnam*.

Nulli maior ineſt clementia, nomen ab ipſis
Dignum rebus habet.

Supplicationẽ cum obtuliſſet is, qui eum in minoribus verbaliter, & perſonaliter læſerat; ſperans quod magnis occupatus Clemens, iniurias non recordaretur acceptas; non ſolùm benignè accepit, ſed cupidine tẽtatus vindictæ, membranas in terram proiecit, pedibus conculcauit, ſeipſum redarguens: *Vade Diabole, vindicta non præualebit*. Quo dicto, protinùs ſignauit ſupplicationem. Auctor vitæ apud *Boſquetum*. D Pauperes quantũ amauerit! Annũ pende 1348. quo ſæuiſſima lues Orbem habitatore ſpoliauit: Florẽtiæ Tuſcorum centena hominum millia occidit: Orbem totũ peruagata; vix deni, vbi lues minùs nocuerat, ex centennis ſuperſtites erant. *Blondus l. 10.* Audi Albertum Argent. *Facta eſt peſtilentia hominum, qualis à tempore diluuij non eſt facta, aliquibus terris hominibus penitùs euacuatis, multiſq. triremibus in mari cum mercibus habitatoribus extinctis, ſinè rectore repertis. Papa incluſus camera habenti ignes magnos continuè, nulli dabat acceſſum:* ità periculum præterijt. Magna tunc pietatis chriſtianæ opera enituit in *Clemente* erga eos, qui morbo infecti, quos foueri ſũptibus ſuis, vel ſepeliri curauit in agro, quem ipſe emerat, vbi templum Deiparæ conſtruxit, & annuis do- A nauit redditibus: *Ciaconius*. Huius peſtilentiæ occaſione ad placandum Deum cæperunt Germani maſculi, & fœminæ ſe publicè flagellare. Pietas hæc mox in manifeſtã impietatem conuerſa laicos excitauit, ut gladio uſurpato ſpirituali, ſocios à peccatis abſoluere non formidarent (teſte *Rebdorſio*) Epiſtolam mentientes apocrypham (teſte *Alb. Argentinen.*) de Cælo delatam per Angelum in Eccl. S. Petri in Hieruſ. in quà querebatur Chriſtus, diem non ſeruari Dominicum, non ieiunari feriâ 6. ſed in adulteria, vſuras, blaſphemias pronos homines; Deum plàcari non poſſe, niſi per 34. dies ſe exules flagellarent. Argentinenſis, more ſuo iniuſtè, & incautè Clemẽtem accuſat, quià ſub pœnà excommunicationis prohibuerit, vt pænitẽtes de cætero publicis vterentur flagellis, ſed tãtùm in cubiculo ſuo poſsent carnem flagellare; volens eos carceri tradere, & iure, quia ipſum Pontificem obligare vellent ad flagella: excuſantibus nonnullis Cardinalibus eorum ſimplicitatem, abſtinuit. Meliùs fuiſſet; ſi Sacramentorum profanatores corripuiſſet, quæ ſacrilegi manu laicâ ſocijs miniſtrare dicebant. Palatiũ etiã Pontificium abſoluit, & cum ex duobus conſtaret angulis, fecit quadrangulum. Conſiſtorium exornauit, in throno depictâ Maieſtate supernà cum hieroglyphicis, quæ ad normã recti iudicii ſacra ſcriptura ſubminiſtrat. Monaſterium *Caſæ Dei*, in quo Monachus vixit, prouentibus ditauit: eiuſq. eccleſiam vetuſtate conſumptam à ſolo refecit, *Boſquetus*. Mortuus poſitus eſt in calce, prò deſtructione carnis, ac ſepultus in monaſterio *Caſæ Dei*, in quo olim Abbas fuerat, vt iuſſerat in ſuo teſtamento. *Argent.* Funus tamen dilatum vſq. in æſtatem. Interim corpus translatum ad eccleſiam Deiparæ cathedralem. *Innocent. XI.* ſucceſſor C eius funus curauit, erogatis quinq. aureorũ millibus, vt ad monaſterium *Caſæ Dei* transferretur cadauer; ita ex ſyngraphà *Innocentij Card. S. Laur. in Damaſo, Guillelmi tit. S. Mariæ trans Tyberim, Guillelmi S. Mariæ in Coſmedin, & Nicolai S. Mariæ nouæ*, Menſ. Martio anni ſequentis. Fuere iſti (Boſquetus) *Frater, tres nepotes, & vnus conſanguineus ſui (quos ipſe Cardinalibus aggregauerat, dum viuebat)* qui eum comitari sũt ad ſepulchrum. Tradit Maſſonius Monachos *Caſæ Dei*, vt tanti beneficij ſeruarent memoriam, ſex Roſas inſignibus Monaſterij miſcere conſueuiſſe. Duo poſt ſæcula, A. ſcilicet 1562. Caluiniani in odium Religionis, violato ſepulchro, confractâ ſtatuâ marmoreâ effoſſum cadauer in flammas miſere. Et quià D Clemens penè formidabilis iacebat; armari enim hominis ſtatuam exhibere videbatur, quia ſingulæ corporis partes plumbo tectæ erant: ioco clamabãt militari: *An te putas, magne Pontifex, plumbeis armis cacodæmonem victurum.* Eius tamen imago adhuc Lutetiæ Pariſiorum cernitur in feneſtrà vitreà, quæ prima omnium occurrit ingredientibus templum Sorbonicum, eius ope extructum; vbi genu flexo ſacram Virginem adorat, cum inſcriptione; *Clemens PP. VI. Prouiſor huius domus*.

Scripſit Clemens. *Sermones Varios* teſte Ludouico à S. Carolo. *In Canonizationem S. Iuonis. In approbationem Caroli Reg. Francor. Collationum l. 1. Miſſam pro Mortalitate*, Recordare Domine *teſtamenti tui*. Correxit *Aureum numerum*, vt ex *ep. 303. Epiſtolarum* plura volumina. Conſtitutionem de Victu Cardinalium quoties ad eligendum Pontificem conueniunt. Laudatur in funere à S. Petro Thoma Aquitano Carmelita.

Cardinales XXIX. dicitur creaſſe, de quibus ſuo loco.

INNO-

Literatura Clementis 6.

Memoria.

Mores Clemẽtis.

Clementia.

Peſtilẽtia in Orbe.

Pietas Clem. 6.

Ædificia.

Calumnia in Clementẽ.

Sepultura.

Sepulchrum violatur.

Scripta.

INNOCENTIVS SEXTVS PONTIFEX ROMANVS CXCIX.



THronum Dei in Mari poſitum Ioannes pingit in Apocalypſi , vt Pontifices erudiret ad iuſtam, & Geometricam dignitatum diſtributionem . Quemadmodùm enim Mare pretioſos lapillos ac ſarcinas magni ponderis ſinu claudit , quaſi blandiendo , foueat ; res autem leues , & nullius ponderis in littota euomet : ita Innocentius VI. Pontifex Romanus Officia , & dignitates Eccleſiæ non niſi moribus , & eruditione viris conferebat grauiſſimis .

Eligitur Anno Sal. 1352. die 14 Kal. Ian. Obijt Anno 1362. die XII. Septemb. Cum ſediſset Annos 9. Menſ. 8. Dies 25. Vacat ſedes diebus 45.

E L O G I V M.

Anni Sal. In. 1352. II Ad *innocētiā*, & *Innocētiū* ſexto redit Pōtificatus A
Genere medius , eruditione ſupremus
Vota principum captauit famâ doctrinæ .
In Rotâ poſitus, ſtetit legum conſtantiâ
Quas ſibi primùm impoſuit .
Non aliter imperaſſet alijs:
Honeſte viuere .
Non audens Clemens tāto vito inclemens eſſe

Epiſcopum dixit, & Cardinalem : Anni Sal. In. 1352. II
Dixiſſet Papam, ſi Papa ſuſtineret conſortem .
Quo mortuo, Patres nè morâ iniuriā facerent ,
Alterâ à Conclauis ingreſſu die
Nec Gallo expectato Rege,
Qui electioni cupiebat adeſſe :
Pōtificem communi voto, ac voce elegerunt ;
Ex *Stephano Innocentius* dici maluit,

runt, alii clauſulam adiunxere *ſi iure niterentur*. Dignitati porrò aduerſas Apoſtolicæ, conuulſas uidebimus Anno ſequenti. Interim cum accepiſſent Cardinales, Ioannem Francotum Regem Aueniouem contendere, ut Pontificem ſibi acceptiſſimum creandum curaret (quod facile erat ab amicis, & ſubditis impetrare) ipſi tuendæ libertatis gratià maturatà electione, armatas anteuertendo preces, communi ſuffragio *Stephanum Albertum* elegerunt (teſte *Matthæo Villano l. 3. c. 40.*) qui *Innocentius* dici uoluit; impleto S. Malachiæ uaticinio *de montibus Parmachij*, quia patrià *Montenſis*, & Cardinalis eſſet titulo *Parmachij*.

Vaticinium de Innocentii Pontificatu.

2. *Faſtum proſcripſit*. Fuit Innocentius VI. uir iuſtus, & rigidus aduersùs etiam Cardinales. Electionis ſuæ cum Principes feciſſet certiores, in eadē epiſtolà literarum Apoſtolicarum latores coercuit, nè Principes precibus fatigarent importunis. Anno poſtea 1353. iniquas Cardinalium pactiones in præterito ſancitas conclaui, reſcidit. Nefas namquè collatam à Deo poteſtatem finibus circumſcribere, & humanis definire limitibus *l. 1. ep. 5.* Reuocauit etiam Clementis conſtitutionem, quà nonnullas dignitates Cardinalibus in cathedralibus, collegiatis, & regularibus reſeruarat eccleſiis. Eccleſiarum ac Monaſteriorum *Commendas*, quæ extortę fuerant precibus improbis, ne cultus uileſceret Eccleſiaſticus, abrogauit. *Albertus Argentin. Rebdorfius*. Suſtulit vectigal meretricium, quod miniſtri ab infelicibus mulierculis abradebant. *Cantelor. in elench. Cardin.*

Iniuste decreta, vel conceſſa ab anteceſſoribus reuocat.

Vectigal meretricium.

3. *Minutà pompà Pontificis*. Peractà coronatione Innocentius, Prælatos, & alios beneficiarios in curià morantes ad ſuas protinùs redire iuſſit Eccleſias, & in eis perſonaliter reſidere ſub pęnà excommunicationis. Diminuit poſtea expenſas, familiam ſuam, & omnium Cardinalium. *Platina: M.S. Vatican. n. 2040.* Eccleſiaſticam etiam diſciplinam in Germanià, luxu, & haſtiludijs prohibitis reſtitui curauit, datis literis Archiepiſcopo Treuirenſi vt in *Tom. 7. p. 1. ep. ſecret.* Concordant Platina, Card. Ægidius. *Minuit* (inquit) *impenſam, & familiam, in quam non niſi probatiſſimum aſciri poſſe voluit. Idem edictum propoſuit Senatui, & Patribus uti ſeueritatis, modeſtiæ virtutiſq. omnes exemplum eſſent populis, vt dignitatibus, opibuſq. non abuti, ſed illis modeſtiſſimè fungi, his ſanctiſſimè, & in pauperes liberaliſſimè vti viderentur.*

4. *Sacerdotia &c.* De collatione beneficiorum per Innocentium VI. ita Ægidius. *Vnus ſtatuit Innocentius VI. vt non quàm diues, aut quàm nobilis, ſed quàm eruditus, quàm ſtudioſus quis eſſet, ratio haberetur: homines ad ſacra admittendos, non de cenſu, vel ſtemmate, ſed de virtute, & pietate cenſeri oportere, rerum humanarum contemptores recipi, cupidos expelli: quibus Chriſti, & Apoſtolorum vita cordi eſſet, iis eccleſiarum curam credendam: contra, quos opes, luxuſq. delectant, hos arcendos eſſe à diuinis adminiſtrandis: Apoſtoli regulam propoſuit, qui non laborat, non manducet: qui non abſtinet à luxu, atquè illicitis, nec Eccleſiarum cenſus accipiat; nequè decere, iuſtiorem eſſe Sapho Poetriam Sacerdotibus, Epiſcopiſquè qua (Triphone Grammatico teſte) verſum ſcripſit; vbi iuſtitiæ formulam, mirà feſtiui-* tate, complexa eſt? *Nec mihi mel, nec Apis, qui Apis morſus refugit: mel iit, qui non refugiunt, relinquat.*

5. *Iuſtitià* Innocentii VI. fundendi ſanguinis eſt corruptela ſublata, quà viliſſimo interdum pretio cruor emebatur innoxius: cum lucri illecebris reos abſoluerent aulici, modò cum cæſorum conſanguineis tranſegiſſent. *Tomo. 1. ep. ſecret. p. 137.* Auditoribus etiam (quos *Rotæ* vocant) *præmia dedit; nè, in iure dicundo, cauſas non iudicare, ſed vendere potiùs cogerentur.*

Auditoribus Rotæ dat prę-mia.

6. *Italia &c.* Gallorum, Anglorum, Ianuenſium ac Venetorum bellis (qui diſſidiis ſuis Turcas excitabant) Tyrannorum cum accederet ambitus, qui ex Romanorum abſentià Pontificum audaces facti, hos omnino Italià moliebantur excludere, toto ferè occupato Petri patrimonio; ac Romæ pręcipuè *Ioānes è Vico* immineret: ad huius frangendos conatus, Innocentius *Ægidium Aluarum Albornotium* gente Hiſpanum, Cardinalem S. Crucis (in bello Africano is pro Alphonſo Rege ſtrenuè rem geſſerat) legatum miſit à latere, cum liberà poteſtate ſoluendi atq. ligandi. Ad Inſubres primò deſcendit, à Ioanne Archiep. Mediol. magnifico acceptus apparatu, Bononiam tamen ire prohibitus, nè ſua præſentià ad libertatem populos excitaret. Propterea Piſas deflectens, Florentiam venit Ann. Sal. 1353. die XI. Octob. Obuiarunt ei pompà ſolemni populi, feſto campanarum clangore, ingenti acclamatione, prætenſo eius capiti vmbraculo prædiuite, ac nobiliſſimi ciues equi frena tenentes in paratas ædes deduxerunt. Diſcedenti non ſolùm oblata munera ſed etiam 150. equites auxiliares *Matthæus Villanus l. 3. c. 80.* Venienti in Patrimonium legato arces Volſinii, Aquæpendentis, Montisflaſconis ſe dedidere. Grauiora tamen in Vrbe diſſidia. Aduersùs Senatores ſuos, *Bertholdum Vrſinum, & Stephanellum Columnam*, ob annonæ caritatem populus concitatus Romanus lapidibus Bertholdum Vrſinū (*Idem capite quinquageſimo tertio*) obruit. Sabellis poſtea, Vrſinis, Columnenſibus inter ſe digladiantibus; non defuere viri principes, patriæ perduelles, qui *Ioanni è Vico* Romam ſubdere tentarent. Tantis oneribus cum ſpem faceret populum liberandi *Franciſcus Baroncellus* ex obſcuro genere, arte ſcriba Senatus, Tribunus populi, ac Romæ Conſul à populo ſalutatus, globum cæleſtem tænià oleagineà cinctum in quo S. P. Q. R. nomina deſcripta erant, pro inſignibus accepit (*Matth. Villan. l. 3. c 74.*) Quatuor Menſibus faſces tenuit, donec populo ingratus & inuiſus inſignia arreptæ poteſtatis ſuo cruore fœdauit. Hiſce tyrannis acceſſit Monſregalis de Albarno eques Rhodius, natione Prouincialis, qui ſub Ægidio Cardinali aduersùs hoſtes Eccleſiæ bellica explicuit facinora. Sed ſpem breui corrupit rapinæ libido. Nam ſicariorum collecto manipulo, in Picęnum irrupit non ſine Italiæ terrore vniuerſæ. Furebant etiam *Gentilis Mediolanus, Malateſta, Bernardinus Polentanus, Ioannes, & Guillelmus Manfrediani, Franciſcus Ordelaffus*, & Forum Semprontum, ac Forum Popilium durè præmebant. In hos veterem tyrannum *Nicolaum Laurentium* (quem Clemens 6. vinculis mancipauerat) Innocentius edu-

Tyranni occupant S. Petri patrimonium.

Albornotius Cardinalis.

Tumultus Romæ.

Fran. Baroncellus.

Mons Regalis

Alii tyranni.

Nicolaus Laurētius carcere ſoluitur.

eduxit, vt clauo clauum figeret. Creatum Senatorem Romanus populus triumphantis more ſuſcepit Anno Sal. 1354. A iuſtitiâ præturam exorſus, *Montem Regalem* (qui Romam venetat) perire iuſſit manu carnificis. Inter clamores cecidit & queſtus, aduersùs diuitias ſuas, quarum cauſa ſe querebatur damnatum. Hinc rumor, & odium aduersùs Laurétium, præcipuè quòd etiam *Pandulphum Pandulphuccium* magnum exiſtimationis virum carcere fœdaſſet innoxio, ac nouis Romanos grauaret vectigalibus; facilè plebem commouit, à quâ gladijs confoſſus, ſuſpenſus demùm à Iudæis exuſtus eſt. *Matthæus Villan. l.4. c.26.* Venienti interim in Italiam Carolo IV. Romanorum Regi iuſſus *Albornotius* auxilijs adeſſe oportunis. Fauit Carolo Ægidius in coronatione imperiali: ac viciſſim Carolus Ægidium in perduelles eccleſiæ Germanico armauit equitatu, quo Malateſtas ad officium reuocauit. Arimino, Piſauro, Fano, ac Foroſempronio recuperatis; aduersùs Manfredianos mouit Fauentiæ tyrannos, & Ordelaffum tyrannum Foriliuij. Is ſeptem ſacerdotes, qui eccleſiaſticum interdictum violare renuebant, laqueo præfocauerat. Alios ſeptem cute nudauerat, vt horrore martyrij cæteros exterreret. Anathemate cum ſe agnouiſſet percuſſum; Pontificis ac Cardinalium imagines rogo cremauerat, iactans: Anathema non mutare ciborum ſaporem, neq. corpora offendere. Impius & parricida filios lacrymis rogantes, ne exitio ſe exponeret, necauit. Primo aduentu Legatus Polentanos oppreſſit, qui Rauennam vſurpabant, & Ceruiam. Anno poſtea 1357. aduersùs Cæſenam promotis caſtris, expugnauit captâ Ciâ Ordelaffi coniuge, fæminâ ferociſſimâ, quæ incredibili audaciâ arcem fido milite tuebatur. Re iam deſperatâ, cum ad eam pater veniſſet, vt arcem honeſtè Legato tradere ſuadèret filiæ: noluit fœmina fortis, donec mœnium ruinâ victis cuſtodibus, in eorum gratiam arcem tradidit, dummodò liberè ægrederentur milites, ea ſola captiua. In Forumliuium poſtea venit Legatus, vbi Ordelaffus ſedem tyrannidis conſtituerat. Vrbem eâ propugnabat ferociâ, vt legatum pacem offerentem honeſtam, amentiæ redargueret, ac laqueo præfocaturum iactaret. Si quos in eruptionibus Crucesignatos caperet ludibrij causâ, Crucis ſymbolum candenti ferro inurebat in fronte. *Matthæus Villanus l.7.c.72.* Vſq. in Annum Sal. 1359. eſt obſidio producta, quo Ordelaffus in anguſtias coniectus, ad retundendas vires Pontificias, ſociales prædonum turmas in auxilium vocauit. Legatus verò vt ab eccleſiaſticâ ditione latrones auerteret, aurum poſcentes, auro pacauit. Latronibus diſcedentibus, cum Foroliuienſium animos in ſe excitaſſet Ordelaffus, quòd in eorum domos prædatores induxiſſet, miſericordiæ ſe commiſit Apoſtolicæ, non aliter iram valens effugere. *Matthæus Villanus l.9. cap.6.* Pietate motus Innocentius pœnitenti tyranno non ſolùm vxorem, liberos reſtituit, ſed pręfecturâ Foripopilij ad decennium donauit. *c.36.*

Aegidius Albornotius.

Ordelaffus tyrānus.

Ciæ fortitudo.

Clementia Innoc. 6.

7. *Inſuber Coluber.* Bononiam cum proditoriè Eccleſiæ eripuiſſent *Ioannes*, & *Iacobus Pepuli* Anno Sal. 1350. tunc Bononienſis Fiſci præpoſiti, teſte *Matthæo Villano l.1. c.61.* eam poſtea vendidere A *Bernaboni Viſconti* tyranno Mediolànenſi. *c.67.* Indignati Senenſes, ac Florentini Mediolanenſem latiùs tyrannidem proferre; ad eam coercendam arcana conſilia cum Clemente VI. de euocando in Italiam Carolo Romanorum Rege agitarunt. *Idem l.2.c.68.* Ioannes verò Archiep. Mediol. difficillima in ſeipſum conflari ſuſpicatus bella, vt diſcrimini ſe ſubduceret imminenti, Gallorum Rege ſequeſtre, non ſolùm auro pacem redemit à Clemente Pontifice, & Cardinalibus (*Matthæus Villanus l.2. cap.65*) Sed etiam ſpecioſo pactionis titulo An. Sal. 1352. præfecturam eblanditus ad annos 12. cenſuras eluſit Pontificias. *l.3.c.2.* & Bononiam tenuit vſq. ad annum 1355. quo, regnante Innocentio VI. pari B ſcelere, quo Bononiam Vicecomites vſurpauerant, amiſere; *Io. Olegiano* tyrannidem vſurpante, poſtea vrbem Pontifici reſtituente: cum *Matthæus V.C.* Vrbis præfecturâ illum depellere meditaretur. *l.5.c.11.* Nec diù poſt Matthæus ipſe à fratribus veneno ſublatus, ob vi expugnatam matronarum pudicitiam, nullis eccleſiæ ſacramentis procuratus, familiari exemplo Vicecomitum, qui cum crudelem in ſacerdotes tyrannidem exercerent, à ſacerdotibus morituri non perciperent ſacramenta. *libro 5. capit. 80. Idem.* Olegianus verò cum in Vicecomitum conatibus ſuperandis pari ſemper ſe vſurum diffideret felicitate, de Bononiâ Eccleſiæ reſtituendâ, agitauit. Annuit facilè Innocentius VI., quòd vſurpatâ præfecturâ V. Comites non contenti, totius Italiæ tyrannidem meditarentur. Medio itaquè Albornotio, C Firmanam Toparchiam pactus cum Olegiano, Bononiam recepit, Anno Sal. 1360. *libro 9. capit. 74.* Ad eludendos verò Bernabouis conatus (qui Marte vrgebat Eccleſiam) Reges omnes Chriſtianos ſollicitauit.

Pepuli vſurpāt Bononiam.

Tyrannus V Comit.

Bononia Ecclesiæ restituta.

8. *Græci &c.* Clemente III. regnante Romano Pontifice Smyrnam occupatam à Crucesignatis, ne iterum occuparent, vt meditabantur Turcæ: ſubmittenda Innocentius VI. curauit auxilia. Initium à Gręcis fide, ac regno diuiſis. Ad *Ioannem Palæologum* redierant faſces, in Monachum attonſo *Cantacuzeno* Palęologi ſocero, qui cum Matthæo filio imperium vſurpauerat. Palæologus verò cum illinc præmeretur à Turcis, hinc à Matthæo filio Cantacuzeni, agitata antea cum Cantacuzeno conſilia D de pace cum Eccleſiâ Romanâ complere decreuit. Vocato itaq. Paulo Archiep. Smyrnenſi, Apoſtolicæ ſedis internuntio, ſe ſacramento deuinxit Romano obſecuturum Pontifici, more catholico: daturumq. operam pro Græcis reuocandis ad fidem Orthodoxam. Filium Emanuelem hęredem imperij vt obſidem ad aulam miſſurum Apoſtolicam: vt Pontifex ad Gręcos edomandos, copias mitteret auxiliares. Spopondit etiam; Apoſtolico legato palatium ſe daturum Byzantij; ac dignitates eccleſiaſticas illius arbitrio, Græcis doctrinâ ac probitate conſpicuis conferendas. Tria exhibuit hoſpitia pro ſcholis latinis. Hæc cum pluribus cautionibus firmaſſet; à Pontifice exegit, vt exercitum aduersùs infideles ſubmitteret, cuius Dux, & vexillifer ipſe crearetur eccleſiæ. Pacta hæc vt complerentur à Græcis; Legatos cum in Græciam miſiſſet

Auxil Innoc. mittit in Turcas.

In-

Rho- dios ſol- licitat.

Innocentius; reliquos excitauit Principes; Rhodios (anteceſſorum inhærens veſtigijs) ab inſulà in continentem migrare ſollicitabat, vt faciliùs barbaros ab inuadendà Europà auertere poſſent; nec in inſulà munitiſſimà (vbi Turcas non timebant) delitijs marceſſerent, ac bona Rhodi roderent, quæ pro tutelà templi Dominici, quod eſt populus chriſtianus, fuere relicta. Aliàs de nouo Ordine, atquè militum magiſtro prouidendum, qui hoſtes noſtros viriliter impugnaret. Ita ex *epiſt. Innocentij ad Petrum de Cornilhano Mag. S. Io: Ieroſolym.* Conuerſus poſtea ad

Lygu- rum Ve- netum.

9. *Lygures*, qui anno Sal. 1350. ſub Clemente VI. furore perciti ſuperbo, cum Venetis arcère tentaſſent nauigatione ad Scythas: diſcordia in Martem prodijt apertum, cladibus ſe petentes alternis, ex quibus Græcia Turcico proſtitutà furori, ac Babylonijs Armenià expoſità, tot modo regna tyrannide præmuntur barbarorum. Conſpirabat cum Venetis Io: Paleologus Gręcorum Imperator. Ex aduerſo cum Ianuenſibus tyrannus Cantacuzenus, vtriquè cum Orchano Turcarum Rege, teſte ipſo Cantacuzeno *l.* 4. Anno 1351. Ab hoc turpiſſimo fœdere vrgebat Innocentius abſcedere, & ardorem ad amplificandá religionem conuertere (*To.* 4. *ep. ſecret. p.* 157.) Anno 1356. quo Turcæ pyraticam exercentes ad oras Italiæ, decimas ſpolii ſoluebant Chriſtiano Principi (teſte *Matthæo Villano l.* 6. *c.* 29.) qui portum, naues, alimenta infidelibus ſubminiſtrabat. Excitauit etiam

10. *Carolum* Romanorum Regem, quem ſtringebat neceſſitudo, & beneficentia vinciebat Apoſtolica. Licentiam roganti, Romam veniendi ad accipiēdam coronam Imperii benignè annuerat Innocentius (*l.* 3 *c.* 103. *Matthæus Villanus*) Deſtinatis Conſtantinopolitano, Aquileienſi, & Gradenſi Patriarchis, qui Modoetiæ, loco Archiep. Mediolanenſis (ad quem ſpectat Cæſarem ferreà inſignire coronà) diadema imponerent Anno 1354. *vt ex ep. Innocentii Patriarchis Conſtantinopol. Aquil. Gradenſ.* Carolo etiam inſtante, eodem anno feſtum diem ad recolenda ſacræ paſſionis inſtrumenta, lanceam, clauos, partem Crucis, celebrandum Innocētius decreuit feriam VI. poſt octauam Reſurrectionis, teſte *Rebdorſo*. Romam cum Cæſar veniſſet, Feria V. maioris hebdomadæ magnà procerum ſtipatus catervà, humili indutus veſte, ingenti pietatis exemplo, Vrbis luſtrauit eccleſias. Sacramento namq. quo ſe Geraldo Epiſcopo Tridentino in eccleſià Conſtantienſi deuinxerat, *Vrbem ſe niſi coronationis die non ingreſſurum*, ſolutus fuerat literis Innocentij. Dominicà Reſurrectionis in Baſilicà Apoſtolorum, more ſolito fuit conſacratus manu Petri Cardinalis Oſtienſis *l.* 5. *c.* 1. *Matthæus Villanus*. Coronatione peractà, inſtarunt protinùs Romani (teſte *Dubrauio*) vt Auguſtus *auguſtam Vrbem tanquā hereditatem ſuam iure inuadat, aut Romanos in antiquum ſtatum reſtituat. Deliberaturum ſe ille reſpondet, Vrbeq. venandi ſimulatione egreſſus, in caſtra tendit, ſeueriſſimum inde mandatum dans, vt finem tandem Romani mutandis dominis imponant, memores ſacramenti apud Romanum Pontificem ſemel depoſiti.* An. tandem 1359. deceptus Carolus ſpetie iuſtitiæ, ſacerdotū bona cū inuaderet, qui prauis moribus ſāctitatem polluebant eccleſiæ; reprehenſus ab Innocentio, quòd iuſta curans, iniuſtè procederet; quia clericos effrenes coercere Pontificis eſſet, non Cæſaris, ad quem uel hortatorijs literis excitare, vel Pontificem rogare, & legatum mittere Apoſtolicum, pertinebat: non ſpetie religionis ſacerdotes exponere laicorum calumnijs: muneri non defuit Cæſareo, inſigni illà editá conſtitutione ad confirmandam eccleſiaſticam immunitatem, quam legimus apud Goldaſtum *tom.* 3. *in Carolo IV.* Solummodò aduersùs Turcas apertè negauit cum Eccleſià coire, qui clypeus credebatur pietatis, & religionis; vt dicam *in vità Vrbani V.* vt nec minimum ſubſidium pateretur à Germanis conferri; licet in anguſtias Chriſtiani coniecti eſſent extremas. Aſiæ namq.

Repren ditur à Papà.

11. *Græcas oues, &c.* populi Philadelphii, Turcà ingruente, cum aliundè ſubſidia deſperarent; miſſis ad ſedem Apoſtolicam legatis, Innocentio Pontifici, Philadelphiæ obtulerant principatum. Humaniſſimè exceptis promiſit Pontifex oportuno ſe adfuturum in tempore. Sed cum multò ampliùs ipſorum animabus, quàm corporibus eſſet conſulendum, ad ſchiſma priùs prouocauit eiurandum. Comparata enim diuinà gratià, ac reſtituto religionis ſplendore, feliciùs hoſtem fidei propulſandum. *ep. ſecr. to.* 2. *p.* 26. Anno 1353. In ſchiſmatis tamen volutabro hæſere Philadelphii, vndè in ſeruitutem redacti miſerrimam. *Chalcondil. l.* 2. Non defuit porrò Innocentius quo potuit, limina proferre Religionis, excitato Abdalà Clarorum Montium Rege ad excutiendam ſuperſtitionis Maumetbicæ ſeruitutem, oblatis Crucesignatorum copiis. Diſſipauit ſacra conſilia Petrus Caſtellę Rex, qui cum ad ſacram ſe obtuliſſet expeditionem, libidini vacans, bello ſe implicuit inteſtino. Non minori vigilantià Caſimirum iuuit Polonię Regem aduersùs Lithuanos (*teſte Cromero l.* 12.) Stephanum Ruſciæ Regem, vt ſchiſma eiuraret Græcorum: Seruios, Albanos, Sclauones vt in eccleſiæ gremium redirent Romanæ. Omnia habes *in To.* 2. *epiſtol. ſecr. p.* 227. Anno 1354. Græcos ſchiſmaticos in furorem verſos vt facilius carnifex Turca expugnaret; ingenti terræmotu arces eorum ſubuertit ac męnia diruit Diuina iuſtitia. Euchariſtiam namq. ritu conſacratam Latino, manibus diſcerpendo, ac pedibus conculcando, Deum prouocarunt; vt vrbibus concuſſis ac oppidis, liberis paterent incurſionibus barbarorum. *Matthæus Villanus l.* 2. *c.* 101.

Græcos ad vnio nem vrget.

Petri Caſtellę Regis libido.

Græcorum ſacrilegia

Curauit ſedulò Anglorum Gallorumq. concordiam, qui ſub Philippo VI. digladiari cæperant pro regno Galliæ, quod Eduardus iure ſibi vindicabat materno; cui legem Salicam obiiciebat Philippus. Ius dictum armis, in quibus Galli ferè ſemper inferiores, fugato Phillippo in pugnà Creſſiacà, cæſis viginti millibus Gallorum. Nec Ioannes felicior patre Philippo, qui anno 1356. in Pictonibus pugnans victus, & captus cum filio Philippo in Angliam abductus hac fortitudinis glorià, quòd fugam neſciret. Pręſenſerat Innocentius Pontifex exitia ex pertinaci diſcordià grauiſſima inter Reges emerſura; cum Angli ſecundo Marte felices inſoleſcerent, atq. intrepidi ad pericula ruerent. Galli

Anglorum victoriæ.

verò

verò iniuriarum dolore, ac vindictæ ſiurerĉt eupiditate. Ad hæc auertenda Innocentius ſtudia defixerat Apoſtolica: ae licet impenſos iam à ſe labores parum profuiſſe cetneret, creſcentibus tamen odijs augendam ſollieitudinem ratus, duos decreuit Cardinales Legatos, *Talayrandum Petragoricenſem*, & *Nicolaum Capocium*. Et quo faciliùs conſilia perducerent, paeis interpretem etiam Carolum Imp. adhibendum cenſuit. *Froſtardus in lo:* 1. Gallicę autem coronæ eupidine cum Anglus arderet, nouis ſemper arcanis pacem diſtulit vſq. in Annũ 1364. quo orbatæ atq. oppreſſæ Galliæ in ſuppetias Cęlũ deſeendit. Tantæ quippè de Cœlo emiſſę grandines aduersùs Eduardum, qui populabundus irruebat Pariſienſem in agrum, vt homines ac equos proſternerent. Portento tetritus Eduardus pacem admiſit, quam antea repudiarat. *Voalſingamus*. Eadẽ vigilantià Pontificis ſopitum eſt bellum iuter Belgas, & Brabãtinos A. Sal. 1356. *T. 4. ep. ſec. p.* 224

Bella m inter Gallos & Anglos.

Fratricellorũ hæreſis.

Eccleſiam inficere ſuperſtitioſi etiam moliebantur *Fratricelli*, Ord. Minorum, qui ſanctitatis fallaci cultu hęreſim afflãtes ſimplieibus, euersã mẽtientes Eccleſiæ Romauæ ſanctitatẽ, apud ipſos tantũ fidẽ effutiebant ſnperſtitẽ: dogmatizantes de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum. Dno ex hiſee apoſtatis capti in monte Peſſulano, cum Auenione ducerentur ad ſupplicium, altà voce clamabant, *Gloria in excelſis Deo*, ac ſocios tanquàm martyres laudabant, qui in Italià, & Vaſconià cremati fuerant. *Rebdorſius*.

Hęreſes dãnatæ.

Damnauit etiam nefaria dogmata; quæ Anno 1355. in Anglià docebant, eulpam non eſſe originale peccatum, pro quo nullus ſit damnandus

Luſinianus Rex Cipri Senator Romanus.

12. *Luſinianum*. Senatore pulſo Romani, ſeptem ciues erearunt eum ſumma poteſtate, quos Reformatores totius vocarunt Reipublicæ. Ex adverſo Clemens Hugonem Luſinianum Cypri Regem, Senatorem ereauit, qui magiſtratum aboleret Reformatorum. *Platina*.

Petrus Rex Caſtellæ veneno tollit uxorẽ.

13. *Caſtellans &c.* Alphonſi patris regnum à tyrannide auſpieatus Petrus Rex Caſtellæ, in fratres ſpurios ſæuire cępit. Odiorum cauſa nimiæ illorum opes. Seuitiem libidine fouens; *Padilia* amoribus irretitus, moleſtè aeceſſit ad coniugem *Blancam* filiam Philippi Ducis Borbonij, à quà etiam receſſit protinùs, ad ſcortum reuertens, cuiuſdam Iudæi carmine excãtatus, vt Reginam in Draconis ſpetiem mutatam abhorrèret (*Mariana l. 16. c. 18.*) Pręſules, Principis, qui ſacra matrimonij iura tuenda ſuſceperant, inſectatus, Reginà veneno ſublatà, Padiliam duxit ſpreto anathemate, quo ab Innocentio VI. percuſſus fuerat. *Matthæus Villanus l. 4. c. 18.*

Ædificia Innocentii VI.

14. *Auenionem* męnibus cinxit Innocentius VI. aduersùs latronum incurſiones, quos ex Vaſconià in Prouinciam vſquè ad aulam Pontificiam populantes, ſæpè neceſse fuerit auro placare, ac donatos remittere, teſte *Rebdorſio*. Eam propterea mutis circumiuit, & turribus, magno ambitu, vt ampliari poſſet, & viridaria includi. Nec longè ędificauit domum

16. *Carthuſienſem* nominatam *Vallis Benedictionis*, deſignatis prædiis pro decenti fratrum alimonià. *Geſta Innoc. VI. apud Boſquetũ*. Cõcordat Epitaphium, quod teſte *Soareſio*, in tabellà legitur membranacenſi, *Hic iacet Beatiſſimus Papa Innoc. VI. Primus Fundator huius Domus, qui obiit A. M.CCCLXII. die verò XII. Menſis Septemb. Cuius anima in pace requieſcat. Amen.*

17. *Tholoſæ* etiam, cuius gymnaſii ſuerat alumnus, fundauit nobile collegium pauperum, quod S. Martialis voluit appellari, aſſignatis bonis, vndè comodè viuerent. *Ibid.*

Obitus.

18. *Obiit* Senio atquè ætate confectus Innocentius VI. cum teneretur podagrà, & ſæpè ſacris conſiliis ſuis adeſſe non poſſet, à recto tamen nunquàm deficiens, in pace quieuit A. Sal. 1362. die 12 Septemb. Sui Pontificatus Anno X. Sepultus in eccleſià maiori Auenionenſi, demùm transferendus ad domum Carthuſienſem Villænouæ, in quà viuens ſuam perpetuam elegerat ſepulturam. Eius òbitum prælusit

Iuſtitia

19. *Deliquium ſolis*, cui ſimile non legitur. Planetas etiam ſigna dediſse notant hiſtoriei, vt ex *Rebdorſio* Ciaconius. Longo apud Boſquetum laudatur elogio, cuius poſtrema ſunt: *Dilexit etiam pauperes, & eis libenter ſubuenit. Viros inſuper literatos fouit, eiſq. benefecit et multos promouit. Iuſtitiam manu tenuit, et conſeruauit, et in curià ſpecialiter voluit: et ordinauit malos, et inſolẽtes puniri. Suo enim tempore inſurrexit in Auenione quadam ſocietas, quæ Damperica vocabatur, cuius ſectatores de nocte incedentes furta, ſtupra, et maleficia multa committebant, de quibus idem Papa iuſtitiam ſatis rigidam fieri mandauit: ſic quod mali ex eis etiam, qui ſe nobiles æſtimabant, erantq. apparenter ſatis magni ſtatus, ſubmerſi fuerant, et alii trucidati: quorum exemplo alii perterriti aut fugierunt, aut de prędictis deſtiterunt; & ſic dicta ſocietas euanuit ſatis cito. Plures ex ſuis tam nepotibus, quàm conſanguineis in eccleſià promouit, et exaltauit, ad quod faciendum caro ipſum aliqualiter traxit, & inclinauit; tamen vt plurimum boni, & ſufficientes fuerunt, & in ſtatu eis dato benè, et laudabiliter ſe habuerunt. Paucos habuit in ſtatu laicali ſibi multum propinquos; illis tamen ſic benefecit, quòd poſt ipſum benè, et honorificè cum eorum potentiis ſtare potuerunt; non tamen ipſos magnis dignitatibus aut honoribus ſublimauit.* Literatos cum diligeret; *Petrarcham* quem magicis artibus deditum quidam Iure Conſultus Innocentio detulerat, delatore mortuo, falſum cum agnouiſſet crimen; in Curiam vocauit, Romanæ Eccleſiæ ſcribam futurum. Is autem ſe excuſare maluit ſenectutis causà, quàm Auenionẽ redire. *ep. 3. ad Talairandum Ep. Albanenſem l. 1. Seniliam*. Virum eruditum ac pium eruditiſſimus laudauit Bellarminus, eumq. piè & ſanctè obijſse teſtatur. *De Scriptor. Eccleſ.*

Aeui conſanguine

Petrarcham honorat

SIGNVM INNOCENTII VI.

Fac mecum Domine ſignum in bonum.

Geminà electione creauit Cardinales 16. de quibus ſuo loco.

Ludouicum Marchionem Brandeburgenſem anathemate ſoluit, hac cenſurà notatum; quòd aduersùs Eccleſiam Ludouicum Bauarum fuiſset ſequutus.

Scripta Innocentij VI.

Sermones. Decreta eccleſiaſtica. Inſtitutiones Foroliuienſes. teſte *Poſſeuino*.

VRBA-

VRBANVS QVINTVS PONTIFEX ROMANVS CC



IN ſymbolum Vrbani V. grandi fletu Romanas plangentis miſerias, dum reditu rus in Gallias ad B. Petri Apoſtolorum Principis tumulū orando, carmen reſonabat Dauid dicum, *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Syon*. Hebræos exponimus, dum ſuper flumina Babylonis pſaltes ſuſpenderunt & organa, Hieruſalem ſuſpirantes amiſsā.

Eligitur An. Sal. 1363. die 28. Octobris. Obijt Ann. Sal. 1370. die XIX. Decemb. Cum ſediſſet An. 7. Menſ. 2. diem 1. Vacat ſedes vſquè ad diem XXX. Decemb.

ELOGIVM.

NI ex hominibus Pontifex aſſumeretur, A
In Vrbano dicerem aſſumptum Deum.
In eo aliquid mortale ne cogites,
Carnē ex vtero in tumulū retulit incorruptā.
Integer animo, corpore virgo,
Vt mortalibus ſemper adeſſet,
Etiam poſt obitum miraculis adfuit.
Lemouici natus ex Amphiliſiā Monferranā,
Legis, ac Naturæ beneficio,
(*Quo Partus ſequitur ventrem*)
Mater ſancta filius ſanctum [2] aſſeruit.
Sacrā enutritus inædiā
Regulam profeſsus [3] Cluniacenſem, Anni Sal. Vr. 1363.
Habitū quē ſemel aſsūpſit, nunquàm dimiſit.
Ne dum Pontifex eſset, Monachum obliuiſceretur.
Inſitis, ac aſcitis virtutibus,
Genitrici ſuæ minimè degener,
Tam proſperè quàm properè pubuit.
Vt neſcias: Virtus præcurrerit, vel Natura?
Artium nutritius, & enutritus,

Mu-

loſanum alij, quidam Italum oppido Sulmonenſi, alij Senenſem, aliqui Ouitanum oppido Bellicardo, alij Griſacenſem apud Gabalos fuiſſe velint. Antiquis ne diſſonem, dicam natione Gallum Aquitanicum, in Prouinciâ natum Lemouicenſi (nam Lemouices eſt vrbs Galliæ Aquitanicæ) in Vrbe Mimatenſi, nomine *Guillelmus Griſatus* ex parte *Grimaldo* viro militari, & *Amphiliſiâ Monferranâ* fœminâ nobili, & religioſâ, quæ (teſte *Ciaconio*) famâ ſanctitatis floruit. Non minori pietatis opinione

2. *Sanctum* &c. Fuit eius filius; *nam vir ſingularis virtutis, ingentis animi, & vitæ innocentiſſimæ*, teſte Platinâ. *Vrbanus V. ſacro* (ita Ægidius Viterb.) *hoc exilio non indignus prioribus Pontificibus omnium virtutum genere par: ſed animi magnitudine longè* B *maior, creatus hic abſens eſt Pontifex, cum vitæ innocentiſſima haberetur*. Sic apud Trithemium in Chron. Hirſaug. & Genebrar. *Vir doctus, & ſanctiſſimæ conuerſationis, doctrinâ, & ſanctitate præſtans*. Miraculis poſt mortem claruiſſe Petrarcha teſtatur *l. 13. Senilium. ep. 13.* licet inconſtantiæ arguerit ob reditum in Gallias de quo infra. *Vt apud nos* (inquit) *audita eſt, ſanctitatis eius fama nunc maximè celebratur, & miraculis claret, quod nulli ex prædeceſſoribus ſuis his nouiſſimis accidit*. Eius ſacra memoria die 19. Decemb. in Menologio recolitur *Benedictino*. *Serario*, alijs. Vualdemarus Rex Daniæ cum à Gregorio XI. quinto poſt anno peteret, vt ſanctorum catalogo Vrbanum adijceret; Gregorius ita reſcripſit. *Nobis expoſitâ affectione ſincerâ, quam ad fel. record. Vrbani Papæ V. prædeceſſoris noſtri memoriam* C *habere dignoſceris, ſerenitati tuæ indè grates referimus copioſas, deuotionem tuam plurimùm in Domino commẽdantes: vndè ſi noſtro tuiſq. temporibus canonizationem ipſius venire contingat, de ipſo te faciemus certiorem*. *Tom. 5. ep. ſecr. p. 235.* Conſenuit ſub Gregorio actio de miraculis Vrbani, quæ oborto ſchiſmate poſtea eſt inſtaurata: cum libellum Vrbani geſta continẽtem Maſſilienſes Monachi S. Victoris, ac Petrus Olmarius canonicus Aquenſis, procurator Caroli Francorum Regis, & Ludouici Andegauenſis, Regis Siciliæ, Ioannæ Bituric. ac Philippi Burg. Ducis Clementi Octauo Antipapæ obtulere, vt inter ſanctos adſcriberet. Ne pereant, ex multis pauca tranſcripſit Bzouius.

Primum. Vrbanus Papa Quintus, apud Imperatores, Reges, Comites, Duces, Marchiones, Principes, Nobiles, & populum vtriuſquè ſexus, & ſtatus pro ſancto reputatur; eius patrocinia implorantur, & eius ſepulchrum cum deuotione viſitatur.

Secundum. In diuerſis, & plurimis Eccleſijs, etiam Patriarchalibus, etiam Romæ, imago eius tanquàm ſancti pingitur, & honoratur: & ad eam ex deuotione homines concurrunt, vota & oblationes ſancto offerunt: ſuffragia illius flagitantes, & iſta notiſſima ſunt vniuerſo Chriſtiano Orbi.

Tertium. Plurimi Catholici Eccleſiaſtici, maximè docti, deuoti, principes, & magnates, attentâ famoſâ deuotione populi erga Vrbanum V. optant illum à Sede Apoſtolicâ canonizari, ſanctum denunciari, & de eo, quemadmodum de alijs ſanctis confeſſoribus officium, & feſtiuitatem celebrari, & pro ſancto ab vniuerſali Eccleſiâ haberi.

Quartum. Vrbanus Papa, olim Guillelmus Grimoardus vocatus, natus eſt ex legitimo matrimonio, patre Grimoardo Grimoardi Domino Griſani, & matre Amphiliſia de monte Ferrando: vtriſquè parentibus nobilibus, pijs & Catholicis: qui illum, ſobriè, piè, iuſtè, in timore Dei, & obſeruantiâ mandatorum diuinorum vſquè ad exitum vitæ conuerſantes, in iiſdem virtutibus educarunt.

Quintum. Vrbanus, tempore pueritiæ, in ſuis geſtibus, moribus, & loquelâ, videbatur quaſi futura perfectionis idea: incli-

A nationes ſingulares, & ſanctas ad virtutes habebat: intentus litteris, quibus primâ iuuentâ apud Montempeſſulanum operam dedit, magno adeò profectu, vt ſcientiam illi diuinitùs fuiſſe collatâ omnes conijcerent. Ad ſtudium Tholoſanum tranſlatus, cum iuris ſtudio per quadriennium incumberet, honeſtè & caſtè conuerſatus, famam ſui nominis apud omnes excitauit. Studia.

Sextum. Sæculi vanitatem ex animo contemnens, Monaſticum D. Benedicti habitum induit, & expreſsè eam religionem profeſſus, ſuperioribus obſequens, & ſummâ cum laude monaſticis diſciplinis addictus, meruit prouehi ad ſacerdotij gradum: nequè vnquàm, etiam ad Pontificatum euectus, aut veſtes monaſticas depoſuit, aut duritiem lecti, aut parſimoniam victus regularis mutauit. Monachus.

Septimum. Voluntate maiorum ſuorum ad ſtudia Theologica, Tholoſanum, & Pariſinum miſſus, & laureâ Doctoris inſignitus, cathedram conſcendens, innumerabiles diſcipulos ſanctitate, & doctrinâ illuſtres reliquit, viginti circiter annis prælectoris officio publicè defunctus: quo tempore, ſemper canonicas horas deuotus recitauit, præcepta Dei, & mandata Eccleſiæ obſeruauit, habitus modeſtiam iuxta regulam S. Benedicti B portauit, & in ſummâ, nihil à præſcripto monaſticæ diſciplinæ deflexit.

Octauum. Propter ſapientiæ, & ſanctitatis famam, Vicarius in ſpiritualibus, Claromontani, & poſtea Vticenſ. Epiſcopi inſtitutus, honeſtatis, probitatis, & iuſtitiæ laude inſignis, mitis, humilis, animarum ſalutis cupiens, præter cauſarum cognitionẽ, etiam concionandi ſtudium non intermittebat; diſſentientes ad concordiam reuocabat: pacem, & charitatem inter omnes conciliabat: adeò vt omnes illum velut parentem communem diligerent, atquè reuererentur. Pauperum controuerſias libentiùs audiebat, & remedia iuris, & facti afflictis ſuggerebat, nequè quicquàm oblatum à quocumquè accipiebat, propter quam integritatis opinionem, arbitrum illi diſſidentes eligebant, quod ad nullius perſonam reſpiceret, ac ſolam æquitatem præ oculis haberet. Officia. Iuſtitia.

Nonum. Occaſione meritorum, primo Antiſiodorenſi, deinde Maſſilienſi cœnobio Abbas Præfectus, Innocentio Sexto Pontifici ſuam opera n obtulit, aliquot vicibus in Italiâ, pro grauiſſimis Romanæ Eccleſiæ negotijs, Nuntius deſtinatus. Hæc ille pari dexteritate, & integritate curauit, nemo vt de illius ſententijs quereretur.

Decimum. Toto tempore vitæ ſuæ, ab improborum & ſuſpectæ fidei & famæ hominum conuerſatione abhorrebat nec niſi probitate & doctrinâ conſpicuos ad conſortium admittebat: C & in his, aliquibus, ſanctitatis & miraculorum gloriâ inſignibus familiariter vtebatur. Inter familiares, non niſi probatæ vitæ: & qui pompis ſæculi non oblectarentur, nequè vanitatibus ſtuderent, recipiebat: ita vt eius domus, aula pietatis & ſanctitatis, ab exemplo illius & inſtitutione videretur.

Decimumprimum. Quamuis corporis delicias & ſæculi oblectamenta, atquè vanitates contempſerat, nec non corpus ſpiritui ſeruire cogebat, per abſtinentiam tamen & macerationem corporis, non ſubtriſtis, non iracundus, non ſuperciliosus, pacem, gaudium & lenitatem amans, prudens ſemper, humilis, caſtus, benignus, lætus, affabilis omnibus, præſertim pauperibus, & afflictis apparebat, eſſequè volebat. Tria eſſentialia vota Religionis inuiolabiliter cuſtodiebat, ſemper obediens, ſine proprio, caſtus, immò virgo, à tactu mulierum immunis, & mundus, dignitatis contemptor, in obſeruantiâ Regulari exemplo omnibus, Deo non hominibus placere exambiebat. Caſtitas

Decimumſecundum. Quinquaginta tres annos natus, cum Neapoli pro Sede Apoſtolicâ Nuncij officio Abbas defungeretur, inſpirante mentes Cardinalium ſancto Spiritu, in locum Innocentij ſexti defuncti, Pontifex aſſumptus, non niſi coactus, eam dignitatem ſuſcepit, ac Vrbanus appellari voluit, quòd Vr- D banos anteceſſores Pontifices, ſanctos diceret, & ad imitationem illorum viuere, & Eccleſiam adminiſtrare deſideraret: omnibus Chriſtianis cenſentibus prædicantibuſquè, à Deo factam fuiſſe illius aſſumptionem: quæ vniuerſo mundo ingentem lætitiam attuliſſet. Papa dicitur.

Decimumtertium. Sub tempus aſſumptionis illius, ad finem menſis Octobris, cum vernum tempus iam immineret, Aueniove, & in ſuburbijs, ac territorio vniuerſo eiuſdem, per plures dies ac noctes, ros cœleſtis albus, quaſi congelatus, dulciſſimus, quem phyſici manna vocant, ad vtilitatem hominum maximam ſuper folia herbarum & arborum defluxit: nunquàm antè hominum memoriam in iis regionibus aſpectus. Pluit manna.

Decimumquartum. Diuina officia, & ſacroſanctum ſacrificium Myſſæ, cum Summâ attentione, clarè, & diſtinctè recitabat, quotidiè ſacris operabatur, vel impedimento aliquo adueniente, ſacrificanti adſiſtebat. Cæterum antequàm ipſe ſacrificaret, humiliter confitebatur, & confeſſione abſolutâ, orationi cum lachrymis, & deuotione, in choro vocabat. Totum tempus matutinum, aut horis recitandis, aut venientibus audiendis, aut negotiis Eccleſiæ expediendis impendebat. Menſâ frugali vſus, de pauperum, & infirmorum neceſſitatibus inquirebat, illiſquè

neceſſaria miniſtrabat, & cibos menſæ ſuæ ſubmittebat: nec non medicis, vt gratis operam illis impenderent, admonebat. Reliquum, à collatione meridionali, temporis, officium diuinū recitando. & cauſis cognoſcendis aſſignabat, ſingulisquè diebus officium mortuorum, pro animabus defunctorum abſoluebat. Cœnà modicà contentus, aliquem vel de vitis ſanctorum, vel de miſeria mundi, vel de quatuor nouiſſimis libellum legebat: ac poſtmodum matutinas preces, cum eo qui illi à Sacris confeſſionibus fuerat legebat: ſomnoquè ſe parciſſimo, integris habitis indutus, recreabat.

Decimumquintum. In verbis & factis, nec ventoſus, nec diſſimulator, nec bilinguis, nec mendax, nec fictus, nec hypocrita, nec iracundus, nec diſcolus fuit largus non prodigus, non auarus, nec cupidus: ſtudioſus legendi, & imitandi dicta, & facta Summorum Pontificum Romanorum, & aliorum Sanctorum, & Illuſtrium virorum. Totà curà vitauit etiam aſpicere inhoneſtas delectationes. Item audire verba, quæ Deum, homines & conſcientiam offenderent. Item abhorrebat quamcunquè libidinoſam oblectationem, gulam, ebrietatem, tactum mollem.

Decimumſextum. Fuit vir Catholicus, magnus zelator Fidei Orthodoxæ, fidelis erga Sedem Apoſtolicam: amans Theologorum, qui Fidem Catholicam augerent, & ornarent. Eorum plurimos ad Eccleſiaſticas dignitates euchebat: deuios à Fide, vel reducere ſatagebat, vel contumaces in hæreſi damnabat. Pro liberatione Terræ Sanctæ, præſente Galliæ, & Cypri Regibus, pro Concione quam ipſe dixit, bellum ſacrum indixit, Reges & illos plurimos proceres Chriſti Cruce inſigniuit, & ad prælianđum prælia Domini excitauit, Taleyrando Epiſcopo Cardinali Albanenſ. exercitui Chriſtiano Legato præfecto.

Decimumſeptimum. Iudæos, vt ad ſacrum baptiſma ſpontanei accederent, immunitatibus, & priuilegijs maximis propoſitis inuitauit. Sanctum Elzearium Ariani Comitem, Sanctorum numero adſcripſit. Romæ exiſtens ad obedientiam Catholicæ Eccleſiæ induxit, ac recepit. Conſtantinopolitanum Imperatorem: qui ad eius pedum oſculum veniens, ante gradus Eccleſiæ Sancti Petri, per ipſum Dominum Vrbanum ad manum in Eccleſiam intromiſſus, eiuſdem Vrbani Miſſam in Latino audiuit, & confeſſus proceſſionem ſancti Spiritus ſimul à Patre, & Filio, nec non ſuperioritatem Romanæ Eccleſiæ ſuper omnes alias, omnium Catholicorum Romano, & Summo Pontifici adheſit, & deuotè obediuit, ipſum deuotiſſimè venerando. In tantum, quod propter deuotionem quam dictus Imperator Conſtantinopolitanus ad ipſum, & omnes ſuos habebat ipſum ſæpiſſimè viſitabat, & iocalia ſibi deuota tribuebat, & ſæpius ipſo Pontifice ignorante, non inuitatus, ad eius prandium veniebat, ambo ſimul, diuerſis tamen menſis paratis, & ornatu more Pontificali, & Imperiali ſua capiebant cibaria pro ſolo Vrbano Papa præparata, cum gratiarum actione, & deuotione. Et dicebat Imperator, ſe in tali refectione meliùs refici in corpore, & animà, quàm ſi ſolenniſſime ſibi prandium pararetur.

Decimumoctauum. Cum Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum capita, argenteis loculis incluſiſſet, & aliqui trepidarent, ne aliquando ſurriperentur, dixit: Habet S. Petrus claues, & S. Paulus gladium, quibus ſe poſſunt defendere. Ad reparandum palatium Vaticanum, mille laboratoribus, qui ſe ea mercede ſuſtentarent conductis, eos pauitis comitatus veniens, partim verbo, partim eleemoſynis recreabat. Cumquè nonnulli metuentes, ne ab aliquo offenderetur, hortarentur, vt multo plures pro cuſtodià ſuà adduceret, reſpondit: ſe nihil timere, quod nemo illi poſſet nocere, niſi Deo permittente.

Decimumnonum. Quadrageſimà, & Aduentus Dominici tempore, totos dies ieiunabat. Feria 4. 6. & Sabbato, toto anno aqua, & pane vitam tolerabat: inq. Eccleſiaſticos omnes Palatinos anathema promulgauerat, ſi quis in diebus Aduentus vel lacticinia veſceretur. Ab ea ieiunandi conſuetudine, & ex laboribus continuis, ægritudines varias contractas, patienter tolerabat; & inter quieſcendum ſuſpiria ex imo corde ad Deum ducebat, vt muneri ſuo pareſſet, quamdiu ille permitteret. Porrò ſi quando medicinam ſumere oporteret, illo tempore, quo illum oporteret negotijs vacare, abſtinebat: quamuis non rarò in diſcrimen vitæ adduceretur. Sed nequè tunc negotia omittebat, ſed decumbens vel audiebat, vel reſpondebat, nullo die intermiſſo, quin ſacrificantem ſacerdotem audiret. Semel aliquis familiarium, ei narrauerat, ſe ex proprià vxore ſuſtuliſſe infantulum. Quem Vrbanus reprehendens, quod importunà narratione illius aures quaſi violaſſet, dixit, quia magis vellet eſſe mortuus, & ſepultus, quam eſſe vel fuiſſe maculà carnali inquinatus.

Vigeſimum. Pompam Pontificiam, tantùm propter dignitatem officii induebat, intus monachi habitu tectus: & aurum, argentum, atquè lapides pretioſos, nonniſi terram pollutam appellabat. Oblatas ſibi in ſacri miniſterii officium res quaſcumq. pretioſas, diuino cultui deputabat: vel ſi talia eſſent, quæ pauperum vſibus commodarent, illa in egentes diſtribuebat; vel Eccleſiis, Monaſteriis, & Oratoriis erogabat. Cubiculum illius abſque ornamentis, veſtitu pretioſo, auro, argento, aut libris ſuperfluis tam pauperrimum fuit, ac ſi Monaſticam profiteretur. Theſauros à Bonifacio VIII. Aſſiſij reconditos, inter Eccleſias, & pauperes Vrbanus diuiſit, nequè aliud in Gallias tulit, quam caput S. Blaſii, Capillum vnum Beatiſſimæ Deiparæ, & portionem ligni Sanctæ Crucis: quæ tamen omnia diuerſis Eccleſiis attribuit.

Humilitas.

Vigeſimumprimum. In ſuos parcus, nequè pugillum terræ eis dedit, quin cum aliquibus Ioannes Rex Galliæ nonnullos reditus vellet aſſignare, ille impediuit: & Patri ſuo, nonniſi paucisſima quædam pro vitæ vſibus conceſſit. A muneribus alienus, tantum reculas quaſdam ex deuotione oblatas, ne contemnere paupertatem aut deuotionem aliquorum videretur, vix accipere ſuſtinebat. Collectores fructuum Cameræ Apoſtolicæ, ne moleſti exactores eſſent admonebat, quod ſi quempiam oneraſſent, illos caſtigabat. Capitalitatem, rapinas, & concuſſionem, anathemate pronunciatu palatinis ſuis inhibuit. Contra vſurarios ſeuerus, pœnis Eccleſiaſticis illos addixit. Simoniam, ambitionem, & ſordes quaſcumq. miniſtrorum Eccleſiæ repreſſit. Honores ſibi attributos, in ſolum Deum retulit. Quo tempore Carolus Imperator Romæ vel illi obuiam procedens pedem oſculatus eſt, vel diaconi habitu indutus, Euangelium in miſſa recitans, ad ſacrificium celebrandum miniſterium impendit: aut à Palæologo Imperatore, vel regibus Galliarum, Cypri, Siciliæ, diuerſa humilitatis obſequia illi facta ſunt, ille indignum ſe infra ſe eo honore reputans, nonniſi Pontificiæ dignitatis ſeruandæ reſpectu, illa humiliter admiſit: ſæpius illud dicens: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Conſtantia.

Vigeſimumſecundum. Aduerſa omnia, quamquàm inopinato accidiſſent, conſtanti animo tolerabat, & à Deo auxilia Eccleſiæ laboranti implorabat: paratum ſe dicens, ad commoriendum, & conuiuendum. Iniurias à nonnullis acceptas, ſolo verbo corrigere ſatis habuit, neque vnquam ad vindictam exarſit.

Mores corrigit.

Vigeſimumtertium. Corruptos palatij mores, integritati reſtituit, deformes aulicorum habitus reformauit. Dilectionem Dei omnibus ſuis inſtillare curauit: nunquàm aliud in ore, quàm Deum & diuina habens. Plures Sanctorum reliquias, auro & argento incluſas, gemmisquè ornatas quamplurimis Eccleſiis dedit. Collegia aliquot, ſumptibus proprijs erexit: alia diruta inſtaurauit, ditauit, ornauit. Argenteas imagines, calices, veſtes & ornamenta pretioſa, libros vtenſiliaq. diuerſa variis Eccleſiis dedicauit. In pauperes munificus, eos ſubleuauit, & ſi aliquos ſtudiis aptos perſpiceret, bonis artibus inſtitui curauit. Vniuerſitates priuilegijs, & poſſeſſionibus, in educandis inſtruendisque pauperibus auxit; hoc vnum propoſitum habens, vt Eccleſiæ idoneos miniſtros prouideret.

Pauperes alit.

Iuſtus.

Pauperes occultos, præ cæteris iuuabat, puellas nubiles, aſſignata dote, in matrimonium collocabat, viduis & pupillis ingenuis victum miniſtrabat, Infirmos datis medicinis, & rebus neceſſarijs recreabat nudos, & pannoſos veſtiebat tempore grauis annonæ, cunctis abundè gratis communicabat. Aquitaniam, Auinionem, Comitatum Venayſinum, Campaniam, & Maritimam ne fame homines interirent, liberalitate ſuà ſeruauit. Romanos ad veterem frugalitatem, præſertim publicanorum ad XX. millia, Romæ ad veram pœnitentiam, & confeſſionem deteſtationemq. peccatorum, exemplo, & exhortationibus adduxit. Iuſtitiam poſtliminio reuocauit. Flagitioſos publicè, non impunè viuere ſiuit. Neq. Regibus, neque Cardinalibus, neq. Principibus, in adminiſtratione iuſtitiæ quicquam detulit. Ab oppreſſione potentum pauperiores vindicauit. Adminiſtris iuſtitiæ, ne perſonam cuiuſquam reſpicerent, neuè amore aut odio quicquam decernerent indixit. In violatores libertatis Eccleſiaſticæ ſeuerus vindex, nemini Imperatorum, aut Regum, quicquam conceſſit. Pacem, inter diſſidentes conciliare conatus eſt. In diſtribuendis Eccleſiaſticis dignitatibus, ad merita tantum perſonarum electarum aſpexit, recti tenax, promiſſorum memor, Deum, & Eccleſiam præ oculis habens.

Pacificus.

Mortuos ſuſcitat.

Vigeſimumquartum. Ad extrema deductus in ægritudine ſuprema, nequicquam de ſeueritate viuendi remiſit. Confeſſione ſacramentali præmiſſà, fidem Catholicam profeſſus, more pauperum monachorum vt ſepeliretur, mandauit, Sacro Miſſæ ſacrificio audito, diuinam hoſtiam accepit: mox ſacro oleo inunctus, morbo ingraueſcente ſpiritum afflauit, miraculis poſt mortem, à Deo illuſtratus. Interea, Auenione, Philippellam puellam quinquè menſium defunctam ad vitam reuocauit. Bartholomæo Gaufredo, viginti quinquè annis tibiam retrorſum complicatam, perſanauit. Infantem alium, quem non ſpirantem mater ediderat, vſu vitæ donauit. Bertrando Baucio, vno anno lumen oculorum amiſſum, reſtituit. Ioannam filiam Petri Claſeri ea febribus defunctam, reſuſcitauit. *Duo, & octuaginta alia inſignia miracula leguntur* in proceſſu M.S vitæ & miraculorum eiuſdem Vrbani Quinti, in Bibliothecà Vaticanà ſignato numero 4026.

Adiun-

Adiungit Auctor incertus apud *Raynaldum An.* 1370.*num.* 11. Literarum ſtudia ita fouiſſe, vt toto ſuo Pontificatu mille iuuenes in diuerſis aleret gymnaſijs, libris ſubminiſtratis,& alimentis. Bononienſe gymnaſium bellorum quaſsatum turbinibus, tantà curà, paternaq. reſpexit ſollicitudine, priuilegijs magnificè ampliando,quantà nullus vnquam. *Petrarca 7. Senil.ep.9.* Collegium ibi erexiſse, in quo viginti pauperes alerentur, legimus apud Bzouium. *Anno* 1365.*n.*10.

Affines, conſanguineos non promouit, duobus exceptis fratre,& nepote,quos eccleſię S.Pauli prępoſuit Epiſcopum. Cœteros licet idoneos officijs minoribus voluit eſse contentos. Ex laicis neminem exaltauit, nec ab aliis exaltari permiſit: vndè eo iubente, pater eius à Ioanne Francorum Rege ſexcentas libras annuatim recipere renuit. Nepos eius,ad quem paterna ſpectabat hæreditas, vxorem duxit filiam mercatorisMontispeſsulani, quam forſan dedignatus fuiſset in priuatà fortunà. *Ibid.*

3. *Regulam profeſſus Cluniacenſem* Vrbani adoleſcentiam ſequentibus deſcribit Boſquetus. *Vrbanus Papa V. natione Gallicanus de loco de Griſaco diœceſis Mimatenſis poſt dictum Innocentium VI. Auenione fuit electus in Papam die* 28. *Octob. An. D.* 1362. *& die 6. Nouemb. conſecratus & coronatus. Hic priùs vocatus eſt Guillelmus Grimoardi, cuius pater fuit Grimoardus miles; & in adoleſcentià ſuà ſub habitu monaſtico Domino voluit famulari, fuitq. receptus in monachum in priorata de Chiriaco dictæ diœceſis, à monaſterio S. Victoris Maſſilienſi dependente: vbi poſtquàm fuit inſtructus in regularibus obſeruantijs, ſe tranſtulit ad ſtudia literarum, in quibus adeò diligenter inſtitit, & inſudauit, quòd demùm fuit effectus ſolemnis doctor decretorum legitq. ex tunc multis annis tam in Montepeſſulano, quàm in Auenione. Tandem verò ſuis ſuffragantibus meritis, primò ad monaſterium S. Germani Antiſiodorenſis, poſteà verò ad monaſterium prædictum S.Victoris Maſſilienſis, ſub quo primitùs ordinem Sancti Benedicti profeſſus extiterat, promotus fuit, & indè aſſumptus in Papam.* Non propterea habitum dimiſit monachalem, quo indutus mori voluit. *Menolog. Benedictinum. Ciacon.*

4. *Doctrina.* Inter ea quæ doctè ſcripſit Vrbanus; Oratio ſupereſt *de Expeditione Terræ ſanctæ ad Io: Franc. Regem.*

De Oratione ex voto Commentaria.

Volumen Epiſtolarum, extat M.S. in Vaticano. Erat etiam Patauii in Muſæo *Benedicti Siluatici* ex bibliothecà *Tomaſini* Ep.

Verſus de Agnus Dei ad Imper. Gregorium (teſte Aug.Patritio) cui tres cereos Agnos Dei dono miſerat;& fuere ſequentes.

Balſamus, & munda cera cum chriſmatis vndà
Conficiunt Agnos, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum.
Fulgura deſurſum depellit, & omne malignum,
Peccatum frangit, vt Chriſti ſanguis & angit.
Prægnans ſeruatur, ſimul & partus liberatur.
Dona confert dignis, virtutem deſtruit ignis:
Portatus munde de fluctibus eripit vnda.

Leguntur hæc eadem in M.S. codice Benedictinorum, adiectis ſequentibus

Morte repentinà ſaluat, ſatanaq. ruina,
Si quis honoret eum, retinet ſuper hoſtem, trophæum
Parſq. minor tantum, tota valet integra quantum.
Agne Dei miſerere mei: qui crimina tollis.

De hiſce ſacratis Agnibus alia ibidem carmina leges; ſed auctor ignoratur.

Vicarius duorum Epiſcoporum, Vticenſis,& Claromontis (teſte Ciaconio) Vrbanus V. tam ſanctè peregit officium ſuum, quòd ab eius ſententijs nunquàm ad Epiſcopos opus fuerit appellare, vt in M.S. Codice legitur in bibliothecà *Io. Bapt. Cornelii Procuratoris S.Marci, Venetiarum.* Vrbani V. officia

Legatus Vrbanus V. ad Curiam Romanam (quæ licet Auenione ſtaret, Romana erat) Innocentii, atq. anteceſſorum ita gratiam promeruit, vt plurimis Apoſtolicis functus ſit legationibus. Nouiſſimè ad Ludouicum Regem Siciliæ Neapoli delegauerat Innocentius VI. vt in *M.S.Vaticano* legitur, ac illis in partibus exiſtentem, Cardinales Auenione ſtantes licet abſentem in Pontificē elegerunt. Ciaconius non Neapolim, ſed ad Inſubres V.Comites fuiſſe legatum ex Petrarchà ſcribit: *Victorellus*: vndè Mediol. ſtantem, in Pontificem fuiſſe aſſumptum. Innocentius cum Vrbanum miſit in Italiam, vt tyrannos perderet, ſequenti decorauit elogio; *Vade Abbas noſter, & ſub tuà fide, atq. vigilantià exurgat Italia: Deus tecum erit.* Præludium hoc fuit libertatis futuræ, quam Vrbanus ſedi daturus erat Apoſtolicæ. Legationes. Laudatur ab Innoc. 6

7. *In hac electione.* Sepulto Innocentio VI. Conclaui incluſis Cardinalibus, ſuborta eſt quæſtio; an Androinus, quem Cardinalem dixerat Innocentius, titulum tamen nec contulerat, nec linguam ſoluerat, votum haberet in electione præſenti? Mos enim nouiter promoto, os per Papam claudi, nec aperiri, donec titulus aſſignetur, interim nil iuris habenti. *Geſta Vrbani V. apud Boſquetum.* Cardinales, qui conuenerant, fuere numero viginti, ſed inter ſe diſcordes, conuenere in Guilielmo Abbate S. Victoris Maſſilienſis, in Italià tunc degente. Hunc autem minimè fecere certiorem, ſed literis tantummodò ad ſe euocarunt, ad conſulendum Eccleſiæ neceſſitatibus; ne Itali eum apud ſe detinerent. Auenionem cum veniſset ignarus electionis ſuæ, eà promulgatà, carmine illo reſpondit Dauidico: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Coronatus fuit die 8. Idus Nouemb. *Vrbani* aſsumpto nomine; vt ex *ep. Vrbani ad Ægidium Ep. Sabin. tom. 5. pag.* 3. Et ſanè in hac electione nil humani contigiſſe, iure ſcripſit Petrarca *l.7.Senilium*, licet Vrbano quandoq. infeſtus, quòd ille rediiſset in Galliam. *Attendiſti acriter, certus ſum, ſeruaſq. memoriter, quibus vijs ad hoc culmen aſcenderis: neq. enim in Deum fas eſt, ingratum ſuſpicari eum, qui gratiſſimus in homines ſis. Non eſt quidem poteſtas niſi à Deo, non mentitur Apoſtolus, qui hoc ait.* Cardin. quando votum habeant. Vrbani V. electio. Symbolum Vrbani V. Excitatur à Petrarcha redire in Italiā

Verum hæc poteſtas, quæ aliunde vtiquè non eſt, aliter atq. aliter hinc eſt. Sæpè enim diuina ſapientia ad ſuæ voluntatis effectum, humanis actibus vtitur, ſucceſſione, electione, donatione, acquiſitione, et ſi qui ſunt alii modi, quibus homines ad aliquam poteſtatem perueniunt. Vbi humanorum actuum veſtigia atq. effectus apparent, voluntas ac diſpoſitio Dei latet, doctis tamen ac fidelibus non ignota. Et hoc calle ad Papatum, antè te noſtrà memorià peruenerunt omnes. Eſt vbi ipſa Dei voluntas tam euidenter emineat, vt lap-

pis quoq. eaciſq. etiam nota ſit. Sic ſe Deus perſpicuum, ſinè medio velle aliquid, oſtendit, vt nulla ibi partes hominum videantur, quorum linguis aut manibus pro organo quodam, inſtrumentoq. vtitur, illis ipſis, quid per eos fiat ignorantibus, factumq. mirantibus, ac forſan dolentibus. Hoc tu noſtrà ætate ſolus tramite conſcendiſti, nemo te fallat pater prudentiſſime, nemo tibi perſuadeat, eſſe aliquem tuorum Cardinalium, qui vel ſemel vnquam cogitauerit te ad Papatum non dicam promouere, ſed poſcere. Si quis fortè tibi aliud inſuſurrat, verba dat, te ſibi mendacio obligatum cupit. Deus te profectò, Deus inquam, ſolus & nemo mortalium elegit, linguis licet illorum vt dixi vſus, quas ad aliud diſpoſitas, ad ſuum verſit obſequium, quodque ipſe volebat, dictu mirabile, peruolentes fecit. Hoc vbi acutiſſimo hominum, quomodò rear incognitum, quod nemo ferè vulgarium ignorauit. Sed ſi nunc etiam notius fieri vis, quorum electus es vocibus, mores atq. animos tibi notiſſimos contemplare. Pone ante oculos faſtum illum, nuſquam tanta rerum ſuarum extimatio parq. contemptus alienarum, alto loco aſſueti omnes, ad ſummum ſinguli aſpirant, quò vix eſt, qui alium quàm ſe vnum dignum cenſeat, ſe quoniam nominare alius eſt neceſſe, quiſq. ſe cogitans alium nominat, vieiſſim ab aliis nominandus: ita neq. quiſquam nominare poteſt, neq. alium vult, niſi ex eodem numero, vnde tanti beneficii vicem ſperet. Quando ergo illi hoc iudicio, & his moribus, quamuis vità conſpicuum, liberis excellentem, humilis Abbatem cenobii nominaſſent, aut tanta rei idoneum iudicaſſent, aut quomodo illis in animum veniſſet, quod quiſq. ſuis optabat, exteris dare, ſeù quem ex alto deſpicerent, ſupra ſe cernere, ſe quo miniſtro vſi eſſent Dominum habere. Audacìter forſan, ſed ni fallor, verè dixerim, nunquàm quo ſunt animo, tale aliquid ſpontè pati, ne dicam facere potuiſſent. Non refert autem quid homines velint: ſed quid Deus, is te verò non alium volebat, conſiliumq. ſuum vltro non conſenſuris occultabat, quibus ſcrutinia profunda verſantibus, ſic clanculò tuum nomen inſeruit, vt ex toto nominibus Romano cardine fulgidis, cum ſolus Abbas Maſſiliæ ſonuiſſet, dolor & timor malos, gaudium & ſpes bonos, admiratio ac ſtupor omnes arriperet. Et ſi tanta de re ſententiam meam vis audire, quantum ſeu Solem veſpertilio, ſeu peccator homuncio diuinum conſilium intueri poteſt, dicam: *Incipit Chriſtus ſuorum fidelium miſereri, & finem malis imponere: vult pro aurei ſæculi principio Eccleſiam ſuam, quam vagari propter culpas hominum diu ſinit, ad antiquas & proprias ſedes ſuas reuocare.* Non fefellit ſua Perrarcham ſpes. Vidit namq. in Italiam reuocatam ſedem; & Vrbani obitum vt prædixerat, ſi rediret in Gallias.

Vaticinium de eius Papatu. In hac electione vaticinium impletum eſt S. Malachiæ, *Gallus Vicecomes*; quià natione *Gallus*, & Legatus Apoſtolicus apud *Vicecomites* Mediolanenſes, cum Pontifex eſt electus.

Io: Rex Galliæ carcere ſoluitur Coronatus Vrbanus Principes excitauit Catholicos, vt ſeruatà æquitate improbos coercerent, & Eccleſiam ab impiorum iniurijs vindicarent. Redierat interim ex Britannico carcere Ioannes Rex Gallorum, qui Vrbanum veneraturus cum Aueniomem veniſſet, inter cætera poſtulauit, vt Philippus filius ſuus, natu minimus ſed ſibi chariſſimus (quod in acie nunquàm à latere diuelli potuiſſet paterno, reliquis filijs ac fratre fugam capeſcentibus) Ioannam Reginam viduam duceret in vxorem, quæ ſinè Pontificis auctoritate nubere non debebat. Annuit Pontifex, Reginam adhortatus, vt ex regià Francorum familià, ex quà genus traxerat, virum duceret. At illa Iacobum Balearicum, Principem inopem, & profugum ſibi deſpondit eà conditione, vt thoro contentus throno abſtineret Siciliæ; Ioanna ſola regnaret. *Matth. Villani ſupplementum lib. 11. c. 32.*

8. *In Vice Comites &c.* Pacis interpretem cum Ioannes Rex Gallorum pro Bernaboue V. C. acerrimo eccleſiæ hoſte ſe obtuliſſet Vrbano (Marte namq. Inſuber prꝗmebatur aduerſo) ac quadringenta aureorum millia numerare promitteret; ſi Vrbanus Bononiæ cederet: reſpondet Pontifex, *ſe in gratiam admiſſurum Bernabonem ſi is ablata Eccleſia reſtitueret, ſcelerumq. pœniteret.* Impꝗnitentem confirmatam Ægidio legationem citari mandauit ad primam Martij ad audiendam ſententiam damnationis, in quà repetitis geſtis ab Innocentio VI. exponit, *famà certiſſimà ad ſedem perlatum Apoſtolicam, Bernabonem calcatà religione ab Eccleſià defeciſſe, arrepto patrocinio hæreticorum, ac Franciſci Ordelaffi damnati de hæreſi ſuſceptis partibus, vetuiſſe in locis ſibi ſubiectis, promulgari aduerſus eum ſacram expeditionem. Munus ſibi arrogaſſe ſacerdotia conferendi; Archiepiſcopum grauibus affeciſſe iniuriis Mediolanenſem: Pontificem ac Imperatorem in ſuo ſe dixiſſe principatu: Atheiſmum profeſſum ſtultè negaſſe, Deum quidquam poſſe in terris eius.* A defendam cauſam die ad futurum Bernabonem ſtatuta, reſponderunt oratores eius. Sed die prima Martij adueniente An. Sal. 1363. coacto purpuratorum ſenatu, miſit Vrbanus ad fores palatij, Stephanum S. Mariæ in Aquino, & Hugonem S. Mariæ in porticu Diaconos Cardin. vt Bernabouem appellarent. Gualdiſius Louiſellius adfuit Bernabonis nomine, & procurator. Sed cum auctoritatem non probaret ſibi collatam: Vrbanus lata ſententia velut hæreticum condamnauit. Ea pronuntiata, Pontifex è ſolio ſurgens in genua procubuit, iunctiſq. in Cœlum manibus Chriſtum orauit, ac S. Apoſtolos, vniuerſamq. cœleſtem aulam, vt quibus vinculis crudelem, & infidelem tyrannum ipſe tanquàm Dei vicarius in terris conſtrinxerat, illum in Cœlis illigarent, opemq. è Cœlo eccleſiæ tranſmitterent. Nec ſpes feſellit Pontificem. Nam ad Mutinam Bernabos magna clade a fœderatis victus, doloſè ambire cꝗpit gratiam eccleſiæ, vt fꝗderatos diſſolueret. Pontifex ex aduerſo non ſolum in Italiam, ſed etiam in Germaniam miſſis concionatoribus, qui Chriſtianos in Bernabonem crucesignarent, protracta Orientali expeditione, cui non poſſe vacare credebat, ni Eccleſia bella libera eſſet Bononienſi. Grauatè tulit Bernabouis perfidiam Rex Cyprius, ac Ioannes Rex Francorum, Bernabouis affinis ſui improbitate Aſiaticam (cui ſe deuouerat) expeditionem diſturbari. Reliqui Chriſtiani Reges fauebant. Propterea timens V. Comes ne vniuerſorum Chriſtianorum arma in ſe concitaret, ſaniori conſilio ad concordiam reſpexit. Sed quia ab Ægidio Albornotio Cardinali legato abhorrebat Inſuber: miſit Vrbanus Androinum Cardinalem

cum ampliſſima poteſtate abſoluendi Bernabonem cenſuris, ac pęnis, quibus erat deuinctus. Et quia in Franciſcum Carrarienſem Patauii Præfectum Venetos concitauerat Venetos rogauit Vrbanus, ne Carrarienſem ipſorum imparem potentiæ opprimendo, cauſam fouerent hæretici aduersùs eccleſiam, atq. Aſiaticam impedirent expeditionem. Aſſenſit roganti Pontifici prudens Senatus, pacem cum Carrarienſi componens. Studium pariter interpoſitum pro ſopienda diſcordia inter Galeatium Bernabouis fratrem, & Io: Marchionem Montisferrati, Ep. Vercellenſem, & Amedæum Sabaudiæ comitem. His præhabitis facilè fuit Bernabouem ad pacem cogere, quæ Androini operà legati Apoſtolicâ eo pacto confecta, vt ereptæ à Bernaboue eccleſiæ arces, eiuſq. fœderatis reſtituerentur: quingenta verò aureorum millia partitis vicibus illi Pontifex refunderet, *Philippus Villanus*. Noua porrò cum ſemper Bernabos diſſidia quæreret, vt Etruriam ſibi ſubijceret, modò cum Piſanis in Florentinos, modò aduersùs Ianuenſes bella excitabat. Creſcebat in dies improbitas eius, inſolitis vectigalibus, ſtupris virginum, adulterijs mulierum, in Dei miniſtros ſæuitia; ad cuius coercendum furorē, Vrbanus Carolum implorauit Auguſtum An. 1368. præmijs Indulgentiarum propoſitis fidelibus, qui per annum Cæſaris ſequerentur vexilla, vel opibus ſubſidiarijs expeditionem iuuarent, ac ſi in Syriam ſe conferrent. Diploma tranſmiſit Epiſcopis diuulgandum in Eccleſijs, præcipuè Anglico Cardinali in Flaminiam legato. Succeſſerat iſte Androino, qui cum ex Flaminià ægrè decederet; opus fuit in eum anathema intentare, niſi mox gubernacula, arciumq. cuſtodiam Anglico tradidiſſet. Venit poſtea in Italiam Carolus, cuius impetum vt eluderet Inſuber, pacem popoſcit, & impetrauit. Vix tamen in Germaniam redijt Imperator; quòd conductis vagis Anglorum turmis, iterùm eccleſiam, eiuſq. fęderatos inuaſit; vnde dennò Cæſarem, atq. Ludouicum Vngariæ Regem opus fuerit, ex Germanià implorare, vt videbimus *in vità Gregorij XI.*

9. *Cum ad vrbem Vrbanus acceſſit*. Auditâ Innocentij VI. morte Guillelmus futurus Vrbanus V. An. 1362. Florentinis (à quibus honorificè fuerat exceptus) dixiſſe fertur: *Si aliquando Pontificem, qui ſedem Apoſtolicam reduceret in Italiam, ac tyrannos edomaret, intueri ſe contingeret, magnâ cum lætitià ſequenti die mortem obiturum*. Philippus Villanus. *l. 11. c. 26.* Votum Deus ſuſcepit emiſſum: atq. ad Vrbani electionem vota prænſauit. Electum protinùs per legatos cum conueniſſent Romani, reditum ſolicitantes in Vrbem; deſiderium ſuum confidenter expoſuit, vt ex *tom. 1. ep. ſecret. p. 150.* immò Cæſari ſignificauit; qui itineris ducem ſeipſum exhibuit. *Tom. 2. pag. 192.* Morantem, atq. cunctantem Pontificem iniurià Deus excitauit militari, ac ſalutari. Nonnullæ militum turmę, quæ rapto viuere aſſuetæ trans Pyreneos è Gallijs traiecturæ, eo terrore Auenione appropinquarunt vt à Pontifice, & Cardinalibus ingentem vim extorſerint auri, quæ ſtipendiorum honeſto nomine erogata, vt in Mauros ducerent Granatenſes. Atrocitate iniurię moti Principes (inter quos Petrus Caſtellę Rex) arma, militē pro tutelà obtulere Pontifici. Petrarcha Vrbanum aduerſus Gallias ingratas ad reditū; in vrbē ſequentibus excitauit *l. 7. Senilium* *Dum hæc impia ac odibilis Deo ac Mundo prædonum manus, quæ nunc miſeras Chriſtianorum regiones terribiliter peruagatur, ad eam te neceſſitatem perduxiſſet, vt omni alio ceſſante remedio, tua & Romanæ curiæ libertas ac requies multo auro redimenda eſſet, multa (nec immeritò) ſuper hoc cum fratribus tuis queſtus, inter cætera iniuriam hanc Bonifacii iniuriæ non æqualis tantùm, ſed etiam prætuliſti. Rectè id quidem ac veraciter.* Et infra: *Nec ea res ſine magni alterius hoſtis auxilio, ac fauore* (Gallos tacitè arguit) *nec tamen etiam aperta vi, ſed nocturnis inſidiis acta eſt. At tu hominum innocentiſſimus, qui nulli vnquàm malefeceris, nec optaueris quidem hac tuà humanitate & hac rerum & verborum humilitate (quantum potes) Dominum tuum ſequens, non ſubitò, non occultè, ſed inſtructà acie viliſſimorum circumuentus, ò indignum ac ſceleſtum facinus, te ipſum pecunià redemiſti: ad quod Bonifacium nec coactum certè, nec requiſitum ſcimus. Itaq. ſanctiſſima querimonia tua ſpiritu ſancto plenus illud addidiſti, hęc mala omnia hinc maximè prouenire, quòd Petri ſedem tuamq. deſereres, itq. in dies grauiora metuere, ſi obſtinatis nunc etiam animis deſeratur ſedes illa, quam ſponſa ſua Chriſtus elegerat. O te dignam vocem: ò vaticinium veri plenum: ò ſermonem cui meritò & terrenum concinat, & cæleſte collegium. Verè enim ita eſt: propter hanc ſummæ ſedis viduitatem atq. contemptum & curia tua nunc, & totus inſuper chriſtianus orbis affligitur: & citò, niſi prouides (ſi quid præſagire homini licet) affligetur aſperiùs.* Pulſabant etiam inceſſanter Romani, vt Vrbi ſedem reduceret Apoſtolicam, quos Papæ ne verbis lactare videretur, Ep. Vrbeuetano ſuo in Vrbe vicario munus iniunxit, palatium inſtaurare Apoſtolicum. Hiſce votis annum agebat quartum Pontificatus ſui, quo Romani ab Anglis prædonibus oppreſſi Bernaboue inſtigante auxilium implorabant. Qua re Petrarcha repetitis literis vrgebat ad reditum. *Lætus ſedem tuam* (inquit) *repete, quam cum ſemel attigeris, & fortis armatus atrium tuum cuſtodieris, omnia erunt in pace, quæ nunc ideo ſunt in bella, quia tuum principale atrium non cuſtodis. Et quid multa? perpropriè tibi conueniet, quod de tuo atq. omnium Domino dictum eſt: pax enim erit in terrà dum veneris, dum loqueris pacem gentibus: & poteſtas tua à mari vſquè ad mare. Nec te terreat, quod Roma quoquè per hoc tempus ſuas prædonum moleſtias eſt paſſa: rabies nempè barbarica, quæ nunc ſacram vrbem tentat acephalam, mox vt ſuum caput illa receperit, non dicam Romam, ſed Italiæ, clauſtra proſpicere non audebit.* Et infra. *Totus penè Orbis ſummè patrum, qui Chriſtianus eſt, vno tibi nunc ore blanditur. Si tua vera eſt, quæ fertur integritas, euenturum ſpero, vt inter tot adulatores non patienter modò, ſed læte vnum audias reprehenſorem; & ſi fortè aliquid plus minuſquè quàm deceat audieris, fidem laudes, ignorantiam excuſes. Hac ſpe fretus incipio. Cuncta quidem apud Auenionem proſperè, magno cuncta conſilio geruntur. Dixi: iam laudo. Sic te docet, vt vbicumquè fueris, benè ac fęliciter vniuerſa ſuccedant, & præſentiam tuam virtus ac proſperitas comitentur. Sed dic, oro, quid agit interim ſponſa tua? quo conſule regitur? quo duce defenditur? quibus* co-

Eum vrget Petrarcha.

cemitibus conſolatur? Reſpondebit: immò non tu quidem, qui interrogationem meam, non dubito, placatus atq. æquanimis accipis; ſed aliquis vnus minor, & impatientior reſpondebit: Tù Romano Pontifici legem ponis, aut vnam illi ſponſam tribuis, cui ſponſo eſt non eo ſola quam intelligis, ſed vniuerſalis Eccleſia? vbicumquè ille ſibi moram eligit, illic ſponſa, illic ſedes propria ſua eſt. Non inficior, pater beatiſſime, nequè anguſto tibi ſedem tuam. Et infra. *Vbicumquè ritè colitur Chriſti nomen, illic ſedem tuam eſſe, nec nego nec dubito. Illud mihi non negetur, quod inter omnes alias ſingulare tecum aliquid immò quamplurimùm habeat Vrbs Roma: cætera enim omnes ſuos habent ſponſos, tibi quidem vni ſubditos, ſed ſuis eccleſijs præſidentes, illa verò nullum habet niſi &c. Itaquè ſummus in reliquis, in Romano Vrbe ſolus es Pontifex ſolus ſponſus.*

De illa tua igitur, nec alterius ſponſa nexu coniugij ſpiritualis te interrogo: Quid nunc agit? quo in ſta- B *tu eſt, quæ in ſpe? ſi tù taces ipſe mihi reſpondebo. Aegra inops, vidua miſerabilis, ſola eſt, & veſtim viduitatis induta diebus, ac noctibus fles propheticum illud canit: Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo, facta eſt quaſi vidua domina gentium, princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo, totumquè per ordinem à principio in finem flebile illud carmen ingeminat. Illic verò mæſtius fracta voce ſingultibus feſſa ſubſiſtit, vbi ſcriptum eſt. Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eſus. Omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici. Et iterum; Idcircò ego plorans & oculus meus deducens aquas, quia longè factus eſt à me conſolator i conuertens animam meam. Hic in quam illum profundius ſuſpirat te ſignificans: nam qui alius conſolator quis conuertere animam ſuam poteus, niſi tù cui, & prompta remedia, & ſponſa neceſſitates ac miſe-* C *ria nota omnes. Et ſi quid fortè notitia defuerit, ſcito quoniam te abſente abeſt requies, pax exulat, bella adſunt, et ciuilia, et externa; iacent Domus, labant mœnia templa ruunt, ſacra pereunt, calcantur leges, iuſtitia vim patitur, luget atq. vlulat plebs infelix, tuumquè nomen altis vocibus inuocat, nequè tu illum ſtudis, nequè malorum piget miſeretquè tantorum, nequè venerabilis ſponſa pias lachrymas vides, tequè illi debitum reſtituis, qui vt alijs minus dignis ac minus egentibus ſuos reddere, curiam tuam prouidentiſſimè vacaſti. Ita populus quilibet ſuum habet epiſcopum, populus Romanus ſuum Pontificem non habebit? & paruæ vrbes ſuorum in amplexibus requieſcent, regina vrbium ſemper vidua erit? quodque viduitate peius dixerim, ſponſum ſuum ſemper cum alijs habitantem, captumquè peregrinis amoribus audiet, nec tenere illum poterit nec videre qui ſui præſentia ſe, & illam glorioſos faceret ac felices.*

Sed quo animo (da quæſo, miſericors pater temerariæ deuotioni meæ veniam) quo, inquam, animo tù ad ripam Rhodani ſub auratis tectorum laquearibus ſomnum capis, & Lateranum humi iacet, & Eccleſiarum mater omniam tecto carens, & ventis patet ac pluuijs: Et Petri, ac Pauli ſantiſſima Domus tremunt, & Apoſtolorum, quæ nunc ædes fuerat, iam ruina eſt informiſquè lapidum aceruus, lapideis quoq. pectoribus ſuſpiria extorquens; Si reſponſum ad hæc omnia non meretur humilitas mea, an non ſaltem Aggæo prophetæ, immò ſancto ſpiritui per illius os loquenti reſpondebitis tù, & fratres tui? quidnè omnino reſpondere poteritis? Num A *quid tempus, inquit, eſt vobis, vt habitetis in Domibus laqueatis, & iſta domus deſerta? Nota ſunt, & terribilia quæ ſequuntur, illud imprimis: Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſq. in domum tuam, &c.* Et infra *Deniq. (quod non caruit euidenti miraculo) egit Chriſtus, vt in Italia eſſes, dum te abſentem nominantibus, ſed præſentem ſibi vicarium ordinaret, nequis diſſimulationis locus eſſet, ſed tibi, et omnibus appareret, decere te ſummi pontificatus officium exercere, ea potiſſimum in parte terrarum, in qua ille tibi nec ſperanti vtiq. nec optanti, nec opinanti equidem non ſuffragijs hominum, ſed ſola Dei prouidentia contigiſſet; atq. vbi ex humili ad ſummum ſine medio conſcendiſti, illic è ſummis humilibus ſine medio conſulendum, inſolentibus reſiſtendum, quod nec vſquam terrarum melius fieri poteſt, nec alibi, quam in ſua vrbe glorioſus Romanus Pontifex in actum largitori placitum datam ſibi diuinitus transferre potentiam. quamuis enim bonum opus vbiq. laudabile, nuſquàm tamen aptius fieri conſtant, quam dum in tua ſede ſedet opifex. Tù quidem orthodoxæ fidei magiſter, ac tuumq. opifex piorum: ſedes tua vbiuis; ſed antiqua, vt dixi, et vera, et propria, et publicè vtilis, et vniuerſo expediens Roma eſt. Itaq. hoc rem verto, vt Vrbanus vrbem, Romanus Pontifex Romano petas, locum Deo gratum, hominibus venerandum, pijs optabilem, rebellibus (dum tù ibi fueris) formidandum, reformando orbi et regendis rebus idoneum.* Et infra: *Mentem ſubeat eſſe te quidem epiſcopum vrbis Romanæ, illos autem, nimirum Cardinales, vel Romanæ telluris epiſcopos, vel in Romana vrbe presbiteros aut diaconos, nec dicere eccleſiam Petriq. ſedem originibus veſtris, ſed origines veſtras illi cedere, illam ſequi: nec honeſtum catholicis atq. Eccleſiaſticis viris eſſe, carnalium vncis affectuum ab officio retrahi, quos pagani fregerint, ac ſpreuerint. Proinde perſuade illis (nam tibi iam perſuaſum ſpero) Romano petere, vbi et rerum copia et qualitas ea eſt, quæ facilè impetret, vt exerna non cupiat.* Et infra.

Vnum ſilus, ſine ad extremum diſtuli, quod primum eſſe potuerat. Noſti quo in ſtatu Chriſtiani ſint per triſtem, quin et propinquius malum eſt. Non audiſti vt inermes Aſiæ populi, quos noſtra deſidia fortes facit, atquè in primis olim Phryges Turci hodie, miſeriam Græciam ſinè ſine diripiunt, et Aegæo ſparſas Cycladas populantur? quæ et ſi longis erroribus obſtinata pertinacia iuſtas pœnas dent, inde tamen ad nos veroſquè catolicos eſt tranſitus. Iam Cyprus, Creta, Rhodus, Eubœa, viciniorquè nobis tentatur Achaia, et Epirus: iam Calabrum D *litus, flentis Græciæ mæſtiſſimas voces trepidis auribus accipit. Sic nunc itoquè fides Chriſti, vt orientem periclitatur, tù ad occidentem ſedes. Adhuc, ò maximè Dux noſtrarum, et Pontifex animarum, qui vt tuum munus impleres niſi fallor, pridem ſurrexiſſe debueras, tequè vel ſolùm difficultatibus obuium ferens non Romam modo, ſed Conſtantinopolim perrexiſſe. Quamquàm ſolus eſſe non potes, Chriſtus ipſe, cuius res agitur, teſtim erit, et Chriſti acies quocumq. ieris te ſequetur.* Et infra. *Vbiq. (fateor) vtilis ſancta vbiq. et venerabilis præſentia tua eſt, ſed quid quæſo, quid Rhodanus, quid Sorgia, et Ruentia tui egent? quis tibi tuorum protegendus? quis hoſtium comprimendus? egent tui Ionium, & Aegæum et Helleſpontus et Proponti et Boſphorus, quid hic igitur monſtri eſt, non poſſum ſatie hoc quærere. In oriente pugnatur; tù quid agis in occiden-*

dente ſpiritualium dux bellorum? Et infra. *Certè niſi iam hic proſpicis, niſi occurris, actum eſt: pudendam nobis Chriſtiani nominis illis in partibus ruinam, & prorſus indignam, ac miſerabilem audiemus, quæ vt dixi, non Chriſti qui eſt iniuria inacceſſus: ſed noſtra iactura eſt, noſtra ſocordia, noſter pudor, qui iam tantus ibi eſt, vt an maior eſſe poſſit in dubio ſim.*

Neſcio an peius ſit amiſiſſe Ieruſalem; an ita Byzantium poſſidere, ibi enim non agnoſcitur Chriſtus, hic læditur, dum ſic colitur. Illi hoſtes, hi ſchiſmatici peiores hoſtibus. Illi apertè noſtrum imperium detractant hi verbo Romanam Eccleſiam matrem dicunt, cui quàm deuoti filii ſint, quàm humiliter Romani Pontificis iuſſa ſuſcipiant, tuus à te ille dicat datus patriarcha. Illi minus nos oderunt, quia minus metuunt, iſti autem toto nos viſceribus, & metuunt, & oderunt conſtat, quia nos canes indicant, & ſi loquendi libertas adfuerit, canes vocant. Interfui ego ſolemni die, dum Romano ritu miſſa celebraretur. Græcus quidam homo non illiteratus, ſed multo maximè ſtultus, atque arrogans exclamauit: Ego non poſſum pati, inquit Latinorum nugas. Quod verbum intellectum ſi fuiſſet à populo, non impunè, vt auguror, tuliſſet. Sed hic eſt, ſic de nobis ſentiunt; & baſilicas ſuas ſi quis e noſtris introierit, quaſi humano ſanguine aut fœdo facinore violatas reconciliant, & expurgant. Et hæc quidem Romana Eccleſia diu nouit, et paſſa eſt, quod an ducis torpor, an patientia mereatur, cum tam facile dilui poſſit hoc dedecus, iudicandum linquo aliis. Certè nos, noſtroſq. hoſtes, à quibus nunc Ieroſolima detinetur, magnum æquor interiacet; itaq. cum illis, vt res noſtræ, & illorum ſunt, non paruus eſt labor, vnde fit vt dilationem noſtrum impotentia fortaſſis excuſet quamuis impotentia non niſi ex noſtris diſſenſionibus exorta excuſatio nulla ſit: inter nos autem, & hos Græculos nihil eſt medium niſi noſter ſopor, & noſtra ſegnities, quibus, vt odii plurimum, ſic nihil eſt virium, nihil ibi volentibus negotii eſt. Duobus Italiæ populis ſponſor ſim, ſi tu bene velle cœperis, breui eos non iunctos modo, ſed vnumquemq. per ſe vel imbelle illud imperium euerſuros, vel ad iugum matris eccleſiæ deducturos, quò magis magiſq. conniuentiam hanc ſtupeo, nec ſatis intelligo quid ita res maxima negligantur, cum minimarum tanta ſolicitudo ſit hominibus. Et licet hic omnium Chriſtianorum publicus pudor ſit, tamen in omni exercitu male rem gerente ducum pudor eſt maximus. Et infra.

Romane Pontifex Dux Chriſtianorum, Roma te ſuum ſponſum, Chriſtianitas ſuum ducem vocat altis vocibus non ad requiem, ſed laborem, ad quem homo naſcitur, neq. ad pacem, ſed ad bella repoſceris, in quibus tamen bellis temporalibus æterna pax animæ, & multorum ſalus, et gloria tua eſt. Tuum eſt eligere quo in ſtatu mori velis. Tui prædeceſſores Auenione ibi ſedem eligere, quo conſilio, ipſi viderint. Et infra. *Quod ſi eos natalis zonæ vicinitas mouit fuit in illis forſan excuſabile terram ſpectantibus, et terrena meditantibus: tibi autem longè aliter nutrito, longèq. aliter aſſumpto, longè aliter ſentiendum cui non hæc, aut illa pars terrarum, ſed totius orbis eſt patria, immò exilium, vt dixi, patria autem cælum, huius tamen in ſolo ſedes Romana non quidem ſola, ſed ſanctior gratiorquè illi, qui te hinc dum volet, in patriam reuocabit.*

Aſſurge animis, & vilia diſce contemnere, magna recepiſti, nec parua (fateor) repetuntur. Apertum tibi miraculum diuinitas fecit: nunc tu illi miraculum fac apertum, vt de tam profundo eccleſiam ſuam eruat: neq. enim paruis mir aula res fuerit, vt iam radicatos animos inde conuelleres fiet autem haud difficile, niſi tu ibi etiam radicatus ſit. Et infra. *Fama eſt, eſſe palatii tui partem, quæ Roma dicitur, quàm ingreſſus ſponſa te reddidiſſe, totumquè prorſus implere Romani Pontificis officium videare. Noli tum Domino tuo ludere, fruſtra fallaciunculis tentatur.* Et infra.

Cum ad Tribunal Chriſti ventum erit, vbi non tu Dominus, & vos ſerui, ſed vnus ille Dominus, & nos conſerui omnes erimus. Et infra. *Quid reſponſurus es Domino? aut quid dicturus Petro? Ego, inquiet, inſtante metu crudeliſſimi Neronis fugiens, Domini increpantis occurſu Romam redii ad ſupplicium, & ad mortem: te quis Nero, quiſuè Domitianus expulit? quid quæſo nunc Roma fit? quid mea Domus? quid ſepulchrum? quid populus meus agit; An mihi non loqueris, an quæ te percunctor ignoras? vnde verò mihi nunc redis, an & tu ad Rhodanum exulaſti? qui ſi te ibi forſitan natum dicas, an non ego natus alibi, ſed vterquè noſtrum aliam naſcendo, renaſcendo aliam patriam natus erat, itaquè conſtrictus ego Domini iræ voluntatis Romæ poſtpoſui Galilæam, at tu Romæ Rhodanum prætuliſti.*

Hæc ego pater clementiſſime, fide pura, ſtylo humili dictauerim, ſiſus tibi, amarinſculam veritatem, quam melliculas blanditias rhaſerem. Si erraui, aut ſi ſanctitatem tuam mea libertas offendit, flexis animæ poplitibus veniam peto. Tu verò nunc, ſeſectis conſultationibus varijs, tecum rogita, tecumquè delibera, an quod ſupereſt temporis, in cuno Auinionenſis agere malis; an Romæ quæ tota caro, & ſanguis eſt martyrum: an in ſaxo illo, & in illa ventorum patria, quam nunc colis; an in Vaticano potiùs ſepeliri eliges, locorum omnium noſtri orbis ſine vlla comparatione ſanctiſſimo. Ad extremum in die vltimi iudicii an reſurgere ames inter Auinionicos peccatore famoſiſſimos nunc omnium, quæ ſub cælo ſunt; an inter Petrum, & Paulum, Stephanum & Laurentium, Silueſtrum, & Gregorium, & Hieronimum, & Agnetem, & Cæciliam, & tot millia ſanctorum, vel in Chriſti confeſſione feliciter quieſcentium, vel pro Chriſti fide feliciùs peremptorum, &c.

Cum Petrarcha conſpirabant viri ſancti, à quibus Pontifex confirmatus, publico tandem edicto obitum promulgauit Anno 1366. primumq. omnium certiorem fecit Senatum Venetum, vt in Italiam traiicere cogitanti triremes commodarent. Deum ſe apparaturum lubens ſe Venetus obtulit; ſed tantum quinquè Pontifex admiſit. Nec Officio ſuo defuere Lygures, Piſani, duoq. Cæſares, Carolus Romanorum, & *Philippus* Tarentinus Balduini II. Imp. Conſtantinopolitani hæres legitimus, ſe Pontificem pollicentes comitaturos. Philippum tamen Papa vlteriùs progredi vetuit: vt ipſum tamen Romæ conueniret, permiſit. Carolo verò exposcenti, an præire deberet, vel ſequi? reſpondit Vrbanus ſatiùs videri, vt viam ipſi muniret, atquè Italiam latronibus purgaret. Anno itaq. ineunte 1367. poſtquàm Palatium Auenionienſe conſignationibus, deambulatorijs, viridarijs amplificaſſet eo ex latere, quod Roma vocatur. Montempeſſulanum Vrbanus, quod gratitudinis memoria, ibi ſtudia obiiſſe minora, magnificis ædibus ornauerat.

re-

religioſis, vt certus numerus monachorum in honorem S. Benedicti, & Germani diuinis inſiſterent officijs, ac literis vacarent, inuiſit, ac eccleſiæ à ſe conſtructæ altare maius conſacrauit, oblatis Reliquijs, pretioſiſq. muneribus. Plura alia Vrbanus ædificia conſtruxit. In Bodoſtto diæceſis Mimatenſis, in quà fuerat baptizatus, nobilem ædificauit eccleſiam, quam ad modum caſtri, turribus cinxit extructo collegio Canonicorum ſęcularium ſub decano, qui laudes Deo canerent, in memoriam ſui, & parentum ſuorum, quorum ibi erat ſepultura. Inde Auenionem reuerſus, itineri ſe accinxit Italico, præteritis Regis Francorum, ac Card. conſilijs, quibus irretire conabantur, ne Gallias deſereret. *Ante alios* (inquit Petrarcha) *inclytus Rex Francorum eccleſiæ filius, qui deuoto quidem, ſed iuuenili amore matrem cupiens propinquam, nec conſiderans quanto honeſtiùs ac meliùs abfutura eſſet, ad te abitum meditantem, quos potuit, laqueis detexit, quibus ſacros pedes Apoſtolicos ad omne pium, ſanctumq. opus paratiſſimos implicaret: Doctam ſcilicet, ac diſertum vt perhibent quemdam virum, qui coram te ac fratribus tuis cupidè nimis audientibus verba faciens, in eo partem maximam ſuæ orationis aſſumpſit, vt caloteniùs ſuam*

Gallias deſerit.

Galliam attolleret. Italiamquè deprimeret. Humana refregit conſilia Pontifex indicijs ſupernis, ac die vltimà menſis Aprilis Auenione receſſit, aulà comitante, exceptis quinq. Cardinalibus, qui nullà exornati auctoritate Auenione ſubſtiterunt, eo teſte, qui ad Guillelmum Nangium appendicem adiecit.

Maſſiliā venit. Triremibus Venetis

Maſſiliam cum applicuiſſet; deuota plebs *non vt hominem, ſed vt Deum ſummo gaudio: atq. ingenti veneratione ſuſcepit*, teſte Petrarchà *l.7. Senilium. Quo pio ſpectaculo permotus, neſcio an lachrymas, ſed certè verba non tenuiſti, quæ in noſtris gratiùs etiam fortaſſis quàm multorum, qui aderant, auribus ſonuerunt. Dixiſti inter multa, quòd niſi eſſet alia cauſa Romam, atquè Italiam petendi, niſi vt deuotionem fidelium excitares, abundè quidem hæc ſola ſufficeret. O ſanctum, & ęterna memorià dignum verbum.* Et infra: *Si talis occurrit tibi Maſſilia, quàm obſequioſa, quàm deuota, quàm reuerens Roma occurret. Non affuſum modo, et præ gaudio lachrymantem, ſacramq. tellurem piis fletibus ignorantem populum, ſed ipſos Dei angelos in limine obuios habebis, qui vicarium ſponſamq. ſui Domini in ſedem atquè in thalamum proprium redeuntem ineffabili gaudio, & prædulcibus hymnis excipient.* Effeminati verò Cardinales Galli, qui Pontifici obloquebantur abeunti, nè ſinè infamià pertranſeant, audi quid in eos Petrarcha *l.9. Senilium ep. 2. ad Brunum. Vnum de multis interſeram, fuiſſe ibi nonnullos ex illo etiam venerabili ordine, qui confeſtim vt Venetus claſſem terris eripuit, contorti acriter muliebri eiulatu omnium in ſe nautarum ſimul vectorumq. ora conuerterint: quin & conuitiis, ne qua ſtomachi eſſet excuſatio, blaſphemiiſquè non parcerent: O malum Papam, ò patrem impium exclamantes, quonam terrarum miſeros filios rapis? non quaſi ad Chriſtianitatis vnicam ac ſupremam, ac ſupremam arcem vrbem Romam ſuà in ſede catholica futuri Reges eccleſiæ, ſed quaſi Cteſiphontem, aut Memphim Sarracenorum in carceres traherentur, verè ergo miſeri filii ſui affecti, verè autem feliciſſimus pater ac piſſimus, ſi Latinè dicitur, qui volentes etiam ac luctan-*

Gallorū Cardinalium querelę

A *tes filios ad ſalutem ducit. Ego igitur clamo, immò totus fidelium grex exclamat, ò beatum, optimumq. ac cælitus miſſum mundo Papam, qui eccleſiam ludibrio exuere auſus, ſuo in ſolio atq. honore repoſuit. Qui hoc vituperat, quid ſit vnquàm laudaturus non intelligo verè Papam optimum non modò ante alios, ſed vnum ex omnibus noſtræ ætatis, & verè peſſimum atq. impurum os, quod contra indulgentiſſimum patrem latrat. Meritò itaquè Deus illi, qui in his maledictis acerrimus omnium fuit, manifeſtum ac terribile ſignum fecit, vt ſcilicet ex quo ſanctam ciuitatem attigit illico moreretur, qui cum morti proximus eſſet, ad ſummum Pontificem deſtinaſſe traditur, qui dicerent: Perſuaſum ſibi à medicis, vt ſi ſaluus eſſe vellet ad ſuum aerem, atq. patriam remearet.* (Nota Papæ reſponB ſum dignum vt præ foribus ſculpatur in marmore) *Cura in patriam eundi bona eſt, modo nouerit, quę nam patria ſit ſua, nàm terrenam patriam cogitare in hoc ſtatu intempeſtiuum eſt, ac mortiferum. Cæleſtis illa Hieruſalem vera patria noſtra eſt, ad hanc ſuſpicerent, cuius tamen in limine duos ſe potentiſſimos hoſtes quæſiuiſſe meminerint, Apoſtolos Chriſti Petrum, & Paulum. Quorum voluntati ſumma vi reſtitit, meq. illius executorem omni ingenio retardauit.* Ad Vrbanum redeo.

Miraculum in oblocutores.

Dictum Vrbani notabile.

Maſſiliam ingreſſus declinauit ad monaſterium S. Victoris, cui dudum præfuerat, ac vetuſtate corruptum muris refecerat pretioſis, & ornauerat. Ibidem ſtans, die XII. Maij creauit Cardinalem *Guillelmum de Agrifollio*, iuuenem ætatis 28. vt grates rependeret Guillelmo Agrifolio ſeniori Cardinali S. Mariæ in Tranſtyberim, quo auctore conſcenderat Pontificatum. Iuuenis ob legum peritiam, C ac morum honeſtatem, non inutilis ſperabatur eccleſiæ futurus, quam tamen ſchiſmate flagitioſo vexauit. *Boſquetus.* Die XX. Maii iterùm mare ingreſſus cum nobili triremium apparatu Ianuam venit, vbi ſolemniter receptus Eccleſià viſitatà maiore, domum ſe recepit Sanctis Ioanni Hieroſolymitani, in cuius eccleſià ſolemniter cum celebraſſet in die Aſcenſionis Domini, in craſtinum abſceſſit, ibi relicto Marco de Viterbio Cardin. S. Praxedis, vt diſſidia componeret inter Lygures, & Inſubres. Die 4. Iunii Cornetum applicuit, obuium habens Cardinalem Ægidium Albornotium legatum Apoſtolicum multis comitatum nobilibus, & magnatibus eccleſiæ. In litore erant parata tentoria pannis cooperta ſericeis, intextis frondibus arD borum decora nimis, & aſpectu pulcherrima. Amęnitate delectatus Pontifex, mandauit ibi Miſſam cantari. Quà finità equum aſcendit, Cornetum veniens die 6. Iulii horà prandii, in domum Minorum declinando. *Boſquetus. Fons Beliarius in vità B. Io. Columbini.* Auctor Columbinus Ordinis Ieſuatorum (ita dicti quòd nomen Ieſu conclamarent) ſuis ſtipatus alumnis cum obſequens occurriſſet Pontifici, benignè exceptus, Senas rediens in itinere obijt, claruitq. miraculis. Corneti manens Vrbanus, ſolemniter celebrauit in die Pentecoſtes: veneruntq. ad eum Romanorum nuncij, plenum Vrbis offerentes dominium cum clauibus S. Angeli. Die poſtea 9. Iulii venit Viterbium, quò etiam acceſſerunt Cardinales Galli, qui eum itinere ſequebantur terreſtri: ac Italorum Legati de paterno læ-

Guillelmus de Agrifollio

Iter Pontificis Romam pergentis.

Ieſuati ei occurrunt.

lætantes aduentu. Tentauit hic Gallia vltimos ex-periti conatus excitata ciuium ſeditione aduersùs anlicos, vt popularium inſaniâ Pontifex exaſperatus, rediret in Gallias. *Petrarcha l. 6. Senil. ep. 1.* Deus verò quàm ſibi gratum Vicarii monſtraret aduentum; ad obedientiam etiam ſchiſmaticos reuocauit. Nam Comes Sabaudiæ, Patriarcha Byzantinus nomine Imperatoris Orientis cum veniſſent fidei ſuſcepturi vnitatem, breui Imperatorem ipſum nuntiarunt adfuturum. Viterbio Romam venit die 16. Octobris, Clero occurrente, populoq. Romano, & poſt Petri viſitatã Baſilicã in Vaticanũ declinauit quod vetuſtate collapſũ inſtaurari mandauerat. Plures alias reparauit Baſilicas præcipuè S. Petri, & S. Pauli; Ornauit eccleſias in Vrbe, & extra Vrbem veſtibus ſacris, libris, vaſibus, auro, gemmis. *Auctor Incertus apud Raynaldum An. 1370. n. 21*

B Epiſtolares hic audiuit Petrarchæ laudes, quas longà ſeriè legere eſt *l. 9. Senilium ep. 1.* præcipuè: *O iterùm te felicem: O felicem diem, qui te matris ex vtero in lucem edidit, & ceu benignum ſydus aliquod Mundo dedit. Nunc verus mihi verè ſummus ac Romanus es Pontifex, verè Vrbanus, verè Petri ſucceſſor, verè Vicarius I. Christi. Eras & ante, non inficior poteſtate, dignitate, atq. officio: nunc quod optimum eſt, voluntate, pietate, exercitio. Neque enim aut voluntas ſanctior, aut purior pietas eſſe poteſt homini, quàm tibi eſt, ſemperq. fuit, vt puto ſed nunc ita rebus ipſis eminuit, vt iam nemini eſſe poſſit occulta: neq. à quoquam promptius poſſet aut cautiùs in actum deduci, ſine quo quidem eſt voluntas. Quinq. Pontificum ſtatu parium non animis, & ſexaginta vel eo ampliùs annorum negligentias vnus tu diebus pauciſſimis emendaſti*: Et infra.

C *Reduc eccleſiam tuæ creditam cuſtodiæ in antiquos mores, quam in ſedes priſtinas reduxiſti, vt vndiquè ſias irreprehenſibilis: Et qualis olim fuit toto orbe, venerabilis eſſe rurſus incipiat ac dilecta.* Et infra.

Doce fratres ac filios tuos ſpernere quæ amabant, amare quæ metuunt, quæue oderunt: odiſſe ſeipſos, qui tamdiù oderint quod amandum erat. Dignum literis aureis Auguſtini verbum eſt. Nemo poteſt perfectè diligere quo vocatur, niſi oderit vnde reuocatur: Et poſt pauca. *Hac fiet quiſquam qualis cupit eſſe, niſi ſe oderit qualis eſt.*

Oſtende ſenſibus vagis, adhuc malas domos Rhodani, & paluſtria mira quærentibus; loca illa ſalubria vbi effectum eſt, quod ianitor cœli, doctor orbis pariter, vt de vtroq. canit eccleſia, iudices ſæculi, vera mundi lumina,

D *per crucem alter; alter enſe triumphans, vita ſenatum laureati poſſident. Oſtende illis digito non procul inde ab illius ingentis ac deuotæ foribus baſilicæ, vbi Simon Petrus aſcendit in crucis patibulum, vnde clauicularius regni gaudens migrauit ad Chriſtum. Oſtende paululum diſtantius; Vbi Paulus Apoſtolus lumen orbis terræ inclinato capite prò Chriſti nomine martyrio coronatus eſt. Hæc enim ſæpè de ſuis ducibus cecinerunt ac legerunt: loca ſancta (vt arbitror) non viderunt: quæ cum viderint hæſerintq. animis, pudebit (vt ſpero) profanorum, & infamium locorum, ad quæ non recto iudicio, ſed aliquo affectu, & longo vſu amorem immeritum conceperunt. Iube illos cogitare, atq. interiùs ſpectare oculis venerandum, ac ſanctiſſimum ſenem Petrum non peregrini voni cupiditate, ſed iuſto metu*

A *mortis abſterritum abire, de hinc calle medio, Chriſtum illi obuium: Quo conſpecto ſtatim verbo vnico, vt aiunt ad certam mortem intrepidus remeauit. Videant illum ipſum mox in cruce pendentem, per quem ipſi ſedibus aureis, ac ſcabellis eburneis inſiſtentes accepiſſe ſe ſentiunt (niſi ingrati ſint) quidquid habent excellentiæ quidquid opum, quidquid gloriæ. Poſt aſpiciant mentibus, glorioſiſſimi Pauli truncum caput, vas electionis, doctrinæ cæleſtis armarium, limpidiſſimum fidei noſtræ ſolem. Illum cordis auribus audiant ipſà de morte altis Ieſum vocibus nouiſſimiſquè ſuſpiriis inuocantem, miraculi teſtes eximii fontes ibi ſunt totidem, quot ſaltus dediſſe ſacrum caput fama eſt. His ipſis in locis, quæ cæſa ceruix attigerat, ſi deuotè voces illas audierint, deque his fontibus pro hauſtu biberint, & ſymphonias tranſalpinas ſpernent, & ſitienloſos modo fonticulos qui ſunt ad Rhodani angulos, non requirent,*

10. *Caput ſuum.* Sacra *Apoſtolorum capita cum diù quaſiſſet* Vrbanus, *inuenit tandem. Deſierant enim in honore eſſe propter deſuetudinem, & ignorationem hominum. Apud Sancta Sanctorum reperta, ac loculis argenteis recondita, ad altare maius Baſilicæ Lateranenſis cum maximà veneratione, & celebritate collocantur, aſtante Clero, populoquè Romano.* Platina. Nec audiendus *Mornaus* impius, nullo ſigno, aut argumento mille trecentos poſt annos ſacra illa Apoſtolorum capita potuiſſe dignoſci. Non enim inter rudera iacere reperta ſunt: ſed inter *Sancta Sanctorum* incluſa vaſibus, probabile eſt credere cum inſcriptionibus, vti antiquitatis mos erat. Nec enim ad reuelationem diuinam opus confugere, quæ tamen in ſimilibus non inſolita. Teſtes accedant Helena Conſtantini mater in inuentione ligni Dominici: Ambroſius, cui reuelata corpora SS. martyrum Geruaſii, & Protaſii; ex Auguſtino *l. 22. de Ciuit. Dei c. 8.* Inuenit ſacra Apoſtolorum capita.

11. *Duos Cæſares.* Carolum IV. Imperatorem Sal. Anno 1365. Auenione fuiſſe *Albertus* ſcribit *Argent.* Pontifici ſolemniter celebranti adſtitiſſe ornamentis indutum Imperialibus adiungit *Boſquetus.* Anno verò 68. ſupra 1300. in itinere præceſſiſſe Romano, & in portà, quæ eſt iuxta caſtrum S. Angeli, de equo deſcendentẽ, pedẽ ſtratoris impleuiſſe officium, ac iterùm coronatum ab Vrbano V. annuere videtur *Dubrauius hiſtor. Boh.* ſed incertum Platina reliquit: forsã, quòd Romæ penè inuiſus receſſerit in Germaniam; ne Pontifici iurata falleret, cum quo conuenerat, ne Romæ ſiſteret. Carolus 4. Imper.

Anno poſtea ſequenti, Romam aduenisse Byzantio Io. Palæologum Græcorum Imperatorem, ibiq. eiurato ſchiſmate, fidei edidiſſe confeſſionem Romanæ, Spiritum ſanctum ex Patre, Filioq. procedere; Euchariſtiæ ſacramentum æquè in Azymis confici, ac Fermentato, deniq. Chriſti vicarii ſupremum in omnes Eccleſias imperiũ profeſſum, Auctorès teſtãtur citati. Prælidia hæc futuræ expeditionis.

12. *Reges eũ corripuiſſet corruptos*, præcipuè Caſimirũ Regem Poloniæ (qui vt licentiùs fræna laxaret intemperantiæ, Adheleidem reginam thoro expulerat, fœminà abutens Iudæà, ex quà ſuſceptas filias ad cumulum impietatis Iudaicè educari patiebatur) paterno Vrbanus exhortatus amore, vt Reginam ad ſe reduceret ſub pœnà anathematis. *To. 3. ep. ſecret. p. 156.* Anno 1363. Ad puriora etiam reuocauit Reges corrigit

conſilia Petrum Cypri Regem in adulterii cęno iacentem. *To.6.ep.ſecret.p.22.* Anno 1367. Regem Aragonium iudicio poſtulauit, quòd vectigalia inuaderet Pontificia, Præbendas ac diſtributiones Cardinalium, Præſulum, ſacerdotum, qui in eccleſiis præſentes ad diuinum officium non incumberent, Speciosus rapinæ color: cum Sacerdotis ſit, non Regis corrigere deficientes. Iniquum etiam Præſules, Cardinales, Sacerdotes Apoſtolicis inſeruientes obſequiis, ac publicæ inſtantes vtilitati, ſuis ſpoliare alimentis. *Collect. M. S. Plat. To.3.p.167. in tabulario arcis Adrianæ.* Eduardum monuit principem Aquitaniæ, qui Præſules ad ſacramentum fidelitatis conſtrinxerat, licet nil poſſiderent regio beneficio. *p.293. To.2. ep.ſecret.* Ioannam ſollicitauit Reginam Siciliæ, iura vetera Caſſinenſibus reddere; ſanctè aduertens, ex arcano quodam ſuperno, eodem die Trinacriam à Carolo I. defeciſſe, quo idem Carolus ſibi capitalium cauſarum cognitionem in locis Monaſterio ſubiectis arrogauit. *To.8.ep.ſecr.p.117.*

Pœna contra reos immunitatis Eccleſiæ.

Expeditio ſacra.

13. *In Barbaros.* Petrus Thomas Carmelita, pluribus legationibus pro ſede Apoſtolicà celebris, ac ſanctitatis opinione conſpicuus, in Orientem miſſus ab Innocentio VI. cauſà promouendæ ſacræ expeditionis, cum pluribus miraculis infidelibus lumen aperuiſſet Euangelii, Petrum Cypri Regem Hieroſolymitanà coronà Famaguſtæ in eccleſià principe, ritu rediminuit ſolemni, auctorquè fuit Auenionem deſcendere, vt Occidentem excitaret ad liberandum Chriſti ſepulchrum. Anno itquè 1363. Vrbanum V. conuenère vnà cum Ioanne Francorum Rege, qui ob neglectum à genitore votū ſacræ expeditionis, aduerſa tanta ſubierat; quibus lubens annuens Vrbanus protinùs Crucem expoſuit, ac vniuerſos Chriſti fideles intra biennium citauit adeſſe, duce Ioanne Francorum Rege. Intentauit etiam anathema iis, qui Gallum Regem à ſacro conatentur reuocare conſilio. Imperauit ſacerdotibus decimas: Mandauit Epiſcopis ſacro è ſuggeſtu religioſam prædicare militiam, eamq. profeſſuros, Cruce diſtinguere. Interim Rex Cyprius cum duobus millibus equitum, ac ſex millibus peditum præiret; in quorum alimoniam plura collata ſubſidia. Sollicitauit etiam Carolum IV. Imperatorem, Eduardum Angliæ, Ludouicum Vngariæ, Carolum Nauarræ Reges, ac Germaniæ Principes: qui more ſolito minimè coeuntes cū votis Pontificis, diſſidiis ſuis maluerunt ſe ſe conteidere. Bernabos Vicarius Mediolanenſis tyrannide ſuà ſana ac ſacra conſilia omnia ſubuertit. Soli Veneti (quorum potentià prætеritā, vana eſset expeditio teſte Vrbano V. ep. ad *Laurentium Celſum Venet. Ducem*) Pontifici præſto fuere roganti. In Angliam interim contenderat Io. Rex Gallorum, vt filij obſidis fugam excuſaret, tum vt ſacram expeditionem vnà cum Cypri Rege adornaret. Quatuor Reges dum conuenirent Londini, Francus, Anglus, Cyprius, Scotus; Fata inuida abſtulere primum, graui Chriſtianorum detrimento, ſacræ expeditionis amiſſo Duce. E viuis etiam abeunti Cardinali Talayrando legato Apoſtolico inter Crucesignatos ſubrogatus eſt Anno Sal. 1365. B. Petrus Thomas, Patriarcha creatus Conſtantinopolitanus. Tantus rumor Mahometanos traxerat in Cyprum, vbi fęliciter propulſatis Sarracenorum conatibus; vindictæ auidi Chriſtiani, irruerunt in Græciam, & occupatis Thebis, pluribuſq. Achaiæ vrbibus, Byzantio imminebant. Hinc Io. Palæologus indictæ ab Vrbano expeditionis famà permotus, vires ſuas cum Crucesignatis coniungere obtulit. Sed præter conſilia cum Cyprio nil Chriſtiani conſerrent; ære proprio conſcripto milite, ac nauali apparatu Venetijs ſoluens Rhodum appulit; vbi auctus Cypriorum, ac Rhodiorum auxilijs, luſtratà claſſe (quæ centum conſtabat nauibus ac triremibus vltra minora nauigia) ſub ſignis decem millia armatorum habuit, ac mille & quadringentos equos. Quos cum benedixiſſet Legatus: Rex velis expanſis vbi altum mare tenuit, de inuadendà Alexandrià ſuis conſilium aperuit, vrbē diuitijs, murorū amplitudine, ciuiū numero florentiſſimā. Adſuit in caſtris Deus; nā vnius horæ ſpatio, nemine Chriſtianorum cæſo expugnauit. Sed onuſti prædà milites, eaquè contenti Chriſti cauſam deſerentes, in medio victoriæ curſu, vt qui pium Regem non pietate, ſed cupiditate ſequuti, collectis abiere ſpolijs. *Petrarcha l. 8. Senilium ep. 8.* Ab Anglis & Rhodijs fugæ initium quaſi ad latrocinia veniſſent non ad militiam. *Vualſinganus in Eduar. 3.* Græcos interim pulſabat Vrbanus, vt aduerſùs Amuratem I. Turcarum Regem in gremium ſe reciperent Eccleſiæ, vt vincula ſoluerent, quibus vinciebantur. Ludouicus Rex Vngarorum ſubactà Bulgarià vexilla in barbaros ducturus erat, ad recuperandam Adrianopolim, quam expugnauerat Amurates. Victis Bulgaris An. 1366. magnam partē ſpolii acceperat Chriſtus. Eo namq. in regno cum ingens Patarenorum, & Manicheorum colluuies afflueret, quos prophanus, & nonus baptiſmi ritus polluebat, non eluebat; immiſſis religioſis viris, qui docerent Euangelium: Ducenta hominum millia nondum exacto bimeſtri, baptiſmo ſunt initiata, miniſtris deficientibus multitudini populorū, qui ad fidem confluebant orthodoxam. *Vuadingus.* Nec ſibi defuere Barbari, damna vt ſarcirent accepta à Cypri Rege, Cyprum, Rhodum inuadere meditabantur, tanto Chriſtianorum terrore, vt Vrbanus Papa Regi Cyprio mandarit, cum barbaris inducias componere. *Tom.4.p.163. ep. ſecret.* Græci fidem Romanam vendere, & mentiri parati, ſolummodò reconciliationem vrgebant, cum præmerentur à Turcis; vnàq ſemper audiebantur in curià Græcorum legati, ac felices Turcarum ſucceſſus. Eo agitati diſcrimine, vt uel Barbaris cederent, vel eccleſiæ Romanæ, Anno Sal. 1369. Romam Palæologus acceſſit fidem profeſſurus Orthodoxam. Extant tantæ rei geſtæ monumenta Græcis conſignata literis atquè Latinis in tabulario arcis S. Angeli, & *in S. priuileg. Eccleſ. Rom. To 2. p. 279.* Imperatorem eodem Anno æmulati ſunt Georgius, & Balſa Zapani, Albaniæ principes. In Vualachià Clara olim Alexandri principis vidua vnà cum filià Imperatrice Bulgariæ: Latzchonus princeps Moldauię etiam ſunt inuitati. Hęc ſeriò, ſed ſerò acta; quòd prçualuiſsent barbari; & Chriſtiani ſolis diſtraherentur conſiliis. Luctum augebat cædes crudelis Petri Cyprii Regis, infidelium domitoris inuictiſſimi, quem ſuſtulit perfidia ſuorum, Bernabouis ambi-

bitus, qui iterum nouis eruptionibus totam præmebat Italiam. Iri cum cum opus eſſet Cruceſignatos dirigere, Orientales penè ſunt derelicti Miſſi tamen in Canariam, & alias inſulas *Fortunatas*, fidei præcones, vt eatum populos aſtrorum ſuperſtitione inuoluros ab impietate reuocarent. *Vuadingus*.

14. *In Gallias redijt*. Loco ſuo cum ſedem Vrbanus V. reſtituiſſet Apoſtolicam; importunis victus Gallorum precibus, Anno à reditu quarto, ſperie reintegrandæ pacis inter Gallos & Anglos, Viter-

Redit in Galliam.

bium venit, vbi menſe Maio Anni 1370. curialibus reditum intimauit in Auinionē, pro Octobre ineunte futuro. Romà priuſquàm ſecederet, S. Petri adorauit tumulum: vbi cum pronus lacrymas daret, miſeratus collapſa templa, & deſertam primi Pontifi- B eis vrbem, illud Pſalmiſtę reperebat inter ſingultus. *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, cum recordaremur tui Syon.* Ægidius Viterbienſis. Grauem dolorem concepere Romani, anxij ne futuri Pontifices Vrbani exemplo Romā abhorrerent, quos vt conſolaretur promulgauit; ſe triennio, omnibus fuiſſe cultum officiis, nec aliquà recedere prouocatum iniurià, ſed eccleſiæ exigente utilitate. Subornatum verò Vrbanum fuiſſe nonnullorum Card. ſuſurris, qui Gallico aſſueti ſolo, nō ad eccleſię dignitatem, ſed ad ſuas delicias omnia referebant, apud Petrarcham legimus *lib. 13. Senilium epiſt. 13. Flectis ſe ſiuit peſſimum in partem, & vt malis hominibus placeret, Chriſto diſpliceuit & Petro, boniſq. omnibus. Et quibus hominibus (Deus bone) voluit placere? Nempè his, qui & ſibi diſplicebant, & quibus ipſe vtiquè non placebat, naturali inter virtutem vitiumq. odio. Remitte illi Miſericors Ieſu Chriſte hanc animi moleſtiam atq. fragilitatem, & hanc & alias culpas omnes,* C *et delicta iuuentutis eius, & ignorantiam hanc ſenilem ne memineris quia (vt nunc ſunt homines) vir meo quidem iudicio bonus fuit.*

Monitum fuiſſe Vrbanum à Petro Aragonię Rege, nè Auenionem rediens ſchiſmati, occaſionem daret *Alphonſus Ep. Gennenſis in M.S. Vaticana bibliotheca.* Idem exomologeſi S. Brigitæ excipiendę adhibitus, eam reſtatur accepiſſe cęlitùs, Vrbanum ſi Auenionem rediret (illicò moriturum remq. *Rogerio* Cardinali, qui poſtea *Gregor. IX.*) præfatam cum *Rogerius* aperire non auderet, à Brigità derectam, ſpreuiſſe Vrbanum vt rem friuolam, & inanem. *Chron. Belgii in Vrbano V. S. Antoninus p. 3. tit. 34. c. 11. §. 2.* die itaq. V. Septemb. Corneti conſcenſis Gallorum nauigijs Auenionem die 24. Septēb. D *Contel. in elench. Card.* vbi morbum incidens,

15. *Obijt*. Anno 60. completo ætatis ſuæ. Annos namq. 53. nactus erat, cum Pontifex fuit creatus ex Ciaconio vel 60. ex Raynaldo. Pænituiſſe incepti operis, & non perfecti, votumquè concepiſſe de reſtituendà Romæ ſede Apoſtolicà, ſcribit citatus *Gennenſis*; Obijt non ſinè ſuſpicione veneni, forſan à Gallis porrecti, ne Italię ſedem reſtitueret. *Alber. Argent.* Ad eum decumbentem cum acceſſiſſent Peruſini oratores, nè diutiùs teneret otioſos, ad ſe vocatos loqui iuſſit, ſed breui. Vnus eorum, qui longam orationem menti commendarat, nullà habità ratio-

Obitus Vrbani.

ne morbi, aut quòd in lecto iaceret, multis verbis vſus eſt; ita vt ægrotus moleſtiam audiendi ſæpiùs præſeferret. Cum tandem indoctus ille perorăſſet, quærenti pro ſuà humanitate Vrbano, *Numquid aliud vellent?* Alter ex Oratoribus qui & dicentis ſtultitiam, & moleſtiam percepiſſet Pontificis *Pater* (inquit) *Sanctiſſime habemus in mandatis; vt niſi nobis è veſtigio ſatisfacias. Socius meus iterum vobis nunc repetat ſermonem ſuum.* Quo facetè dicto cum Pontifex arriſiſſet, mandauit Oratores protinùs expediri. Morbo verò ingruente, lectulum ſuum antè aram Sancti Petri (quæ eſt iuxta palatium Apoſtolicum) ferri curauit, vbi ſacramentis procuratus, Crucem manu tenens, ſæpè repetità fidei confeſſione, habitu veſtitus monachali, quem nec ægrotus depoſuerat, circa horam 9. animam emiſit felicem. Deum homineſq. teſtatus Romà diſceſſiſſe, culpà ſuorum. *Petrarcha ep. cit. Maſſonius. Boſquetus.* Recubuit in domo *Cardinalis Albanenſis,* patentibus ianuis, vt quilibet inſpicere poſſet, quomodò mori debeant Pontifices.

Mories Legatos audit Florētinos

Pietas morien. tis.

Sepultus eſt in eccleſià maiori transferendus in monaſterium S. Victoris Maſſilienſis, cum epitaphio ſequenti.

Sepultura.

Hic requieſcit Vrbanus Pontifex in ordine quintus
Summus diuinitùs Romanorum Præſul electus.
Auctor bonorum, lux, cenſor, normaquè morum
Speculum cunctorum, dogma, duxquè Monachorum,
Bonorum ductor, malorum quoquè corrector,
Iuſtitiæ tutor, ſtudiorumquè reparator.
Nullius acceptor, direxit iuſtitia libram
Virtutibus fulgens cunctis iura reddidit idem.
Atquè ſimoniam ſui ſplendore fugauit
Eccleſias nempè reparauit Roma diuinitùs.
Apoſtolorumq. capita nunc recondidit,
Pauperes alendo Chriſti mandata compleuit,
Hicq. bonus Paſtor, ad fidem Chriſti reduxit,
Græcorum Cæſarem errore caligine tectum.
Poſt labores tandem multos, de ſuperq. vocatus
Inter fratrum manus illa facta membra reſoluens
Chriſti vicarius tranſiuit ad aſtra beatus,
Quem Deus multum ex alto per ſigna monſtrauit
Qualis enim fuerit ſigna tanta clarè demonſtrant.
Ad tumulum huius languentum membra ſanantur.
In multis alijs Prouincijſq. clarè conſtat,
Nec non Italia ab ipſo multum amata,
Miraculis latè hoc in Hiſpania patet
Ac in Boemia, nobiliq. Francia tota.
Gaudet Prouincia Arelatenſis ſine vocata.
Per tanta ſigna meritis Vrbani ornata.
Ergo mente pura te Vrbano Beato
Pontifici ſummo, lector deuotè, commenda.
Anno Milleno Trecento quoq. Septuageno
Currente Domini menſiſq. decima nona
Decembris erat dies, cum Beatus iſte
Vrbanus ad Chriſtum tranſitu falici migrauit.

Inter XV. Cardinales quos creauit, cum vellet adſcribere aliquem ex Minoritis, ab eis petiit nomina trium moribus, & doctrina præſtantium. Illi nè magis in unum penderent, quam in alium, ſcripſerunt nomina trium in figurà ſphericà.



Ille modeſtiam admiratus, tribus illis relictis, creavit Miniſtrum Generalem.

X 2

Signum Vrbani V. ab aliquibus etiam



Clementi VI. appoſitum.



VRBANI VI. SEPVLCHRVM IN VETERI D. PETRI BASILICA OLIM ERECTVM CVIVS IN CRYPTIS NVNC EXTANT VESTIGIA.


TVAM

Anni Sal IGr. 1370. 1

Vt maiorē dare nequeat, niſi Angelū mittar . A
Sat pro gloria . *Baldi* 3 nomen
A quo laureatus , in Peruſino gymnaſio ,
Eà literarum autà exornauit lauream: *(lum.*
Vt Baldus nō erubeſceret ex cathedrà citare diſcipu
Lectus in Galliā 4 Pontifex ,
Agnoſcens ſe *Romanum*, non *Gallum* eſſe Papā;
Petri 5 ſedem tranſtulit in Latium.
6 Tyranni, 7 Turcę 8 Hęreſiarchę.
(Quorum princeps 9 Vvicleſus
Inſulę ambitu Inſulam perdidit)
Et Angelos, vel Anglos in dęmones cōmutauit
Romana 10 tecta ſenio confecta,
Dū corruebāt ſupplicabunda reditū excitabāt,
Veluti ad pedes prouoluta Pontificis .
Seipſum vrgebat Gregorius ,
Cum Paræciis ſuis adeſſe iubens Epiſcopos,
Redargutus 11 *Cur ipſe ſuo abeſſet Epiſcopatui ?*
Erubuit proprias ipſe ſpreuiſſe leges :
Facem addidit Virgo Senęnſis :
A *Nemo meliùs Italiæ vulnera repræſentabat , eà*
Quæ Ieſu vulnera geſtabat in corpore .
Recepto capite, aſſurrexit iterum Roma
Et facta in mari tranquillitas magna ,
Gallico adueniente Neptuno :
Cum anteà penè mergeretur nauicula Petri ,
Dormiente Petro, non Chriſto .
Mores 12 cum reſtituiſſet, & moles;
Septimo quieuit 13 Anno Pontificatus
Nec ſenex , nec grandæuus ,
Ne Aueniouem rediret , vt cogitabat .
Ut indè agnoſcerent poſteri,
Romæ velle Petrum conſiſtere ſedem ſuam .
Pacem, quam viuens Florentię 14 dare nequijt,
B Vt ex hoc mūdo nulli irrecōciliatus diſcederet,
Nuntiauit mortuus .
Eius memoriam nè deleret obliuio,
Stylo ferreo ſculpta eſt in ſilice .
Funus annuatim geminant 15 pauperes ,
Dum eis ex ſepulchro panem diſtribuit .

ADNOTATIONES IN GREGORIO XI. PONT. ROM. CCI.

1 GRegorio huius nominis, XI. antea *Petro Rogerij* , qui fuit filius *Gulielmi Comitis Belliforts*, natione *Aquitanus*, ex vico de *Malamonte* diæceſis Lemouicenſis, nepos an ex fratre *Clementis VI.* Rom. Pontificis, vel ex ſorore *Ioannā Rogeriā Monſtriàc* dubium .

2. *Octodecim Annorum minor* cum à patruo Cardinalis S. Mariæ Nouæ creatus eſſet : ne carni , & ſanguini magis quàm eccleſiæ Pontifex conſuluiſſe uideretur, Peruſium miſſus eſt, ut ſub diſciplinà uirorum illuſtrium proficeret . Literis uacans, naturà duce, tantum profecit ut inter Iuriſperitos infrà ſe multos uideret, paucos iuxta ſe, ſupra ſe nullum, Indè conuerſus ad canones , ac naturalem philoſophiam , nunquàm ſinè admiratione publicè uel priuatè diſſeruit . Iudex in ſoro, etiam reorum plauſu cauſas abſoluit comiſſas. Peritus, gratus , benignus, humilis, modeſtus, circumſpectus , liberalis æquè charus Principibus ac Prælatis, gratiam Cardinalium ita promeruit , ut eorum communi ſuffragio Pontifex ſit electus . *Vvadingus , Franc. Boſquetus ex biblioth. Fuxenſi* . Impletum tunc vaticinium Sàncti Malachiæ, *Nouus de Virgine Forti* quia *Belfortii* filius , & Cardinalis *Sanctæ Mariæ Nouæ* .

3. *Baldus* Peruſinus diſcipulus Bartoli , ſed ingratus, & æmulus. Cum magiſtro ſæpè diſputauit, & uicit magis fraude , quàm ingenio . Nam Piſanas Pandectas non ſemel corrupit , undè exulare coactus, abiens uerba protulit Scipionis Africani . *Ingrata patria oſſa mea non habebis* . Panzirolus . Referunt alii, ut candente ferro inureretur in fronte, fuiſſe damnatum , ſed à Bartolo ob egregiam uirtutem fuiſſe defenſum. *Iaſon: Sylua nupt. l. 5. num. 25.* Ticinum uocatus à Galeacio V. C. ut iura doceret, ubi primùm gymnaſium ingreſſus eſt, ad puſillam hominis ſtaturam, cum ab auditoribus fuiſſet acclamatum : *Minuit præſentia famam* . Ab illo opportunè reſponſum

Augebat cætera virtus .

Auditorem habuit Petrum Belfortem Cardinalem, poſtea Gregorium XI. qui tantæ eruditionis ac doctrinæ fuit , ut eum Baldus non erubeſceret citare pro confirmatione ſententiæ ſuæ. *Platina.*

4. *Pontifex* mortuo Vrbano V. ſubſtituitur Petrus Rogerii , nomine *Gregorii XI.* die ſecundà Cōclauis, cunctis ſuffragiis , renitens tamen & inuitus. *Boſquetus.* Eadem die electionis ſuæ certiorem fecit Carolum Francorum Regem . Poſtridiè Ioannam Reginam Siciliæ; poſtea reliquos Chriſtianos Principes, & Epiſcopos . Vrbani inhærens ueſtigiis, legatos ad Gallos & Anglos pro componendà diſcordià, noua inſtruxit auctoritate; ut Chriſtiani aliquando reſpicerent Chriſti cauſam , ſed fruſtra . Pontificem Auenione ſtantem conuenit Henricus D Rex Nauarræ, de Apoſtolico gratulaturus faſtigio ; cum antea ipſum cum Rege Francorum arbitrum elegiſſet pro lite dirimendà, quæ intercedebat inter ipſum Nauarræ Regem, ac Ferdinandum Regem Luſitaniæ. Venere etiam Oratores Regis Aragoniæ pro Corſicà , & Sardinià conſtitutas à Bonifacio VIII. inſtauraturi pactiones. *Boſquetus.*

Papa eligitur

Rege cum cō uenit

5. *Petri ſedem tranſtulit in Latium* . Trino Eccleſia agitata hoſte , ambitu V. Comitum , Monachorum hæreſi, Turcarum Triumphis, nemini valebat occurrere, quod exul in ſolo conſiſteret alieno, iure precario. Ingruebant vndiq. Bernabouis

6. *Tyranni* caſtra , vt Italiæ iugum imponeret vniuerſæ . Et quamuis tuandę Etrurię ſincerè Gregorius incumberet; aduerſa tamen ſuſpicio Florentinis ſe infudit , ipſum de affectando Etruriæ principatu verſare conſilia . Suſpicionem augebant Peruſini , qui cum libertatem armis vindicaſſent Eccleſiæ, intra mœnia admiſerant Cardinalem Legatum.

tum. Porrò à calumnia ſe purgauit *Gregorius* decretis in *Bernabouem* armis Ann. 1372. qui violato fœdere Nicolaum Ateſtinum Ferrariæ, Pontificioq; Mutinæ, Imperiali nomine Præfectum, collatis ſignis prælio vicerat cruento. Ne verò Mutinæ admoueret caſtra à Petro Cardinali Bituricenſi prohibitus in agrum irruperat Bononienſem. Sed reparato milite, ac in Parmenſi agro iterùm ſignis collatis, Inſuber uictus abſceſſit; In præmium laboris Præfectura, quæ in decennium concedebatur, ad vitam Ateſtinorum eo pacto conceſſa, vt ſingulis annis decem millia aureorum perſoluerent. *Plat. tom. 3. p. 272.* Anathemate poſtea in Bernabouem repetito (qui inſtar Decij carnificinam exercebat in ſacerdotes, quorum alios patibulo tradidit, equuleo ſuſpendit, alios cremauit, in fruſtà concidit) ac ferro armatà legum voce, fœderatorum *Gregorius* implorauit auxilia, quorũ manu infra duos menſes vltra centũ caſtra tyrannidi erepta ſunt Vicecomitũ. *Tom. 3. ep. ſecret. p. 18.* Tantà clade conſternatus Inſuber, ad fraudes confugit, demiſſionem fingens, vt deinde tutiùs furorem effunderet. Ceſſit tamen Gregorius, ne arma videretur ſouere Bononiæ pactis induciis: Breui tamen ad perfidiam Inſubre redeunte, vnà cum Florentinis, qui licet Bernaboui aduerſi, captarà abſentià Pontificis, & ipſi Æmiliam, & Picenum occupare tentabant. Ex hiſce Occidentalium diffidijs

V. Comes excommunicatur.

Turcarum victoriæ.

7. *Turca* Duce *Amurathe*, rapidiſſimis victorijs, incendij inſtat, ampliſſimas prouincias in Europà populari tyrannidem protulerunt. *Eduardum* Angliæ Regem Anno primo ſui Pontificatus cœpit pulſare Gregorius, vt arma, quæ attrox gerebat in Gallos, expediret in Turcas, qui Smyrnam adoriebantur. Sollicitauit etiam Venetos, Flandros, Smyrnam Rhodiorum commendauit magiſtro, quem etiam Cypri cuſtodiæ pręfecit: quia Petrus Rex Cypri tanto eſſet impar regimini. Præſto adfuere Veneti, & Anno 1372. Thebis conuenere, vt cum *Paleologo* Imp. Cypris, Archiep. Naopatrienſi, & Nixienſi, cęteriſquè Ægæi Maris regulis, ac Armenis fœdus iurarent. Sed triſtis, & inopinatus caſus de loci præeminentià inter Venetos ac Ianuenſes eas faces iniecit; vt irriti euanuerint tanti apparatus. *Folieta l. 8.* Vngari, Luſitani, Græci, Germani ſollicitari; ſed dum in Occidente conſulitur; Raſcia, Valachia, Theſſalonica, *Paleologus* ipſe Imperator Turcarum fit vectigalis, coactus filio Andronico oculos adurere, ne Amurathis tyrannidem (qui filio ſuo non pepercerat) videretur damnare, ni æmularetur exemplum. Hiſce cruciatus Pontifex, vt ad reditum in Italiam reſpiceret, vna præualuit *Catharina Senenſis*, quæ à Florentinis iudicio poſtulatis Apoſtolico ob violatum ius Eccleſiaſticum, & affectatam tyrannidem, Auenionem miſſa ut iram leniret Gregorii, quęcunq. rogauit, impetrauit. Licet perduelles populi virgini illuſerint ac Pontifici, noua ſcelera antiquis cumulando. *(S. Antoninus 3. p. tit. 23. c. 14. §. 16.)* Supra ſexaginta vrbes ab obſequio retraxerant Pontificio. Nullus unquàm populus tantum calamitatis intulerat Eccleſiæ Romanæ, quantum duobus Annis quinto, & ſeptuageſimo ſexto Florentini. Ignitis forcipibus Nuntio laniato Apoſtolico, carnes auulſas proiecerant canibus, uiuum adhuc, & ſpirantem ante eccleſiam cathedralem ſub furcis erectis ſepelierant. Domum Inquiſitoris excuſſerant. In fauorem hęreticorum leges edixerant. Quendam ſacerdotem Ord. Humiliatorum, ad detegendam ſacram Exomologeſim tormentis adegerant. *Lucam Narnienſem* ſedis Apoſtolicę Nuntium pedore, & inedià enecarant. Plebiſcita aduersùs S.R.E. ediderant. Eccleſiarum redditus Fiſco addixerant. Octo deſignarunt (quos *Sanctos* dixere) vt in Eccleſiaſticos munus agerent excubitoris. Miſſis poſtea Oratoribus *Alexandro Antilla*, & *Donato Barbadoro*. Legatos innocentes Pontificios cæperunt tyrannidis accuſare, *à quibus velut barbaris oppreſſi, & infideles in gemitu & deſperatione fuerit adacta Florentia. Fame namq. laborantibus Florentinis: cum Bononia, cæteriſq. Eccleſiæ vrbibus frumentum ſupereſſet. Gubernatores lachrymis non potuerunt adduci, vt de ſuperabundantià plebi fameſcenti, vel in aliquà ſaltem particulà ſubuenirent: ſed potiùs ad vaſtandas ſegetes equitatum immiſerant Anglorum, vt per hos miſeræ ſeruitutis iugum Florentia teneretur ſubire.* Reſpondit Pontifex repetito indice criminum (quę ſupra coarrauimus) ac 3. Idus Feb. Ann. 1376. Florentinæ Vrbi ſacra interdixit, commercia prohibuit, eorum bona toto Orbe terrarum occupantibus ſubiecit, publicis honoribus uſq. ad quartam generationem ſepulturà eccleſiaſticà, etiam ſi eos facti pæniteret, priuauit.

Catherina Senenſis Papæ Florentinos reconciliat.

Florentinorũ ſacrilegia.

Excommunicati.

Sententiam anathematis cum audiſſet *Barbadorus*, uerſo uultu ad imaginem Crucifixi, hæc uerba teneré dixiſſe fertur. *Deus, nos legati Florentini populi, ab hac ſententià Vicarij tui iniquè latà, ad te, tuamq. æquitatem appellamus. Tu qui falli non poteris, nec irà inflecteris, nec ſeruitatem populorum ſed libertatem amas, & tyrannos libidineſq. odiſti, Florentino populo libertatem ſuam defendenti ſubuenies, ac propitius protectorq. aderis.* Quaſi Pontifex ad opprimendos Florentinos inhiaret. Cum tamen nec frumentum fuiſſet denegatum; neque Legatorum Apoſtolicorum ea eſſet inſolentia, quam fingebant. Ad reprimendam poſtea eorum proteruiam creauit Pontifex duos legatos, *Franciſcum Card. S. Sabinæ*, qui Vrbi, Campaniæ, Sabinæ, Petri patrimonio, Ducatui Spoletino; ac *Robertum Card. S. Apoſtolorum* qui Picæno, Flaminiæ cum ſex millibus equitum, & quatuor M. peditum armati præeſſent. Robertus quàm peſſimè functus ſit officio ſuo ! S. Antoninus refert *tit. 22. c. 1. §. 4.* Bononienſes vt ad obſequium reuocaret lege ſpretà diuinà duello non ſolum cum duobus Britonibus certare permiſit, ſed ipſe adſtitit monomachię. Eà in pugnà cum Italis ſuccubuiſſent Galli: nec perduelles verbis frangere, vel armis poſſet, Cæſenam ſe recepit, vbi à Britonibus grauiſſimè laceſſiri ciues, correptis armis, octingentos Britones obtruncarunt. Indignationem diſſimulauit Legatus, donec eius blanditijs confiſi Cæſenates arma depoſuere. Acciti tunc properè Angli, & cum Britonibus coniuncti contra populum à Legato inermem immiſſi ætati non pepercerunt, nec ſexui. Quinquè millia fuit numerus occiſorum, tanto Italiæ horrore, & Legati ignominià, vt ditio tota Eccleſiaſtica ſit in diſcrimine poſita. Tantis malis vnum

Appellant a Deum.

Legatos mittit Gregorius.

cum

cum expectaretur remedium, aduentus Pontificis; Petrarcha *in apol. con. Galli columnias*, Gregorium ſequentibus excitauit. *Non equidem ſic inſanus ſum vt Romano Pontifici legem ponam, cum ipſe ſit legifer omnium Chriſtianorum: aut legem ei ſtatuam, ſiue ſedem, qui ſedium cunctarum Dominus eſt. Si enim vt apud Cordubenſem legimus, Veios habitante Camillo, illic Roma fuit, quanto magis vbi Romanus Pontifex habitat, ibi quoquè conceſſerim Romam eſſe? Vnum hoc (ſi cælitus datum eſſet) optarem, vt ſicut hunc Camillus vbi licuit, Veys omiſſis Romam rediit: ita nunc Pontifex, audebo nunc dicere temerariè forſitan, ſed fideliter et ni fallor) verè, quod ſi hoc placeret, cui diuinitas rei huius arbitrium dedit, non modò honeſtius, ſanctiusq. ſed tutius ibi eſſet, quàm in vllà penitus parte terrarum: nec ingenti pretio cogeretur à prædonibus redimere ſua & eccleſiæ libertatem, quod prædeceſſor ſuus in ſancta fecit Auenione, de quo tunc & ipſe grauiter in conſiſtorio queſtus eſt, & ego dum illi ſcriberem, non ſilui.* Et infra. *Vnum his nunc etiam pari fide, ac ſimplicitate ſubnectam, non oportuiſſe, nec oportere Pontificem Romanum armatà manu Romam petere: tutiorem illum facit auctoritas quàm gladii, ſanctitas quàm lorica. Arma ſacerdotum ſunt lacrymæ, & ieiunia & boni mores, & abſtinentia, caſtitas, humanitas, manſuetudo actuum, & verborum. Quid ſignis militaribus opus eſt? Satis eſſet crux Chriſti. Illam ſolum tremunt dæmones, homines reuerentur. Quid buccinis? ſufficit Alleluia.*

Tunc interrogare Catherinam virginem cæpit (Raymundo Capuano interprete) *ſi quod ei diſcrimen vel in itinere, vel in vrbe maneret, illi reuelare dignaretur?* reſpondit. *Se Deum interpellaſſe, & ab eo poſt Euchariſtiam ſumptam accepiſſe: nullum ei mortis imminere periculum.* Extant duodecim epiſtolæ eiuſdem Catherinæ, datæ Gregorio Pontifici, quibus eum ad ignoſcendum Florentinis, hortabatur atq. ad iter ſuſcipiendum excitabat. *Liber Ep. S.Cathar.Senen.* Conantibus autem à propoſito remouere, Gallorum, ac Caſtellæ Regibus reſpondit Diuino actum inſtinctu, quàm citò ſedem Apoſtolicam Vrbi reſtituere; non propterea ſe auxiliis defuturum, ſi Crucis ſigna promouerent aduerſùs impios. *Ibid. p.* 1. Interea Romani cum ſe ſuaquè (vt par erat) ſolenni pactione *Gregorio* detuliſſent Gregorius die XIII. Septemb. Auenione recedens, cum Cardinalibus, (exceptis ſex duntaxat, qui Auenione remanſerunt) Maſſiliam venit; ibi triremem conſcendens, quam Anconitani parauerant, cum triginta ſimilibus comitantibus, quas Veneti Ioanna Regina Siciliæ, ac alii Principes inſtruerant. *Tom. 5. ep. ſecret. p.* 38. Pontificiæ triremis Dux erat *Nicolaus T. arus Leoneus* alias Truglioneus nobilis ciuis, ac miles Anconitanus, cui & poſteris grati animi monumento *Caſſari* comitatum Gregorius contulit. Ianuam inde Cornetum terreſtri itinere, poſtea Romam venit, Anno Sal. 1376. die 17. Ianuar. D. Petri cathedræ ſacro. Huius Pontificis ouantis more in Vrbe ingreſſum deſcripſit Petrus Ep. Senogalliæ: & in aula Regià Vaticani pinxit *Raphael Vrbinas* cum inſcriptione ſequenti.

Gregorius XI. Patrià Lemouicenſis
Admirabili Doctrinà, Humanitate, & Innocentià
Vt Italiæ ſeditionibus laboranti mederetur
Et populos ab Eccleſià crebro diſciſcentes
Ad obedientiam reuocaret
Sedem Pontificiam Diuino Numine permotus
Auenione Romam poſt Annos LXX. Reducit.
Sui Pontificatus Anno 7. Sal. MCCC. LXXVI.

Ita Pontificum exilio finem impoſuit. Cum ſex in Gallia Pontifices vixiſſent, exilium in ſeptimo quietis numero conquieuit. *Vnde ſi Vrbis, & Romanarum Eccleſiarum ruinam inſpicias, hoc exilii tempus noctem dixeris: ſi mores, ſanctitatemq. Pontificum, diem appellandum exiſtimabis.*

8. *Hereſiarchæ* plures fuere ſub Greg. XI. In Hiſpanià An. 1372. blaſphemabant, quod ſi hoſtia proiiciatur in lutum, etiamſi ſpecies perſeuerent ſacramentales, ibi deſinere eſſe corpus Chriſti, & in panis redire ſubſtantiam. 2. Si hoſtia conſecrata ſumatur à bruto, etiam tunc ſpecies ſacramentales redire in panis ſubſtantiam. 3. Dum hoſtia ab homine ſumitur, ac ſpecies dentibus teritur, Chriſtum ad Cœlum rapi, non in hominis ventrem deſcendere, ne dicatur per ſeceſſum emitti. Damnauit hęc omnia Gregorius, tanquam fidei aduerſa, vt apud *Eymer. p. 1. Direct. Inquiſ. p. 45.* Pudor enim non debet eſſe occaſio negandi veritatem. Si enim ſacra non polluuntur: quanto minus inquinabitur corpus Chriſti etiam ſi proiiciatur in ſtercora. Manet Chriſti corpus, vbicumq. & quouſq. ſint ſpecies ſacramentales: quæ durare dicuntur, donec per naturalem calorem ſint digeſtæ. Brutum ſi ſpecies manducet, carnem ſanè manducat & ſanguinem Chriſti; vnde conſtanter credas etiam à bruto ſacramentũ ſumi, ſed non ſacramentaliter; nec per ſe, ſed per accidens; exẽplo illius qui hoſtiam ſumeret, panem credens non conſecratum. Indecorum dum hoc credis maieſtati Redemptoris: ad eius infinitam pietatem contemplandam aſcende, qui ne quid ueritati detrahat ſacramenti, aliqualiter renouat myſtetià paſſionj præteritæ. Hęreſes in Hiſpanià.

Eodem tempore in Arragonià ſparſi in vulgus libri erroribus inuoluti, ſub nomine *Raimundi Lulli*, ſiue ab eo compoſiti, ſiue ab aliis, vt tutiùs ſub ſplendido nomine venena funderent confictì. Lis quæ Anno intentata 1583. ſub iudice adhuc. Damnauit interim Gregorius, teſte *Eymerico 2. p. direct. q. 9.* illud inter præcipua; Quod Lulliſtę *Doctrinam veteris teſtamenti attribuerent Deo Patri doctrinam noui teſtamenti Deo Filio; doctrinam Raymundi Lulli Deo Spiritui Sancto.* Quàm aiebant Sectarii non humanà induſtrià, ſed Deo afflante, 50. vel 60. horarum ſpatio comparandam. Raymundo ſeniori opera adſcribi adulterina, putà de Alchimià, Teſtamentum nouiſſimum probat Lucas Vvadingus *to. 3. Annal. An.* 1315. Raimũdus Lullus.

Eodem Anno Germanos nonnullos damnauit ſacramenta Chriſtum inſtituiſſe negantes: inter quos Albertum Epiſcopum Alberſtadenſem; blaſphemantem, *Omnia in hoc mundo neceſſitate euenire, ac Fato regi.* Proindè nil præuidendum, & cum homo non mereatur, nec demereatur; ſuperuacaneam eſſe Sanctorum inuocationem. *Gregor. tom. 2. ep. ſecret. p. 1.*

Damnauit etiam *Vvadenſes*, ſeu *Turlupinos* (Hiſce nominibus infimo hominum genus nuncupabatur,

qui vitia ſua,& voluntaria adſcribentes naturę, more Canum ſine pudore, palam carnaliter miſcebantur in vijs,dicentes non eſſe erubeſcendum de operibus naturalibus. In hos excitatus à Gregorio XI. Carolus Rex Francorum incendio abſumpſit. *Sanderus*.

Nationes ſedē agnoſcūt Romanam. Adfuit porrò propitius Deus. Nam eodem tempore, quo Eccleſiam vexabant Hæretici:Laſko Dux Moldauiæ ritu imbutus catholico, vxore licet inuità, (quam etiã pertinacem in thoro retinere permiſit Gregorius. *To.2. ep. ſecr. p.8.*) ſedem excitauit Epiſcopalem in oppido Cerethenſi. Lithuaniæ ferociſſimi principes, ſacerdotes receperunt Apoſtolicos. Vvalachi, Ruſſi ſedem poſtularunt Epiſcopalem, vt videre eſt apud Raynaldum, ex *literis Greg. XI.*

Vvicleffi hæreſes. 9. *Vvicleffus*, ſeu *Io. Vvytocliffus*, natione Anglus officio presbyter, & Artium magiſter, cum inſulam conſequi non potuiſset Epiſcopalem Vigorniensem factus inde ſacerdotibus cunctis inimicior, cæpit peruersè interpretari ſcripta diuinà, nouam ſectam inſtituere, atquè in nobili Oxonienſi gymnaſio publicè in ſacerdotes vt legis euerſores debacchari. Tantum facinus cum ſine principum tutelà implere non poſſet, Regi ante omnes ſummum in cunctos ordines etiam Eccleſiaſticos præfectos imperium, iuſq. tribuit. Grato animo audiuit Rex palpantem apoſtatam, qui tam audacter ei fauebat aduersùs Pontificem in cõtrouerſià, de Iure patronatus, & legis, quam Eduardus ediderat, ne Angli ſacerdotia impetrarent à Papa l. 19. *Polydorus*. Eduardi libido. Hinc excitatus Eduardus à Gregorio in Vvicleffum, diſſimulando prouexit, amoribus irretitus *Alicia Pereſia* ſcorti impudentiſſimi ſenex non ſolum regnum negligebat, ſed ſcipſum. Extremo morbo deceptus ſpe ſalutis inani,priùs vocis uſum amiſit, quàm vocali exomologeſi crimina expiare potuerit. Inſanda namq. pellex cum vocem cerneret ademptam, & oculorum acies hebetari,caloremq. naturalem extremitates relinquere,annulos detrahens regijs digitis,receſſit. Solus tunc ſacerdos quidam aſſidebat Regi morienti (cęteris circa rerum direptionem intentis) à quo Rex acceptam crucem deuotiſſimè oſculabatur; manus protendendo in ſignum optandæ veniæ; ac vberes lacrymas emittendo. Tandem cum ad nutum ſacerdotis, ſignis & nutibus miſericordiam poſtulaſſet,ſpiritum exhalauit. *Vvalſinganus in Eduar. III.*

Quoad Vvicleffum, hęc inter cætera blaſphemauit, *Euchariſtiam in altari non eſſe verum Chriſti corpus, ſed figuram. Miſſam non inſtitutam à Chriſto. Quod eccleſia Romana non eſt caput omnium eccleſiarum, pluſquàm ſit vna ex alijs eccleſijs: nec maior poteſtas ſit data Petro, quàm reliquis Apoſtolis. Quod Papa non habeat maiorem poteſtatem in clauibus eccleſia, quàm reliqui ſacerdotes. Quod Reges poſſint ſpoliare rebus temporalibus Eccleſiam militantem. Quòd Prælati nequeant habere carceres ad puniendum delinquentes.* Hiſce erroribus cæpit primo furere in Ordinē Eccleſiaſticum: Inde blaſphemiis Omnipotentiam adortus, Idololatriã, & Atheiſmũ inducere tẽtauit. Hoc anteſignano ab Eccleſià deſecerũt Nouatores noſtri temporis, licet nonnullis eius execrandis blaſphemijs ſubſcribere formident; *Deus non poteſt mundum ampliare, nec diminuere: ſed animas creare vſq. ad certum numerum nec vltra. Omnia eueniunt neceſſario. Qualibet creatura eſt Deus. Quodlibet eſt Deus. Deus debet obedire Diabolo.* Extat *in catal. articul. Io: Vvicleſi*. Furiarum hæc dogmata damnauit primo Gregorius teſte Vvalſingano in Eduar. III. dein Concilium Prouinciale Londini, cui præfuit Thomas Archiep. Cantuar.

Aedificia Gregorii. 10. *Romana tecta* ruinà, vel incendio abſumpta, vel certè deformata reſtituere Gregorius cæperat: Baſilicã Lateranenſē plurimis proſequutus priuilegijs, cenſu liberauit florenorum decē,quos annuatim ſoluebat Cameræ Apoſtolicæ,ad unum redigendo, atquè vſumfructum uiridarii Põtificij Canonicis conceſſit Lateranẽſibus pro eo tempore,quo Pontifices abeſſent ab vrbe. Controuerſiam præcedentiæ ſuſtulit, declarato primatu pro Lateranenſi Baſilicà ſuper omnes vrbis,& orbis eccleſias. Priuilegia Eccl. Lateran. Portam eiuſdem Baſilicæ, & omnium maximam Septentrioni oppoſitam è Pario marmore extruxit, ac duobus pęgrandibus marmoreis leonibus ornauit. Baſilicę quoq. S.Mariæ Maioris de Vrbe,dum Auenione eſſet, Eccleſiam S. Luciæ in Silice, cum annuis reddiribus conceſſit. Plenariam Indulgentiam ad modum Iubilæi impertitus eſt eis, qui eamdem Eccleſiam viſitarent. Scribunt Platina, & Panuinius Turrim Campanariam eiuſdem Eccleſiæ, ſtructurà, atq. elegantià omnes alias Romanas antecellentem ab hoc Gregorio conditam, cuius inſignia adhuc cernuntur Pario marmore ſculpta.

Redarguitur ab Ep. 11. *Redarguitur*. Nec parum profuit ad profectionē maturandam Romanã, liberum cuiuſdam Germani Epiſcopi reſponſum, quem cum hortaretur Gregorius, vt poſt tot Annos ad ſacros lares rediret, reſpondit: *Eadem mea, qua tua eſt cauſa, Maximè Pontifex: quod ego meam, tuq. Romanam deſerimus Eccleſias: rectèq. me increpatum agnoſco.* Ægnatius l. 6. Exempl. *p.* 202. Volaterran. *p.* 514. Sabellicus *9. Ennead.*

Reges excitat ad concordiã. 12. *Mores* Principum vt ad normam iuſtitiæ excitaret Gregorius, à concordià exorſus, Henricum Caſtellæ Regem, qui Ann.Sal. 1373. in Luſitaniam armatus irruperat, reconciliauit Fernando Luſitano Regi; *Mariana l.17. c. 17.* Henricus autem bello confecto Luſitano, virium molem cum ad obruendum Carolum Nauarræ Regem conuertiſſet, per legatos præcurrens Gregorius, antequàm iſti ſigna conſerrent, in amicitiam reuocauit, quæ nuptiis cõfirmata Eleonoræ Henrici filiæ, cum Carolo Nauarræ Regis filio. Pacem etiam conſtituit An. Sal. 1372. inter Ioannam Reginam Siciliæ, & Fridericum Aragonum, qui Trinacrià tranſmiſſo à maioribus vitio, potiebatur. Leges pacis, quas dictauit Pontifex Neapolitani ac Siculi regni dominus ſupremus, fuere: *Vt Fridericus ac ſucceſſores ſe Ioanna, eiuſq. poſteris beneficiarios profitentes, tria millia vnciarum auri annua illi ſint ſoluturi. Regna diuiderentur; ſed Fridericus Trinacria Rex diceretur, non Sicilia; Ioanna verò Regina diceretur Sicilia; Omnia hæc Pontifex adprobaret, ſinè quo pacta nullius eſſent vigoris.* Sicilia Neapolis Feuda Iuris Romana. Vvadingus. Iurato fœdere; coronari poſtulauit Fridericus; nec abnuit Pontifex, præſtito tamen prius per Fridericum *Homagio ligio* Eccleſiæ Romanæ. Sic Anno 1375. Carolum Francorum Regis

ma-

maiorem natu filium, Delphinum Viennenſem, monuit, clientelarem ſponſionem pro caſtris, quæ fiduciario iure poſſidebat Eccleſiæ, præſtaret *To.5. ep. ſecr. p.145.*

13. *Quiescit.* Anni ferè dimidiũ cum Romæ ſediſſet Gregorius, Æſtate ingruente, Anagniam venit. Primo mane Iunij, A.1378. Roma diſceſſit, præmiſſo ſacratiſſimo Chriſti corpore Euchariſtico, vt apud Amelium Ep. Senogalliæ. Ibi ineunte Septembri, *ob pietatem, quâ delibutus erat erga Paſſionem Domini, atq. Deiparam, ordinauit, vt in poſterum fieret officium integrum de Inuentione, & exaltatione S. Crucis diebus, quibus occurreret: cum antea in matutinis pro qualibet earum dicerentur ſolummodò tres vltimæ lectiones, & ſex aliæ de certis ſanctis, quorum feſtiuitas occurrebat. Secundo, quod Natiuitas B. Mariæ Virginis celebraretur cum vigiliâ & ieiunio, pro quâ etiam Miſſam ordinauit.* Menſe Nouembri Romam rediit reconciliatus *Franciſco è Vico Viterbii tyranno*, cuius filiam proprijs manibus baptizauit. Cæpit poſtea inſtantibus Cardinalibus Gallis Auenionem reditum meditari; ſed arcano diuini Numinis, grauiore implicitus morbo, Cardinalibus conſilium dediſſe legitur apud Gerſonem, ne reuelationibus amplius fidem adiungant, quandoquidem à *Brigidà, & Catherinâ Senenſi* deceptus, in Italiam tam infauſto omine remeaſſet. Sed Gallo indulgendum ſcriptori, ſi patriæ amore concitatus in Sanctas fallaces nominet, & deceptrices. Infauſtum omen forſan ſacerdotibus mors? quæ Gregorio obtigerit, quia in Italiam deſcendiſſet? Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. Sanè reditum Pontificis in Italiam diſplicuiſſe Gallis, teſtis ſit *Carolus V.* Rex Gallorum, qui Pontificis audito decreto, fratri Andegauorum Duci, qui Tholoſæ erat, mandauit ſtatim Auenionem pergere, vt à conſilio relinquendæ Galliæ Pontificem dimoueret. Sed omnia fæliciter prænũtiata *Gregorio* concedamus à ſanctis; quid cum ſacri & ſancti conſilij Gregorium pæniteret? Forſam non erit liberum Deo, punire Pontificem, qui iterũ Eccleſiam ſuam in exilium meditatur reducere? diuino arcano, morbo fatigatum fuiſſe mortali, non ſolum pij arbitrati ſunt viri; ſed prodigio Cœlum ipſum indignationem oſtendit. Nam die obitus Gregorij (qui incidit An. Sal. 1378. die 6. Kalen. April.) Palatium Pontificium Auenione incendio eſt deformatum fortuito; vt vna & ſola Roma domus foret Pontificia. Contra itaquè decreta ſe peccaſſe faſſus ſuperna, de ſucceſſore ſolicitus ſanxit: *Vt Cardinales* non expectatis abſentibus Pontificem eligere poſſent; atq. in Vrbe, vel extra Vrbem conclaui coacto, maior pars ſatis eſſet àd renuntiandum Pontificem, etiam reliquis contradicentibus. Hoc autem vt periculis occurreret, quæ ex diuturno interpontificio emergere ſolent. Sparſa eſt illicò in Vrbe fama, Gregorii mortem diuinitùs acceleratam, ne ſedem Auenionem reduceret. Ipſa horâ, quâ è viuis exceſſit

14. *Florentiæ* ad portam s. Fridiani oppeſſulatam, aliquis genius pulſans, quid tandem in conuentu Serezano de reliquis conditionibus pacis actũ eſſet renuntiauit. Interrogatus quis eſſet? Paciferum ſe eſſe, oliuumq. afferre reſpondit. Aperto oſtiolo cum neminem reperiſſent, ac populus ad

mentionem pacis euigilans exultaret; compertum eſt poſtea hac ipſâ horâ obijſſe Pontificem. Catharinam Senenſem Florentinis miſerat, vt eos ad obedientiam Eccleſiæ reduceret. Sed hoſte impediente maligno, pro pace martyrium impetrauit, quod tamen carnifex conſumare non potuit, virtute debilitatus supernà. *l.3. Raymundi Capuani, in vitâ S. Cather.* Sarazanæ tandem indicto conuentu, vt communi conſenſu pax redderetur Italiæ; vno eodemq. tempore ſancita ſunt ſædera, & mors ſequuta Pontificis. Obiit *intolerabili veſcicæ dolore* ex D. Antonino, ſacramentis deuotè receptis, ac magnâ cordis contritione. Corpus eius in eccleſiam B. Petri delatum, poſt ibi celebratas exequias, in craſtinum ſepultum eſt in Eccleſiâ B. Mariæ Nouæ cuius fuerat Cardinalis. Annum ætatis ſuæ 47. (Circa ætatem Gregorii cum omnes diſſonent, quid certi proferre non audeo) non attigerat, cum ad ſuperos euolauit, in pœnam inconſtantiæ, quòd Romæ non conſiſtere meditaretur. *Boſquetus*, Iuſta ſoluit Romanus Populus *tanto gemitu ac lacrymis, quãto nunquàm ante quiſquam ſepultus eſt. Parente enim, & vnico genitore priuati omnes videbantur: lugebantq. non modo præſentem, ſed etiam futuram calamitatem, in quam ſublato optimo Pontifice ob Patrum diſcordias incidère.* Platina.

Obitus Gregorii.

Sepultura.

15. *Pauperes.* Gregorii amorem in pauperes legatum annuum perẽne eſt monumentum. *Suos multum dilexit præſertim patrem, fratres, nepotes, & alios de domo & genere ſuo prodeuntes, quos licet denuò non exaltauerit, cum primi à patruo ſuo Clemente Sexto ſublimati fuiſſent, tamen eos in huiuſmodi ſtatu conſeruauit, ſecumq. tenuit, ac eorum conſilio, & inſtigatione multa fecit, præſertim in promotionibus nonnullorum quibus ſufficientiores in moribus, & ſcientiâ forſitan reperiri potuiſſent. Fuit tamen aliàs multum virtuoſus, Deo ac B. M. V. ſingulariter deuotus, quibus preces aſſiduas omni die, cum magno feruore, et intentione fundebat: fuit inſuper pauperum, et afflictorum pius ſuſtentator, conſolator, et largifluus benefactor. Dilexit etiam viros literatos, multoſq. ex ipſis ſuo tempore promouit, et exaltauit.* Boſquetus.

Nepos fuit Clemẽtis 6.

Amat pauperes, literatos.

Scripta. Epiſtolæ, Conſtitutiones Eccleſiaſticæ. Quarum tres Collectiones leguntur teſte *Ludouico Iacobo à S. Carolo in Bibliothecâ Pontif.*

Scripta.

Creauit Cardinales 22. de quibus ſuo loco. Sepulchrum eius Anno poſt 206. Romani beneficiorum memores elegantius, ac magnificentius ibidem extruxerunt ſub Conſulibus. *Ioanne Petro Draco, Cyriaco Mattheo, Io. Bapt. Albero.* Thoma Bubalo de Cancellarijs Priore.

Sepulchro operà Petri Pauli Oliuerij extructo ſequens addiderunt elogium.

Chriſti Saluti
Gregorio XI. Lemonicenſi
Humanitate, Doctrinâ, Pietateq. Admirabili
Qui vt Italiæ ſeditionibus laboranti mederetur.
Sedem Pontificiam Auenionem diu tranſlatam
Diuino afflatus Numine Hominumq. maximo plauſu
Poſt Annos ſeptuaginta Romam fœliciter reduxit
Pontificatus ſui Anno VII.
S.P.Q.R. Tantæ Religionis, et Beneficij non immemor
Gregorio XIII. Pontif. Opt. Max. Comprobante
Anno ab Orbe Redempto CIↃ.IↃ.LXXXIV. Poſ.

VRBANVS SEXTVS
PONTIFEX ROMANVS CC II.



NOn poſtulaſſent à Samuele Hebræi Regem, niſi Samuelis filij à tramite aberraſſent iuſtitiæ 1. *Reg.* Sic Vrbanus Pontifex dictus, ſtatim ac cogitare cæpit familiam exaltaret; dictus eſt Triregno dignus, niſi regnaſset.

Eligitur Anno Sal. 1378. die 4. Id. Aprilis, Obijt Ann. 1389. die 3. Idib. Octob. Cum ſediſſet An. X. Menſ. 6. dies VII. Vacat ſedes vſquè ad 4. Non. Nouemb.

ELOGIVM.

Anni Sal. IVr. 1378. 11

BArtholomęus, EpiſcopusBerēſis hic iacet, A
Vità, habitu, obitu obſcurus.
Vna ei gloria,
Sub tutelà vixiſse virginis Senenſis:
Quà perorante Reges Pontificem adorarunt,
In tumultu electus,
(S. P. Q. R. Pontificem expoſcente Latinum)
Per caſtra tranſiuit ad choros.
Adfuit forſan in tumultu Petrus, Galli pertaſus
Cum quo ſeptuaginta annos hybernauerat inuitus
Abſenti delata eſt infula & neſcienti.
Quia virtus quæritur, quæ non quærit.
Euaſit itaq. ad Pontificatum non inuaſit:
Nec vitia electionis vim fecerunt Electo:
Sed illum depreſſit Cœlum dum erexit.
Priuatus Pontifici ſimilis, Pontifex priuato,
In Pontificatu virtutes amiſit, quas tenebat:
Ut vel non habuiſse, vel amiſiſse videretur,
Cum eis magnopere indigeret.
Antè Pontificatum grauus, modeſtus, clemés
In Pontificatu ignauus, moleſtus a inclemés,
Purpuram tinctam induit ſanguine Neſſi.

Tri.

Anni Sal. Vr.

Triregno dignus, niſi regnaſſet.
3Clementem 7. pſeudoPapã cũ Galli elegiſsẽt,
Vt Auenione Romanam vinciret Eccleſiam
Schiſma promouente Reginâ4 Ioannâ:
Eo eſt furore percitus Vrbanus & inſaniâ 5
Vt ſiccis oculis ſpectaret necem 5Cardinalium,
Quos culeo inſutos demergi iuſserat.
Similia patrauit Nero, non maiora.
Non minus aliis, quàm ſibi inclemens,
Nomẽ aſsumẽs *Vrbani*, Iniuriã iuſtitiã correxit
Quùm venenum 6 cauere potens, noluit,

A (Admonebat Catherina Senenſis)
Vt citiùs liberaret Romanos.
Iuſta lætitiâ magis quàm iuſtitiâ ſoluta,
Serias non admiſere lacrymas:
Niſi, quia ſerò mortuus.
Familiam eius abſorpſit 7Mare:
Cuius gratiâ Vrbanus inurbanè congeſserat,
Sunt, qui Pontificem accuſent illegitimum,
At cum diabolus 8ipſe Urbano ſuffragetur;
Et iure proclamet electum;
Quantum Satanæ impendas, lector pendas.

Anni Sal. Vr.

ADNOTATIONES IN VRBANO VI. PONT. ROM. CCII.

Sedis Vrb. VI. 1 B*Artholomaus*. Defuncto Gregorio XI. cum eſſent in Eccleſiâ Romanâ viginti tres Cardinales, quorum ſex Auenione remanſerant, quãdo Gregorius in Italiam deſcendit. Vnus à legatione Serazanę nondum redierat: reliqui ſexdecim erant quorum quatuor Itali, vnus Hiſpanus, duodecim Galli, quorum nomina

Petrus Portuenſis, & S. Ruffinæ vulgariter dictus *Florentinus*:

Io. Peneſtrinus dictus *Lemouicenſis*:

Guillelm. S. Stephani in monte Cælio, dictus *de Agrifolio*:

Bernardus S. Cæciliæ dictus *Glandacenſis*, ordinis Fratrum Minorum.

Robertus Baſilicę 12. Apoſt. dictus *Gebennenſis*.

Hugo ss. Quatuor Coronatorum, dictus *de Britannia*:

Guido S. Crucis in Hieruſalem, dictus *Pictauienſis*:

Petrus s. Laur. in Luciná, dictus *Viuarienſis*:

Franciſcus s. Sabinæ dictus *S. Petri*:

Simon ss. Io. & Pauli dictus *Mediolan.*

Geraldus s. Clementis dictus *Maioris Monaſterii*:

Iacobus s. Georgij ad velum aureum, dictus *de Vrſinis*:

Petrus s. Euſtachij:

Guillelmus s. Angeli:

Petrus s. Mariæ in via Lata dictus *de Verneia*:

Petrus s. Mariæ in Coſmedim dictus *de Lunà*:

Hi omnes aderãt in CuriâRomanâ, moriẽteGreg. XI

Albanenſis
Tuſculanus
Sabinenſis
S. Anaſtaſia
S. Vitalis
S. Mariç in porticu Auenione ſtabant

Io. S. Marcelli dict. *Ambianenſis* aberat in legatione.

Præſentes, antequàm ingrederentur Conclaue pro futurâ electione Pontificis; Magiſtratus Vrbani, more maiorum, habuere comitia; in quibus datum Primoribus Vrbis, Cardinales conueniendi, vt Romanum, vel Italum in Pontificem crearent. Quod ſi precibus obtinere nequirent, vi cogerent. Prima ſeſſio Cardinalium fuit in eccleſiâ S. Mariæ Nouæ vbi ſepultum fuerat Gregorij corpus. Ibi cum *Guido de Probenis* Senator Vrbis, cum cæteris officialibus ſolemne iuramẽtum in formâ iuris Cardinalibus præſtitiſſet, de obſeruandâ Decretali, *Vbi periculum*; ac fideliter B cuſtodiendo futurum Conclaue; nomine totius Populi Romani deuotè, atq. humiliter ſupplicauit, vt virum idoneum in Papam eligerent, natione Italum ne ſi Gallus deligeretur, vltra montes Romana iterùm Curia migraret, maximo Vrbis ac totius Italię detrimento: quòd abſente Pontifice omnem Prouinciam, Vrbemq. Romam tyranni vexarint, neglectis Eccleſijs, & incultis, quæ ſitu, tempore, ſquallore prolabuntur, magnâ religionis iniuriâ; cùm nationes Romam proficiſcentes, ſedem uideant Põtificiam, Cardinalium titulos, Monaſteria, ac loca martyrum ſacratiſſima ſinè tecto, parietibus corruentibus, brutis patere atq. pecoribus. Æquum proinde eſse, eo loci reſidere Pontificem, in quo Petrus ſedem Pontificiam, patriâ natione relictâ, uolente Deo collocauerat, auxeratq. Deus Pontificum C cinere, ac martyrum ſanguine: vnde paſtores Eccleſiæ excitati maiorum exemplis, hominum ſaluti conſulerent, Patrimonium Petri recuperarẽt, quod abſentiâ Pontificum, in Hetruriâ, in Sabinis, in Hernicis, in Vmbris, in Picæno, in Flaminiâ, Tyranni vſurpabant. Reticere ſe in præſentiarum, quàm imminuta ſit hominum pia ad Vrbem peregrinatio, quæ adhuc reintegrari poſset, ſi Pontifex crearetur Italicus. Reſpondère tunc Cardinales, ſibi curæ fore, vt virum optimum deligerent; qui Dei præeſset Eccleſiæ, nulla perſonarum aut nationum habito reſpectu, ad imitationem Saluatoris, qui ad Apoſtolatum uiros ex omni natione delegit. Irent ipſi bono animo, arbitrarentur què ſe nihil acturos, quod Eccleſiæ non reſpiceret utilitatem. Diſpoſito indè apud s. Petrum Conclaui, D ubi de ineundis ſuffragiis mentionem faciunt; magna ſubito eſt exorta contentio. Duodecim erant Galli, unus Hiſpanus, quatuor Itali, quorum unus ex Vrſinâ gente ad Pontificatum maximè aſpirabat. In Gallos res inclinabat, quòd plures eſsent: ſed fortè inter Lemouicenſes, & reliquos ortâ diſcordiâ, cæperunt auctore Cardinali de Agrifolio in *Bartholomæum Archiep. Barenſem* abſentem, & purpurâ non inſignitum vota dirigere. Horâ quâ Cardinales iniere Conclaue; vniuerſus populus Romanus armatus Vaticanam conuenit in aream, clamans, *Romano lo volemo*. Hiſce clamoribus minimè Cardinales intenti, ſed Galli liuore diſcordes quos Robertus Cardinalis Gebenenſis licet & ipſe Gallus *proditores* vocabat, præcipuè *Lemouicenſes*, vndè etiam ægrotante Gregorio, Italis vnitus ſæpè fue-

Romani rogãt creari Papam Italum.

Reſponſio Cardinaliũ.

Violentia populi Romani.

Diſcordia Cardinaliũ.

fuerat proteſtatus Marino Archiep. Brunduſino familiari ſuo (vt teſtatur idem Marinus to.2.de ſchiſ. p. 38. & 67. *Nunquam iſti traditores Lemouicenſes erant tantum potentes, quin pro iſtà vice nos habebimus Papam Italicum; quia licet non poſſim facere Papam, tamen poſſum impedire, ne illi Lemouicenſes obtinebant eorum optatum. Nam habeo plures voces Cardinalium concurrentium mecum, quàm habebant Lemouicenſes: & accipiens breuiarium ſuum in manibus ſuis iurauit. Per hæc Sancta Dei nunquàm habebimus alium Papam, niſi Archiep. Barenſem, aut alium quem ad præſens nolo tibi publicare*. Romæ aderat etiam Bartholomæus Barenſis, qui vt familiaris & intimus Cardinalium, Patres comitatus Conclaue ingredientes, *ſolis eiſdem Cardinalibus in cameris eorundem ſigillatim loquebatur, ipſos deuotiùs deprecando, vt Deum & iuſtitiam præ oculis haberent, & omni affectione ſemotà, Eccleſiæ Romanæ de vtili, & idoneo paſtore per electionem Canonicam prouiderent*: vt teſtatur Theodoricus à Niem. *l.1.de ſchiſm.c.2.* qui Barenſem videbat, & audiebat, vt ipſe teſtatur. *Et quia dicti Domini* (verba ſunt Theodorici) *per multos dies antequàm eligerent, in dicto conclaui remanſerant, præfatus Vrbanus timens ne fortè aliquid ſiniſtrum ipſi eccleſiæ contingere poſſet, ſingulis diebus ad altare ſecundum in ipſà Baſilicà legit Miſſam, dominum deprecando vt Cardinalibus ipſis ſuam gratiam dignaretur, quòd citò Pontificem vtilem, & idoneum eligerent.*

Vrbani natalia. Fuit Bartholomæus natione Italus, Neapoli natus *in plateà Vindi* (ex familia *Cerdani*, vt ex literis Cardinalium ſchiſmaticorum apud Vualſinganũ) *in quodam loco, qui vulgariter vocatur Infernus, ex diuerſis comparentibus, patre Piſano, matre Neapolitano* (*vt ibidem fama laborat*) *egregius doctor Decretorum,*

Studia, Officia. *nec non ante Papatum humilis & deuotus, retrahens manus ſuas ab omni munere, inimicus & perſecutor ſymoniarum, Zelator caſtitatis, & iuſtitiæ, ſed nimis ſuæ prudentiæ innitendo, & credens adulatoribus libenter aures præbuit ipſis, frequenter & ſollicitè in eodem iure, & in ſacrà paginà etiam ſtudens. Ingenium quo* (*vt ipſe teſtatur Saluſtius*) *neq. melius, neq. ampliùs in naturà mortalium eſt, ſocordià torpeſcere non ſinebat, viros literatos & bonos ſincerè dilexit, & pro poſſe adiuuit, non impediens ſe de negocijs alienis; & ſingulis diebus, dum corporis ſoſpitate gaudebat, Miſſam legit, & etiam plura officia in eadem Curià tunc exiſtente in ciuitate prædicta exercuit: fuit enim per plures annos examinator in gratijs ſpetialibus, nec non præſidens in Cancellarià*. Nam cum Romæ viuente Gregorio, *eſſet pauper Archiep. Atherontinus, tandem de Metropoli Atherontinenſi ad Metropolim Barenſem in Apulià per eundem Papam Gregorium* (*quam per annum ante Papatũ poſſedit*) *translatus de mandato Gregorii, in abſentià quondam D. Petri Cardinalis Pampilonenſis S. R. E. Vicecancellarii,* (*qui poſt receſſum Gregorii de Aueniorienſi continuè vſq. ad eius obitum Auenione remanſerat*) *recepit in Italià officium Cancellariæ Apoſtolicæ*, quod etiam *Auenione exercuit antequàm ad huiuſmodi officium Locumtenentis Cancellariæ prædicta in vrbe foret aſſumptus. Fuit breuis ſtatura, & ſpiſſus, coloris liuidi ſiue fuſci, & ſexagenarius, vel circa dum eli-*

Statura *gebatur in Papam, & anno 12. ſui regiminis circa medium menſis Octob. moriebatur. Antequàm exiret Auenione, vt cum Gregorio in Italiam deſcenderet, fuit ſocius commenſalis ſiuè Capellanus in Auinione Cardin. Pampilonenſis ratione præſidentiæ in dictà Cancellarià, qui quidem Cardinalis ipſi & vni ſcutifero eius ſcutelibratis ſemel in anno veſtibus prandium miniſtrauit, & nunquàm fuit talis aut tantus, quòd ipſe per ſe vel alium pro aliquà conſequendà dignitate, quantumq. notabili præſertim Papatu ſeditionem ſeu impreſſionem moniſſet, vel aliquis de eo cogitaſſet, præſumpſiſſet. Hic etiam ante Papatum per multos annos me exiſtente cum ipſo ſingulis noctibus, poſtquàm ad cubile ſuum cauſà quieſcendi aſcenderat, coram ſe in Biblià, quouſquè dormiret, legi fecerat; & raró vel nunquàm tempus aliquod vigilando ociosè conſumpſit, ſed aut ſtudebat, vt prædixi, ſeu commiſſa ſibi exercebat officia, vel orabat, & niſi arctatus quodamodò per plateas nullatenus incedebat, & incedendo duabus beſtijs contentus erat, vnà*

Vita, mores. *Bmula ſcilicet, ſuper quà, ipſe, & vno equo ſuper quo eius familiaris ipſum aſſocians equitabant. Etiam induebatur cilicio diurno tempore, & nocturno, in quo dormiens indutus fuit deſuper tunicà albà talari de mediocri panno laneo, ac multum erat patiens tunc temporis in aduerſis, compatiens etiam valde calamitatis aliorum, omnia etiam ieiunia per eccleſiam indicta tunc ſanctiſſimè obſeruabat, nec non per aduentum Domini, et per Sexageſimam annis ſingulis ieiunabat, et ieiunantes ſimiliter, nec non bonos religioſos ſatis amabat*. Redeamus nunc ad electionem.

Patefactà diſcordià inter Lemouicenſes, & Gallos: cum Italis conuenere Galli principatum pertæſi Lemouicenſium, qui tam longo tempore Papatum quaſi hæreditarium poſſidebant. Cauſa verò cur in Barenſem ferè omnes conuenerint Cardinalis reſpondet Lemouicenſis, teſte *Abbate Siſtrenſi To.2. p.82.* C *Domini mei vos videtis, quod Romani petiere primo virum Deo gratum, et Mundo, ad nationem non reſpicientes neq. perſonas. Demum introitu Conclauis generaliſſimam propoſitionem reſtrinxerunt ad vnam nationem ſcilicet Italicam. Nunc autem neq. hac contenti, ad ſpecialiſſimam reſtringunt Romanam: quod etiam ſi non feciſſent, ſed ſtarent etiam ſub vltimà ſpeciali, non video poſſe ex Romanis eligi, quia Deo et Mundo diceretur veraciter impreſſiua. Præterea ſi eligeremus Romanum, aut eſſet de collegio, vel extra. In collegio duos tantum habemus, quorum vnus decrepitus et infirmus, ſcilicet Dominus S.Petri. Alter nimis iuuenis, et inexpers, ſcilicet Dominus de Vrſinis. Extra collegium, neminem aptum ſcio. Faciamus ſic:* Prouideamus Eccleſiæ Dei, et talem eligamus, D *quòd huic populo debeat meritò complacere, et nobis omnibus eſſe gratioſus. Circa quæ ſex præcipuè conſideranda 1. vt ſit ætatis maturæ 2. vita honeſtà 3. ſcientia magna 4. ſit doctus in ſtylo 5. familiaris et amicus nobis 6. ſaltem natione Italus, vt per eum patrimonium eccleſiæ recuperetur, quod per extraneum non fiet. Hæc omnia in vno Archiep. Barenſi impleri video. Nam iſte quinquagenarius eſt et vltra: adeo honeſtus, vt ab annis quatuordecim, quibus conuerſatus eſt in curià Romanà nil ſiniſtri de eo auditum ſit. Circa ſcientiam non dubitandum, quia magnus Canonum doctor, vt notum eſt in collationibus ſuis. De ſtylo nemo hæſitat: nam multis annis adeò Cancellariam rexit, vt ipſe ſolus habeat in ſtylo curiæ documenta. Nobis familiariſſimus, quia creatura eſt omnium noſtrum Lemouicenſium, tum à S.M. Gregorio in Barenſem Archiep. ordina-*

na-

natus, natione Italus, qui Neapolitanus, et ſubditus generi Francorum, unde Rex Franciæ et fratres ſui debebunt merito contentari. Hiſce uocibus victam maiorem partem Cardinalium cum videret Cardinalis Vrſinus, cæpit ſequentibus impedire electionem dicendo: *Differamus domini mei electionem iſtam in aliud tempus, ut poſſimus deludere Romanos, qui Papam exigunt ciuem Romanum. Vocemus ad nos vnum ex Minoritis fratribus, eiq. Cappam imponamus, & Mitram, eum in Papam fingentes electum, donec recedere poſsimus de loco iſto, & poſtmodum in loco tutiori alium eligemus.* Reſponderunt alij: *Hoc non faciemus, quia nolumus facere populum idolatram, nec eum decipere, et ſimul animas noſtras. Vnde certè intendimus de præſenti eligere, et eligemus verum Papã; clamores et Romanorum verba minimè curantes.* Subiunxit tunc Dominus de Vrſinis: *eligamus Dominũ S. Petri Romanum.* Cui reſpondit Card. Lemouicenſis: *duo obſtant. 1. quod ſit Romanus, ne electus dicatur ad clamorem populi. 2. quia debilis, et infirmus onera non poteſt ſuſtinere Papatus.* Inde conuerſus ad Florentinum adiecit. *Vos Domine Florentine eſtis de Florentiâ, quæ eſt terra inimica Romæ, unde vos non eligemus. Sic Dominus Mediolanẽſis cũ ſit de terrà Bernabonis, qui ſemper fuit hoſtis eccleſiæ.* His dictis ipſe Cardin. Lemouicenſis præſentibus & audientibus omnibus alijs Cardinalibus, & coram eis ibidem omnibus exiſtentibus, elegit in Papam D. Bartholomæum Barenſem Archiep. dicendo: *Ego purè et liberè eligo, et aſſumo in Papam D. Bartholomæum Barenſem Archiep.* Et illico ſine aliquo temporis interuallo, cæteri Cardinales numero ſufficientes, & conſtituentes maiorem partem duarum partium ipſorum Cardinalium in Conclaui exiſtentium, purè & liberè eundem Barenſem Archiep. ſimiliter in Romanum Pontificem elegerunt. Cardinalis Florentinus & ipſe ſequutus maiorem partem ad eundem acceſſit, purè & liberè eligendo; & ſic celebrata eſt electio. Hæc omnia ex *Archiep. Brundyſino: Bartholomæo Recinetenſi & Maceratenſi Epiſcopo.* Adiungit Theodoricus à Niem. c.2. *Cumquè dicti Cardinales in eandem electionem uniformem nemine ipſorum diſcrepante factam ſimul concordaſſent, quadam die Veneris, quæ fuit 4. Non. April. An. 1378. paulò ante horam tertiam miſerunt pro eo, & multis alijs Eccleſiaſticis prælatis, qui tunc erant in Vrbe. Vrbanus autem libros ſtatim, & quaſdam alias res ipſius ad loca tuta portari fecit, ne ſi rumor inſurgeret in populo, quòd ipſe electus eſſet in Papam; forſan Romani more ſuo irruerent in eius hoſpitium, ac ipſum ſuis libris & rebus huiuſmodi ſpoliarent. Sed poſtquam eadem die prædicti, Vrbanus tunc Archiep. Barenſis nominatus, et alij prælati per eoſdem dominos Cardinales ſic vocati, circa horam ad prædictum palatium acceſſerant, ortus fuit repentè maximus rumor in populo, ſcilicet quod Papa eſſet electus, ſed quis eſſet ille, adhuc ipſis erat incertum, ſed cùm paulo poſt quidam de ipſo palatio clamaret ad populum in maximâ turbâ pro foribus dicti palatij congregatum, in hæc verba videlicet, Barenſis eſt electus in Papam, ad hoc vehemens commotio ſubito facta fuit in populo: quod contigit credo eâ de cauſâ, quia plerique Romani præfatos dominos Cardinales antequàm ipſum conclaue intrabant, crebrè ſollicitarunt, vt loco dicti defuncti paſtoris ſaltem Romanum, vel Italicum in Papam eligerent, eâ vice, quod etiam me præſente unâ voce deprecabantur omnes illi Romani, qui ſtabant in gradibus eiuſdem Baſilicæ, dum præfati domini Cardinales dictum conclaue, vt præfertur cauſa eligendi nouum Pontificem intrare volebant, & à pleriſq. audiui, quod hoc per illum Iacobum Romanum Cardinalem fuit ſophiſticè vel ex induſtriâ ordinatum, vt per hoc ipſe tanquàm de potentiori domo Romanâ ſcilicet Vrſinenſi ortus eligeretur in Papam. Et etiam aliæ rationes cauſam huic clamori populari dederunt, quia dictus D. Gregorius habuit quendam cubicularium Io. de Bare vulgariter nuncupatum, Gallicum ſeu de terrà Lemouicenſi oriundum, ſatis, vt fama erat, ſuperbum, pariter & laſciuum, qui propterea nedum dictis Romanis, ſed etiam pro maiori parte Curialibus erat exoſus, & hunc credebant dicti Domini fuiſſe in Papam electum loco Gregorij prælibati, et de illo ipſi Romani falſo errore ſeducti, dolebant plurimùm, et vehemens murmur factum extitit inter ipſos: dicti verò Vrbani electi in Papam, pauci Romani tunc notitiam habebant, et etiam habentes notitiam, reputabant ipſum quodam modo pauperem et deſpectum, nec domum vel hortum proprium pro tunc habebat in vrbe, vel eius diſtrictu. Alia etiam huius rumoris popularis cauſa fuit: nam inter illos prælatos tunc etiam vocatos ad dictum palatium, vt præfertur, erant aliqui Romani potentes ſcilicet Petrus Abbas monachus montis Caſini, et alij, quorum cuiuslibet conſanguinei et amici credebant, quòd amicus eorum electus eſſet in Papam, unde repentè maximus concurſus, et ſtrepitus equitantium et concurrentium per contractas dictæ vrbis ad ipſum palatium, illâ tempeſtate auditus fuit, ibidem durans penè illâ totâ die. Vnde Cardinales prædicti ad ſedandum dictos rumores ſimulanter ſeu confictè populo per aliquos dici fecerunt, quòd præfactus Cardinalis ſancti Petri eſſet electus in Papam: quod audientes ſui amici cum magnâ turbâ impetuosè currebant ad prædictum palatium, quò recipientes ipſum violenter ad altare maius in ipsâ Baſilicâ, vt eſt moris de nouiter electis in Papam, fieri perduxerunt, et poſuerunt ſuper illud eo inuito et dicente, quod non eſſet Papa, ſed Archiepiſcopus Barenſis per eum et alios Cardinales electus foret in Papam. Et tam magna preſſura ibi facta illico fuit, ita quòd dictus Cardinalis in illâ comprehenſus, mortem vix euaſit, qui poſt hoc ad dictum palatium reductus, ex tunc continuè remanſit, quamdiu vixit penes dominum Vrbanum antè dictum. Dicta verò die poſt eandem electionem etiam tunc ipſo rumore durante, quatuor vel quinquè de prædictis Cardinalibus eandem vrbem cum dicto domino Iacobo cardinali exiuerunt, et aliqui corundem cardinalium ad Caſtrum S. Angeli, in Burgo dicti ſancti Petri declinarunt, ſed alterâ die immediatè ad dictum Vrbanum in palatio Apoſtolico exiſtentem, ſatis tempeſtiuè acceſſit Petrus de Lunâ tunc, et paulo poſt alter, qui Abbas maioris Montis vulgariter nominatur, et poſtea Robertus de Gebennâ, ac ſubſequenter cæteri Cardinales, ſcilicet de Agrifolio, Viuarienſi, Glandatenſi, ſancti Angeli, et ſancti Euſtachij, necnon de Britanniâ, et Pictauienſi, qui omnes fuerunt natione Gallici, et ipſi alij tres Cardinales Italici, ita quòd omnes præfati cardinales, qui eum elegerunt, infra horam veſperorum illa die conuenerant in ipſo palatio; qui poſtquam Romani in veritate ſenſerunt, quòd dictus Cubicularius co-*

cognominatus Barenſis non erat electus in Papam, ab incepto rumore penitùs quieuerunt, vlteriùs de ipſis Cardinalibus & electione factà de ipſo Vrbano ſe nullatenus implicando: vnde omnes ipſi Cardinales tunc inſimul horæ veſperorum in eodem palatio aggregati, ipſum Vrbanum paulò poſt eandem horam veſperorum more ſolito intronizarunt, qui poſtquam intronizatus fuit, per eoſdem ad locum, in quo dictus Gregorius Papa benedictionem dare populo conſueuerat, cum omnibus ipſis Cardinalibus, nec non magnà multitudine aliorum prælatorum accedens, populo in maximà frequentià & multitudine ibi tunc congregato Papalem, et ſolemnem benedictionem dedit.

Concordat Epiſcopus Tudertinus *Tom. 2. ſchiſ. p.43.* teſtis oculatus. *Prulati* (inquit) *de Palatio iam receſſerant propter timorem populi, qui clamabat, Non habemus Romanum,* Morano, morano. *Aduerſùs Barenſem clamabant:* Non lo volemo, *iuerunt, & fregerunt oſtia Campanilis S. Petri, & pulſauerunt campanas ad ſtormium, vt omnes traherent, & viderent quod non habebant Romanum. Tunc quatuor Cardinales Lemouicenſis,* Pictauienſis, *Viuarienſis, & de Aluernio proiecerunt ſe per vnam cameram de palatio in alium inferiorem, & fuerunt inuenti per aliquos Romanos,* & *per officiales cum verbis, & fortè cum verberibus fuerunt in palatium reducti.* Cum verò niterentur Romani minis extorquere, vt reſciſſa priori electione, Romanum genere Antipapam darent: reſponderunt conſtantes, *poſſe quidem Romanos interficere omnes Cardinales, ſed pro hac vice non habere Romanum Pontificem,* vt in *p.83. Abbatis Siſtrenſis.* Tentarunt tunc Romani Vrbanum vi adigere, vt Pontificatu ſe abdicaret. Sed teſte Epiſcopo Tudertino *loco cit.* reſpondit Vrbanus. Non cognoſcunt me benè. *Si tenerent mille ſpathas ad collum meum, non renuntiarem.* Et ſane plures Romani, præcipuè domeſtici Cardinalis S. Petri (teſte Epiſ. Recinetenſi Tom.4. p.71.) ſolicitè, & anxiè quærebant eum, ut interficerent. Hæc Romanorum ſeditio ſanæ fuit argumentum electionis. Hinc non ſolum Card. Robertus Gebennenſis, ſed Cardinalis s. Petri Cardinalis Florentinus, nec non Mediolanenſis, ac Cardinalis de Lunà ad palatium vocati, venere protinùs, & Vrbanum coronaturi (*Ibidem*, miſere Epiſcopum Caſſanenſem in arcem S. Angeli, vt inde Cardinales Gallos euocaret. Camerarius Apoſtolicus auditâ legatione, electionem carpere cœpit; ſed à Cardinali Lemouicenſi fratre dicti Camerarij, præſentibus reliquis, ita redarguitur: *Tace fatue, neſcis quod dicis. Et accipiens Miſſale ſuum in manibus ſuis iurauit ad ſancta Dei Euangelia. Dominus Barenſis eſt ita verus electus, & vnanimiter in concordià à nobis omnibus Cardinalibus, ſicut fuit vnquàm S. Petrus verus* Papa, *& Chriſti vicarius.* Non diſſimilia protulit Petrus de Lunà futuri ſchiſmatis propagator, teſte Anſelmo Canonico Patracenſi To.4. de ſchiſm. p.78. *Ipſe reſpondit ſuo more iurandi, per mia fè, ego credo, quod à tempore S. Petri non fuit verior Papa in Eccleſià Dei tam ritè, canonicè, & concorditer electus ante & poſt ingreſſum conclauis.*

Reprobatur à Romanis.

Cardinales itaq. qui in arce S. Angeli latitabant occluſi, auditâ poſtulatione, per ſchedulam commiſerunt, quam proprijs manibus ſubſcripſerunt,

A vt quinquè Cardinales in palatio cum Vrbano exiſtentes, eum coronarent. Senator, cæteriq. officiales Vrbis cum metum cognouiſſent Cardinalium, nolentes accedere quia Romanum non elegiſſent; acceſſerunt ad eos, hortando vt exirent: quia licet Romanum non elegiſſent, vti plurimi deſiderabant, populo tamen Romano non diſplicebat electio. Reſpirarunt tunc Cardinales, qui horâ repentinà ab arce exeuntes, D. Barenſem in palatio conuenerunt, ibiq. vnanimiter conſentientes, cum eo conſederunt. Tunc Card. Florentinus præmiſſà auctoritate S. ſcripturæ, quæ incipit. *Talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex, impollutus &c.* omnium nomine requiſiuit electum, electioni conſentire. Reſpondere autem volens electus, aliam & ipſe præmiſit auctoritatem, *Timor, & tremor venerunt ſuper me, &*
B *contexerunt me tenebræ:* quæ volens proſequi, vt ſe à tanto honore excuſaret; adiecere Cardinales, oratione relictà, conſenſum ſolumodò vt de more præſtaret, vt iterùm & inſtanter rogabant. Tunc precibus Cardinalium iuſſus electus electioni conſenſit. Et illicò Cardinales cum magnà lætitià, canentes *Te Deum laudamus* &c. veſtibus induere Papalibus, ſeruatis conſuetis cæremonijs, & ſolemnitatibus inthronizarunt, pulſatà campanà Palatij, interrogari fecerunt, quo nomine vocari vellet? *Vrbanus*, reſpondit. Cui ſtatim exhibita reuerentia conſueta, & oſculo; Cardinalis de Vernio proceſſit ad feneſtram, clamans congregatis, *Annuntio vobis gaudium magnum Papam habemus vocatum Vrbanum VI.* Peractà ſolemnitate Cardinales de Agriſolio, Lemouicenſis, & Pictauienſis expoſità diligentià, quà eius promotionem curauerant; commendaue-
C runt familiam Gregorij prædefuncti, Cardinalatũ petierunt pro Hugone de Rupe nepote Gregorij, ac Ioannem de Baro eorum conſanguineum ſuſciperet in cubicularium. Quibus cum non abnuiſſet Vrbanus; die proximà Sabbati, quæ fuit 10. Aprilis, cum eiſdem XII. Cardinalibus (Vrſino etiam præſente qui in Vrbem redierat) deſcendit in Baſilicam s. Petri, ubi repetito *Te Deum laudamus* celebrauit, & populum benedixit. Inde rediens in palatium, vt de more ſermone facto; rogantibus Cardinalibus plenam indulſit peccatorum remiſſionem, & irregularitatum, ſi quos forſan incurriſſent. Adueniente Dominicà Palmarum, proceſſerunt vnanimes in Baſilicam s. Petri, ubi Ramos benedictos à Cardinali Maioris Monaſterij, in cathedrà ſe-
D dens indutus ueſtibus ſacris Cardinalibus diſtribuit ac populo. Demùm factà Proceſſione, Cardinalis Florentinus coram Vrbano, & Cardinalibus Miſſam ſolemniter celebrauit. Die Iouis. ſuper gradus dictæ Baſilicæ in actibus Pontificalibus ipſe, & Cardinales uniuerſo ſe exhibentes populo cum cereis accenſis hæreticos excommunicarunt, ac proceſſus renouarunt præcipuè contra Florentinos tunc Eccleſiæ inimicos. Sic diebus ſequentibus, uſquè ad diem Paſchatis, quo thiarà à Cardinalibus redimitum à s. Petro uſq. in Baſilicam Lateranenſem magno gaudio equites proſequendo: poſt iuramentum præſtitum à Senatore Vrbis, ac poſſeſſionem traditam ſpiritualium, & temporalium; reuerentiam exhibitam à Canonicis Lateranenſibus; pecuniam recepere ſolitam Cardinales, quæ vocatur *Presbyterium.*

Coronatur.

rium. His peractis, ſpatio trium menſium remanſerunt in Curiâ Cardinales aſſidendo, celebrando, pro D. Vrbano Deum deprecando ſolitis orationibus *Deus omnium fidelium paſtor* &c. *Hac nos quæſumus Domine* &c. In diebus Aſcenſionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti Vrbano adſtitère ſolemniter celebranti, Euangelium canendo, ſacram Sinaxim de eius manibus recipiendo, electionem Vvenceslai confirmando in Regem Romanorum, beneficia vacantia de eius manibus ſuſcipiendo, præſertim Bertrandus Cardinalis Glandacenſis, ad vacantem eccleſiam Hoſtienſem, & Velletrenſem translatus, Principibus ac Regibus electionem notificando, omnia pacificè peragendo, donec ad extirpanda vitia curialium, præcipuè Simoniam, & penſiones ſeu prouiſiones, quas Cardinales à Regibus conſequuntur in præiudicium eccleſiaſticæ libertatis conuerſus; cœperunt Cardinales muſſitate, conuentum agere, tandem in perfidiam declinare. Hæc omnia habes in literis eiuſdem Vrbani ad Principes miſſis, quæ inter monumenta Auenionenſia reperta ſub hoc titulo, *Factum Miſſum per Bartholomæum ſub bullâ Regi Caſtellæ*, vt in *Tom. 1. de Schiſm. p.* 164. Concordat Theodoricus à Niem *l. 1. c. 3.* ac fuſiùs infra videbimus.

Pontificatus itaq. poſſeſſione vetere initâ ritu, Vrbanus encyclicis literis, totius Imperij Chriſtiani Epiſcopos, & Principes de Gregorij XI. obitu, traditiſq. ſibi conſentientibus Cardinalium ſuffragijs Eccleſiæ gubernaculis certiores fecit. Extant *l. breui: Vrb. p.* 166. Sumpſiſſe ferunt pro ſymbolo Pontificio illud Pſalmiſtæ, *Iudica Domine, & diſcerne cauſam meam.* Cardinales ipſi, inter quos Petrus Ep. Portuenſis datis literis ad Io: Piſtoris præceptorem Domus Apuliæ, libera renuntiarunt præterita fuiſſe comitia; vt in to. 3. de ſchiſ. p. 119. D e (inquit) *Mercurij ſeptimo menſis huius in Veſperis præfati Pontificis electione nos clauſimus in Conclaui. In die Iouis 8. poſt Miſſarum ſolemnia congregati Spiritus ſancti gratiâ inſpirante reuerendum tunc patrem D. Batholomæum de Neapoli Archiep. Barenſem, locumtenentem D. Vice cancellarii in ſummum Pontificem concorditer elegimus, & electione publicatâ cum ſolemnitatibus debitis inthronizauimus iuxta morem vocatúrq. Vrbanus 6. per quem, propter eius claram ſcientiam, vitæ puritatem, cæteraſq. virtutes innumeras, & verum experientiam diù probatam, ſperamus indubiè, quod illius auxilio, & clementiâ, cuius iuſſus eſt Vicarius, vniuerſalis eccleſia fæliciter ac ſecundùm Deum & iuſtitiam gubernabitur, totuſq. populus Chriſtianus conſolationem reperiet & augmentum. Laborauimus pro honore Italici nominis per Dei gratiam cum effectu. Romæ 14. April. 1. Ind.* Legit ſimiles à Roberto Gebennenſi ſcriptas ad Carolum 4. Imper. *Adamus Eſcon.* Benedictinus. *Vidi* (inquit) *literas, quas Dominus Gebennenſis pro ſe miſit D. Imperatori de creatione liberâ D. N. Papæ per Epiſcopum Vvormatienſem.* vt ex Froſſardo in *Chron.* Vvalſingano in *Ricchar.* Paul. Emil. in *Carol. V. Item vidi literas conſimiles de Domino Mediolanenſi Florentino, & Ambianenſi. Item vidi, quando Dominus de Agrifolio procurauit, quod B. de Verraco fuit miſſus ad Imperatorem de creatione D. N. Papæ.* Scripſit etiam integer Cardinalium ſenatus ad eundem Imperatorem literas Adie 8. Maij, quarum exemplum Cæſareo, ac quindecim procerum ſigillis obſignatum vulgauit Cæſar, ad confudendam rebellium apoſtaſiam, teſte Henrico de Knygton *l. 5. de euent. Angliæ.* Sacet idem Senatus cæteris Cardinalibus Auenione ſtantibus ſcripſere ſequentes, vt ex *p. 7. Tom. 5. de ſchiſmate*.

Reuerendiſſimi Patres, & Domini.

*Quia plerumq. immò, * & plurimum præſertim in rebus arduis, fama loquacitas veritatem quibuſdam coloribus adulterinis obnubilat, ideò quid his diebus in Romanâ Eccleſiâ cuius honorabilia membra, & ſublimes columnæ pariter nobiſcum exiſtitis, geſtum ſit, vobis præſenti ſcriptione veridicâ curauimus intimare, vt et ijs, qui rem aliter narrauerunt, ſeu ſcripſerunt non credatis, et mentes veſtræ, hac noſtrâ inſinuatione clarificatæ, in tranquillo et ſereno veritatis litore conquieſcant. Veſtris igitur paternitatibus innoteſcat, quod ſanctæ fœliciſq. recordationis domino, et patre noſtro D. Gregorio Papa XI. die 27. menſis Martij nuper elapſi, viam vniuerſæ carnis ingreſſo, et ſicut de largiſſimâ Dei pietate confidimus, poſt labores ad præmia euocato, ſicut vobis ſcripſimus; T antiquè patris, prout iuris, et moris, cum debitis honore, et reuerentia exequijs celebratis die * . . . præſentis menſis Aprilis conclaue palatii apoſtolici, in quo præfatus dominus noſter abierat, ne dicamus obierat, iuxta ſanctiones canonicae decreuimus intrare; ſed certis ex cauſis, ad id noſtrum inducentibus animum, huiuſmodi noſtrum introitum ad immediatè ſequentem duximus differendum, quaquidem die, videlicet 7. huius menſis; primitùs gratiâ Sancti Spiritus inuocatâ, conclaue præfatum intrauimus de electione, et ſubſtitutione futuri Pontificis tractaturi: ſequentiq. die, luciferi neſcientis occaſum, vt piè credimus, radiis illuſtrati, circa illam diei horam, quâ Spiritus ille paraclytus, in Sanctorum diſcipulorum corda deſcendit; ad perſonam reuerendi in Chriſto patris, D. Bartholomæi archiepiſcopi Barenſis, viri vtiquè magnorum meritorum claritate conſpicui, et multiplicium virtutum lampade refulgentis, liberè et vnanimiter direximus vota noſtra, eum ad celſitudinis apoſtolicæ ſpeculam concorditer euocantes; et hanc noſtram euocationem, ſeu electionem in conſpectu maximæ Chriſtianæ plebis multitudini nunciantes. Cæterum die 9. huius menſis, idem dominus electus, coram turbâ fidelium copioſa ſuper thronum dignitatis apoſtolicæ ſublimatus, ſibi Vrbani nomen aſſumpſit, ac die, quâ Chriſtus Ieſus ſummus Pontifex vitam noſtram reſurgendo reparauit, ſicut in Romanâ Eccleſiâ conſuetudinis eſt in baſilicâ Principis Apoſtolorum de vrbe, cum ingenti tripudio, et lætitia innumerabilis populi Chriſtiani pontificali regno magnificè et ſolemniter extitit coronatus.*

Quæ quidem ideò vobis nunciamus, vt ſicut obitus memorati D. Gregorii nobis amaritudinis et triſtitiæ calicem propinauit, ſic in præſentis patris conceſſione cælitus nobis, et vobis factâ, gaudii et exultationis ſpiritum aſſumatis; in illo enim, cuius vices idem dominus noſter gerit in terris firmam ſpem, fiduciamquè tenemus, quod ſub eius fœlici regimine, ſtatus Romanæ ac vniuerſalis Eccleſia reflorebit, & orthodoxa fides fœlix optatumq. ſuſcipiet incrementum. Saluator noſter Ieſus Chriſtus, diu et fœliciter in ſuo ſeruitio vos perſeuerari faciat iuxta vota. Dat. Romæ die dictis menſis ſub ſigillis noſtris P. Portuenſis epiſcopi,

G. ſancti Stephani in Celio monte presbyteri, & Iacobi S. Georgij ad velum aureum diaconi Cardinalium hic prioritatis locum obtinentium in ordinibus antedictis.

Petrus Portuenſis & S. Rufina.
Ioannis Praneſtinus, epiſcop.
Guillelmus tituli S. Stephani in Celio monte.
Franciſcus tituli S. Sabina
Bernardus tituli S. Cæcilia
Robertus tituli Baſilica XII. Apoſtolorum.
Simon tituli ss. Ioannis & Pauli.
Vgo tituli ss. Quatuor Coronatorum.
Guido tituli S. Crucis in Ieruſalem.
Petrus tituli S. Laurentii in Lucinà.
Gerardus tituli S. Clementis, presbyteri.
Iacobus S. Gregorii ad velum aureum.
Petrus S. Euſtachii.
Guillelmus S. Angeli.
Petrus S. Maria in Và latà.
Petrus S. Maria in Coſmedin, diaconi S. R. E. Car*dinales.*

His acceptis, ſex Cardinales Auenione ſtantes, nimirum Ægidius Iſelmius Tuſculanus, Ioan. de Blanſaco Sabinenſis, Anglicus Grimoaldus Albanus, Petrus S. Anaſtaſiæ Pampilonenſis, Guillelmus S. Vitalis Mimatenſis, & Vgo S. Martialis Diaconus S. Mariæ in porticu, Vrbano ſacros detulerunt honores Io: Card. s. Marcelli Ambianenſis, cum tempore electionis Piſis eſſet in loco tuto, auditâ electione cum ijs quæ acciderant, venit & in publico conſiſtorio reuerentiam Papalem exhibuit more ſolito: teſtis eſt Thomas à Petra Canonicus C Patracenſis. *Tom.4. de ſchiſ. p.* 80. Vrbanum plura Conſiſtoria pluribus menſibus cum Cardinalibus pacificè celebraſſe, eoſq. rem diuinam peragenti adſuiſſe, & præcipuè Antipapā Sacramenta ex eius manu ſuſcepiſſe *ibidē* legimus. Reſtitutus etiam ex conſilio Cardinalium ab eodem Vrbano ſacrorum vſus Florentiæ, pœnarumq. indulta remiſſio, s. Catherinâ intercedente Senenſi, quę Florentia diſcedere noluit, niſi prius eam reconciliatam videret Chriſti Vicario, quemadmodum ei Deus imperauerat. *Leonar. Aret. l.9. Raymundus Capuanus in vità S. Cather.*

Externo pacato bello, ſubſequitur inteſtinum, quod Cardinales excitarunt aduersùs matrem Eccleſiam Romanam, vt Catherina Senenſis prædixerat Raymūdo Capuano *c.10.p.2.* Prima diſſidij cauſa 2. *Vrbani acerbitas.* Accipe verba Theodor. à Niem

Vrbani 6. rigor intempeſtiuus

c.4. *Sed die Luna infra feſta Paſchalia, dictis veſperis in eius præſentià, in eodem palatio in Capellà maiori, me præſente, ipſe Vrbanus publicè incepit increpare Epiſcopos, qui illic venerant, dicendo, quod omnes eſſent periuri, quia Eccleſias ſuas desererent in eadem Curià reſidendo. Sed omnibus tacentibus ipſis prælatis, quondàm dominus Martinus Epiſcopus Pampinolenſis, eiuſdem Vrbani referendarius, natione Cathalanus, qui fuit Doctor egregius in Iure Canonico, & diu Auinione in eodem Iure legit ordinariè, ſolus Papa reſpondit ſatis acerbè dicendo. Quòd ipſe non eſſet periurus, quodquè dictam Curiam non propter eius priuatam, ſed potiùs propter publicam vtilitatem ſequeretur, & paratus eſſet de illà recedere, necnon ad eius Eccleſiam accedere: arguendo ſubtiliter per hoc dictum, quòd egit* A *minus cautè, ſic generaliter obiurgando prædictos prælatos præſentes tunc in Curià memoratà.*

Secunda ſchiſmatis cauſa fuit Vrbani ſeueritas iuſta, ſed intempeſtiua, vt proſequitur idem Auctor.

Subſequenter autem die Luna, immediate poſt ſecundam dominicam poſt Paſcha, ipſo dominus Vrbanus tenendo publicum conſiſtorium, & confluentibus illic dictis dominis Cardinalibus, necnon prælatis ac officialibus & Curialibus, in magno numero, vt eſt moris, incepit ſermonem facere in præſentià eorundem, cuius thema fuit: Ego ſum paſtor bonus, &c. quem minus cautè, necnon etiam minùs ornatè fecit, in quo etiam mores dictorum dominorum Cardinalium, & prælatorum incepit redarguere, quod ipſi ægrè tulerunt: miror enim quare ipſe hoc fecit, ſciens eos parùm ipſum pro B *tunc curare, fruſtra enim niti, neque aliud fatigando, niſi odium quærere, extrema dementia eſt. Fuerunt enim increpationes illa intempeſtiua fomentum ſchiſmatis ſubſequentis. Veniens etiam illo tempore quidam Collector fructuum Camera Apoſtolica, de quadam prouincià ad præſentiam dicti Vrbani, ei quandam pecunia ſummulam ratione ſua Collectanea offerebat: cui reſpondens, ait, Pecunia tua tecum ſit in perditionem, ac illam recipere non curauit. Similia multa inſolita, & abuſiua de die in diem faciens, per qua penè omnium ipſorum Cardinalium, & prælatorum contra ſe magis iracundiam concitauit.*

Cum Theodorico conſonat Thomas deſignatus Ep. Lucerinus *Tom.2. de ſchiſmate p.46. Item dixit diligenter interrogatus, quod propter aliquas ſuas conſtitutiones, quas fecerat dictus D. N. Papa, qua ligabant* C *ipſos Cardinales, conceperunt odium contra dictum Papam, vndè cautè, & aſtutè ſciuerunt licentiam habere à D. Papa, & ſe de Vrbe ad Anagniam tranſtulere.* Confirmat hæc Petrus Cardinalis Rauennas literis ad Gallorum Regem, vt in *Tom.18. de ſchiſm. p.341.* Catherina Sen. *epiſt.21.* Vvalſinghamus in Richar. *Ex poſt* (inquit) *eum ipſe Cardinalis* Robertus Gebennenſis, *& cæteri de collegio, quibus Eccleſia perturbatio complacebat, viderent Vrbanum Papam, vt ſummum Pontificem per omnia condecenter agere, contra auaritiam ipſorum diſputare, & iniuſtitias, & in omnes ſimoniacos intrepidè terribiliter fulminare, pœnituit eos feciſſe hominem. Furorem augebat eorum, quod proteſtatus fuerat, ſe iuſtitiam facturum inter virum, & virum, & maximè inter Reges Francorum, & Anglo-* D *rum, per quorum penè diſcordias tota Chriſtianitas detrimentum accepit. Fauebant Regi Francorum, eius illecti muneribus, vnde metuebant, ne aliquid ſalubriter ſtatueret contra ipſum propter quod vel eorum minueretur commodum, vel opinio penes Regem. His cauſis deſciuerunt ad inſtar Baal, quod interpretatur vanitas, ſtatuerunt ſimulacrum ſuum, ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt, et procidentes curuauerunt genua ſua ante Baal.*

Tertiam ſchiſmatis cauſam recitat Thomas Petra Canonicus Patracenſis, Vrbanum ſcilicet ſollicitatum à Gallis, Auenionem ſedem transferre Apoſtolicam, reſpondiſſe: *continendam eſſe in Italià, reſtauranda collapſa templa:* eos autem ſubiecisse; *Nunquàm Italiam Pontificatus honoribus potituram.*

Anagniam itaquè cum receſſiſſent Cardinales, Pontifici reſcripſerunt gratias agentes pro benefi-

ciis, & promotionibus ſibi factis; & familiarium A ſuorum. Subiecere poſtea rogantes, vt Anagniam pergere dignaretur pro regimine vniuerſalis eccleſiæ. In procinctu erat Vrbanus, cum à superuenientibus nuntiis inſidias ſibi paratas accipiens, ſolus Tyburem ſeceſſit, nullo Cardinalium comitante; quia Cardinalis S. Petri equitare impotens remanſit in Vrbe. Ita Ep. Tudertinus *Tom. 2. de ſchiſm. p. 4.* Thomas de Acerro *Tom. 2. p. 16.* detectis inſidiis, apertà vi deſignarunt deturbare Christi vicarium, excitatis Britonibus, ac Vaſconibus, qui in Campanià caſtramentabantur, duce *Honorato Fundorum Comite*. Hinc à Ioannà Reginà Siciliæ ſubmiſſi trecenti milites, qui Pontificem cuſtodirent, & aulicos. Ibi ſtans ſupplicationem accepit Cardinalis Gebennensis pro permutatione duorum familiarium, quam cum legiſſet, ridere cæpit, dicens: *Dicunt, quod non ſum Papa, & totà die à me petunt.* Conceſſit tamen teſte Ep. Tudertino. *Tom. 2. de ſchiſm. p. 48.* Extant inter Auenionenſia monumenta libelli ſupplices plurimi à Cardinalibus Vrbano porrecti, quibus *Sanctiſſime Pater*, *Beatiſſimè* ſalutabatur. *Tom. 2. p. 29. 30. 31.* Centennæ & millenæ expeditæ ſunt literæ à Pænitentiario Cardinali in quibus ſcriptum erat, *Pontificatus* &c. teſte Bartholomæo Zabricio *To. 41. de ſchiſm. p. 74.* Petrus ipſe de Luna, pertinax Antipapa futurus, faſſus eſt Confeſſori ſuo religioſo ordinis Prædicatorum, Vrbanum ritè & canonicè electum, ſed quia aſper non annuebat petitionibus eorum, miſerunt ad eos dictum Religioſum, vt preſuaderet Vrbano, Pontificatu ſecedere. Cui Vrbanus peroranti reſpondit: *In veritate Dei de dimittendo Papatu modicum curarem: ſed non dimittam, ne dem locum diabolo, et cornu peccatoribus. Stabo debellans eos in nomine Domini Dei noſtri. To. 2. de ſchiſ. p. 22.* Conſulti interim duo Iuriſprudentiæ Principes *Baldus*, & *Io: de Legnano*. Super hoc themate *Vtrum inconditi clamores Romani populi Pontificem Romanum, vel Italum depoſcentis ita libertatem reſtrinxerint electionis, vt nulla dici debeat?* Baldi ac Lignani reſponſa pro Vrbano fuere. Quòd cum conſenſus in electione Vrbani non ſolũ *verbis*, ſed *ſcriptis* fuerit expreſſus; metus non apparet. Quòd ſi Galli obijciant, eos pro Gallo eligendo antea conſpiraſſe? reſpondit Baldus *voluntatem iniquam fuiſſe diuinitùs diſſolutam: nec ob popularem tumultum vim eis illatam; ſed malè ſopitas animos exuſcitatos fuiſſe.* Replicantibus Gallis, *quod in Vrbano nunquàm conſenſiſſent, niſi fuiſſent metu concuſſi.* D Soluit Baldus, *Id omninò latere, cum ſolius Dei ſit arcana mentis inſpicere: propterea contemnendos: quia de occultis Eccleſia non iudicat. Potuiſſe eos, vti viros eruditiſſimos vel palam, vel occultè de vi illatà conteſtari; non tamen conteſtatos ſpreuiſſe Romanorum garrulitatem. Nec ſine myſterio electionem reiteraſſe, ne quis ob tumultum carpere auderet electionem.* Accedit; *quæſtionem de voluntate liberà vel coactà à iudice decidendam, non ab actore: Iudicem autem Concilium eſſe Æcumenicum, cuius congregandi poteſtas ad eum ſpectet, qui eſt in poſſeſſione Pontificatus, quem per vocem, per adorationem, per coronam, per literas, per acceſſum, per ſubſellia, per beneficia recepta contulerunt. Nunc ſi gradu mouendus Vrbanus; toti Orbi primum debere eſſe conſpicuum, cur gradu moueatur? Cardinalium teſtimonia non valere contra literas ab ijs miſſas ad Principes. Vel enim ea vera fuerunt, vel falſa? Si vera: ergo Vrbanus eſt Pontifex. Si falſa: ergo fide indigni ſunt Cardinales, qui tantum errorem Orbi inducere tentarunt: ergo vt inſtabiles, & conſpiratores à teſtimonio ſunt repellendi. Non eſt credibile, quòd Eccleſiæ cardines, qui eccleſiam tenentur fulcire labantem, eam diruere tentauerint, Papam illegitimum inducendo. Qualis vis, & metus, vt in ſecundà electione pronuntiarent verba illa plena myſterii, ſe Vrbanum eligere*, vt eſſet verus Papa. *Actus liberi poſteriores vitia (ſi quæ ſunt) purgant priora. Coniugia metu obtenta*, ſi pacificè compleantur, libera ſunt. *Aduertamus tandem clamores populi principaliter non in Vrbanum fuiſſe directos, ſed in Romanum* (Romano B lo volemo) *Duo namq. erant in collegio Romani, Vrſinus, & Cardinalis S. Petri, quorum conſanguinei tumultum excitauerant. Hinc auditâ Vrbani electione, quærebant eum vt interficerent, tanquàm eorum petitionibus aduerſum.* Non obſtat tandem Gallorum commentum dicentium, vnumquemq. in Vrbanum conſenſiſſe, cum putaret collegas conſenſiſſe. *Nam indè ſequitur, quòd omnes conſenſerint in Vrbanum.*

His tamen ſpretis, Cardinales dirum facinus aggreſſuri, Italis ex Anagnià doloſis ſollicitarunt literis, vt communi conſenſu pſeudoPontificem deſerto Vrbano crearent. Extant literæ *To. 16. de ſchiſmat. p. 12. Ann. 1378. die 20. Iulij.* Non aſſenſere tunc Itali Cardinales; ex quibus poſt menſem, *Franciſcus Cardin. S. Petri* morbo correptus lethali, vir ab inuidià & ambitione alienus, quem Papali- C bus ornamentis ſimulatè indutum à Cardinalibus vidimus, contra perduellium improbitatem, publicis tabulis proteſtatus eſt Vrbanum ritè, liberè, canonicè electum Eccleſia crederet; quia de ipſum nominando, eligendo & in Papam aſſumendo, etiã ante ingreſſum Conclauis Cardinales egerant, & ipſe à Cardinalibus ſocijs fuerat requiſitus, vt vnà cum eis concurreret in Vrbani electione. Extant hęc *To. 2. de ſchiſm. p. 38.* Reliqui verò Cardinales Italici, Florentinus, Mediolanenſis, Vrſinus, & ipſi coeuntes cum Vrbano in publicis, & priuatis Conſiſtorijs, pacem cum Florentinis firmarunt; electionem Vvenceslai in Imperatorem confirmarunt; interpretes agendo pro Gallorum reconciliatione. *Tom. 3. p. 118.* Omnia tamen fruſtra: nam Galli factà conſpiratione, ſinguli priuatas dedere literas Gallorum Regi, querentes ſibi vim illatam à populo Romano, vt Italum renuntiarent Papam, cum ipſi Gallum eligere decreuiſſent. His acceptis Carolus Rex Francorum, nimium credulus, & Gallici honoris illecebris irretitus, Sapientes conſuluit, quorum maior pars cum grauiſſima pro Vrbano argumenta libraſſet, cauſę cognitionem Concilio detulit Æcumenico *To. 2. p. 165.*

Diſſentiebãt alij, volentes à Cardinalibus cogendum eſſe Concilium: alij indicendum à Patriarchis: alij à Principibus ſæcularibus, ad quod Vrbanus & Cardinales vocandi eſſent. Decretum tandem, vt Rex inter vtramq. partem veluti veritatis explorator, & controuerſiæ arbiter ſederet; reſpondit: *Quoad auxilium, et conſilium dandum Do-*

Inſidiæ Papæ.

Baldus ... pro Vrbano.

Cardinalium conſpiratio in Vrbanũ

minis Cardinalibus pro ipſorum ſecuritate, ſingillatim vt ſingulis tanquàm ſuis fidelibus, & amicis, hoc iam fecit, et paratus erat ſemper facere, et faciet. Vrbanus interim vt controuerſiam canonicè dirimeret, Cardinales Italos miſit ad Gallos, cum facultate etiam offerendi Generale Concilium, ni aliter poſſent conuenire. *Tom. 2. p. 36.* Perhorruere Galli ad vocem Concilij: cauſantes *non eſſe locum Concilio, quia ſede vacante, vt vacare dicebant, nemo erat ſuperior Cardinalibus, qui poſſet congregare Concilium.* Secundò quia *Concilia à Pontifice recipiunt efficaciam, qui nunc deficit.* Tertio, *ab exemplis S. Patrum, à quibus nunquàm fuit congregatum Concilium, etſi plurimi reperiantur intraſi in ſedem Pontificiam. Per quem enim congregandum eſſet Concilium: forſan per quem prætenditur intruſus? non. Cum ei non ſit obediendum* c. in nomine Domini. D. 23. *Per Principes? non: quia in* B *ſpiritualibus nullam tenent poteſtatem. Per Cardinales? non:* c. ne Romani. de Elect. in Clem. *Per Patriarchas? non: quia extra ſua territoria ſubditos vocare non poſſunt.* Ergo via Concilij tanquàm ſuperſtitioſa non quærenda. Gallos præcipuè fouebat Cardinalis Ambianenſis, cuius auaritiam Pontifex publicè redarguerat. *Nouus Pontifex cum intraſſet Conſiſtorium, cœpit athicè diſputare contra auaritiam Cardinalium, qui fuluo corrupti metallo, aut excæcati pecuniâ, plus venabantur argentum, quàm pacem gentium, ad quam miſſi fuerant inter regna reparandam. Ambianenſis autem publicè deteſtabatur, & condemnabat perfidiam, imponendo ei cum ſapiùs miſſus fuiſſet à Papa Gregorio prædeceſſore ſuo, vt quoquomodo pacem inter Angliæ, & Franciæ regna firmaret, & ipſe* C *inæſtimabiles auri, et argenti ſummas pro labore ſui itineris, iuſſu Papæ de vtroq. regno cepiſſet, omiſſo ſua legationis officio, non curauit paci prouidere regnorum, ſed potiùs elaborauit, vt diſſenſiones, et odia continuarentur inter Reges diutiùs, vt dum ipſe ſæpiùs deſcenderet taliter ſub vmbrâ firmandæ concordiæ, rediretque multoties infecto negotio, ſui prouideret vberius infando marſupio de malè quæſitâ pecuniâ, de Chriſti patrimonio, ac vtroq. regno ſophiſticè ſpoliato. Ambianenſis verò his auditis, in furore mentis ſe erexit, cum incredibili faſtu, et in propatulo extento digito Domino Papa, hæc verba furiosè reſpondit:* Tu tanquàm Barenſis mentiris. *Et mox relicto conſiſtorio, cum contumeliâ receſſit à conſpectu Papali: quem illico ſecuti ſunt plures Cardinales, qui partes ſuæ fauebant, vel conſimili ſe ſcelere obligabant.* Vvalsingamus Anno 1378. in *Hiſt. Anglic.*

Cardinales Vrbanus arguit.

Iniuriâ afficitur à Cardinalibus.

Acceſſerunt Cardinalibus participes ſceleris Carolus V. Rex Francorum, qui Cardin. Ambianenſis regebatur conſilijs: & Ludouicus Dux Andegauenſis (quem rei priuatæ cupiditas ſolicitabat) eo ardore, vt Rex ſchiſmaticis ſua arma conferre promiſerit, etiam ſi Anglicum bellum intermiſſurus eſſet. Immò ſe à Rege ad ſchiſma impelli gloriabantur ſchiſmatici, vt ex literis Archiep. Rauennatis *To. 28. de ſchiſm. p. 341.* Confirmabat Gallos in ſcelere perduellionis Petrus Gunrellinus Gallus, qui molem Hadriani occupabat ſatellitibus ſuis: cuius arcis cuſtodiam repoſcenti Vrbano, eo colore negauit, ſi Cardinales, qui Auenione ſtabant, aſſenſiſſent. Vndè à Pontifice requiſiti eum adhuc non A conſpicaſſent, Guntelino planè mandarant, die 3. Iulii. An. 1378. arcem reſtitueret; ſed fruſtra diſſuadentibus coniuratis *Tom. 2. p. 32. de ſchiſm.* Fouit etiam ſchiſmaticorum conſilia

3. *Ioanna* Regina Neapol. quæ ab exordio Vrbani electionis, vt patriâ Neapolitani ingenti conceptâ lætitiâ, quadraginta aureorum millia, atq. alia ampliſſima munera ad ipſũ miſerat, ſe ſuaq. offerendo, interprete Othone duce Brunſuicenſi, viro ſuo qui Romæ aderat. Tantam concordiam inter Pontificem, & Reginam inſolentia diſſoluit Vrbani. Cum enim quadam die *Otho in collatione potum præberet Vrbano, præſentibus quibuſdam Cardinalibus, aliiſq. magnæ auctoritatis viris, Vrbanus ex faſtu ſcyphum de manu tanti Principis ſtantis coram eo diu genibus flexis recipere tardauit, donec ad eum quidam* B *ex eiuſdem Cardinalibus diceret: Pater ſancte, tempus eſt, vt bibatis. Nec fefellit in eo illud:* Aſperius nihil eſſe miſero, qui ſurgit in altum: *nec illud:* Corde ſtat inflato pauper honore dato. *Et licet ipse ſollicitaretur inſtanter, quod eandem pacem pro ipſius ſtatu firmando benignè acceptaret, hoc tamen facere non curabat, credens ſe ſuper pennas ventorum iam volare, quæ etiam præconceptum rancorem inter ipſum, & ſuos Cardinales non mediocriter adauxerunt, & eum delirum communiter ipſi Cardinales indicabant. Fuit enim duri cordis: vnde probauit illud;* Cor durum habebit malè in nouiſſimo. Theodoricus à Niem *lib. 1. c. 7.* Exacerbauit eundem Othonem: quia Vrbanus negauit ſubſcribere nuptijs Mariæ Reginæ, & hæredis Trinacriæ cum Marchione Montisferrati con- C ſanguineo eiuſdem Othonis. Vrbanus namq. meditabatur *regnum Trinacriæ in Franciſcum Pregnanum nepotulum ſuum ex fratre genitum* transferre. Propterea Nicolaum Spinellum de Neapoli rectorem prouinciæ in Galliâ familiarem Vrbani ante Papatum, ad eundem miſerunt, vt ad ſaniora reuocaret conſilia. Fruſtranea tamen legatio fuit: vndè Nicolaus ſchiſmaticis accedens, fuit Vrbano ſemper infeſtus, Otho Neapolim reuerſus, non ampliùs Pontificem inuiſit; Papam tamen credidit, & publicauit. Idem c. 8. Tantis Schiſmatici ſuffulti præſidijs, ſuaſorias Vrbano dedere literas, vt Pontificatu abiret; ac ni pareret, ſeueritatem expectaret iudicii. *To. 2. de ſchiſm. p. 157.* Cumquè D minis non cederet Pontifex; encyclicas dedere literas vniuerſis Chriſti fidelibus, confingentes metu & vitio creatum Vrbanum, vt eos in errorem traherent. *Vvalſing. in Richard. II.* Has cum accepiſſent æmuli Angli, ad tantum flagitium indignabundi reſponderunt. *Serui nequam ex ore veſtro iudicandi, modum electionis Summi Pontificis nuper celebratæ nobis per literas veſtras declaraſtis dicentes; quod conclaue veſtrum vallauit armatorum indomita multitudo, minas vobis facientes terribiles, & lethales, niſi eligeretis Italicum, vel Romanum: nullam tamen perſonam certam vobis limitando, ad quam compellerent eligendam. Manifeſtum eſt igitur, quòd perſonam, quam vos concorditer elegiſte liberè, et non coactè: et ſic quantum ad perſonam à vobis tunc electam tenemus firmiter, et tenebimus ipſam electionem eſſe, et fuiſſe ritè, et canonicè celebratam.* Eodem ardore maxima pars Orbis Chriſtiani impietatem eſt execrata ſchiſ-

Vrbani VI. ſuperbia.

Amicos ſanguine.

Angli contra Gallos pro Papâ.

ſchiſmaticorum Florentinorum nomine Collutius Pierius reſpondit; *electum et Pontificiâ coronâ redimitum à Cardinalibus, vt Pontificem colendum, donec Pontificatus ei ordine abrogaretur iudiciario. Cardinales non eſſe iudices idoneos, cum ſint actores. Inanes eſſe metus cauſas confictas: maximè cum Concilio Æcumenico iudicare erubeſcerent, ad arma confugientes Britonum. Dum hæc ſcriberemus; deteſtabilis famæ, immò infamis infamia, deinde nuntius certior aduolauit, vos vnum ex vobis Dæmonem videlicet Gebennenſem in Papam, immò in Antipapam, & Antichriſtum elegiſſe: in quâ re quàm vehementer fuerint proſtrata corda fidelium, dicere non poſſumus. To. 2. de ſchiſm. p.* 208. Quâ fraude vſi ſint Galli, vt tres Italos Cardinales ad ſua attraherent comitia, in quibus renuntiandus erat antipapa, refert Theodoricus Niẽ. *c.9.* nimirum ſingulis vt potè cupidis, & ambitioſis ſecretò obtuliſſe Pontificatum. Quibus illecti promiſſis protinùs adfuere; verùm præſentibus ipſis Galli, *Robertum Gebennenſem* Cardinalem SS. Apoſtolorum in Antipapam renùntiarunt, nomine

Rober-tus Ge-bennen-ſis An-tipapa.

3 *Clementem VII.* &c. ex quo Itali pudore, atq. irâ repleti Anagniâ diſceſſerunt, ad Vrbanum tamen redire non auſi.



Fuit Robertus natione *Gallus filius Amedæi* Comitis Gebennenſis, & *Mathilda* de Boloniâ, officio Protonotarius, inde Motinenſis ac Cameracenſis Epiſcopus, deinde Cardinalis Baſilicæ S. S. Apoſtolorum aſſumptus à Gregorio XI. & ab eodem in Picænum legatus, cum Bononiam Eccleſiæ reconciliare fruſtra tentaſſet, impio ſcandalo Monomachiâ certare permiſit Gallos & Italos. Perduelles autem cum verbis nec armis mulcire potuiſſet, ſe recepiſſe Cæſenam, vbi populari tumultu cum octingenti cecidiſſent Britones, verborum lenocinijs plebem placauit, exarmauit, tandem proditoriè periuens concidit nullo ætatis ſexuſuè diſcrimine. Mortuo Gregorio ſignifer ſactus eorum, qui Italum expoſcebant, Vrbanum 6. renuntiauit, *Tom. 2. de ſchiſm. p.* 38. poſtquàm Cæſari, Belgis, Britannis nuntiauit electum, à furentibus ſchiſmaticis Antipapa deligitur An. 1378. die 26. Septemb. in peruigilio S. Mathæi Apoſtoli, cum ætatis ſuæ annos impleret triginta ſex. *Boſquetus.* Præcipua cauſa, ob quam in Gebennenſem conſenſere ſchiſmatici, fuit: vt ſibi Principes conciliarent, qui erant ſanguine iuncti cum Antipapà, teſte *Pollutio Pierio* *Atom. 1. de ſchiſm. p.* 280. Impletum tunc vaticinium S. Malachiæ *de Cruce Apoſtolicâ* quia Crucem ferret in ſtemmate, & Cardinalis eſſet SS. *Apoſtolorum*; Clem. VII. nomen aſſumpſit, qui iam crudelitatis exempla præmiſerat. S. Catherina Senenſis inſtinctu afflata diuino, poſt obiurgatos ſuis epiſtolis Cardinales, nouâ epiſtolâ ſub die 5. Octobris, Vrbanum excitauit ad conſtantiam aduerſus Schiſmaticos inquiens: *Accepi, dæmones humanâ carne indutos non elegiſſe Chriſtum in terris, ſed exeitaſſe Antichriſtum aduerſùm te Chriſtum in terris, quem ego profiteor, & non nego te Chriſti vicarium eſſe, qui tenes claues cellarii eccleſiæ ſanctæ, in qua ſeruatur ſanguis agni immaculati, cuius miniſter es, fremant licet & rumpantur aduerſarii.* Cœpit tunc Vrbanus benè ſperare, vndè miſſis ad Vvenceslaum Regem Bohemiæ, & Ludouicum Vngariæ legatis, vt aduerſùs Gallos Schiſmaticos tueri dignarentur eccleſiam Dei, iſti conſilio præhabito decreuerunt, tueri Vrbani cauſam, donec de ſecundâ electione per iudices diſcuteretur legitimos. Multi etiam Principes Alemaniæ munera donauere pretioſa. Eliſabeth Regina Vngariæ coronam ſeu infulam miſit cum veſtibus eccleſiaſticis, quæ viginti millibus florenorum fuere æſtimata. Eodem tempore Richardus Rex Angliæ ſororem Vvenceslai vxorem duxit, ex quorum affinitate Vrbani auctâ obedientiâ, Tuſcia, Lombardia, Alemania, Bohemia, Vngaria, Anglia, Polonia, Dacia, Suetia, Noruegia, Pruſia, Friſia ac plurimæ aliæ nationes Alemanniæ contiguæ, Vrbano eiuſquè ſucceſſoribus firmiter adhæſerunt. *Theodor. Niemius l. 1. c. 17.* Parum profuiſſent ſchiſmaticorum mendacia, ni Carolus Rex Francorum Gallos coegiſſet ad ſcelus. Primo namq. cætu, qui menſe Septembri coactus fuit, ſex Archiep. triginta Epiſcoporum, complurium cœnobiorum patrum, Theologorum, Canoniſtarum, reſponſum *Cardinalibus Romana comitia fando improbantibus, non aſſentiendum, niſi maiore conſilio, grauioreq. deliberatione.* Paulus Æmilius *in Hiſtor.* Pariſienſis Academia, donec libertate potita, partes cum tueretur Vrbani, laudes & gratias ab eodem Vrbano retulit, vt ex literis Vrbani ad doctores Sorbonicos, vt cauſam Dei fortiter tuerentur. Sed omnia ſubuerrit Caroli violentia, teſte *Vvalſing. in Ricchardo* 2.

Orbis Chriſtianus defedit Vrbanum.

Carolus Rex Galliæ aduerſatur.

Videns autem dictus Vrbanus ſe tunc ſine Cardinalibus exiſtere, dictoſquè Curiales partim de die in diem taliter aufugere, & alios titubare, cœpit dolere, & quandoquè me vidente fleuit amarè, & tunc primùm cognouit, quia minus cautè egiſſet in principio ſui regiminis, & quòd mala hæc propterea fierent, & tunc quoad remanentes Curiales in eius curiâ ſe humiliando plures eorundem ad diuerſa officia prædicta ſua curia tunc vacantia promouit, & ſe valdè gratum aduerſitate docente tunc reddidit erga ipſos, necnon ſimul & ſemel viginti ſex Cardinales vnà die creauit, exiſtimans fortè, quòd de tanto numero eorum aliqui huiuſmodi Cardinales faſtigium vtiq. acceptarent prout (nec ipſum fefellit opinio) factum fuit, et inter eoſdem Cardinales de nouo creatis aliqui fuerunt Romani, de omni ſtatu, et multi ex aliis creatis de nouo Cardinalatu huiuſmodi faſtigium acceptantes de diuerſis locis ad ipſum Vrbanum ſubitò acceſſerũt. Eorum nomina, ex Felice Contelorio fuere.

Vrbanus Curiales palpat.

Cardinales creati ab Urbano 6.

1. *Thomaſinus de Trignano ex Generali Ord. Minorum, Patriarcha Gradenſis Card. SS. Nerei, & Achillei.*
2. *Pileus de Prata Archiep. Ravenn. Card. S. Praxed.*
3. *Franc. Piſanus Card. Praneſt. S.R.E.V. Cancell.*
4. *Lucas de Gentilibus Ep. Camerinenſis, poſtea Nucerinus in Vrbe Vicarius Gregorii XI. Card. S. Sixti.*
5. *Andreas Ep. Peruſin. Card. SS. Marcell. & Petri.*
6. *F. Bonaventura de Paduà Generalis Eremitar. S. Aug. Card. S. Caeciliæ.*
7. *F. Nicolaus Miſquinus, ſeu Carraciolus ex Fratrib. Prædicatoribus, Card. S. Cyriaci in Thermis.*
8. *Philippus Caraffa archid. Bonon. Card. S. Martini in montibus.*
9. *Io: Ep. Corſienſis Card. S. Sabinæ.*
10. *Philippus Ep. Tybartinus Card. S. Suſannæ.*
11. *Poncellus Vrbinus Ep. Averſanus Card. S. Clem.*
12. *Barthol. Mazzavacca Ep. Reatin. Card. S. Marcelli.*
13. *Rainulphus Ep. Siſtarieñſis, Card. S. Potentianæ.*
14. *Philippus de Alenconio ex ſtirpe regià Francorum, patriarcha Hieroſ. Ep. Sabinus, demum Oſtienſis.*
15. *Io: Archiep. Pragenſis, Card. SS. Apoſtol.*
16. *Guillel. Cardin. S. Euſeb.*
17. *Elziarius de Sabrano, Ep. Arianenſis Theatinus, Card. S. Balbinæ.*
18. *Demetrius Ep. Strigon. Card. SS. Quatuor Coron.*
19. *Galeotus Tarlatus de Petramalà, Card. S. Agathæ.*
20. *Gentilis de Sangro Cardin. S. Adriani.*
21. *Agapitus de Columnà Ep. Vlixbon.*
22. *Ludov. Diac. S. Mariæ Novæ.*
23. *Steph. Columna præpoſitus S. Audomari Morinenſis Diœceſis.*
24. *Guillel. Courteneius ab Herefordià Ep. Londinenſis.*

Addit Contelorius alios quinque nominatos Cardinales ab Vrbano, nempe *Io: Ep. Vercellenſem*, de quo incertum, an admiſerit Cardinalatum? *Stephanum Sanſeverinatem*, qui honore reiecto uxorem duxit. *Leonardum è Giffono*, *Guterum Gomeſium Ep. Palentinum, ac Petrum è Barerià Ep. Aeduenſem*, qui ab Antipapà inſignia accipere maluerunt.

Antipapam excommunicat. Cardinalibus creatis Vrbanus Antipapam cum præcipuis ſequacibus, nimirum *Io: Ambianenſem*, Geraldum Majoris Monaſterii, ac Petrum S. Euſtachii, in judicium vocatos 8. Idib. Novemb. gradu dimovit Cardinalitio. In Patriarcham Conſtantinopol. qui blaſphemas conjuratorum literas in cætu malignantium vulgaverat, ac nonnullos Epiſcopos, tum Fundorum, & Caſertæ Comites Nicolaum Spinelum Oratorem Reginæ Ioannæ, Franciſcum è Vico invaſorem Viterbii, Tribunos Vaſconum, atque Britonum, anathema promulgavit, perſonas, bona proſcripſit, Indulgentiis propoſitis in gratiam eorum, qui arma ſumerent in Schiſmaticos. In reliquos Cardinales Schiſmaticos ſeveritatem Vrbanus diſtulit, ut ſpe veniæ ad officium revocaret. Injuriam acceptam ab Vrſino, Florentino, & Mediolanenſi Cardinalibus, qui ſpe antipapatus decepti, Fundanæ Synagogæ interfuerant, diſſimulavit, ne in deſperationem adduceret.

Pſeudo Cardinales creati ab Antipapà. Ex adverſo Robertus Antipapa, ut ſuos augeret ſequaces, pſeudoCardinales creavit ſequentes, die 17. Decemb. 1378. quæ fuit Feria 6. quatuor Temporum.

Iacobum de Itro Campanũ Patriarchã Conſtantinop.

Petrum Amelii Arvernigenam Monachum S. Benedicti, tunc Archiep. Ebredunenſem.

Nicolaum de Brancatiis Neapolit. tunc Archiepiſc. Caſentinum.

Petrum de Barrerià Ruthenenſem, Ep. Renenſem.

Fratrem Nicolaum de S. Saturnino Arvernigenam Ordinis Prædicatorum, tunc Lectorem Sacræ paginæ in palatio, &c.

Leonardum è Giffono. Tom. 3. de ſchiſ. p. 1. magnà cum lætitià Reginæ Ioannæ.

Diſciſſũ ſe triffariam ingemuit tũc Chriſtianus Orbis. Pars maxima adhærebat Vrbano: pars defecit ad Antipapam: pars neutri ſtudere profeſſa: Itali Cardinales ad Concilium inclinabant. Iacobus Vrſinus morbo oppreſſus lethali, in oppido Talliacotio, priuſquàm è vivis diſcederet, corã notario teſtatum reliquit, ſe unà cum Petro, & Simone Cardinalibus ſentire, ad abolẽdum ſchiſma, opus eſſe Æcumenicà Synodo. *To. 2. de ſchiſm. p. 22.* Interrogatus moriens ab Ep. Viterbienſi: *an eſſet error Vrbanum adorare?* reſpondit: *immò error eſſet, nõ adorare: quia ipſe eſt veriſſimus Papa. Replicãti* Epiſcopo, *quare non rediret ad ipſum?* reſpondit. *Quia via concilii videtur mihi utilis pro eo, pro me, & pro totà Chriſtianitate.* Futuro ſubſcripſerant Concilio Hiſpani, *To. 2. p. 223. de Schiſm.* Petrus regiæ Aragoniæ ſtirpis princeps, qui S. Franciſci inſtituta amplexus, hoc tempore Sanctitatis opinione florebat, Petrum Regem Aragoniæ hortabatur, in Vrbani veneratione perſiſtere. Reginam Ioannam S. Catherina monebat Senenſis, ſibi ab Antipapà cavere, quòd ob eius causã exitiũ immineret mortale. Sprevit Regina Sacræ Virginis conſilia: unde bonis omnibus privata ab Vrbano, quæ Eccleſiæ Romanæ privilegio occupabat; paucos poſt dies audiit Britones, & Vaſcones (quorum gladio adhærebant Schiſmatici) Romam irrumpentes ab Alberico Barbiani comite, & Galeatio Pepulo extremà internetione ceſos, ut vix nuntius tantæ cladis ſuperfuerit. *Collenut. l. 5. S. Anton. 3. p. tit. 24. §. 15.* Victoriam cumulavit deditio arcis Hadrianæ eadem die (nempe 28. Aprilis. An. 1379.) facta. Galli namquè qui per annum Romanorum impetus ſtrenuè eluſerant, ſocios captos cum audiſſent, arcem reddidere, quam illico Romani ex iracundia marmoribus denudarunt. *Niem. c. 20.* Vrbanus Deo acturus gratias, ſupplicationem inſtruxit ſolemnem, in qua religioſo agmine nudis pedibus incedens, in Baſilicam SS. Apoſtolorum proceſſit. *S. Anton. 3. p. tit. 23. §. 18. c. 14.* Hac victorià ſchiſma obrui facile poterat, ni Regina Ioanna trepidantem cum ſciſmaticis excepiſſet Antipapã, qui Anagnià Neapolim ſe recepit non ſine ſuo ac Reginæ diſcrimine. Nam populo in arma excitato; opus fuit citò Fundos redire unde venerat; *Collenut. l. 5. Summõt. l. 2.* Diu tamen Fundis conſiſtere non valuit: nam ab Vrbano repetito anathemate, atque ad arma excitatis Chriſti fidelibus die XV. Kal. Iunii; coactus eſt Antipapa Maſſiliam confugere, ubi quinque Cardinales, qui Avenione ſuperfuerant, eum excepere. Venere undiquè Galli adoraturi Antipapam, Gallicæ genti Pontificatum, aſſertamquè ſibi gloriam lenocinantes. *Collenut. ib.* At quanto ſuo malo hoc monſtrum alue-

Ioanna Regina Schiſma fovet.

aluerit, Gallia? Nicolaus è Clemangis deplorat, *l. de corrupto Eccleſiæ ſtatu. Poſt quàm importabili ſarcinâ peccatorum exigente, furiale malum ſchiſmatis irrepſit in eccleſiam, ut taceam de aliis de Papatu contendentibus quid Clemente noſtro quoad vixit miſerabilius, qui ita ſe ſervum Gallicis principibus adiecerat, ut eas ferret iniurias, & contumelias, quæ ipſi quotidie ab aulicis inferebantur, quas vix deceret in viliſſimum mancipium dici. Cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati, fingebat, diſſimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba. Omnibus, quos aut arte aſſentatoriâ, aut ludricâ, quos in curiis amicos ſibi fecerat, ſummoperè placere ſtudebat, eoſquè beneficiis promoveri, quo talium patrocinio dominorum gratiam, & favorem aſſequeretur. His itaque, atquè iuvenibus nitidis, & elegantibus, quorum maximè conſortio gaudebat, ſingulos fere vacantes epiſcopatus, cæteraſquè præcipuas dignitates impendebat. Denique ut principum benevolentiam facilius aſſequeretur, aſſecutam foveret, fotam conſervaret, conſervatam amplificaret, plurima ultro donaria, atque xenia illis dabat, quaſcumquè ſuper clero exactiones ſtetere voluiſſent, annuebat ultro, ſæpius etiã ingerebat; ſicque omnem clerum ſæcularium magiſtratuum diſpoſitioni ita ſubiiciebat, ut magis quilibet eorum, quàm ipſe putaretur dominus.*

Status miſerabilis Papæ.

Verùm non ſolùm Eccleſiam, ſed Regnum, & Regem ſchiſmatis cauſa convulſum videbimus infra. Ioanna Regina periculi in quod à ſchiſmaticis coniecta fuerat, terrore permota; cum etiam Iordanus Vrſinus, qui Antipapam tuendum ſusceperat, in Vrbani obſequium procubuiſſet; ut populum mitigaret, Oratores ad Vrbanum miſit *Arianum, Nolanum, de S. Severino*, & *Admiratum* Comites, ut obſequium exhiberent. Verum ab officio deſcivit fœmina levis, cum Othonem virum ſuum incolumem redire accipiens, revocatis legatis, inſtaurato bello, feliciter etiam pugnavit adverſus Pontificios. *To. 2. de Schiſ. p.* 48. Hac victoriâ elatus Antipapa cæpit Avenione pænales proceſsus in Vrbanum, eiuſquè Cardinales, & clericos exercere; undè plurimi malè habiti, aquis ſubmerſi, ignibus cremati periere. Multa etiam oppida, villæ, civitates, caſtra in Siciliâ, in patrimonio Petri, in Tuſciâ, Campania diruta ea hominum ſtrage, Eccleſiarum incendiis Monaſteriorum violatione (*Niem c. 19.*) ut Romani hoſtium metu ad rebellionem conſpirarent, ni precibus fuit Catherina Senenſis à Domino ſuppetias impetraſset. *S. Anton. 3. p. tit.* 24. *c.* 14. §. 18. Cum enim Romani armati irruiſent in palatium: portas protinùs aperiri iubens Vrbanus, ſe in ſuâ ſede collocans, Chriſti miraculum renovavit. Tumultuantis namquè turbæ primores ſevero excipiens aſpectu, *Quid vultis?* ita ſtare compellit, ut increpati, & placati recederent. *Gobelin. in Coſmod. ætat. 6. c.* 76. Tentatum etiam fuiſſe veneno, ac miraculo convaluiſse, idem narrat. Excuſsere eodem tempore iugum Pontificium Bononienſes, numiſmo percuſſo, in quo ab uno latere Leonem vexillum libertatis tenentem cum literis *Bononia docet*; ab altero imaginem S. Petronii finxerunt. Antipapa verò ut eos ab Vrbano prorsùs averteret, oratorem illicò miſit, oſtendens ſe Vrbis vicariatum eis liberè permiſſu-

Vrbani discrimen.

[illegible] a Eccleſiis.

A rum, ſi ſe Pontificem recepiſsent. Cui reſponderunt, *ſe in auctoritate Vrbani, quem primum coluiſsent velle conſiſtere, donec de vero Pontifice iudicatum fuisset.* Reſponſum adeò Vrbanus gratum habuit, ut eis comitatum Imolæ per Philippum Epiſcopum aſſignarit. *Sigonius l. 3. de Ep. Bonon.* Germania, quæ auctore Vvenceslao ſequebatur Vrbanum, latâ lege in Comitiis prohibuit Imperialibus, aliquem ſacerdotia vel beneficia ſumere dè manu Antipapæ. *To.* 20. *de Schiſm. p.* 135. Inter Reges ſolus Rex Franciæ apertè ſentiebat cum Antipapâ. Henricus Rex Caſtellę etiã blandiebatur Antipapæ; unde eodem tempore Epiſcopum Cordubenſem Vrbani legatum, ac Petrum de Lunâ miſſum ab Antipapâ accepit in Vrbe. *To. 4. de Schiſm. p.* 41. ſpretis monitis patrui ſui Petri de Ara-

Germania ſentit cum Vrbano.

B gonia Minoritæ, quem ut Prophetam Orbis venerabatur Catholicus, qui nepotẽ ad obſequium Vrbani ſollicitabat in nomine Domini, ſub pænâ ruinæ Regiæ Domus. *Surita indic. lib. 3. & Annal. l. 10. c.* 23. Similia prædixit Carolo Francorum Regi nepoti ſuo. *To. 1. de Schiſm. p.* 144. Omnia porrò ſprevit Gallus, nequè ad ſynodum Æcumenicam controverſiam referri ſuſtinuit, quòd Gallici regni majeſtatem putaret, Gallum ſedere Pontificem: ſub pænâ capitis obedientiâ Vrbano interdictâ. *Vualſing. in Ricchard. II.* Res tamen cum Vrbano inclinare videretur, *cæpit iterum ad alta cor erigere*; unde Ludovicum Regem Vngariæ per legatos ſollicitavit, avitum repetere regnum, quod Ioanna uſurpabat Regina Siciliæ. Preces adiecit S. Catherina Senenſis, ut à Venetis in quos arma gerebat, in Schiſmaticos ſe converteret. Aſſenſit Vngarus piis Ca-

Galli Caſtellani cũ Antipapâ.

C therinæ votis, Carolo deſtinato Dyrrachino Principe, quem Romam venientem benignè excipiens Vrbanus coronavit eo pacto, & legibus, quæ leguntur *In To. 1. ep. Vrbani 6. p.* 168. carnis tamen affectu pollutæ. Noluit enim eũ coronare niſi prius *Franciſco Pragnano* cognomento *Butyllo* nepoti ſuo viro inutili, & effæminato Capuanum & Amalfitanum Ducatum cum pluribus comitatibus, in eodem regno Siciliæ concederet. *Niem c.* 21. Et quia Carolo pecunia deerat, ſine quâ contra Ioannam nil proficere poterat: non ſolum proprietates Vrbanus, & iura vendidit Eccleſiarum pretio 80. millium florenorum, ſed etiam *aureos, & argenteos calices, cruces, & alia pretioſa corali a eorumdem eccleſiarum, & monaſteriorum in magno numero, & valore diſ-*

Vrbanus maximè omniũ diligit nepotes.

D *trahendo, & alienando, nec non multas imagines Sanctorum etiam argenteas tunc conflando, in monetam reduci fecit, & pecunias, quæ exinde pervenerunt, ipſi Regi Carolo pro ſolvendis ſtipendiis ſuo exercitui aſſignando, c.* 22. *Niem.* Ioanna dolore furens, XXII. Martii, Neapolitanos proceres excivit, effuſis lacrymis belli ſubſidia popoſcens. Vir ejus Otho, Caroli adventum præſentiens, die 14. Maji, ſignis ad regni limitem promotis, dum in agrum Romanum irrumpere fingit: 28. Iunii à S. Germani oppido propulſatur à Carolo. Nolam iſte protinùs ſe accepit, ubi die XI, Iulii cum Neapolitanis inito fœdere, die XVI. Iulii Vrbem duxit, ubi à populo refractis portis, more exceptus triumphantis, Reginam in arcem munitiſſimam (cui *ovi* nomen) receptam obſidione cinxit. Adfuit protinùs Otho cum valido

exer-

exercitu ad portas Vrbis; ſed Carolus qui fraude magis, quàm vi in urbem ingreſſus fuerat, fraudato Ioannæ ſigillo mandavit Othoni, ut ad eam ipſe eum ſex militibus ad dictam arcem noctu accederet, ne caſtrū tradere teneretur. Credidit dux incautus, & nocte ingruente cū Marchione Montisferati, Balthaſare Duce Brunſuicēſi fratre ſuo, & tribus ſociis venit, ſed in inſidias, ubi cæſo Marchione Montisferati cum tribus ſociis, Otho cum Balthaſare fratre ſuo captivus, & ad Carolum ductus, cum ab eo interrogaretur, *Cur regnū auderet uſurpare Siciliæ?* reſpondit: *Nil ſibi conſtare de regno Caroli. Sed regnum domina ſua Ioanna, prout tenebatur, viriliter defendiſſe*. Nec ei caput, nec genuflexit, magnâ Caroli admiratione, qui eum carceri, ut Balthaſarem exoculari mandavit Neapoli in publico foro, ubi olim innocens juvenis Rex Conradinus, & hæres dictorum regnorum cum Duce Sveviæ mandante Carolo I. Rege Siciliæ, fuerat decollatus. *Niem. c.* 23. Ipſa Ioanna viri cognitâ captivitate, Carolo ſe dedidit, quæ in Aprucium miſſa ſub cuſtodiâ, ut citiùs caderet, Ludovicus Andegavenſis frater Caroli Francorum Regis in cauſa fuit; quia ab eâ adoptatus in filium, & regni ſucceſſorē, Anno 1381. armatus deſcedens in Apruciū, Vngarum excitavit necē inferre Ioannæ, ut ſic ſpem omnem elideret. Laqueo, vel ferro vitam finierit femina nobilis ſed impudica? incertum. Ejus corpus ſeptem dierum flexu ſpectandum populo exhibitum in templo S. Claræ, ne quis illius deſiderio arma moveret. *Summontius l.* 4. *Niem. c.* 25. *l.* 1. Tanta victoria multum dignitatis addidit Vrbani cauſæ, ut ipſi divinum Numen ſtare ab eo, oppugnare, damnareque conſilia Clementis videretur. *Paul. Emil. in Car.* 6. Triumphi ac ſævitię ſocius *Cardinalis è Sangro* legatus ſedis Apoſtolicæ, Siciliæ Archiepiſcopos Epiſcopos, Abbates, presbyteros, clericos, qui vel inviti dictæ adhæſerant reginæ, ut proventibus ſuis in regno gaudere poſſent, crudeliter afflixit, torturâ, equleo, ſpolio, nullâ differentiâ ſexus, ætatis, ſacerdotii, virtutis. Vnâ die creavit Vrbanus XXXII. Archiep. & Epiſcopos natione omnes Neapolitanos, qui partes foverant victoris. Miſer ſanè, & iners clericus erat Neapolitanus, ſi eâ vice non fieret prælatus. *Niem. c.* 26. Die 6. Decembris Ann. 1381. Cardinales creavit *Marinum è Iudice Amalphitanum*, *Randulphū Neapol. Perinum Thomacellum Neapol. Thomam Vrſinum de Manupello Romanum*. Cardinalis Sangrus legatus Apoſtolicus vinculis tradito *Giſonio* pſeudo-Cardinali, ejuſque purpurâ, & pileo ſubjectâ face, diei 8. Septembris incenſis, Reginam Margaretam, die S. Catherinæ ſacro, regiâ redimivit coronâ. Tantos triumphos confundere cæpit Vrbani cupiditas provehendi nepotem. Capuani Principatus poſſeſſionem iuxta pacta exigenti Pregnano, ſpretâ Carolus fide juramenti, excuſare cæpit injuriâ jusjurandum extortum, ac in publicum regni damnum, ſi pravo exemplo regnum inter Pontificis nepotes divideretur. Crevit etiam aliorum bellorū ſeges, quæ ſtudiis adolevit Antipapæ. Nam exauctoratâ Reginâ, cum ſe in diſcrimen adducta expaveſceret, Ludovicum Andegavenſem, fratrem Regis Francorum, in filium ac regni adoptaverat ſucceſſorem, adoptionem confirmante Clemente

Cædes Reginæ Ioannę.

A pſeudoPontifice. Hinc Ioannâ defunctâ; populanti Ludovico Provinciæ, Folquarquerii, & Pedemontis comitatus paruere, luctuoſiſſimo quidem rerum ſtatu, cum alii à vero Chriſti vicario ad Antipapam deficerent; alii diſcuſſo errore ad eccleſiæ Romanæ ſinum tranſvolarent. Carolus Rex Gallorum ultrices Numinis iras experiri coactus, Anglis totam ferè Galliam incurſantibus nec occurrere auſit. *Tantus terror Francos invaſit, ut in ampliſſimo regno, in quo mille ſemper viri ſingulis ex Anglicano exercitu opponi potuerant, citius eligerent more fæminarum latebras ſe occultando quærere, quàm glomeratim Anglicanis manipulis obviare. Tua ſunt hæc opera Chriſte, tua miracula Ieſu bone, cui poteſtas eſt diiudicare, ſeu vincere in paucis, æquè ac in multis.* B Vvalſing. *Hiſt. Angl. in Ricchar. II.* Timens Carolus, ne Galli in Regem ob ſchiſma omnibus exoſū inſurgerent, ducibus ſuis prohibuerat, ne aleam ſubirent. *Guaguin.* Iram tamen non effugit ſupernam, à quâ ob diſciſſam eccleſiam percuſſus exarcuit. Profeſſus eſt moriens publicis tabulis, ſe ei velle adhærere Pontifici, quem colendum ſynodus decerneret Æcumenica. *To.* 5. *de Schiſm. p.* 152. Extincto Carolo V. ſub novis Caroli 6. auſpiciis, facile Galli innatâ pietate ad verum Pontificem erant reddituri; niſi Ludovicus Andium Comes, Regis patruus, qui Antipapæ beneficio ad regnum aſpirabat Neapolitanum, Gallos in Schiſmate confirmaſſet. Ejuſdem Andium Comitis verſutiâ Ioannes Caſtellæ Rex ad Antipapam declinaverat. *Sed mirum* (teſte Vvadingo Anno 1381.) *tunc accidit Salmanticæ poſt decretam in Principum, ac Prælatorum conſeſſu Clementis obſequium, & ſequelam, ſtatuit Rex magno procerum comitatu ſolemni pompâ iurare, in partes Clementis ſe, ſuaque regna fidem, & obedientiam illi præſtitura, atque hoc facere in templo capaciſſimo Franciſcanorum. Indoluerant illi valde id apud ſe fieri, quod impedire non poterant, & omnium iuramēto promitti, quod nulli licebat: noviſque precibus Deum rogarant, ut malum hoc averteret, & maculam iſtam à ſuo templo procul faceret. Exaudivit Deus preces ſervorum ſuorum: eâ etenim horâ, quâ paratis omnibus expectante præ foribus ordinum comitatu Rex palatium egredi voluit; Cælum ſerenum, & clarum quaſi ſpectaculum hoc horrere videretur, denſas repentè interpoſuit nubes, cæperuntque mugire tonitrua, coruſcare fulgura, copioſi imbres ita omnia miſcere, ut concitato curſu, confuſoque ordine omnes ad proxima fugerint latibula, & Regem* D *domi ſe oportuerit continere. Sparſum itaque in vulgus, id fratrum precibus tribuendum, eorumque inſtitutorem voluiſſe iniquitatem hanc à ſuâ domo repellere; Rex loco pepercit, neque hoc ſcelere tentavit ampliùs contaminare. Refert hoc Bartholomæus Piſanus illius temporis ſcriptor.* Ante Io: Regis decretum, conſuluerat Regina mater Ioanna per legatos Fratrem Rodericium Robicium Minoritam, qui magnâ Sanctitatis opinione ac ſpiritu prophetiæ clarus florebat, *quem ex duobus de Pontificatu contendentibus ſequi deberent Io: filius, & hæreditaria regna?* Ille antequàm quidquā nuntii proloquerētur, ſpiritu excitus divino, inquit: *Novi, à quâ, & ad quod miſſi eſtis. Sciatis optimam, quæ vos legavit principem, poſt veſtrum diſceſſum obiiſſe, Ioānem Regem iniquo aliorum conſilio, Clemētis partes ſecuturum, non longè tamen abeſſe tanti piaculi vindictā.*

Galli victi ab Anglis.

Carolus Rex Galliæ moritur in Schiſmate.

Cœlum portentis Schiſma execratur.

Ca-

Carolus Gallorũ Rex *huius ſchiſmatis fautor, & inceſſor Ioannis conſiliarius, & perſuaſor nuper defunctas, ſeverum ſubiit iudicium. Regreſſi nuncii compererant veriſſima eſſe, quæ de Ioanna obitu: & de Regis in Clementem propenſione prædixerat. M. Olyſip. 2. p. l. 9. c. 35.*

Petrus de Luna cõſpirat cũ Antipapa.

Caſtellâ in Luſitaniam irrepſit Petrus de Lunâ, ubi apud S. Irenem coacto Præſulum ac Doctorum cætu, orationem habuit in laudem Antipapæ, ſed fruſtrà: Nam turpiter abire coactus; in Vrbani Luſitania remanſit obſequio. P. 112. *To. 6. de Schiſm.* Gemino pugnabant gladio, ſpirituali, & materiali. Eo nanquè tempore, quo Luſitaniam in errorem inducere ſatagebat Lunenſis; Ludovicus Andegavenſis ſexaginta ſtipatus millibus armatorum in Italiam irruperat: in quem excitatâ Vrbanus religioſâ militiâ, infamiâ notavit, ejuſquè corpus ac bona ſervituti ſubiecit. Submiſſus etiam in ſuppetias Carolo Acutus Anglus cum expeditiſſimis Anglorum copiis, quorum arte eluſi Galli fame, epidemiâ omnes cum ipſo Duce excommunicato perierunt. *Pignatel. in diar. Neapol.* Eandem aleam ſortitus eſt Io: Rex Caſtellæ ſchiſmatis ſocius, excitatis in eum Io: Luſitaniæ Principe, ac Leiceſtriç Duce, quos Vrbanus in Caſtellanum coniunxerat, ut is Caſtellam; ille Luſitaniam occuparet, quæ mortuo rege Ferdinando ſine prole ad Io: Caſtellæ Regẽ iure accedebat hæreditario. Nam Io: bis fuſus, amiſſâ Luſitaniâ, tandem ab equo præferoci in terrã alliſus miſerè periit. Fuere tamen etiã Vrbano diſcrimina ſua. Timens enim Anno 83. ſupra 1300. ne in Aprutio Galli Vngarorũ deſidiâ prę valerent: Caroloquè iratus, quod Capuanum, & Amalphitanum Ducatũ Franciſco negaſſet nepoti ſuo, Neapolim venire diſpoſuit, diſſuadentibus Cardinalibus. Prope Averſam obvium habuit Carolum Regem, qui eum magnâ pompâ Averſã deduxit. Invitatus caſtrũ ingredi (quod olim Fridericus II. extruxerat) detrectabat, timens quod fortè accidit, & evitare non potuit. *Theodor. Niem. l. 1. c. 31.* Rem fuſiùs narrat Gobelinus in Coſmodron. *Ætat. 6. c. 77.* Vigilia omnium Sanctorum, An. Sal. 1383. noctis ſequentis diffuſâ caligine Rex damnoſo cõſilio circumventus, ad curiam in quâ Papa reſidebat, viros direxit armatos; qui cum Papam ad Regẽ venire poſtularent: eis Vrbanus reſpondit, *horam illam ſimilem eſſe ei, quâ Ieſum comprehenderunt Iudæi.* Illi autem violenter manus extendentes, & Papam quaſi latrooem circumducenres, fuerunt ab eodem liberâ voce in itinere excommunicati, & à Deo ſequenti anno puniti. Nam manus, & latus ei, qui primus manus extendit ſacrilegas, eodem anno exaruerunt. Quinque diebus officii ſpetie ibidem incluſus ſtetit Vrbanus: inde Neapolim honorificè deductus, ante portam Capuanam obvium habuit Carolum Regem, qui pompâ redimitus regali, ſolio deſcendens ad genua provolutus Pontificis, ſacros oſculatus eſt pedes. Ponrifex vero regiæ fronti oſculum dedit. Carolus deniquè, ut regio cultu nitebat, ſtratoris munere fũgẽs, ad ædes duxit Epiſcopales, in quibus cũ Vrbanus voluiſſet cõſiſtere, officii ſpetie iterũ in arcem liberæ cuſtodiæ traditus, ne liberè adiri poſſet à civibus, & cum Neapolitanis miſcere colloquia. His tandem legibus per Cardinales inita concordia; ut *Butyllo* Vrbani

Vrbani pax cũ Carolo Rege.

nepoti Capuanus darentur, & Amalphitanus ducatus cum caſtro Nuceriæ, & Scaphati; ſtipendium quinque millium aureorum bello vigente. Vrbanus verò regni negotiis non ampliùs ſe immiſceret. *Niem. c. 32.* Vigeſimâ ſextâ Octobris libertati reſtitutus Vrbanus, in ædes ſe recepit Epiſcopales, ubi alteram ex neptibus Monderiſii Comiti, alteram Celani Comiti, nuptui tradidit. *Pignatellus in Diar. Neapol.*

Cauſã procurat familiæ.

5. *Neces Cardinaliũ.* Copiis diſſipatis Gallorũ, Neapoli Vrbanus agebãt, & Carolus, quorũ concordiã turbavit Butyllus Vrbani nepos, *Nobilẽ quandã monialem profeſſam, & incluſam monaſterio S. Salvatoris in plateâ Nidi, ordinis S. Claræ, ubi dictus Butyllus morabatur, cum violenter raptam ſtupraſſet, ac per dies in hoſpitio detinuiſſet, ab Vrbano verò minimè argueretur, ſed excuſaretur, quia iuvenis eſſet, licet annum peregiſſet quadrageſimum; & de hoc rumor magnus eſſet in populo, dicente ſe nunquàm audiviſſe, quod aliquis* tantam auſus eſſet Neapoli perpetrare contumeliam, a Rege Capitali ſententiâ *damnatus fugit in eccleſiam. Papa verò hoc audiens, dicebat ſe eſſe ſupremum Dominum regni Siciliæ, undè regem ipſum non poſſe aliquem de magnatibus eo præſente in ipſo regno pœnâ capitali damnare, necnon portas ſui palatii firmans, & declamans dictam ſententiam fore nullam, die noctuquè cum multis armigeris palatium eius fecerat cuſtodiri.* Rex autem ad evitandum ſcandalum, Pontifici iterum reconciliatus virginem nobilem, & ſibi affinem, magni Iuſtitiarii regni filiam eidem Butyllo dedit in uxorem, cum ſtipendio militari ſeptuaginta millium florenorum annuatim perſolvendo, quouſquè Andegavenſis regnum vexaret, & hoc vice Ducatus quem Butyllo Rex tradere pactus erat. Dedit etiam nobile Luceriæ caſtrum, Neapoli verſùs Salernum viginti quatuor milliaribus diſtans, cum Burgo, & cæteris adiacentibus. Huc ſe recepit ad hybernandum Vrbaous magno Cardinalium incomodo, qui in ſuburbiis degentes, incurſionibus hoſtium, atquè incolarum expoſiti, cibaria non invenientes quibus familiã alerent, Neapolim aufugerunt menſe Auguſti, An. 1384. quos tamẽ operâ Theodorici Niemii Põtifex revocavit, Reatino excepto, qui novarũ rerũ auctor redire detrectans (*Niem. l. 1. c. 37.*) Neapoli ſubſiſtit cum Reginâ Margaretâ, conſilia miſcens adverſùs Pontificem. Hinc à Carolo invitatus Vrbanus redire Neapolim reſpondit: *conſueviſſe Reges accedere pedibus Pontificum, non à Pontificibus adiri Reges; Pontificiam ſi colere vellet amicitiam, populum vectigalibus liberaret.* Excanduit ad hæc verba Rex ſuperbus, reſponditq; *ſe nova etiam vectigalia populo imponere poſſe; regnum armis peperiſſe; Muneris non eſſe Pontificii tractare gubernacula regni, ſed ſacerdotibus imperare. Pignatellus.* Propterea conſulenti Vrbano, Vtrum ibi eſſet hiemandum? reſponderunt Cardinales, aliò migrandum eſſe, ni pacem cum Rege componeret: nil tamen profecerunt. Hinc Cardinalis Reatinus Neapoli, cum aliquibus Cardinalibus, qui erant Luceriæ, & Bartolino de Placentiâ, procuratore in Curiâ Romanâ audace, & ingenioſo, qui lucri gratiâ lites defendebat iniquas, cœpit aliquas quæſtiunculas pertractare; an Pontifici inutili, negligenti, & cervicoſo,

Libido Butylli nepotis Pontificis.

Nova diſſidia Vrbani cum Carolo.

Inſidiæ in Vrbanum.

cuius culpâ tota periclitabatur Eccleſia;vel effreni, A quòd abſquè Cardinalium conſilio omnia peragerer, liceret Cardinalibus curatores ſubſtituere, quorum conſiliis ſingula Eccleſię negotia agere teneretur? Arcana hæc pluribus patefacta Theologis, & Canoniſtis;ad aures tandẽ pervenerũt Vrbani, Cardinali Manupello Vrſino revelante: indè Papa furore ſuccenſus, comprehendi mandavit ſex Cardinalium magis literatos, eorumquè bonis Fiſco applicatis, in quadam ciſternà ſtrictiùs alligatos includi fecit. Dum autem inſtruerentur proceſſus, & examinarentur ſuſpecti: alios nominavit Cardinales, quorum fide niteretur, & auctoritate; Ex Germaniâ viros vocavit ſpectatiſſimos in partem oneris, & honoris. Die ſequenti poſt Epiphaniam, in præfato caſtro, in publico cõſiſtorio pronuntiationem exorſus,: *Lætare Germania* nominavit B *Archiep. Colon. Maguntinum, Trevirenſem, Leodienſem, Vratiſlavienſem, ac Petrum Roſenberghium, qui unanimiter poſt longam deliberationem ambitione ſemotà, Cardinalatus honorem ſuſcipere noluerunt: licet idem Papa Archiep. & Ep. præfatis eccleſiarum ſibi commiſſarum adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus quoad viverent, eis etiam non petentibus conſervaſſet. Pronuntiavit etiam plures Cardinales Neapoli oriundos (inter quos erat ille inſignis Simoniacus Monopolitanenſis) qui Regis timore honorem non audebant aſſumere; immò domi latitabant, ne à vulgo deriderentur; Domina namquè Neapolitana, quibus nota erant conditiones novorum Cardinalium, dicebant adinvicem; Videbo maritum tuum Cardinalem. Novi namquè Cardinales Neapolitani omnes dicebantur habere perſonam ſecundam panes ſe. Sic honor flammei pilei viliſſimè habebatur in eà civitate.* C *Cum Vrbanus irà ſuffuſus non reſpexiſſet, quales pro eccleſia utilitate Cardinales crearet* Niem. c. 48.

Plures electi Cardinales renunciant.

Neſciens verò, quomodò invitis hoſtibus eo poſſet liberari è caſtro, nuncios miſit ad Raymundum de Baucio virum ſtrenuum filium Comitis Nolenſis de Vrſinis, qui invito patre, adversùs Carolum Duci adhærebat Andegavenſi. Interim Petrus de Alacro Vrbani ſecretarius, Baſilius de Levanta inſignis pyrata natione Ianuenſis, Paulus de Iuvenatio Apulus notariùs ſedis Apoſtolicæ, Benedictus clariſſimus Doctor decretorum, quidam Epiſcopus ex ordine Prędicatorum conſanguineus dicti Baſilii, cum Theodorico à Niem, qui hæc poſteritati mandavit, deputati ad examinandos Cardinales D captivos, acceſſerunt primo ad Cardinalem de Sangro, qui in loco tam anguſto detentus erat, ut vix pedes extendere poſſet. Cæteri Cardinales ſeparatis incluſi triclinius catenati iacebant. Peracto examine, cum ad Vrbanum receſſiſſent, cæperunt Petrus, & Paulus ſupradicti flexis genibus ante ipſum amarè flere, Sed redarguti à Pontifice, cur ad inſtar debilium fœminarum plorarent? abierunt. Remanſit cum Vrbano ſolus Theodoricus a Niem, qui tremens, & dolens, ità prorupit. *Beatiſſime Pater cur Clementia veſtra ſe ſuoſquè charos tot periculis ſubiicit: cum nullus ſit ſecurus conſiſtendi locus? Miſeremini ſaltem veſtrum, ne in manibus hoſtium pereamus omnes. Parcite quæſo benigne Pater captivis, vel iniurias illatas, ſi quæ ſunt, ad tempus diſſimulate magis opportunum. Quis enim non aliquando peccavit? Sæpe contigit, ut hoſtis benignè dimiſſus fiat victoris fidelis amicus. Pietas, & miſericordia vigere debent in magnis. Nobilis animi eſt in bono vincere malum. Non debet eccleſia gremium claudere humiliter redeuntibus.* Sed hæc fruſtra. Quanto plura dicebat Niemius; tãto magis Vrbanus iraſcebatur; ut ardere videretur præ iracũdià. Cardinalis verò Reatinus, ac quatuor alii Cardinales Neapoli ſtãtes ſollicitè urgebãt Regem, *ut de manu Pontificis captivos liberaret: ſed cum nihil proficerent, erat enim nimis induratum cor Pharaonis: nec de facili eripitur præda de ore Leonis;* omnes ferè Curiales ab Vrbano Neapolim ſecedẽtes, inter inſidias conſcio Rege fuere expoliati, inter quos Theodoricus ipſe Niemius. Prælati, qui cum Vrbano conſpirabant, vel fame ſublati, vel mari demerſi. E contra ab Vrbano cum Cardinales caveà incluſi arcana nõ aperirent conſpirationis, torqueri iuſſi sũt. Exiit primus *Cardinalis de Sangro per ſatellites, habens compedes ferreas, tunicam talarem ſine ſuperpelliceo, & brevem mantellum duplicem; qui cum perveniſſet ad locum, ubi funes ex alto pendentes ſibi præparatos aſpexit; ac per ſatellites capite veſtibus exutus, ei femoralibus vix, & camiſia relictis, ac per carnifices ſtrictè ligari: Franciſcus haud remotè ſtans, immoderatè ridebat. Ego autẽ qui* (Is eſt Theodor. Niem. c. 51.) *qui dictum Cardinalem dilexi, incæpi tremere, ac dolere. Sed quid moror? Dictus Cardinalis ætatis maturæ, corpulentus, & longa ſtatura, ligatus ter de terra trahebatur in altum, caput viribus quaſi deficere. Quod cum viderem, et ad terram dimiſſo, ſub ſilentio dixi:* Clariſſime pater, *non videtis quod quæritur anima veſtra, propter Deum liberate vos aliquid dicentes, ut horum manus valeatis evadere.* C *Qui reſpondens, ait:* neſcio quid dicam. *Cum autem carnifices vellent eum iterum torquere, dixi.* Ceſſate, ſatis mihi dixit. *Tunc ipſe:* Videte fratres alias fui glorioſus, & magnus in hoc ſæculo, nunc miſerrimus omnium, & deſpectus, Tribulatio, & anguſtia mihi Dei judicio reſervatæ sũt; quia cum eſſẽ legatus in hoc regno pro Papà, non peperci Archiepiſcopis, Epiſcopis, ſtatui vel ætati, credens me illi in hoc placere. *Cui dictus Franciſcus.* Nolite timere: Papa namque vult vobiſcum humaniter agere; Die ſequenti Vrbanus mandavit Baſilio torqueri Cardinalem Venetum, *uſquè dum ipſe Papa audiret illius ululatum.* Lætus mandatum ſuſcepit crudelis ille pyrata; unde *Cardinalem veſtibus nudatum,* D *licet ſenem morboſum, ac debilis complexionis, manè uſquè ad horam prandii ter eum aſſiduè, ac crudeliſſime tormentavit. Ille autem quoties trahebatur in altum, verſiculum illum repetiit:* Chriſtus *pro nobis paſſus eſt, &c. Vrbanus interim in horto ambulabat inferius, officium altè legendo, ut etiam nos legentem audiremus in aulà, volens dictum Baſilium ita ſollicitum reddere, quod mandatum de diligenter torquendo Cardinalem non negligeret. Ego autem ipſas crudelitates ampliùs ſuſtinere impotens, confictio dolore capitis, vix licentiam obtinui exeundi, cum promiſſione redeundi poſt horam.* Vix autem ingreſſus eram hoſpitium; quod iterum ſupervenit idem Baſilius cum novo mandato, ut cum eo procederẽ ad inquirendum adversùs quoſdam ſcriptores literarum Apoſtolicarum, hujus criminis ſuſpectos. Fui, ſed ſigno per me dato præmoniti fugiere ſuſpecti. c. 53. *Idem.* Tanta-

Iudiciũ inſtruitur contra Cardinales.

Cardinalis de Sangro torquetur.

Torquetur Cardinalis Venetus.

ta-

tarum calamitatum auctor Butyllus, qui magnalia meditabatur, pœnam tandem ſolvit volente Deo. Sciſatum enim cum veniſset (caſtrum eſt Luceriâ tribus milliatibus diſtans) ibi protinùs circumvallatus ab exercitu Regio, poſt viginti dies coactus eſt caſtrum, ac ſeipſum Regi tradere captivum. *c.* 53. *Idem*. Luceriam inde Rex miſit validas copias duce Abbate Montis Caſtri Cancellario ſuo; ſed iſtis ægre impugnantibus; Raymundus Baucius cũ Britonibus ſuperveniens, ac Lothario Svevo Vrbanum eduxit, ac per altiſſima juga Montiũ Salernũ deduxit. Numinis arcana ſuperni. Baucius, qui partes ſequebatur Clementis Antipapæ, ad liberandum properat Chriſti vicarium. Verè Deus mutator, ac ſcrutator eſt cordium. Salernum nondum erat ingreſsus Vrbanus; cũ Galli ſchiſmatici de eo prodendo, agitarunt conſilia, captatâ occaſione, quòd Vrbanus ſtipendia non ſolveret. At Chriſtus vicarium ſuum licet crudelem, nolens in manus cadere Antipapæ, Baucium confirmavit, ut unà cũ Italis, ac Germanis fidẽ coleret. Solutis itaque undecim aureorum millibus, & viginti ſex millibus dato pignore promiſſis, dimiſsiſque Gallis nonnullis, ac Italis lubricæ fidei, Beneventum venit, donec audito Ianuenſium adventu, ad Superi maris littora ſe contulit. Pecunia cum ſibi deeſset pro expeditione, caſtra quædam Lyguri oppignoravit Saonenſis eccleſiæ: iocalia diſtribuit argentea ſpe etiam factâ Ianuenſium Duci, promovendi ejus fratrem carnalem. *c.* 53. *Idem*. Triremes interim dum præſtolaretur ſollicitus, captivos ſemper ſecum ducens Cardinales: contigit Epiſcopum Aquilonenſem equi defectu tardiùs procedere in comitatu. Suſpicatus autem Vrbanus ab eo fugam meditari, furore ſuccenſus, mactari mandavit, quod protinùs repetitis vulneribus implevere carnifices. *c.* 56. *Idem*. Auguſto menſe conſcenſis triremibus Trano ſolvens, Maſſiliam venit, à Clero, & populo magnificè cultus: Inde Cornetum, quod pro claſsico Ianuenſibus oppignoravit, Ianuam adiit 3. Septemb. in hoſpitium fratrum hoſpitalis S. Io: Hieroſolymitani, captivos ſecum ducẽs quinque Cardinales, quorum unum Adam tit. S. Cæciliæ in gratiam Ricchardi Anglorum Regis dimiſit; reliquos miſerrime ſemper detinuit (licet pro eorum libertate ſeriò rogarent Lygures de Pontifice benemeriti. *c.* 57. *Idem*.) donec Anno 1386. menſe Decembri, volens in Siciliam redire, credens nimis oneroſum captivos Cardinales ſecũ ducere ſecuri eos percuti mandavit, vel in mari eos præcipitari fecit. *Fama erat, quòd in ſtabulo equorum dicti Vrbani in quadam foſſâ repletâ calce viva eorum corpora proiecta, & in ea totaliter combuſta, & in cineres converſa fuerint. Idem Niem c.* 60. *l.* 1. *Platina. Boninſegnus l.* 4. *Hiſtor. florent. Aegidius Viterbienſis*. Tantâ territi crudelitate duo Cardinales *Pileus Ravennas*, & *De Petrà Malà*, ab Vrbano Ianuæ ſtante ad Clementem Avenione ſedentem confugerunt, in numerum recepti pſeudoCardinalium. *Sed mortuo Vrbano dictus Ravennas, qui in Vrbani contumeliam pileum Papæ in publico foro combuſſerat legationis officio fungens pro eodem Clemente in Patrimonio Petri ad Bonifacium rediit; unde vulgares eum Cardinalem de tribus capellis ironicè nominabant. c.* 61. *Idem*. Crantzius. 10. *Metropol. c.* 20. Ianua diſceſſit Vrbanus menſe Decembri duplici de cauſâ motus: Othonis Brunſuicenſis, qui cuſtodia elapſus ad Clementem Antipapam, nunc in Regnum iterum conabatur erumpere: ac Ianuenſium qui tumidi debita Pontifici minimè præſtabant obſequia: ſed potiùs occultè Vrbani hoſtibus favere videbantur; nam captivorum amici cum nocte irrupiſſent in palatium Apoſtolicum; violentiam nullo judicio notarunt. Adſuit tamen vindex è Cœlo Deus. Reſpublica, quæ magnis opibus, ac gloriâ florebat; ſtatim diſcedente Pontifice bello diviſa inteſtino, Schiſmaticorum cecidit ſub tributo. *Gobelinus*. Novas itaque turbas excitante non minus Gallorum ambitu, quàm Vrbani imprudentià neſcientis ſuo prævalere furori, Cæſo ab Vngaris Carolo Parvo, qui in Pannonias abierat ad Coronam, ob mortem Regis Ludovici; Mors eius Neapolim delata, cum de eius coronatione ludi celebrarentur; in eius locũ acclamatus eſt ſtatim filius eius Ludovicus, dictus à Francis *Lancilotus*, decennio maior. Sed *Thomas Sanſeverinus* dux partis Andegavenſis, cum Othone Brunſuicenſi, filium Ludovici Andegavenſis Regem, ſimulquè Clementem acclamarunt. Mater Ladislai cum liberis Caietan fugit. Suppetias Vrbano negante, quamquàm illa huic nepotem ſuum Butyllum remiſiſſet, irâ nondum deferveſcente, quam conceperat in Carolum Patrum. *cap.* 64. *Niem*. Loco ſtare neſciens Pontifex, qui iam Siciliam in ſuos agnatos traducere deſtinaverat, licet ætatio, & milite impar, milites conſcribere, & alere cogitabat exhibitis Indulgentiis, ut ex enciclicis Vrbani *l.* 2. *p.* 22. Meminit huius expeditionis S. Antoninus. 3. *p. tit.* 22. *c.* 2. §. 14. Sed irriti cecidere conatus. Immò audaciores facti ſchiſmatici, cernentea Vrbanum ob necem Cardinalium, pluribus inviſum Principibus, cæperunt miſsis per Provincias legatis, agere de congregando Concilio, quod ab initio ſchiſmatis tantopere exhorruerant. Florentina etiam ſollicitata Reſpublica Concilio operam dare Æcumenico, *in quo determinaretur uterè duobus eſſet verus Pontifex, & alter Apoſtaticus. Quod ſi in Concilio decideretur Clementem eſſe Apoſtolicum ipſe decernebat Vrbanum facere Cardinalem ſuum: ſi autem iudicaretur Vrbanus Papa legitimus, ſe totum ponebat in manibus eius, ut de ſe diſponeret quomodo ei placeret*. Inde officioſè agentes legati plura obtulere Florentinis, præcipuè *quòd Clemens declarabat eos vicarios in terris Eccleſia ſibi vicinis: quorum redditus nulli darentur, ſed eos Reſpublica cuſtodiret donec per Concilium diſcordia componeretur*. Reſpondere Florentini: *non ſpectare ad eos tractare de Concilio, ſed ad Reges et poteſtates maiores: quos tamẽ ſollicitare promittebãt. Circa obedientiam, nolebant recedere ab eo, quem uſquè in hanc diem crediderant Apoſtolicum. S. Anton. ib.* Vrbanus verò incautus, cum a Pontificatus exordio ſanctum exhibuiſſet Concilium, modò irâ percitus Germanis Principibus illud procurantibus reſpõdebat, *nõ expedire in dubiũ vertere, cum ipſe eſſet verus Papa*. Niem *c.* 66. Hinc captatâ occaſione furoris Vrbani, ad Antipapam defecere Rhodii, Carolus filius Caroli Mali Rex Navarræ teſte *Mariana*. Ioannes Gerundenſis Rex Aragonum, teſte *Surita l.* 10.

Butylles captivus Regis Caroli.

Vrbani crudelitas.

Sal An. 1386. Cardinales necantur.

Ianuenſes in Vrbanum conſpirant.

A Deo puniti.

Butylli luxuria.

Omnia fas erat ab Vrbano ſperare, exceptâ clementiâ. Angelum Præfectũ Vrbis, Viterbii tyrãnũ cum intercepiſſent Romani, & concidiſſent, quaſi farcimina diſponerent; tantam lætitiã Vrbanus concepit, ut Lucâ Peruſium venerit, aſſertutus ſibi illius urbis dominium, quod tamen minimè conſequi valuit, licet à die S. Michaelis per annum ibidem fuerit nõ ſine cõtumeliã ob cauſã *Butylli* nepotis, qui more ſuo quandam nobilem D. Peruſinam adamabat. Cumq. noctu circa domum amaſiæ perſonatus incederet, fuit à fratribus illius matronæ fortiter flagellatus, tantã Vrbani indignatione, quòd Peruſio ociùs voluerit recedere, *Niem. c. 67.* Sic converſis in mutuas cædes Chriſtianorum gladiis, liberè populabantur barbari, atq. pyratæ Siciliæ littora. Græciam totam vaſtaſſent Turcæ, ni Veneti accurriſſent auxiliatores. Iuvabat Vrbanus precibus, non pretio, totus intentus comparandis auxiliis adversùs Ladislaum, & Ludovicum, quòd regnum Neapolitanũ Eccleſiæ aſſereret deuolutum. Peruſio ergo Neapolim pergens, Anglorum ſtipatus, ac Cruceſignatorum copiis, iuxta Narnium, ceſpitante mulo, in terram delapſus, & corpore debilitatus Tiburtum defertur fruſtra deprecantibus Romanis, vt Romã rediret, inde Ferentum Campaniæ, animo repetendi Siciliam, ſed militum deficiente ſtipendio, hieme ingruente, inglorius, & veluti peregrinus, Romam paucis ſibi obuiam ægredientibus volens nolens, Deo cogente reuertitur. *Gobel. Niem. l. 5. c. 69. Venit ad eum quidam Eremita, dicens ei: Velis nolis, Romam ibis, ibiq. morieris.* Vnde nocte mutato propoſito Romã ſe transferre decrevit. *In itinere apparuit ei S. Petrus eâ ſpecie, quâ exciſus de petrâ ſtat ante porticum Romanæ baſilicæ, ipſi Papæ, ac alijs quibuſdam in aere quaſi viam, qua vrbem pertendit, oſtendens. Papa præcepit eis, qui hoc ſecum viderant, ne cuiquam revelarent: Sed poſt obitum eius Ep. Tarentinus confeſſor ſuus miraculum hoc ſermonem faciens, publicè prædicavit.* Gobelinus hic aduerſantur, & Niemius; iſte paucos Vrbano obuiaſſe ſcribens, ille plures. Primus amicus, inimicus alter refertur Pontificis. Verùm cum alii non recurrant hiſtorici Vrbano contemporanei plura ex eis tranſcripſimus.

Papa inuitus Romã reuertitur.

Tẽpus Iubilæi.

Romam reuerſus ut populum recrearet Romanũ, Ann. Sal. 1389. 3. Idus Aprilis, tria ſtatuit; 1. quòd Annus Iubilei per Clementem VI. de centeſimo ad quinquageſimum annum deductus, in futurum de trigeſimo tertio in trigeſimum tertium celebraretur, eà ratione quòd vita D. N. I. C. per cuius mortẽ theſaurus cumulatur eccleſiæ, triginta trium annorum curriculo compleatur. *Gobelinus.* Conſentit *Niemius c. 68.* ſed tempore non concordant. Statuit ſecundo: ut Feſtum *Viſitationis B. M. V. craſtino octavæ S. Io: Baptiſtæ ſingulis Annis celebraretur; ut B. Virgo ſuis precibus Eccleſiæ unionem reformare, & reformatã conſervare dignaretur.* Gobelin. Tertio, quòd non obſtante interdicto eccleſiaſtico, in feſto Corporis Chriſti apertis ianuis; divina celebrentur. Quibus auctoritatem ſuam adiecit Bonifacius IX. cum Vrbanus morte præuentus literas non ediderit.

Feſtum Corporis Chriſti.

6. *Venenum* &c. Romæ agente Vrbano, Pileus Card. Ravennas ſchiſmaticus in Italiam miſſus ab Antipapâ cum Vaſconũ copiis ut ſollicitaret Etruſcos, nil proficiens, in Patriarchã irrepſit Aquileienſem, ut turbas augeret. Hunc cum intercipere moliretur Vrbanus, morbo oppreſſus repentino obiit nullo recepto Eccleſiæ Sacramento, ut tradit Onuphrius; ex Niemio autem poſt dies 39. quibus decubuit, deceſſit non ſine ſuſpicione veneni, *Niem. c. 69. l. 1.* à quo ſibi cauere monuerat S. Catherina Seneſis; *quam corpus eius poſt obitum tumuit.* S. Anton. 3. *p. tit. 22. c. 22.* Eius mortem paucis flentibus, ut hominis inexorabilis, teſte *Ciaconio.* Ac *in tantâ Neapolitanorum Cardinalium turbâ, qui potuerit lachrymas dare, vix unus inventus,* Ægid. Viterb. Sepultus eſt in Petri baſilicâ. *Et ne illaudata interiret raſtica inurbanitas, Epitaphio commendatus eſt ineptiſſimo, quod in ſepulchro etiam nunc viſitur.* Idem Viterb.

Vrbani 6. obitus.

Hic animo magnus, ſapiens, iuſtuſq. Monarcha
Partenopæus adeſt Vrbanus ſextus in arcâ;
Fervebat fidei latebras conferre magiſtris.
O Decus; his fretus ſemper poſt prandia ſiſtris
Schiſmatibus magnis animo maiore regebat.
Omne ſimoniacum tanto ſub patre tremebat.
Quid ſinat hunc terris mortalis tollere laude?
Pro meritis Cæli ſplendet ſibi gloria valde.

Sepulchrum, quod olim in Baſilicâ cum aliis plurimis viſebatur, ſed nunc iacet everſum, ſupra habes pag. 329.

Neapoli in ſacello Funicellæ Familiæ ſequens etiam extat Vrbani memoria.

Vrbanus Papa *VI. Ex Familiâ Prignanâ* Neapoli *natus*
Sed à Piſis oriundus anteà erat. Barij Archiep.
Is mortuo Gregorio Papa XI. *à Cardinalibus*
IV. id. Aprilis in Conclavi conſentientibus
Pont. Opt. Max. fuit renunciatus, ac 14. Kal. *Maii*
Papatus inſigne aſſequutus fuit.
Sedit magno tumulta Annos 9. Menſes *6. die 7.*
Obiit Romæ A. 1389. Id. Oct. iacet in Baſilicâ S. Petri.

7. *Mare &c.* Vrbano extincto, *Butyllus* eius nepos exoſus omnibus, Romà ad *Raymundum de Baucio* declinauit, cuius in curiâ ſex Annos moratus, cum quadam die nobilium ſpectaret choream, poſt horam cubiculum ingreſſus, vbi cubare ſolebat, *plura ſibi vulnera cultello inflixit, quorum occaſione cum Baucius nollet ampliùs in curiâ ſuſtinere; Venetias navigavit cum matre, uxore, filio, filiâ atq. octodecim miniſtris. Sed mare ſæviente propè* Brundaſium, *omnes aquarum fluctibus periere. Sic tota poſteritas Vrbani VI. finita eſt, marinis fluctibus divino iudicio vindictam repetente.* Niem c. 35. l. 2.

Butylli naufragium.

8. *Diabolus.* Memorabile eſt quod in teſtimonium Vrbani Pontificatus apud Leodium in Gallia Belgicà, Anno 1380. accidiſſe ſcribit Io. Chapeavillus *de Geſtis Pont. Leod.* Parochus cum in miſſà ſacram Hoſtiam elevaret: cœpit præter morem æditiuus vultum ab hoſtià cum fremitu auertere. Hinc Parochus in ſuſpicionem adductus, ſacro peracto, cæpit illum exorcizare, Cui dæmon coniurationibus preſſus, inter alia reſpondit; *Vt non Clementem, ſed Vrbanum legitimum Pontificem eſſe profiteretur. Nam & ego* (inquit) *cum aliis auctor fui, ut Cardinales alterum, qui modò ſe Clementem nominant, eligerent.* Refert Krantzius *l. 10. Metropol. c. 13.* obiectà cœleſti ſpecie pio monacho dictum fuiſſe, *Vrbanus eſt verus Papa, & ſponſus eccleſiæ, ſed in regimine tenebit modum ſinè modo.*

BONIFACIVS NONVS
PONTIFEX ROMANVS CCIII.



IRis, quam Deus in pignus reconciliationis cum Humano genere expandit in nubibus, Bonifacio apponitur, in teſtimonium pacis,& indulgentiæ Populo datæ Romano.

Elegitur Sal. An. 1389. die 4. Non. Novemb. Moritur An. Sal. 1404. die Mercurii. Kal. Octobris horà 21. Cum ſediſſet An. 14. Menſ. 11. Vacat ſedes uſquè ad XVI. diem Kal. Novemb.

ELOGIVM.

Sæpè magnarũ rerũ argumenta sũt nomina. A
Anni Sal.Bo. 1389.1 *Petrinus* [1] *Thomacellus Neapolitanus*
Adeſt nomine Bonifacii IX.
Ab ineunte ætate cum cæpiſſet benèfacere
Anno ætatis XXX. Pontifex dicitur,
Expertus iuvenis ſine [a] libidine.
Exempla exhibens in exemplar;
Homines qui deformaverãt ſeipſos,reformavit
Ne dicerent (quem ſequerentur) deeſſe.
Virtus,quæ profuga errabat in Orbe,
Cum invenit æqualem ſibi, ſtetit in Urbe;
Ut in eà oſtenderet, quid tota poſſet.

Cum anteà in hominibus diviſa iacèret. Anni Sal.Bo.
Diſcordes Patres in electione Pontificis, 1389 1
Audito *Petrini* nomine;
Dixere Petrum nemine diſcrepante.
Erubuit aliquis diſſentire à bono, & vero;
Primum facinus in Uvenceslaum Pigrum, 1390
Monſtrũ Cæſarũ, matris ac patriæ parricidã.
Amiſsà in gynecęo Ambubaiarũ adoleſcentià
Tutorem, Venerem, Bacchum aſcivit in aulã.
Ne Perfido regi conſiliarii deeſſent peiores.
Coniugẽ ſuſpicatus nõ ſibi diſſimilẽ, *Impudicã*:
A ſacerdote Exomologeſis arcana quæſivit.

Et

Ann. Sal. Bo. 1390. l.

Et quia mutum piſcem invenit,
Aquis ſuffocavit.
Humano ſemel delibato ſanguine,
Leonis more inſaniit, cùm non habuit. (vic
InSuperos ut ſe armaret iratos,dęmones excãta
Cũ quibus Pagano ſequeſtre fœdus percuſſit,
Se mutuò juvandi.
At portæ inferi prævalere nõ potuerũt in Eccleſiã.
Nam Clavibus Bonifacii Clavo privatus,
Se in tabernam recepit meritoriam,
Ubi ebrius Erebo vitam regeſſit.
Uvenceslao ſuccesſit Iodocus [3] Barbatus
Aries Arunco.
Nam præter barbam nil habuit humanum,
Imperium ſerò receptum citò perdidit
Cũ malorũ dierũ ſenex tolerari haud poſſet;
1400. l. Ad Rupertum [4] Parvum Aquila evolavit.
Placuit Bonifacio in parvo corpore magna virtus.
Quæ ſedendo tres tyrannos confecit,
Venerem, Cererem, Bacchum.
Gallus ſupererat, qui Avenione *Clemẽtiæ* ſpetie
Petrum lacerabat.
Famelicum ut ſaturaret Bonifacius canem,
Totum ferè obtulit panem Eccleſiæ:
Nomine tantùm abſtineret ille Pontificis.
Alieno cæteri cum trepidarent exitio;
Solus Antipapa ſui non inhorruit.
[6] Parthenopẽ immiſso iterũ Andegavẽſi Duce:
Ubi Galli ſperabãt thalamũ, invenère tumulũ.
Plures defecerunt ad Antipapam [5],
Sed non immunes nec impunes.
Septem [7] Reges Inferno demerſit,
Ut citiùs ruerent, ferro ſuſtulit:
Vitã claudẽtes in ſuis, nõ in vulneribus Chriſti.

Ann. Sal. Bo. 1390. l.

Terna [8] poſt luſtra patuit Clemens inclemẽs;
Ex Galli cantu Iudas eſſe non Petrus.
Huius avis errores eſt clecitare Diſcipuli.
Fune ille, viſcera iſte furore diſrupit.
Clemẽ. Antipa. Omniũ moriens recordatus excepto Chriſto,
Romam [14] tunc civilibus feſſam diſcordiis
Bonifacius ſub imperium accepit.
Propugnator cum veniſſet non expugnator,
Romanorũ omnium Pontificum primus fuit,
Qui liberè dominaretur in Urbe.
Non donis vel otio, ſed religione, & iuſtitiã
Tantum enim quantum vult, poteſt.
Qui ſe niſi quod debet, non putat poſse.
Sęculo reſtituto (in quo potentior, qui melior)
Imperium detulere Romani,
Ex obedientià libertatem ſperantes maiorem.
Sacrum regimen nec Provinciæ abnuerunt.
Invalido inter eas legum auxilio,
Quę vi, ambitu, poſtremo pecuniã turbabãtur.
Aperuit tunc Bonifacius ianuas [11] Cœlorum:
Vt iuſti intrarent in eas.
Anno recurrente ſæculari;
Ne Romæ deeſſet, quod daret.
Indulſit Cœlum ærarium ſuum:
Unde ſuffurari poſsent etiã ſanguinẽ Chriſti.
Affines [12] dilexiſſe ſuos, ſed nullo Eccleſię dãno
Teſtãtur montes, pontes, [13] nemora, marmora.
Objiſſe ſine majeſtate Pontificis
Ira accuſat in Pſeudopapam, zelus excuſat.
Etiam Petrus excanduit contrà Simonem.
Supervivere cũ [10] cautè poſſet; ſed nõ caſtè, noluit
Malens pudicè mori, quàm fœdari. 1404.
Hac unà virtute purgavit vitia præterita.

ADNOTATIONES IN BONIFACIO IX. PONT. ROM. CCIII.

Bonifacii IX. natalia.

1. PEtrinus ſeu *Perinus* ex patre ... *Thomacello*, matre *Gratimolà Philimarinà* (patet ex epiſtolà ejuſdem Bonifacii ſcriptà cum ſequenti ſalutatione. *Dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Gratimolæ Philimarinæ Domicellæ* Neapolitanæ, *genetrici noſtræ ſalutẽ*, &c. apud *Andream Victorellũ in Bonif. 9.*) natione *Italus*, patrià *Neapolitanus ex Nidi curià*, genere *Cybo* nobilis ac illuſtris familiæ clarus, ſi non fortunæ bonis. Caſſinenſis Congregatio ſimulacrum cum ei erexiſſet marmoreum ſedens, ac librum manu tenens, in quo ea verba. *Bonifacius* IX. *Stirpe Thomacellus genere Cybo*; temporum injurià collapſum Lucretia Thomacella Columna reſtituit An. 1629. in eadem eccleſià S. Pauli, ubi prius erat erectum.

Bonifacio IX. *Thomacello*
P. O. M.
Grati animi monumentum à Caſſinenſi Congreg.
Olim erectum mox temporum iniurià collapſum
Lucretia Thomacella Columna Palliani Dux
Gentili ſuo reſtituit.

Vir fuit magnę ac procerę ſtaturæ, decorus facie, ſcribendi atquę canendi non imperitus, in Grãmaticis Offic. diſertus, Romam cùm veniſſet regnante Vrbano VI. ab eo Acolythus, & Prothonotarius primùm Apoſtolicus, deinde Cardinalis Diaconus S. Georgii in Velabro, poſtremo presbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ creatus; Vrbano mortuo, Romæ in Baſilicà Vaticanà Novemdialibus celebratis Patres numero quatuordecim Conclave ingreſſi die 4. Non. Novemb. An. Sal. 1389. Pontifici creando in ſuffragia proceſserunt. Angelus Acciaiolus Florentinus Cardin. impedimento fuit, ne Cardin. Poncellus Vrſinus Romanus, ad ſummum faſtigiũ evaderet primo ſcrutinio; quòd & ipſe ambiret Pontificatum. Sex calculis Angelus, totidem Poncelus nitebatur, nec alter alteri cedere ſuſtinebat, Inſtauratis comitiis in Petrum Thomacellum communi ſuffragio conventum, ſuadente Cardinali Franciſco Carbono, Qui aſſumpto *Bonifacii IX.* nomine, tertio Idus Novemb. in Baſilicà Petri conſacratus, antè gradus ejuſdem Baſilicæ, ſacra

exor-

exornatur thiarâ, juxta Malachiæ vaticinium, *Cubus de mixtione*, quia in ſtemmate cubos, vel quadratos lapides mixtos haberet, diadema imponente Pontificiũ Thoma de Manupello Vrſino Archidiacono, præſentibus Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, Senatu, Populoquè Romano. Eodem die (qui erat D. Martino Sacer) quantumuis pluvio ad Lateranenſem profectus Baſilicam, infrequenti comitatu propter imbres, quos præ magno gaudio non curabat, in poſſeſſionis ſymbolum claves accepit argenteas. Obviantibus, & ſibi congratulantibus omnibus unà ſententià reſpondit: *Gaudium meum, gaudium veſtrum eſt*: Theodoricus à Niem *l.* 2. *c.* 6. Mediocris fuiſſe doctrinæ, non negamus; Theodorico tamen Niemio nec aſsentimur dicenti. *Cum eligebatur in* 45. *ætatis anno ſuæ circiter conſtitutus ignoravit gravitatem officii Pontificalis, & ſupplicationes ſibi porrectas adeò indiſcretè ſignavit, ac ſi nunquàm fuiſſet in curiâ Romanâ; nec quæ petebantur, intellexit; undè propoſitiones factas coram eo ab advocatis in Conſiſtorio, toto tempore Pontificatus ſui non intelligens, ad petita nimis confuſè reſpondit: & inſcitia ferè venalis facta in curià tempore ſuo. ib.* His enim non ſolùm Platina alioquin Romanis infeſtus Pontificibus, ſed ipſi refragantur auctores contemporanei, ac rei exitus planè monſtrabit; ſi Romanos ab hoc ſolo Pontifice placatos reſpicias, & obſequio aſſuetos. *Licet non eſſet in* (inquit S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 3.) *ſcientià peritus, tamen bonæ conditionis naturalis, & gratioſus habebatur: et ſatis prudens inventus eſt in regimine temporali, et prætereà tanti animi, ut primus populi Romani vim omnem in Pontificem transtulerit creatis ſuo nutu magiſtratibus omnibus*. Accedat quòd

Bonifa- IX. coro- na.

2. *Sine Libidine, etc.* Platina. *Hic etſi annorum circiter triginta* (alii 45. fuiſſe volunt) *dum Pontificatum iniit, ita tamen deinceps vixit in tam floridà ætate, & tantà peccandi licentià, ut nulla ei libido, nulla voluptas impingi, vel objici poſſet. Iuventutem certè cum ipsà ſenectute commutaſſe videbatur. Fuit prætereà tanti animi, conſiliique ut primus populi Romani vim omnem in Pontificem transtulerit, creatis ſuo nutu magiſtratibus omnibus, munitaquè S. Angeli arce in mole Hadriani ſitâ ad pontem Tyberis, etc.* Concordat Ægidius Viterbienſis. *Bonifacius IX. omnium* (inquit) *qui unquàm fuerunt Pontificum, ut maximè iuvenis, ita et maximè integer, maturus, et gravis; etſi florenti ætate iuvenis, præter morem, extitit tam inſigni virtute ſenex, ac velut id faſtigium nemo iunior, ita nemo attigit modeſtior, prudentior, gravior: agebat is annum circiter XXX. quem homines in ætatis flore, tantà ſapientià, virtute, moderatione præditum, non ut hominem ſuſpiciebant, ſed ut Numinis effigiem prædicabant, colebant, admirabantur. Nihil in illo iuvenile, nihil leve nihil prætereà quod vel ad luxus vel ad voluptatem, mollitiem inclinaret, facilis aliis, unus ſibi durus; ad bonos excipiendos mitiſſimus, leniſſimusquè ad malos coercendos ſeveriſſimus, atque conſtantiſſimus utrumquè in Pontifice damnabat, improbos improboſquè æquam manſuetudinẽ vel ſeveritatem; cum altera in alteros, altera uti in alteros oportere. Nemo hoc Pontifice in conſiliis capiendis prudentior, nemo in rebus diſponendis accuratior, nemo in peragendis celerior, expeditior, &c.*

A Pontifex coronatus in ſymbolũ carmine aſſumpto Davidico *Ad te levavi animam meam*. Statim infirmavit *ea quæ Vrbanus de Iubileo, & feſto Viſitationis ac Corporis Chriſti, necnon de Indulgentiis ſequentibus Corpus Chriſti cum ad infirmos defertur* decreverat. *Gobelinus*. Mitius agens cum Cardinalibus exauctoratis ab Vrbano, *Adamum Anglum*, & *Pileum Ravennatẽ*, qui ob Vrbani acerbitatem defecerat ad Antipapam donavit purpurà. Hinc trium pileorum *Pileum* Cardinalem nuncupabant. *Gobel.* Auxit etiam Cardinalem collegium quatuor creatis Cardinalibus, teſte *Contelorio*, de quibus ſuo loco.

Symbolum. Plura revocat anteceſſoris.

Bonifacii auditâ electione, Mlemens Antipapa, futiles in eum intentavit cenſuras, faſtuque ſuperbus Carolum Francorum Regem cadente Octobri ad ſe venientem ſolemniter recepit cum Ludovico B Turonenſi Regis fratre, quibus præſentibus coronavit in Regem Siciliæ Ludovicum filium Ludovici, qui expiraverat in Apulià. Miniſtravit iſte Clementi ſacra facienti humiliter, aquam fundendo manibus Antipapæ, ut in *Vita Clementis apud Boſquetum*.

Clem. Antipapæ geſta.

2. *Vvenceslaum Pigrum.* Mortuo Carolo IV. gubernacula imperii neglexit verius, quàm rexit Vvẽceslaus piger, ignavus, voluptuoſus, crudelis, præſtigiator. Vrbano cũ per legatos ſæpe obtuliſſet Romã deſcendere, ut ſolemniter à Pontifice coronaretur, decimas à Clero regni ſui exigendas pro ſumptibus itineris impetravit. Quas cum extorxit, conſſumpſit nec Romam venit deluſis Romanis, qui vinum, frumentum ſpe vanà tenaciſſimè repoſuerant, C ut cariùs venderent. Corruptis namque cibariis, avari cives decepti, in quo, peccarunt pœnam iuſtè luerunt *Niem c.* 5. *l.* 2. Vvenceslai ſoccordiam fusè habes in noſtra *Aquilà Vagà* in *Vvenceslao*. Cujus ignavià tota Lombardia evulſa ab imperio, ac Galeatio vẽdita V. Comiti. Vvẽceslaus exemplum genitoris ſui Caroli 4. ſequutus, qui regnũ Arelatẽſe uno prãdio cõſumpſit, ei apud Villã Novam juxta Avenionem per eundẽ Ducẽ præparato: ac Delphinatum, qui eſt una provincia dicti regni Arelatenſis, in Regem transtulit Francorum, eo colore, quòd Primogenitus Regis Frãciæ Delphinatũ poſſideret tanquàm Vaſſallus imperii, & inde *Delphinus* vocaretur. *Niem. c.* 25. *l.* 2. Tantis vitiis incenſi Germaniæ Principes Anno 1400. die XX. Aug. Lõſteini ad Rhenũ cõveniętes imperio ſpoliarunt. D Abdicationis nõ unà cauſa. Vita flagitioſa, ignavia, decoctio imperii, ſacrilegia, tyrãnides quà homines innocentes per ludibrium occidiſſet, Fædus cum Paganis, præſtigia, hæreſis Vvicleſiana, ſchiſmatis promotio potius, quàm deſtructio Põtificii. Degradationi Bonifacius tacitè annuit, vel ſecretò promovit, in vindictam quòd Vvenceslaus cum Gallo Rege pactus eſſet de adigẽdo Bonifacio, ut dignitate cederet Pontificià, ſi Antipapa ſe abdicaret. Et hæc in ſcio Bonifacio. *Emundus*.

Vvenceslaus piger.

3. *Iodocus Barbatus* Princeps Moraviæ, nonagenarius imperium adiit, plenè ineptus regimini, ferè Vvenceslao ſimilis. Ex *Aenea Sylvio* noſtra *Aquila Vaga*. Ad

4. *Rupertum* poſtea cognomento *Parvum*, delato Imperio, qui à Gallo per legatos excitatus Papam

exau-

exauctorare, & Antipapam, ut ab utroquè Collegio tertius eligeretur, reſpondit: *Operam ſe daturum, ut Gallis panderetur Eccleſia, eo autem ſcelere nolle ſe obſtringere, ut Chriſti vicarium, gradu deturbaret*. *Iuvenal. Vrſinus*. Ejus electionem confirmavit Bonifacius poſt receptum fidei Sacramentum à Satale Epiſcopo Verdenſi Ruperti nomine, de non ineundo fœdere cum Schiſmaticis adversùs Bonifacium verum Chriſti vicarium, non ambiendo Sicula regna, ſed Eccleſiam defendendo Romanam. *To. 12. de Schiſm. p.* 245. Italico tunc Rupertus ſe accinxit itineri adversùs Galeacium V. C. ſed improſperè. *Aquila Vaga*.

Offert pacem Bonifacius Antipapæ.

5. *Clementiæ ſpetie*. Cum pro ſedando ſchiſmate cenſuras, geſtaque bella minimè proficere Bonifacius cognoſceret; mitiùs agens, concordiæ interpretem deſignavit Srephanum Bavariæ Ducem, ut purpuram Anticardinalibus, & legationem Clementi offerret Antipapæ in omnibus iis regnis, quæ ejus partibus ſe addixerant, dumodo falſi honoris inſignia deponeret *l. ep. cur. p.* 325. An. 1390. Verùm tamquàm ſurdus non audiens, nec habens in ore ſuo redargutionem, dignitatum eccleſiaſticarum pretio, quas putridè nundinabatur, demulciens aulicos, & principes, ità vilis ſerviebat, ut mancipium potius quàm Pontifex crederetur. Ejus curia gynæceo ſimilis plena ſpadonibus, adoleſcentulis, & eunuchis, quorũ maximè gaudebat conſortio, omnes uſurpabat inſulas atque præbendas, ut locus non eſſet virtuti. *Petrus de Clemangiis de corrupt. Eccleſ. ſtatu c* 26. Niemius *l.* 2. *c.* 4. Hinc

Vitia Antipapæ.

6. *Parthenopem* imiſſo Ludovico (quem Gallo coronaverat præſente Rege) Duce Andegavenſi, cum Petro è Tureio pſeudoCardinale legato, Neapolim venere Anno 1390. æſtate jam adultà, ſummà civium excepti gratulatione. Lætitiam porrò turbavit prodigium, futuræ ſignum calamitatis. Coortà tempeſtate vexillum Ludovici vi ventorúm ex Carmelitanà turri dejectum, cum juſſus miles niteretur reſtituere, in ipſo conatu fulmine percuſſus interiit. *Summont. l.* 4. *c.* 2. Nam ſubmiſſo per Bonifacium Nicolao Imolenſi Notario Pontificio cum ſexcentis æquitibus, excitatiſquè Cruce ſignatis ſub vexillo Raymundi è Baucio, poſt decennium certaminis, ferro expoliatus, & auro, regnum *Ladislao* reliquit, quem Bonifacius regno reſtituerat. Arduum namque perpendens, Neapolitanum regnum, uti Vrbanus decreverat, contra Ladislaum Dyrrachinum, & Ludovicum Andegavenſem, Eccleſiæ aſſerere; ut Schiſmaticos proſterneret, unum credens ſupereſſe refugium, ſi innocentem Ladislaum, Ludovico opponeret ſchiſmatico, ſolio reſtituit, & à cenſuris abſolvit, quibus eum Vrbanus irretierat. *Niem. l.* 2. *c.* 14. Quanta Ladislao pro redimendà coronà regni Bonifacius cõtulerit, vulnera adhuc Eccleſię teſtantur inflicta. Ladislai namq; paludamentũ Petri ſarcitũ eſt ſpolio. Diſtracta tunc prædia, quæ in Aprutio, & agro Beneventano tenebat Eccleſia. *Ep. Bonifac. l.* 1. *p.* 223. Arcibus, oppidis, urbibus in Toparchias diviſis, ceſsere Faventia Antonio comiti Montisferetri; Alidoſiis Imola; Ordelaffis Forum Livium; Fanum, Ariminum, Forumſemptonium Malateſtis; Ferraria Ateſtinis nomjuci *Vicariatus*, eà conditione, ut annuatim in die S. Petri ſtatutam pecuniam in ærarium inferrent Pontificium, pactumquè militum numerum in obſequio Pontificis ſuis alerent ſtipendiis.

Coronat Andegavẽſem.

Spoliatur Eccleſia.

7. *Septem Deus Reges*. Gallorum excitati exemplo ſeptem defecerunt ad Antipam Reges, quorum prima *Ioanna* Regina Siciliæ, quæ laqueo vitam finiit. *Carolus V.* Rex Francorum, promotor ſchiſmatis, funeſto etiam præivit funere; nã An. Sal. 1380. veneno exarvit. *Aragoniæ Petrus* Rex Aragonum poſtquàm in partem abiiſſet pſeudoPontificis cum Tarraconenſem vexaret Epiſcopum (cujus eccleſia S. Teclæ clientelæ addicta eſt) colapho ab eadem percuſſus, morbum contraxit lethalem, ex quo è vivis ereptus eſt. *Surita l.* 10. Io: Getundenſis ſceptra ſuſcepit, qui poſt latam in Vrbanum pro Antipapà ſententiam, An. 1395. ex equo in terram deiectus, fractis cervicibus pœnam luit. *Idem l.* 3. Non diſpari caſu perierat *Ioannes* Caſtellæ Rex An. 1390, Compluti, dum ibi inter equeſtres ludos ab equo præferoci in terram alliſus, miſerè periit. *Mariana l.* 18. Robertus Rex Anglorum à Gallis ſolicitatus à Bonifacio ad Antipapam deficere cum doctores cõſuluiſſet Oxonienſes, ac reſponſum retuliſſet: *præferendam Gallico Schiſmati Concilium Aecumenicum*; affinitate cum Gallis contractà, exitium ſibi paravit, ut regno ſe abdicare coactus, cuſtodiæ traditus, fame ceciderit interemptus. *Vvalſing. Ann.* 1400. David etiam primogenitus Roberti Scotiæ Regis, tyrannide patrui cui corrigendus datus erat à patre; in carcere fame periit. An. 1402. *Buchanan. l.* 10. Præterea Leopoldum Ducem Auſtriæ inferioris ab Helvetiis in bello cæſum, teſte *Gobelino* An. 1386. cum in gratiam Antipapæ ſigna intuliſſet. *Amedæum* Sabaudiæ Ducem, qui in Apulià inter Gallorum caſtra expiravit. *Idem*. Noviſſima fuit Maria Friderici Trinacriæ unica filia, quæ cum Martino Martini Regis Aragoniæ filio nupliſſet ſchiſmatico, atquè nuptiarum cauſa in Aragoniam deſcendiſſet; juri ſuo conſulturus Bonifacius, Trinacriam in tetrarchias partiri juſſit per legatum Nicolaum è Summà Ripà; donec Maria ad officium ſchiſmate rediret damnato. Bonifacio adhærere ſimulavit oppidò Maria cum Martino viro ſuo, cum Anno 1392. in Trinacriam appulit, ut populos falleret, unde brevi inſulam in poteſtatem recepit. Partes poſtea cum promovere reperiretur pſeudoPontificis, iterum defecere Siculi, Meſſanà exceptis Syracuſis, atquè Catanià. *Surita*. Cujus in arce ultra annum Siculi obſeſſum tenuere Martinum; donec Bernardus Cabrera oppignoratis oppidis ſuis, exercitu ex Catalanis raptim conflato in Siciliam trajiciens, inſulam iterum in Martini poteſtatem redegit. *Iuvenal. Vrſinus*.

Sequaces Antipapæ qui

Mors miſerabilis ſeptem Regum

8. *Terna poſt luſtra, &c.* Totidẽ Annos agebat erroris ſui Clemens Antipapà, cum An. Sal. 1394. bello Raymundi Rogerii (erat is nepos ex fratre Gregorii XI.) ac Gallorum tumultu, qui ad ſchiſmaticum Antipapam omnia referebant diſcrimina regni: præcipuè Regis inſaniam, qui Anno 1392. dum totam Galliam armabat adverſus Bonifacium, ut inter Gallię proceres Italiam divideret, inſanià repẽtè percuſſus, Gallicas vires in mutuum

ex.

excitavit excidium, quæ diviſæ in partes abiere Ducis Aurelianenſis fratris ipſius Regis, adverſùs eiuſdem patruos, dum quiſque regni adminiſtrationẽ uſurpare cootendit. Antipapam itaque ſeriò admonuere Doctores Sorbonici, ut Schiſmati finem imponeret. Præſules, proceres etiam reſcipiſcentem monuere Regem, graviſſimo diſcrimini ſuam adiiceret auctoritatem, nè ejus ignaviâ, Hæretici, atque infideles perderent vineam Domini. *Boſquetus.* Hoc Gallorum conatu perturbatus Antipapa *Petrum de Lunà* ad Regem legatum decrevit, ut ſpetie ſedandi Schiſmatis, illud propagaret; ſic fecit: Nam cum Sorboniſtis à Legato diſſentientibus, bini eorum *Petrus Ailli*, & *Aegidius è Campis*, ad tribunal exciti Antipapę, venire detrectarẽt; ſpes omnis eſt abrupta cõcordiæ operâ Ducis Bituricẽſis, Clemẽti addictiſſimi. Sorbonici quamvis ſilere juſſi, colloquia inſtituentes frequẽtia, ut *Ceſſio, Compromiſſio, vel Generale Cõcil.* fieret fateri nolentes, ſe ab Vrbano injuſtè defeciſſe. Hæc cum Clementi retuliſſet Petrus de Lunà è ſuà legatione reverſus, nec abdicationem poſſe vlteriùs prorogari; apoplexiâ Aotipapa repẽtè percuſſus, diem clauſit extremũ, ſepultus Avenione in Eccleſiâ Cœleſtinorum, ad pontem Sorgiæ cum hoc epitaphio.

Obitus Cle... [margin, partly cut off]

Hic requieſcit

Dominus Clemens P. P. VII.

Primus huius Cœnobii fundator ex patre Amedeo Comite Gebbennenſi matre verò Mathildâ de Boloniâ genitus, qui fuit protonotarius Morinenſis, & Cameracenſis Epiſcopus, deinde Cardinalis, demum ad Papatum invitus aſſumptus, & Curiâ tunc incolumi reductâ, Dominum *Petrum Cardinalem de Lutzemburgo miraculis coruſcantem in hoc cœmeterio ſepultum, ad Cardinalatum aſſumpſit, & in fine An. XVI. ſui Pontificatus migravit ad Chriſtum die XVI. Septemb. MCCCXCIV. Cuius Anima requieſcat in pace.*

Exciſà in eo nobili Gebennenſium Principum familià (quæ ex Antipapatu aſſurgere videbatur) extinctis fratribus, ſororibus, nepotibus, nobile Gebẽnẽſe feudũ ad Comitẽ Sabaudię eſt devolutũ *Niem. l.2. c.4.* Sublato Antipapà, Galli eccleſię reintegrãdæ ſolliciti rogarunt pſeudoCardinales, ne quẽ Roberto ſubrogarent, ut faciliùs ſchiſma tolleretur. Sed tumidi reſpõderunt (Iuvenal. Vrſin. in Carolo *6.*) *ſibi præficiendum caput, ne viderentur acephali.* Et quãvis à Bonifacio promiſſa eis eſſet dignitas Cardinalitia, ſi ad Eccleſiã redirẽt; indignũ rati ſe Vrbani ſubmittere ſucceſsori, in quẽ Schiſma cõflarãt, *Petrũ de Lunà* nomine *Benedicti XIII.* ſibi crearunt, ac ſibi ſacramẽto obſtrictũ voluerunt, honore abiturũ, ſi Bonifacius Põtificatu ſe abdicaret, ut cõmunibus omnium votis tertius Põtiſex crearetur. *To.7. de Schiſ. p.21.* Nõ advertentes Schiſmatici illũ, quem ſibi præficiebant, pari flagitio, quo pſeudoPontificatum admitteret, ad illum retinendum datam fidem violaturum: Veruntamen credentes Galli, Petrũ corde gerere, ut ſæpe inter Aragonas, & Hiſpanos prędicaverat de inſulę depoſitione pro Eccleſię concordià, ſi ipſe fieret Antipapa, in locum dicti Clemẽtis ſubrogarũt An. 1394. Die 4. Kal. Octob. S. Malachiæ impleto vaticinio, *Luna Coſmedina*, quia ex familià Lunenſi, & Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin.

Petrus de Luna Antipapa. [margin]

Petri de Luna ... [margin, partly cut off]

Fuit Petrus natione Aragon, Hiſpanus, genere ortus nobiliſſimo patrem habuit Ioannem *Martinez de Lunà*, matrem *Mariam Pereſiam à Gotore.*



Hæc vera inſignia familiæ de Lunâ: licet Ciaconius ſolam Lunam ſtemmati inſerat.

Adoloſcens juri operamdedit, ac tantum profecit teſte S. Antonino *3. p. tit. 22. c. 5.* (undè literatum, alii doctiſſimum nominant) ut in gymnaſio Montis Peſſulani, id diu profeſſus fuerit. Brevis ſtaturæ fuit, gracilis, ingenioſus, cuius cognità doctrinà, Gregorius XI. cũ Diacõnũ Cardinalem *S.* Marię in Coſmedin creavit. Cũ eodem Pontifice Romam veniens in palatio apud eccleſiam S. Apollinaris prope turrim ſanguineã morãdo, illud propriis ſũptibus reformavit. Creavit, cõfirmavit Vrbanũ VI. Rom. Pont., licet poſtea cum ſchiſmaticis ſecedens, adfuerit creationi Antipapæ Clementis, à quo legatus in Hiſpanias, & Aragoniam ibi diù manſit, invito etiam ipſo Clemente, contra quem coram Regibus, & Principibus multa prædicavit. *Colligens tamen fragmenta, ne perirent, & pecuniaſ abundanter in illis;* Niem *l. 2. c. 33.* Antipapam dictũ Doctores Pariſienſes laude propoſità immortali mulcire cęperũt, ut abiectis honoris inſignibus, pacẽ univerſæ reſtitueret Eccleſiæ. *Tom. 8. de ſchiſ. p. 71.* His acceptis, ut vaſer, & callidus erat, Carolo Regi ſignificavit, Principibuſq; aliis ſe omnẽ adhibiturum conatũ pro ſchiſmate extirpando. *To. 10, de Schiſm. p. 69.* periurii verò ut depelleret ignominiam, Epiſcopum Anicienſem, & Petrum Blaccum, quos in Galliam legaverat, fallacibus inſtruxit mandatis, *ut Gallos commonefacerent de eccleſiæ periculo, Idolum adorandi ſuper terram, ſi tam veri Cardinales, quàm ſchiſmatici pari numero convenirent in electione Pontificis, quia electus non eſſet legitimus Pontifex; nec eius Succeſſores, ſed ſchiſma, & Idolum perpetuum.* Hiſce fraudibus ſatagebat Gallos deludere, quos apud Hiſpanos in crimen vocaverat, ideò ipſius iugum excutere meditatos, quod neminem niſi Gallum pati ſuſtinerent Pontificem. Quà fallaci opinione adeo irretivit Aragonios, ut intẽpeſtivo patriæ amore, ejus tutelam ſuſceperint. Vicit tandem Gallorum ſententia, cum quibus convenerunt Hiſpani, ut ab utràque æmula parte tertius præficeretur eccleſiæ (ne Schiſma dicerẽtur Galli conflaſſe) & pari haberentur honore Schiſmatici, & Orthodoxi. Hoc voto miſſi ſunt à Carolo Francorum Rege oratores ampliſſimi Biturigum, ac Burgundię Duces patrui ſui, unà cum fratre Duce Aurelianenſi, ut Petrum de Lunà flecterent

Studia. [margin]

Dolus. [margin]

Perfidia Antipapæ.

rent inſignia ponere. Hæc cũ *audiſset* (teſte Froſardo) *totus expalleſcit*, vocem *attollens: volunt* (inquit) *ut renuntiationi me ſubmittam: me vivo nunquàm hoc fiet*. Adiicientibus legatis. *Nunc famam decreſcere prudentia ſua; propterea cum fratribus cõſuleret*, Cardinales vocavit, quibus reſpondentibus omnino Frãcorum Regi parendũ eſse, qui eorũ fructibus iam imminebat; multiq. iam nutarent; Benedictus eis pervicacior, reſpondit. *Non abdicabo, non ſubmittam Papatũ meum ulli tractatui in gratiam cuiuſq. Regis*, Iiſdẽ verbis etiã Legatos dimittens, inquit: *hic dicite filio noſtro Franciæ, quod hactenus eũ pro bono Catholico habuimus, quẽ iã ex informatione ſiniſtra errorẽ inducere velle videmus, ſed eũ tandẽ pœnitebit*. Sic iratum pleni deluſi Principes ſpetie Cõprnniſſi (quòd Ceſſioni Præferebat) rediere Pariſios, ubi cũ doctoribus Sorbonicis appellationẽ cõceperunt ad futurum Conciliũ B contra cenſuras, quas inani terrore Antipapa vibrabat in eos, qui diſſolvendo ſchiſmati operam dabant: *To. 9. de ſchiſm. p. 20.* Celeberrimum poſtea coegere conventum, cui interfuere Rex Navarræ, Patrui Gallorũ Regis, eiuſquè frater, aliiquè Principes, præſidente Simone Cramaudo Patriarcha Alexãdrino; & collatis Epiſcoporũ calculis, cõvenere, periuro *Pontifici, ac Eccleſiam diſſipãti reſiſtendũ eſſe, Sacerdotiorum collationem eripiendo, Annatas denegãdo. To. 8. de Schiſ. p. 187.* Ceſſioni cum auctore Bonifacio diſsẽtirent Angli, cõcilũ expoſcẽtes Æcumenicũ, in quo causà cognitã Antipapã exauctorãdũ, à catholicà poſteà receſſere ſentẽtiã (cũ anno 1396. pactis induciis inter Gallos, & Anglos Carolus Iſabellã ſeptennẽ Ricardo juniori deſpondit) à Bonifacio popoſcẽtes, ut Pontificià dignitate cum æmulo abiret; negãte Bonifacio; ad inſidias Lunẽſis cõſugit, C miſſis, qui ſpetie pacis turbas miſcerent; Sed Vrbe prohibiti, ad Honoratum Fundorum Comitem ſe contulere; quò etiam Bonifacius, ne fugere videretur concordiam, Frãciſcum miſit Epiſcopum Segobienſem, qui religioni patriam præferens, ad Antipapàm deſcivit, volens clam miſſos in Vrbẽ intromittere. Verũ patefacto ſcelere proditor legũ ſubiit ſeveritatem. Inter hæc coacto Francofurti conventu, quò Galliæ, Angliæ acceſſere Legati, poſt duodecim dierum conſilia, cum Galli ad Catholicos a Pontificis obſequio abducendos, falsò affirmarent, Antipapàm invaſo gradu abiturum, ſi Bonifacius Pontificatu ſe abdicaret, decretum; ad Bonifacium legatos decernere, qui precibus contenderent, gradu cedere Pontificio, ſi Petrus de Lunà inſignia deponeret uſurpata. Ingrata accidit Bonifacio legatio; cum Concilio cauſam ipſe ſubmitteret D Æcumenico. *Niem. l. 2. c. 33.* Licet poſtea non immeriiò à Concilio in Gallia deſecerit celebrando, tanquàm ſuſpecto propter affinitatem recenter pactá inter Anglos, & Gallos, cũ iſti Gallicum Papam meditarentur: licet ut juſtam cauſam fovere viderentur, Concilium appellarent. Coniuratione itaquè initã cum Martino Rege Aragonum, qui Trinacria in Hiſpaniam navigabat, cum Maſſiliam applicuiſſet, rogatus ab Antipapà Avenionem accedere ſpetie concordiæ, venit, ultimà die Martii ab Antipapà donatus Roſà aureà, ac die Reſurrectionis Dominicæ coronà Corſicæ atq; Sardiniæ, ad gloriam nominis Aragonii, tutelam ſuſcepit pſeudo Pontificis, ac Bonifacium in ordinem redigendi; quod ita ad exitũ perducendum erat: Vt Petrus de Lunà Romam classe veheretur, cui Io: è Vico Civitatem Veterem duodecim millium aureorum pretio ſpondebat. Fundorũ verò Comes cum aliis factioſis Romanis Bonifacium interciperet. Sed impia evanuere cõſilia: Quòd Antipapà variis implicitus difficultatibus non venerit. Ioannes è Vico Civitatem Veterẽ conſignare niſi præſenti adduci non poſſet. *Surita l. 10. c. 62.* Faſtidiebant iam Galli funeſti vincula ſchiſmatis, cuius ob causã Regẽ ſuũ plangebant percuſſum; eccleſiam diviſam, Orbem expoliatum; nec ſpes affulgeret concordiæ, Concilio cũ non aſſentiret Antipapa, coactis Epiſcoporum comitus An. 1398. Pragmaticam promulgarũt ſanctionem, quà *prohibitum à Pontifice ſacerdotia poſtulare, ſed ea conferrent Epiſcopi, à quibus etiam Abbates confirmarentur. Gratia expectativa, reſervationes omnes tollerentur. Nullaquè obſequia Pontifice præſtarentur, ſubſidia, vel alimenta. Petrus de Clemang.* Iuvenal. Vrſinus in Carolo. VI. Villamnovã poſtea Avenione cõtenderũt, ut ad frangendã Antipapæ pertinaciã conſilia conferrent: e quibus Petrus (cui de Turreu cognomen) ad promulgandã omnibus perfidiam eius, ac iuſtas ſeceſſionis cauſas, ſcriptum vulgavit, quo Antipapam in crimen hæreſis vocabat, quòd eccleſiam ſe perditurum potiùs diceret, quàm infulas depoſiturum. Acerbiorem etiam commentarium in Petrũ de Lunà edidit Guillelmus pſeudoCardinalis de Agrifollio. *To. 10. de Schiſm.* Scriptis Rex Gallorum addidit arma, miſſis copiis duce Bucicaldo, qui eius pertinaciã expugnaret. Sed turris firmiſſimo Aragonum munita præſidio, per annum conatus propulſavit hoſtiles. Gallorum exemplũ imitatus Henricus Rex Caſtellæ, ad Acephalos declinavit, Antipapæ, & Papæ ſublatis obſequiis; unde in Henricum per Bonifacium ſunt repetitæ cenſuræ; & ad Gallos conciliandos, ſollicitatus Rex Anglorum Ricardus qui tantũ abeſt, ut Gallos excitaverit ad concordiam, quòd & ipſe fallacibus impulſus ſyllogiſmis, ſolita negare Bonifacio meditaretur obſequia, niſi & iſte infulas poneret. Antequàm verò publicè deficeret, doctores cõſuluit Oxonienſes, qui re maturè perpensà reſpõderunt: lõgè diſparem eſſe Anglorũ Gallorumq. ſortem: Hos in Schiſma proruiſse, ac iam a vos eorũ ob cultum Antipapàm religione torqueri, ireq. ab eo diſceſiſſe. Anglos verò de Bonifacii Põtificatu nullã adverſã ſuſpitionẽ concepiſse, nec ſine crimine à Põtifice poſse diſcedere. Vnicã excindendi Schiſmatis viam, eſſe Conciliũ Æcumenicum à Bonifacio congregandũ. *To. 12. de Schiſm. p. 268.* Coiverat interim cũ Gallis Vvenceslaus Imperator Romã, & Avenionẽ miſſis legatis; ſed Vvẽceslai poſtulata eluſit Petrus de Lunà reſpondens, *ſe antè ad illũ oratores, qui ipſum de ſuo Pontificatu edocerent, decreviſſe.* Chron. M. Belgii. Advenit interim An. ſal. 1399. obſidionẽ urgẽtibus Gallis arcis Avenionenſis, cuius in ſubſidiũ ſubmiſſæ triremes à Martino Aragonum Rege, cum ob Rhodani depreſſionẽ appellere non potuiſſent; ac Petrus è Lunà commeatuum laboraret inopiã; Martinus, qui Antipapæ tutelam ſuſceperat, legatos Geraldũ è Cervillione, Petrũ Marini, & Petrum Coſtam ad Carolum miſit Francorum Regem, qui in pacta deſcendit ſequentia. Cohibituram ſe Cardinales Schiſmaticos, & Avenionenſes

Inſidiæ in Bonifaciũ.

ab obſidione antipapa, ſi is ſacramento ſponderet, inſignia ſe poſiturum papalia, cedente æmulo vel extincto, ut catholica eccleſia ſe tertio eoquè unico, nec ambiguo regeretur Pontifice. Iuraret antipapa nullâ ſe ratione eccleſiarum coniunctionem retardaturum venturumquè ad conventum, qui pro eâ adipiſcendâ celebraretur. Tom. 10. de Schiſm. Sed à periuro iuſiurandum exigere non profuit, niſi ut magis in perfidiâ confirmaretur. Nam obſidione ſolutus, ſacramentum à ſe editum, literis publicis, vi pronuntiavit extortum. Nam Anno 1403. ex Avenionenſi elapſus cuſtodiâ (ubi tenebatur incluſus, ut ad ponenda Pontificatus inſignia adigeretur) ſcaphâ Aragonum vel Gallorum ope paratâ infra pontem Rhodani, Maſſiliam abiit, obedientiâ ei reſtitutâ, quam Galli ſubtraxerant, operâ Ducis Aurelianenſis Bonifacium diſſidii auctorem inſimulantis, quòd Pontificatu recuſaret abire. *l. 2. c. 33. Niem* Hinc tumidus Antipapa verbis, ac factis demonſtrabat nunquàm ſe falſæ dignitatis poſiturum inſignia, *etiam ſi ex eo maxima toti Chriſtianitati ex hoc imminerent diſpendia*, ut antea fuerat proteſtatus (*l. 2. c. 33.* Niemius) Cuius perfidiâ per Orbem vulgatâ, Carolus Rex Francorum dolens ob facilitatem ſuam, Petrum in priſtinâ pervicaciâ obduruiſſe, fratrem Ducem Aurelianenſem, petitum miſit, ut ad removendam invidiam, quâ Rex laborabat, ſchiſmatis tollendi ſuum aperiret conſilium. His auditis Antipapa plurimis verborum lenociniis in hoſtes, & æmulos conatus derivare diſcordiam, verbo firmavit, & ſcripto, *ſe eſſe & fuiſſe paratum, gradu cedere pro eccleſiæ concordiâ, dumodò idem faceret Bonifacius.* Quibus acceptis ſummè gratus, atquè contentus Dux Aurelianenſis receſſit. Lunenſis porrò ut infamiam propagati ſchiſmatis in Bonifacium refunderet, illumquè concordiæ fraude, vel vi opprimeret, Oratores ad Bonifacium ſubmiſit, qui ad eccleſiam acceſſiſſe fingerent reintegrandam. Nam Romam cum veniſſent, vulgo expoſuere mentientes Lunenſem ad exvenda inſignia paratum, ſi Bonifacius imperium deponeret. Bonifacio verò & Cardinalibus, ceſſione prætеritâ ad colloquium in loco tuto invitarunt, licet in quadam ſuâ apologiâ *Tom. 24. de Schiſm.* periuret, etiam ceſſionem per legatos ſuos obtuliſſe Bonifacio. *Niem c. 23. l. 2.* Innocent. VI. *l. 1. p.* 224. Ad rem tamen non reſpondiſſe Antipapæ legatis Bonifacium refert idem Niemius. *Quibus cum Pontifex ad hoc parum benigniter reſpondiſſet, aſſerens eſſe Papam, & eundem Petrum Antipapam, & ſimilia verba parum, vel nihil ad cauſam ſcientia: tunc ipſi nuntij dedignati in eius præſentiâ dixerunt: quod Dominus eorum non eſſet Simoniacus. Notantes Bonifacium eſſe talem. Vnde Bonifacius valde commotus iuſſit eos urbe exire. Qui reſponderunt, quòd ſaluum conductum haberent ab ipſo & Romano populo adhuc aliquantulum illic manendi, & inde recedendi, unde eo gaudere vellent. Ipſe autem Pontifex*

Aſtus Petri de Lunâ.

Bonifacii Mors.

9. Irâ *immoderatiùs incaleſcens, & pungente ipſum morbo calculi, lectum ægritudinis ſubitò intravit, in quo tertiâ die ſequenti feſto S. Remigii, mane deceſſit, dictis nuntiis adhuc exiſtentibus in urbe.* Eius obitum Cometes præluſit. *Niem l. 2. c. 29.*

10. *Supervivere cum poſſet, ſi coitum cum muliere habere voluiſſet, ut liberaretur à calculo, ex quo deceſſit; minimè acquieſcere voluit tanto ſacrilegio contra legem divinam: eligens potius pudicè mori, quàm impudicè vivere, et ideò valde commendandus fuit.* S. Anton. 3. *p. tit.* 22. *cap.* 3. Sepultus in Baſilicâ Vaticanâ B. Petri in ſacello ſequens habuit

Continentia, caſtitas Bonif.

Epitaphium.

Flete ſuper pugilem claves, Crux, alma thiara,
Eccleſia viduata viro, ſimul inclyta Roma:
En petra parva Patrem ſub calica Sidera primum
Claudit Apoſtolica, ſolum qui rexit habena,
Catholicamquè fidem ſervans à turbine Sanctum
Remigium Chriſti, victis virtute tyrannis.
Orthodoxus erat ſuper omnes, arca ſuperni
Conſilii; ſua iura tuens, & grandia tractans,
Cæſaris ex animo fidei clypeatus honore,
Corpore conſpicuus, roſeus flos, famine conſtans.
Auditorque placens, miſeris miſerator opimus.
Oſſa iacent, mens alta polum felicibus alis
Aſcendens, micat ante Deum nova lucis origu,
Glorius Antiſtes quiſnam Bonifacius alter
Nonus ut iſte fuit? qua Cronica ſcripſerit unquam,
Quodve genus parilem dedit ævo nomen, & omnes
De Thomacellis fulget, fulgebit in annos?
Parthenopem luſtrans tulit hunc genus omne Latinè
Quicquid alit tellus, & quod tegit omnia cælum.

Sepulchrum ejus marmoreum opere diſtinctum vermiculato, quod propinqui erexerunt (modò dirutum iacet poſt Vaticanæ Baſilicæ reædificationem) tale erat ut habes in *pagina*...

Scripſit Bonifacius IV. epiſtolas quaſdam, quæ M. S. S. extant in Vaticanâ Bibliothecâ. Creavit ſex Cardinales, de quibus ſuo loco dicam.

11. *Iannas Cælorum*, bis per Iubilæum Bonifacius aperuit. Primum Anno celebratum eſt 1388. quod Vrbanus indixerat à 33. in 33. Annum ad recolendam ſacram Chriſti ætatem, celebrandum; *Convenere in Vrbem Innumerabiles peregrini, tota illo Anno poſtquàm Iubilaus incæpit, præſertim Alemani, Vngari, Poloni, Angli, Bohemi, aliiquè de obedientiâ Vrbani.* Niem l. 1. c. 68. Galli, cæteriquè ſchiſmatici illo anno Romam non venere, ſed ſæculo tantum recurrente XIV. quo iterum portas Iubilæi aperuit, iuxta antiquam eccleſiæ conſuetudinem catervatim venere, viri, feminæ, nobiles, pauperes, pingues offerentes eleemoſinas Vrbis eccleſiis. *Idem l. 2. cap.* 28. Datum poſtea anno venienti, ut templa deſtinata viſitantes in patriâ ſuâ eaſdem lucrarentur Indulgentias, dumodò ſumptus in itinere faciendi quæſtori numerarentur Pontificio, pro inſtantandis urbis eccleſiis. Hinc manavit occaſio Theodorico Niemio *loco cit.* & Gobelino in *Coſm. cap.* 86. Bonifacium inſimulandi, ut putridi lucri reum, & avaritiæ ſacrilegæ. Negare ſanè non poſſumus plures religioſos aucupatos fuiſſe occaſionem emungendę pecuniæ, auctoritatem ſibi mentientes collatam à Summo Pontifice, indulgendi crimina omnia, hæreſim etiam abſq. ſolitâ abiuratione vota commutandi, ac cum illegitimis diſpenſandi, ut intra gradus prohibitos copularentur, vel ad ordines promoverentur, & benefic[ia]; ita ſacra ludibrio exponentes, ut aurum ſacrilegi cogerent. Sed ad

Annus Iubilæi.

coercendos nebulones nefarios, & ſimoniacos, Gerardum Razemburgenſem, Nicolaum Miſnenſem, Gerardum HildeſemienſemEpiſcopos omni inſtruxit Bonifacius auctoritate, ut ex literis eiuſdem *l.* 1. *p.*237. Quæ ſatis ad detergendam labem, quam Bonifacio impingere dicti conantur hiſtorici.

Affines diligit.

12 *Affines à lexiſse ſuos* non negamus, ob quorum quæſtum, & avaritiam, ipſe malè audiit. Cum enim apud eum ſemper in Curià incubarent, præcipuè ejus mater mulierum omnium avariſſima, ac duo fratres Io: & Andreas grandem theſaurum congregarunt, Nobiles cum eſſent, ſed pauperes, alterum Ducem Spoletinum, ac Soræ Comitem, alterum agri Piceni Marchionem conſtituit, eiſquè à Ladislao Rege Soranam Toparchiam, aliaque in regno oppida centum millibus aureorum emit. Ciaconius ex Theodorico Niemio *l.* 2. *c.* 13. Peruſii dum eſſet, ſororem ſuam uxorem tradidit. Comiti Sancti Flaviani inter regnum Siciliæ, & Marchiam Anconitanam reſidenti, quem poſtea Ducem Arduæ declaravit, numeratis pro dote XVII. millibus florenorum. Lubricus atque tyrannus Dux iſte uxorem iratus transfodit gladio: cujus exequias in Petri Baſilicà ſumptibus Bonifacius ſuis celebrari mandavit. Dux tamen & ipſe proditoriè poſtea eſt interfectus. *Idem l.* 2. *c.* 14. Quò improſperæ cumulentur divitiæ, quæ ex altari veniunt; ipſi nepotes Bonifacii dicant, qui *ad extremam devenere paupertatem: ut eorum exemplo diſcant cæteri de patrimonio Crucefixi nolle ditari.* S. Antoninus 3. *p. tit.* 22. *c.* 3.

Sororum miſera.

Simoniæ Bonifacius accuſatur

Acerbè adversùs Bonifacium invehitur Theodor. Niem. *l.* 2. *c.* 7. quòd ejus in curià omnia eſſent venialia, nec ulla promotio Epiſcopi, vel parochiæ fieret ſine auro. Viventium quaſi mortuorum exhiberetur futura ſucceſſio; idemque beneficium pluribus legeretur promiſſum. Qui autem in *Expectativis* cupiebat alios excludere, novam à Curia exigebat gratiam cum clauſulà *Anteferri*, ſed eà nauſeà, quòd nulli vel pauci ſimilia procurarent *c.* 8. Hinc Regulæ excogitatæ Cancellariæ; quaſi ſolius lucri causà ordo inventus ſit judiciarius: nec Pontifices in ampliſſimis terrarum plagis ab innumero flagitantium genere non poſſit decipi, ut homines rogantium verſutiæ Pontifici ſint imputandæ. *Bonifacii tempore valdè infamem habitam fuiſse Curiam de labe Simoniacà, ut beneficia non tam meritis conferrentur, quàm plus pecunia offerentibus*, teſtis eſt S. Antoninus 3. *p. tit.* 22. *c.* 1. Replevit etiam (adjungit S. Anton.) *Orbem terrarum plenariis Indulgentiis ita ut parvæ eccleſiæ in ſuis feſtivitatibus parvo pretio ea obtinerent pro porrigentibus manus adiutrices in ſubſidium earum. Quas tamen circa finem ſui Pontificatus, omnes, quas contulerat, revocavit ſub eo prætextu, ut potius eleemoſinæ, quæ pro huius fiebat eccleſiis, converterentur ad reparationem tectorum eccleſiæ S. Pauli iuxta Urbem, quæ corruerant.* Sed hæc bellorum excuſat diſcrimen, quibus eccleſia præmebatur Romana adversùs Antipapã, ac Regulos quorũ ex unguibus vindicavit Peruſium, Bononiam, Marchiam. Romamq; ſucceſſoribus aſſeruit jure perpetuo; Regnum Neapolitanum Ladislao ære ſuo peperit adverſus Gallos. Accedant

Ædificia Bonifacii.

13. *Pontes, montes, nemora, marmora* in Arce A Adriani, in Capitolio, in Turre Pontis Milvii, quæ funditùs magnificè reformavit, teſte Niemio. *c.* 14. *l.* 2. etſi ob hoc etiam in invidiam adductus, quod exhauſto errario, inſania extruendorum ædificiorum libidine, Bonifacio pecunia non eſſet, quà ſacerdotes aleret, & Epiſcopos panem quærentes. Simultatis quam in Bonifacium geſſit Niemius, cauſas diligenter inveſtigavi, ſed non inveni. Quid injuſtè ab eodem Niemio perſtringatur Bonifacius, præcipuè cũ ſcribit *An. X. ſui regiminis, ut cautius* ageret, & Simoniã palliaret, quã exercuit quodã neceſſitatis colore, primos fructus unius anni omnium eccleſiarum cathedralium, & Abbatiarium vacantium ſuæ cameræ reſervavit, ut quicumque per eum promoveri voluit, ante omnia cogebatur ſolvere primos fructus eccleſiæ, *vel monaſterii, cui præfies voluit l.* 2. *c.* 16. Non enim B Annatarum inventor extitit Bonifacius; cum ex Io: Andrea. *c. inter cætera de Officiis Ordinarii.* & ex Oſtienſi conſtet Annatas antiquiſſimà conſuetudine exactas fuiſſe à Pontificibus Romanis: & à nonnullis in Concilio Viennenſi in controverſiam vocatas. Accedit quòd ipſe Petrus de Lunà veteri more Pontificum in Galliis, ubi perſonatum agebat Pontificem, Annatas exegit, quas poſtea Carolus Rex ſuſtulit, ut in *Arreſta* apud *Petrum de Clemang.* cum ſe conſtituit acephalum. Injuſtè etiam ipſa carpitur Annata quaſi ſimoniacè poſita; quia teſte Gerſone *c.* 3. *De Simonià.* Sicut ex antiquà lege decimæ decimarũ debebantur ſummo ſacerdoti à Levitis Numer. 18. Deuter. 16. Sic non minus in nova lege debetur hæc decimatio facienda ipſi Papæ per inferiores. Hæc autem recompenſatio videtur rationalis, quòd fructus Pon- C tifici primi Anni à quolibet beneficiato perſolvantur, quoniam ſervit Eccleſiæ, & ita pro ſuſtentatione ſtatus ſui *poteſt onerare perſonas, & beneficia.* Si enim ſacerdotes, & Epiſcopi vellent negare Annatas Summo Pontifici, tunc eadem facilitate laici negarent decimas ſacerdotibus, & ſacerdote recuſarent medios fructus dare Epiſcopis magnà eccleſiæ confuſione.

Calumnia Niemii in Bonifacium;

14. *Romam*. Antipapæ diſſidiis Eccleſia vexata catholica, bello etiam fatigata inteſtino, Malateſtam è Malateſtis hoſtem patiebatur ingratum. Is pluribus à Bonifacio exornatus præfecturis cum in opes aſſurrexiſſet, & gloriam, Tudertum propulſato Pileo Card. legato tyrannicè occupaverat. Ejus ambitum Pontifex compreſſurus Ann. 1392. legitimè citatum excommunicavit; omni- D bus Vicariatibus, & feudis privavit. Iudicio poſtulatus Malateſta, petità veniâ ſtuduit mulcère Pontificem, qui tot implicitus periculis, ne hoſte præpotenti partes foveret Antipapæ, Tudertinam præfecturam ad decennium contulit eo pactò, ut annuatim tria aureorum millia Fiſco ſolveret Pontificio. Pari clementia Benutium donavit præfecturà Cinguli: Caſſantum Fulginii, ac Montisflaſconis, Roſciani Tellum, Caſſanum Narniæ vicarios creavit, ut Eccleſiam tuerentur contra ſatellites pſeudoPontificis. Alia oppida donavit Franciſco Mantuano Imperiali Vicario tenui impoſito cenſu unius accipitris. Ita varias Bonifacius errabat per urbes Romam, Peruſium, Aſſiſium, Spoletum, nuſquàm tutus, urbibus Italiæ cunctis tumultum

agentibus, licet Bononia, Imola, Maſſa Lombardorum, Petuſium An. 1392. difficili bello, quòd cum Galeacio V. C. geſſerant, auctoritate liberati Pontificia, non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in těporalibus Bonifacio ſe ſubmiſiſſet Pontifici, *Niem* c. 15. Aſſiſium Peruſio Bonifacius venerat, ubi Romanos audivit oratores rogantes, ut ad declinanda diſcrimina, quæ imminebant, Romā ſe reciperet. Placuit Bonifacio legatio, dumodo pacta Romanis reciperentur oblata. Præcipuè, ut *Pontifex ſenatorem Vrbi præficeret. Aulici Pontificii ad Capitolinum non traherentur tribunal. Eccleſiæ, monaſteria, cæteraquè pietatis loca ab omnibus oneribus, & vectigalibus eſſent immunia.* Hæc cum iureiurandó promiſiſſent obſervare Romani: Romam Bonifacium veniſſe An. 1393. vult Raynaldus ſed fallitur nam teſte, *Niemio l. 2. c. 13. decimo ſui Pontificatus Anno Romæ in alto, & baſſo temporale dominium habuit, & quandiu vixit tenuit manu forti.* Concordant Platina *Appropinquante* (ait) *Anno Iubilei* (1400.) *legati Romanorum Pontificem adeunt, rogantes ut Aſiſio Romam proficiſceretur.* Ægidius Virerbienſis. *Inſtabat iam ſacer Annus Centeſimus quamobrem ad Iubilæum celebrandum Romani ſe accingere, Oratores mittere; Pontificem revocare. Pontifex qui tunc Aſiſii erat, & id ardentiſſimè perceperat, deſiderium tamen diſſimulare voluntatem tegere quod illi poſtulabant, tergiverſari; ratus advenisse tempus, quo omnes ex Vrbe tenebræ, Tyrannorum radices evellerentur. Solquè qui in Vrbe poſuit tabernaculum ſuum, imperaret in Vrbe ſolus; nec eſſet in poſterum, qui ſe abſconderet a calore eius, hoc eſt, qui in Vrbe Pontifici non pareret: negat pru dentiſſimus Pontifex in Vrbem ſe venturum.* (Ex Platina plura colligens, Viterbienſis ita proſequitur) *quia noluiſſent recipere ſenatores ex nobilitate externa ſecundùm conſuetudinem, & inſtituta Pontificum: quodquè Camera conſervatores ſuopte elegiſſent ingenio, homines parum idoneos, quorum licentia Banderenſibus omnia licerent. Tunc Romani ut Pontifici rem gratam facerent, Banderenſios tollunt, & filium Pandulphi Malateſtam Piſaurienſem, virum doctum, Pontificis nomine in Senatorem recipiant, pecuniaſquè dant Bonifacio, ut* A *honeſtè ad Vrbē proficiſci liceret. Vrbē itaquē ingreſſus munitā mole Hadriani manibus, & turribus; ammunita Vrbe ſenſim potitus eſt, ſolà præſentiā ſuā.* Conſonat inſcriptio marmori inciſa, & in Vaticano poſita.

Bonifacius IX. Tomacellus Cybo
Arce Hadriani munità
Pontificis ditionem ſtabilivit, muniuitquè.

Vnde Ægidius Virerbienſis ait: *Nulla vis Vrbem Romam cepit, nulla arma domuere, nulli Imperatores, nullum barbarum robur obtemperantem reddere potuit, tot bella, tot exercitus, tot incendia, tot direptiones, tot anni, tot ſæcula; ſolus id Bonifacius fecit ſolus poſt tot ſæcula præſtitit: & quod alii iubendo, bellando aſſequi non potuere, hic fugiendo, diſſimulando, cunctando eſt aſſecutus: rurſuſquè a ſacerdotibus illud Ennii cantitatum eſt.* Vnus homo cunctan- B do reſtituit rem. *Fecit ſapientia Pontificis, ut obſervato tempore pareret iam Eccleſiæ urbs Roma; fecit continentia, & Sanctitatis opinio, ut Romani contrariè non auderent; fecit magna virtutis auctoritas, ut poſt tot ſæcula, omnia tandem Romæ nutu Pontificis adminiſtrarentur:* Eluſis coniurationibus, quas ſepè excitarunt Romani, præcipuè Anno 1400. quum Nicolaus Columna Albatorū religioſa mētitus inſtituta, pietatis ſpecie ad Bonifaciū obſervantiſſimus accedens noctu poſtea ſatellitibus irrumpens armatus, impreſſione in Capitolium facta, virtute Zachariæ Triviſani Veneti patritii propulſatus receſſit *Niem. l. 2. c. 27.* Ex Scotia deſcende- C rant *Albati* hyppocritæ, in Italiam; Cruces laterias; per infuſum ſanguinem in populi exprimentes conſpectu, ac olei liquore intus madefactas, æſtivo tempore ſudare fecerunt; fingentes unum eorum Heliam eſſe prophetam; qui Romam, totamquè Italiam brevi perituram nuntiabat. Ab hoc decept Clerici, laici, Cardinales ipſi, albis ſe induere camiſiis, canentes carmina, per civitates proceſſionaliter peregrinantes, tedecim dierum ſpatio, quo noctu in eccleſiis cubabant & monaſteriis, virgines cum maſculis, nullà ſuſpicione reatus. Sed unus eorum demùm in Aquapendenti comprehenſus, ac faſſus flagitium, flammis eſt datus. *Idem. c. 26.*

IN-


BONIFACIVS IX. STIRPE
TOMACELLVS GENERE CYBO

INNOCENTIVS SEPTIMVS
PONTIFEX ROMANVS CCIV.



INnocentium VII. virum ſapientem, & mitem, crudelitate tamen nepotis *Ludovici de Migliorotis*, *& Ladislai Regis Neapolitani*, quos ubere lactabar Eccleſiæ male audientem, in bobus damus, quos Salamon pelvi ſubiecit, in quo populus pollutus ſe lavabat, & purgabar à ſordibus. Principes namquè tanquàm boves non ſolùm ſua portant, & lavant ſcelera, ſed etiam ſubditorum ſuorum.

Eligitur Sal. Ann. 1404. die Veneris XVI. Kal. Novemb. hora XXI. obiit Anno 1406. die VII. Novemb. Cum ſediſſet Ann. 2. die 21. Vacat ſedes dies 25.

E L O G I V M.

Anni Sal. Iln. 1304.1 Pontificatū ſubit Coſmatus [1] Melioratus:
Cui ſar Ambitus;
Ut ex Meliorato peſſimus fieret.
Pontifex dictus
Arrhà [3] præſtità juramenti thiaram ponendi,
Si aliter non poſset reparari concordia:
Oblitus Deum, & ſeipſum;
Omnia libèrter audiebat, vità exceptà privatà.
[3] *Vbi ambitus: ſemper inquieta quies.*

Ea temporum, non hominum vitia: Anni Sal. Iln. 1304.1
Ut etiam Piſcatores mergerentur in portu.
Ex miti, probo, pacifico,
Crudelem, improbum, bellatorem
Vita, vità dixere nepotis.
Qui ſolus [2] undecim pacis Legatos ferro ſuſtulit.
Si tirannus non minus eſt,
Sub quo omnia, quàm ſub quo nihil:
Etiam Clementia tyrannos facit. 1405.11

Anni Sal. In. 1404.12

Vis punire peccata? nè reſpicias peccatores, A
Etiam Chriſtus dilexit ſuos.
Sed in fine, dilexit eos.
Agebat Roma more Gigantum.
E collibus Iovem collimabat ſuum.
Mirum in tantà armorum luce potuiſse latere;
1406.12 Seditionis auctor Ladislaus 4 Rex Neapolis

Ne Innocentio Brutus deeſſet,
Quem ubere lactavit Eccleſiæ.
Nolite confidere in Principibus,
In quibus non eſt ſalus.
Tantis fluctibus agitata Petri navicula,
Cũ mergere nequeat ſeipsã, Rectorẽ demet ſit:
Qui impotẽs vacare muneri, vacavit 5 munere

Anni Sal. In. 1304.12

ADNOTATIONES IN INNOCENTIO VII. PONT. ROM. CCIV.

Sal. An. 1404. 1. M*Elioratus*, &c. Bonifacii perſolvebant funus Cardinales; dum quidam, ex conſanguineis ejuſdem Bonifacii, præfectus arcis S. Angeli, fide violatà, Antipapæ legatos violenter captos duxit in arcem nec dimiſit, quàm quinque acceptis millibus Florenorum. [Legati Petri de Lunà.] Dum autem Cardinales ingredi vellent conclave, eligendi causà Pontificem; Nuntii rogarunt Antipapæ, ſuperſederent parumper in hujuſmodi electione, ſi citò deſiderarent ad cõciliãdã pacem eccleſiæ, grata audituri à Petro de Lunà ſibi commiſsa. Cardinales verò exiſtimantes talia doloſè exhiberi, protinùs ſubiere conclave electuri Pontificem. *Niemius l. 2. c. 24.* Adjungit Innocentius, qui Bonifacio fuit ſubrogatus, à Cardinalibus vocatos Antipapæ fuiſse legatos, interrogatoſquè. *An Petri de Luna nomine vellent ipſi abire Papatu? Si his namquè inclinabant: promittebant & ipſi novum non renuntiaturum Pontificem. Epiſtol. l. 1. p. 134.* Illi autem qui causà pacis non venerant, negarunt ſe eà inſtructos auctoritate, ut Petri nomine cederent. [Pactũ inter Cardinales.] Spretis tunc hiſce impoſtorum fraudibus, Cardinales meditantes quomodo ſchiſmati finem imponerent, ſanxerunt ſe mutuo aſtringere ſacramento, *ut quis ex eis Papa renuntiaretur, Pontificatum etiam reſignaret, ſi aliter unitas reparari non poſſet eccleſia.* Hoc ſacramento adſtricti ingrediuntur Conclave, ac D. *Coſmatum Melioratum*, Cardinalem Preſbyt. S. Crucis, eligunt in Pontificem. *Niemius l. 2. c. 34.* [Coſmati Meliorati electio in Pap.] Naſcitur *Coſmatus* (Idem c. 39.) *è parentibus honeſti, & mediocris ſtatus, ex inſigni oppido Sulmona Valuenſis diaceſis, in Aprutio versùs Campaniam. Clarus fuit doctor in iure Canonico, expertus in Curiâ Romanà in cauſis agendis, et vix fuit Curialis, cuius notitiam non haberet, et cui non ita placidè loqueretur, ac ſi carne ſibi coniunctus exiſteret, caſtu vitu, et bonu famu, canendi, et ſcribendi peritus, bonarum literarum apprimè doctus. Fuit etiam olim collector* [Studia, Officia.] *fructuum camera Apoſtolicu tempore Vrbani VI. in Angliâ, in quo officio, ut formà valebat, multum laudabiliter ſe habebat. Deinde Bononienſis Epiſcopus factus, ac poſt Theſaurarius Vrbani, demùm per Boniſacium initio ſui Pontificatus ad Cardinalatus honorem aſſumptus, ſic gradatim in dignitatibus aſcendendo.* Comparat eum Niemius Bonifacio, cui in omnibus pingit diſſimilem: Conſonat *Aretinus hiſtor. Ital.* Circa Epiſcopatum Bononienſem diſcrepare videtur Sigonius *l. 3. de Ep. Bonon.* & Rubeus *l. 7. H. Raven.* quorum teſtimonio à Bononienſibus [Ladislaus Rex Neapol. Romam petit.] reiectus non iniit. Eodem die, quo reiectum, aſſumptum fuiſſe ad Cardinalatum, & adminiſtrationem eccleſiæ Ravennatis narrat Rubeus.

Innocentij auditâ electione *Ladislaus* Rex Neapol. pactum illud infulas ponendi papales, ſi ſic unitas eccleſiæ expoſceret, ſiniſtrè interpretatus, ne ſibi in regni poſſeſſione aliquod crearetur diſcrimen, Romam armatus accedens, ſpecie ſalutandi Pontificem (priuſquàm is coronaretur) populum iam contumacem præſentià ſuà concitavit ut ab electo Pontifice Vrbis repeteret temporale Dominium, caſtra, munitiones. Cardinales autem adverſus popularem tumultum accito in Vrbem Duce *Muſchardà* cum valido exercitu, is autem in Romanos qui coibant cum Rege, prævalere non poſſet; [Aſtu] Innocentius Regem placare duxit Campaniæ maritimæ ad tempus oblato regimine. Quo recepto arbitrum ſe offerens inter Pontificem & Gibellinos, Capitolium ſeditionibus excitandis dicatum populo addixit (in quo ſalem ibidem à Bonifacio congeſtum, valoris XX. millium florenorum auri, Romanorum primates privatis uſibus attraxerunt) Decemuiros ex factione Gibellinâ deligendos impoſuit. Senatorem Vrbi Pontifex populo conſentiente præficeret. Officiales vrbani ab eo probarentur. Pontes, portas intus & extra urbem Pontifex obtineret: Molem Adriani, civitatem Leoninam pro arbitrio poſſideret. Quæ verò in ædibus Capitolinis, Senatuis, Populoque Romano liberè permitterentur. Popularem ſtatum *Ladislaus* revocabat, ut tanto faciliùs Pontifex cogeretur aliò emigrare, cuius abſentià ipſe affectabat Dominium Vrbis. Hiſce diſpoſitis Ladislaus receſſit. Innocentius verò cum magnà lætitia, ac Romani populi frequentià, coronationis ſuæ ante Baſilicam Apoſtolorum Principis inſignia recepit, & ad eccleſiam Lateranenſem eadem die accedens, inde ut moris eſt, in palatium rediit. *Theodor Niem. l. 2. c. 35.* [Innocent. coronatus Gibellinorũ inſolẽtia.] Fuit hæc Pontificis indulgentia popularis incitamentum furoris. Nam ſeptem Officiales Gibellinæ factionis, clementià verè innocenti abutentes Pontificis, quotidie eum poſtulatis vexantes iniuſtis, cum multa impetraſſent (Vir namque pacificus Innocentius mitis, & probus credebat in bono vincere malum) iterumquè novis vrgerent repetitionibus: Iratus tandem reſpondit: *Nonne omnia feci, qua voluiſtis? Quid ultra facere poſſum, niſi velitis & hunc, quem geſto mantellum.* Volens annuere, quod Pontificatu malet abire, quàm tot ſuſtinere moleſtias. Non longè ab urbe ſtabat Ioannes Columna expeditis inſtructus agminibus, ut factioſis uim adderet Gibellinis. Ad cuſtodiam Pontificis excubabat Muſcharda cum militum phalangibus, quorum ſtipendiis reditus omnes abſumebantur Pontificis, Civium verò ut animos beneficiis induratos emolliret, XI. creavit Cardinales, quorum quinque Romanos al-

altioris ordinis, partim de ſtatu aſſumpſit mediocti. Non propterea ab infeſtatione ceſſarunt, corruptis à Ladislao maioribus populi præcipuè qui *Cavalratte* nuncupantur: diſsolvunt. Dic advenien- te oblatis induciis, concordiæ interpretes venere cives quatuordecim (dies erat quinta Auguſti) qui multa cum Pontifice agitata, circa horam prandii re infectà domum redeuntes, paulò ſupra molem Adriani invaduntur. Capti ex his duodecim, & ad nepotem adducti Pontificis, cuius iuſsu capti fuerant, undecim eorum protinùs è turri dantur præcipites, ubi uſquè ad veſperas nuda iacuere cadavera. Duodecimus, qui conſobrinus erat cuiuſdam Cardinalis iam iam necandus, ad preces dicti Cardinalis tempeſtivè ſupervenientis, vix mortem evaſit. Inſcius ſanè tanti facinoris Pontifex fuit, ſi fides Leonardo Aretino, qui Innocentio à ſecretis fuit titulis, ab eodem & honoribus auctus, ut ipſe proteſtatur; ſecùs ſi Platinæ referenti captivos ad Pontificem ductos, ab eodem ad Nepotem fuiſse transmiſsos *tanquàm ad certum carnificem*. Ex adverſo Aretinus. *Vir namq. (ait) pacificus & mitis, nil magis abhorrebat, quàm cædes. Mæſtus ſe ſe, ac fortunã deplorabat ſuam oculos interdum ad Cœlum tollens, quaſi Deum invocaret teſtem innocentiæ ſuæ erga populũ Romanum.* His curis anxius non quid ageret, nec ubi conſiſteret, præ nimio dolore ſciebat. Circumſtantium variæ erant ſententiæ. Alii confeſtim abeundum, nec impetum læſi populi expectandum ſentiebant: cum & Regiæ copiæ non procul eſſent ab Vrbe in ſuppetias Romanorum. Alii nullo modo abeundum, ſed auxilia ex amicis oppidis expectanda. Alii alterà die abeundum putabant ut colligendi ſarcinas ſpacium eſſet, nec fuga videretur, ſed migratio. Vicit demum eorum ſententia, qui extemplò abeundum ſuadebant. Collectis itaquè præ anguſtià vaſis, primo equitum turma, deinde pedites, & impedimenta proficiſcuntur. Poſt hos Pontifex cum turbà Curialium. Extremum agmen claudebant equites, ut vim à tergo repellerent. Supererant quatuor horæ diei cum timidi urbe egrediuntur. Circiter ſecundam noctis ad vicum Ceſianum duodecimo ab Vrbe lapide conſederunt pernoctantes, indè primà luce caſtra moventes, circa ſextam diei horam venere Sutrium, ubi extra portam diffuſus populus alacri vultu ſuſcepit Pontificem Viterbium die advenere ſequenti. In itinere præ fervore diei & æſtus præ ſitis anguſtià triginta defecerunt; Papa ipſe vix mortem evaſit; Sarcinis non paucis amiſſis, quas omnes diripuere Romani, occiſis etiam aliquibus Curialibus. *Niem l. 2. c. 30.* Ioan. Columna, qui unà cum populo palatium diripuerat Pontificis, miſit protinùs ſolicitatum Ladiſlaum, ut ad urbem accederet, promitens ei tradere dominium ejus. Adfuit opportunè Ladislaus cum copiis ad eccleſiam S. Petri, ſed populus indignantus Romanus, urbem tradere negavere conſtantes. Cum Ladislao conſpirabat *Antonellus Tomacellus* nepos Bonifacii IX. qui accepta beneficia in furoris arma converterat. Gemino loco circa ſcilicet Capitolium & pontem S. Angeli certatum eſt: ibi Romani contra Romanos, hic Romani, contra Regios. Sed utrobiq. victores; undè Ladiſlaus abiit; & Guelphis Capitolium Gibellini ceſſere. Populus tunc abrogato regimine, tres novos creavit Prætores, qui mitiùs agentes, captivos omnes liberarunt, inter quos erat Patriarcha Gradenſis, Narnienſis, aliiq. Epiſcopi, nec non alii magnæ auctoritatis viri forſan numero quinquaginta. Bona ablata Curialibus magnà parte Dominis reſtituta fuere; ita procurantes dicti Rectores cum cognoviſſent, quòd Innocentius valdè Ludovicum increpaſſet de tantis malis illatis adversùs Romanos. *Niem l. 2. c. 37.* Cum dies viginti in ſuburbio hæſiſſet S. Petri, copiis imminentibus Pontificiis, quas Viterbio ducebant *Muſcharda*, & Paulus Vrſinus, ſe in fugam coniecit. Moles tantùm Adriani ſub Ladislai manu remanſerat. Tanto diſcrimini morbus acceſſit Pontificis, quem Viterbii ſtantem, ac pro tribunali ſedentem paralyſis invaſit in facie, divino forſan iudicio (dicebant Curiales) quia

Crudelius necatis Pontificii.

Papa Romam fugit.

Paralyſi percuſsus Papa.

B 3. *Arrhà* præſtità iuramenti thiaram ponendi, ſi aliter non poſset reparari concordia, nunc Viterbii ſub diſputatione poneret, an gratià unionis teneretur inſulas ponere, ut promiſerat in Conclavi. Ex quo murmur erat, quòd unionem ſimularet, *c. 38. l. 2. Niem*. Suſpicionem augebat Sanctio ab eo edita 3. Idus Novemb. Anno 1. Pontif. (in gratiam ſui, vel Ladislai? ignoratur) quà cautum, non poſse iniri concordiam inter Papam & Antipapam, niſi regnum Neapolitanum Ladislao adversùs Andegavenſem aſsereretur. Quid enim privata Ladislai commoda cum Eccleſiæ concordià? Nimii porrò in Ladislaum ſtudii, vel ſimulationis, nè Inſulas ponere hiſce teneretur C ambagibus vindicem Innocentius ſenſit ipſum Ladislaum, à quo Pontifex urbe pulſus, iura omnia eccleſiæ tam civilia, quàm ſpiritualia ab eo uſurpata eſt diſſimulare coactus. *Idem c. 41.* Hinc Platina, Krantzius, Theodoricus Niemius *l. 2. cap. 38.* Innocentium inſimulant, ad concordiam non reſpexiſse ne Inſulas poneret. Hiſce tamen querelis Concilium obſtat initio ſui Pontificatus ab eo indictum Romæ celebrandum Kal. Nouemb. quod cum ob Romanorum ſeditionem convocari non poſset, itinere ſuperſedentibus Epiſcopis, & Oratoribus Principum, ad Kal. Maii prorogavit. *Innoc. ep. l. 1. p. 345.* Eo autem maior cogendæ ab Innocentio ſynodi urgebat neceſſitas, quo Antipapa poſtquàm miſiſset ad Innocentium nuncios pro D impetrando *Salvo conductu*, ac petitio, ut pote doloſa reiecta fuerat; Orbem implebat querelis, per eum non ſtare, quin unio fieret, epiſtolas ſatis comptas Principibus dirigendo: quibus licet Innocentius alias adverſas dictari feciſset; tamen Ianuenſes ac Piſani à Galli Regis Oratoribus ſeducti, levitate quadam ad Antipapam defecerãt cum ſuo Archiepiſcopo, ac Cardinali de Fliſco, qui ibi degebat pro Romano Pontifice. Quod cum accepiſset Antipapà, eò protinùs cum ſuà Curià profectus, & tanquàm ſummus Antiſtes à Ianuenſibus & Piſanis veneratus, Italiam intercipere meditabatur. Obſtitit tamen Deus, lue in Ianuenſes immiſsà, quę civitatis partem abſumpſit maiorem, *Bizarus l. 10.* Piſani, qui Dominii cupidi à Pontifice in Gallorum clientelam defecerant, Anno pro-

Piſani deficiũt ad Antipapam.

proximo in ſervitutem Florentinorum cecidere. *S. Anton. 3. p. tit. 22. §. 15.* Gabriel Maria nothus Ducis Galeatii (quo auctore Piſani deſecerant) triennio poſt, Genuæ, perduellionis crimine poſtulatus, capitali eſt affectus ſupplicio, *Niem l. 3. c. 40.* Interim Petrus de Lunà, peſtilentiæ terrore perfuſus Maſſiliam rediit, cum in eum Innocentius legatum creaſset Petrum Cardinalem XII, Apoſtolorum, qui poſtea in Piſano conventu nomine Alexandri V. ambiguum renuit Pontificatum.

Perfuncti verò fœdæ ſervitutis periculo
Vrbem reſtaurat Innoc. 7. Romani, in quam ipſos redigere fallaci ſpetie libertatis objectà, Ladislaus tentaverat ad obſequium rediere Pontificis Anno 1406. *Secundà itaq. hebdomadà Quadrageſimæ, Romanorum importunitate deuictus, ingenti populi lætitià, impenſo ſibi Papali honore magnificè exceptus, Romam rediit. Qui mox de miſerabili deformatione ædificiorum Canonicorum, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Beneficiatorum in vrbe, per ſtipendiarios Bonifacii plurimum deſtructorum, dolens, nitebatur, ſi ſuperuixiſſet, ea expenſis Cameræ Apoſtolicæ repararet. Generale etiam ſtudium in ipsà Vrbe renouauit, quod eo defuncto ſtatim euanuit,* Niemius *l. 2. c. 39.*

Benignus Clemens. *Hinc Pontifex* *mitis, benignus, compatiens afflictis, nec erat aliqua Superbia in eo, neq. ad ipſum acceptio perſonarum, niſi quod dictum Ludouicum, & quoſdam alios ſibi ſanguine iunctos in quibuſdam regiminibus terrarum eiuſdem eccleſiæ collocauit; libens audientiam dabat, & ferè diebus ſingulis certis horis ſupplicationes ſibi porrectas ſollicitè ſignabat. Conſiſtoria publica, & priuata tenebat diebus, & horis conſuetis, nec alicui moleſtus, neq. cupidus, ſeu auarus exiſtebat, Simoniacos exoſos habuit* Ibidem.

4. *Ladislaus* &c. Reuerſus in Vrbem Innocētius, cū adhuc diffidià foueret *Antonellus Thomacellus* molis Adrianæ præfectus: arcem obſideri Pontifex iuſſit; ſed in ciues telis contortis magno vrbis detrimento; in auctores excitatus ſeditionis Innocentius poſt latam ſententiam in *Io.* & *Nicolaum Columnenſes* etiam *Ladislaum* Neapol. Regem malorum omnium auctorem, qui tam fœdè eccleſiæ vbera, quibus lactatus fuerat, laniarat (vt ſupra vidimus *n. 1*) cuius flagitia in oppugnandà ſedis Apoſtolicæ dignitate, inq. libertate opprimendà eccleſiaſticà in Sicilià citeriori (ibi eccleſias ac monaſteria ſub tributo cogendo, domos Epiſcoporum in caſtra militum deſignando, ingratus benemeritos expoliando) iam diu diſſimulaſſet, neq. crebris ad eum monitis ad officium flectere poſſet, Pontificali demum inſurgens conſtantià, excommunicauit illumq. iudiciario ordine, regno pellexit. Hoc fulmine territus miſit illicò Ladislaus Legatus ad palpandum Pontificem, qui verbis delinitus, & adulatione, Regem Eccleſiæ reſtituit ſequentibus pactis. Pax cū Ladiſlao. *Iniuria hinc inde dimittantur vſq. ad XIIX. Iuly. An. 1396. Ladislaus Chriſtianà demiſſione obſequium ſoluat Pontifici. Molem Adriani reſtituat. Regnum iure acceptum fiduciario fateatur ac fidei nuncupet Sacramentum. Sacris erepta locis reſtituat. Hoſtes non foueat eccleſiæ. Proceres Innocentij fœderatos reſtituat, Sic Innocentius Romanos exules in Vrbem reuocet. Anathema Vrbani 6. in Carolum III. aboleat. Campaniæ Maritimæ adminiſtratio Ladislao vſq. ad præfinitum tempus continuetur.* Præter hæc, etiam Romanæ eccleſiæ ſigniferum, ac defenſorem creauit. *Innoc. l. 2, p. 23.* Firmatà concordià iniurias Pontifici pro acceptis beneficijs Ladislaus retulit. Hinc legum renouare ſeueritatem parabat Pontifex, ſed morte præuentus non impleuit. *Niemius c. 41, l. 2.*

5. *Vacauit munere* Innocentius, apoplexià percuſſus, ſenex & grandæuus, ſeptuagenario maior Anno ſecundo Pontificatus. Niemius ei, licet Pontificibus infeſtus Romanis, ſequēs concinit elogiū,
Obitus Innoc. 7. *Innocentius dum Viterbii reſideret, Scriptores literarum Apoſtolicarum per priuationes officiorum ſuorum, et alias formidabiles pœnas compulit ad dimittendum*
Literatos amat. *focarias. Multa alia peregiſset in Papatu, ſi eum Dominus à ſæculo ita ſubitò non vocaſset.* Infra. *Cum viris literatis et doctis delectabatur habere colloquia, eoſq. dilexit, & promouit l. 2. c. 41.*

In Baſilicà S. Petri ſepelitur in Sacello, quod olim Pontificibus dicatum erat, S. Thomæ titulo inſignitum, Pœnitentiariorum vſibus nunc ſerviens; quod uetuſtate conſumptum Nicolaus V, poſtea reſtituit, notato etiam hoc epitaphio in Pontificis ſepulchro.

Innocentio VII, *Pontif. Max.*
Cum neglecti eius ſepulchri Memoria interiiſset
Nicolaus V. Pontifex Maximus Reſtitui curavit.

In eius electione dicitur impletum Malachiæ vaticinium, *De meliore ſydere*, quia ex familià natus eſſet de *Melioratis*, quæ Sydus vel cometē ferebat in ſtēmate,

SIGNVM INNOCENTII VII.



Mitrā ſuam Pontificalem gemmis ornatam dono dedit eccleſiæ Salmonenſi cum literis ad Clerum ejuſdem Vrbis.

Scripſit epiſtolas varias teſte Ducheſnio *in eius vità*, & Vvadingo *tom. 5, Annal, Minor.*

GREGORIVS XII.
PONTIFEX ROMANVS CCV.



CCV

INter Gregorium XII. legitimum Eccleſiæ Pontificem, & Ioannem, ac Benedictum pſeudo-pontifices cum pro concordià ineundà ageretur de dividendo Eccleſiæ Regimine; Ioannes, et Benedictus Antipapæ conſentiebant, quemadmodùm filicida illa foemina iubenti Salomoni, inter altercantes mulieres ſuperſtitem dividi filium, *dividatur* reſpondit. Vera autem mater (cuius commota ſunt viſcera ſuper filio ſuo. 3. *Reg.*) negavit, dicens: *Non dividatur: date illi potiùs infantem vivum*. Sic ſolus Gregorius cum audiret dividendum Pontificatum; obtulit potiùs ſe abdicare, quàm Chriſti dividere tunicam inconſutilem.

Eligitur Anno 1406. *die* 2. *Novemb. Renuntiat die Iovis* 4. *Iulii An.* 1415. *Cum ſediſſet Annos* 8. *Menſ.* 8. *dies* 2. *Obiit Cardinalis An.* 1417. *Vacat ſedes uſq. ad diem* 3. *Idus Nou. An.* 1417.

ELOGIVM.

ANgelus *Corrarius* Quintus ſupra 200.
Romæ electus nomine Gregorii XII.
Eà lege, *Vt Pontificatu ſe abdicaret,*
Si ſic unitas poſtularet Eccleſiæ;
Fidelis pacta ſervavit.
Fallere non poterat, qui Venetus erat.

Etiam Sulmonenſes, Neapolitani, Romani Anni Sal IGr 1407.
Ita iurarunt, ſed peierarunt omnes.
Nam Venetis datum ſalvare eccleſiam Dei.
Habent iſti à naturà Regnum,
Sed familià cuſtodiunt privatà.
Libertatis cupidi, Regna domant, & donant.

Anni Sal.Gr. 1407.1

Hac enutritus in aulâ Romã Angelus venit,
Plenus fide, & Spiritu Sancto.
Innocentio VII. à ſecretis
Cũ una vox eſſet huic magni cõſilii Angelo;
Gloria in Altiſſimis Deo, & in terrà Pax:
Innocentio mortuo Corrarium ſubrogarũt;
Vt quod homo nõ impleverat, ſuppeleret Angelus.
Clavo & clavibus ornarunt Purpurati;
Vt tutum Eccleſiæ præſtaret Olympum.
Caro[a] & ſanguis pugnavit diù in Gregorium
Sed facta cũ Angelo multitudo militiæ (æleſtis
Laudantium Deum & dicentium;
Gloriâ in Altiſſimis Deo, & in terrà pax:
Reſtituit pacem terris, Cęloq. pepercit.
Et Numen poſt Fata fuit.
Geminum cum eſſet Eccleſię caput;
Tertium impoſuit Piſana ſynodus.
Conuulſa tunc Petri petra.
Cum Atlas tergeminus eã viſus eſt ſuſtinere
Donec Sigismũdus, Spiritus Sãcti tabellarius,
Triennio peragratà Europà,
Synagogam Deorum Deo congregavit,
A Vt Chriſto tunicam redderet inconſutilem.
Gladio cum poſſet, maluit Patrum Cõcilio,
Cuius ut ſtarent decreta, *Conſtantia*[3] indixit.
Inter Gregorium, Ioannem, Benedictum
Cum de diviſione ageretur;
Vnus Gregorius renuit:
Malens filiæ cedere, quàm cædere.
Amor oſtendit parentem;
Qui partum non ſeccat in partem
Spontè itaquè Gregorius thiarà depoſitâ
(Cum *Ioannes & Benedictus*, ferro vel carcere
Vt tyrannide deſinerent, quam incæperant.)
Cardinalis[4] rediit, ſed Magnus remanſit; (tatis
B Purpurę fulgore addito, à iubare poſitæ digni
Arcanum adhuc ignotum mortalibus:
Sibi imperare poſſe, & ſcire.
Sed Venetà Paret hoc tulit à parrià:
Cuius in ſolo omnes ſoliũ merẽtur, & nemo ambit.
Eius Innocentia ne periret teſtium timore:
In Domo *Conſtãtiæ* vniverſa cõvenit Eccleſia
Ad recipiendas claves,
Quas ſolus tenebat Gregorius.

ADNOTATIONES IN GREGORIO XII. PONT. ROM. CCV.

1 A*Ngelus Corrarius* Iuſtis Innocentio ex pontificià maieſtate ſolutis, ambigui Cardinales, *num Pontificem alium ſufficerent in locum demortui, an magis ſuperſederent in electione? faciebat ambiguitatem, quòd Galliæ principes veriti, ne diuiſio eccleſiæ perpetua efficeretur, propontificem ſuum obligaverant ad Pontificatum deponendum, ſi vel noſter Pontifex ſe abdicaret, vel eo vita functo Card. noſtri electione ſuperſederent: hac enim via reintegrandi vniendiq. certiſſima viſa fuerat. Iuris quidem diſceptatio iudicem habebat nullum, qui ſuperior eſſet, & inextricabiles alioqui continebat difficultates. Hac igitur viâ placente, cupiebant patres in electione Pontificis ſuperſedere. Sed alterâ ex parte pericula magna, ſi ſuperſederetur, timebantur, cum & dilatio longa neceſſario interuentura foret, & nullo interim præſidente confuſio atquè ruina rerum formidaretur. Itaq. mediam viam eligentes, eligere ſtatuerunt, ſed ita obligare eum, qui eligeretur, vt ſe magis procuratorem ad deponendum Pontificatum, quàm Pontificem factum exiſtimare poſſet. Cautio in hunc modum adhibita. Promiſit, iuravit & vouit vnuſquiſq. patrum, idq. chirographo inſcripſit ſolemni, ſi Pontificem eligi ſe contingat, depoſiturum ſe Pontificatum, ſi aduerſarius Pontifex idem faceret, idq. ſtatim illi per literas ſignificaturum, & inuitaturum adhoc faciendum: procuraturumq. inſuper omnià viâ, & modo vnitatem, idq. bonâ fide & ſine vlla fraude, promiſſionem & votum & iuſiurandum, quod ipſe præſtitiſſet, omnibus Regibus, principibuſquè per literas ſuas primo quoq. tempore ſignificaturum, quo eos teſtes haberet obligationis ſuæ.* Leonardus Aretinus; Theodor. Niem *l.*3. *c.*1.

Publicum Inſtrumentum de Iureiurando à C Cardinalibus ante electionem noui Pontificis præſtito.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis, amen Anno à nativitate domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo ſexto, indictione decimaquarta die Martis menſis Novembris, in die ſancti Clementis ſede Apoſtolicà vacante per obitum ſe. re. Innocentii Papa VII. *congregati, et ad invicem collegialiter coadunati pro futurà electione futuri ſummi Pontificis celebrandà infrà ſcripti reverendiſſimi in Chriſto patres et domini, domini Angelus Oſtienſis Florentinus,* Henricus *Tuſculanenſis Neapolitanus, et Antonius* Preneſtrinenſis, *Aquileienſis Ep. Angelus tit.* S. Potentiana *Laudonenſis,* Conradus *tit. S.Chryſogoni Melitenſis, Angelus tit.* S. Marci Conſtantinopolitani, Iordanus *tit. S. Martini in montibus de Vrſinis,* Ioannes *tit. S. Crucis in Hieruſalem Raventinas, Antonius tituli S.* D Praxedis *Tudertinenſis, presbyter Raynaldus S. Viti in* Macello *de Brancaciys, Landolphus S. Nicolai in carcere Tulliano Barenſis, Otto S. Gregory ad Vellus aureum de* Columnà, Petrus *ſancti Angeli, et* Ioannes *ſanctorum* Coſmi, *et* Damiani, *Leodinenſes vulgariter nuncupati* Diaconi *S.R.E. Cardinales in communi capella ſacri palaty Apoſtolici Romæ apud S.* Petrum *intra conclaue conſuetum, quod pro loco ad infrà ſcripta idoneo elegerunt, et etiam deputarunt in præſentià mei et Baronis de Piſtorio, et aliorum notariorum, et teſtiũ infrà ſcriptorum, conſiderantes Chriſtianæ religionis infamiam, detrimenta et graues fidelium moleſtias ac pericula, quæ hactenus emerſerunt, et emergere veriſimiliter eſt cenſendum, niſi ſalubriori remedio, ac in tẽpore diuina fauente clementià, cuius res agitur, occurratur, ex peſtifero et damnato ſchiſmate, quod tantis proh dolor, temporibus in ſciſſuram Chriſtianæ fidelitatis*

tis grauiſſimè perdurauit et durat, nec pium promiſſionem aliàs pro huiuſmodi ſchiſmatis remotione per eos factam ad effectum aliquem perduxiſſet: et intendentes ad remedium fortius, non quod iuris pro parte ipſorum iuſtitia ſuadeat, quod ius veriſſimum eſt, et plena veritate fulcitum, ſed quid pro reintegratione et vnitate Chriſtianorum ex malitià temporis defecto, et ſi non de iure expediat eligentes, et in ſpeculum eorum conſiderationem attollentes, quanti poſſit eſſe diſcriminis, ſi dilatio in electione futuri ſummi Pontificis fieret temporum malignitate penſatà: Vniuerſaliter ſinguli & ſingulariter vniuerſi vnanimiter & concorditer nemine diſcrepante ex certà ſcientià conuenerunt, vouerunt deo & eius matri Virgini glorioſæ, ac ſanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, totique cæleſti Curiæ vouerunt & vnus alteri è conuerſo ſe obligando ſolemniter promiſerunt, quòd ſi quis eorum aſſumptus fuerit ad apicem ſummi Apoſtolatus pro integratione vnitatis Chriſtianorum renunciabit effectualiter iuri ſuo & Papatui purè, liberè, ac ſimpliciter, ſi & quando Antipapa, qui eſt, & qui pro tēpore fuerit, conſimiliter renunciabit & cedet prætenſo iuri ſuo et Papatui, ſiue decedet, dummodò Anticardinales velint cum eiſdem dominis ſacri collegij ſic conuenire, et concordare, quod ex hoc ſacro collegio et ipſis ſequatur iuſta Canonica electio vnica Romani Pontificis, ac etiam promittentes ſe facturos et curaturos omni dolo et fraude atq. malignà interpretatione ceſſantibus pro poſſe. Et ſi quis ex dominis abſentibus vel de extra collegium per eos aſſumatur in Papam, eandem faciet obligationem, et quod infra menſem à die intronizationis numerandum per ſuas expenſas et Apoſtolicas literas regi Romanorum, Antipapæ et eius prætenſo collegio, regi Franciæ, et omnibus alijs regibus illuſtribus, principibus, prælatis, vniuerſitatibus et communitatibus Chriſtianitatis ſecundum videre præfatorum dominorum de collegio præmiſſa omnia indicabit, et ea ſe offeret impleturum ac paratum ad ceſſionem modo prædicto, et ad omnem aliam viam rationabilem, per quam prædictum ſchiſma tollatur, et vnionis ſubſequatur integritas in Eccleſià Chriſtianorum. Et quod ſupra omnibus ſuprà dictis vltra præmiſſa ſuos ſolemnes deſtinabit Oratores infra tres menſes à die intronizationis computandos, quibus de conſilio præfatorum dominorum ſacri collegii ſui videbimur, et ipſis ambaſiatoribus cum effectu imponet cum conſilio eorundem dominorum de locis decentibus eligendum, ab vtraquè parte eiſdem poteſtatem plenariam dabit de loco conueniendo habili et decenti. Ac etiam permittet ſimiliter, vt præfertur, quòd pendente tractatu vnionis huiuſmodi effectualiter et realiter ex vtraq. parte non creabit, nec faciet aliquem Cardinalem, niſi cauſa coæquandi numerum ſui ſacri collegij cum numero prætenſi collegii Anticardinalium prædictorum, niſi ex defectu ſteterit aduerſæ partis, quòd vnionis præfata concluſio infra annum à fine dictorum trium menſium non fuerit ſubſecuta: quo caſu liceat eidem Cardinales eligere ac creare, prout pro ſtatu ſancta Romana Eccleſia eidem videatur expedire. Et hoc de non creando Cardinali, niſi modo prædicto, formà congruà inſinuabitur Antipapæ et prætenſo collegio ſuprà dictis, vt ipſi ſimiliter ſic faciant: necnon quòd omnia præmiſſa inchoata, et inchoanda mediabit, proſequetur, et fine debito terminabit, nihil de contingentibus et neceſſariis, vel quomodolibet opportunis omittendo, quantum in eo fuerit, quodquè ſtatim poſt eius electionem, et ante ipſius coronationem omnia, et ſingulà confirmabit authentico modo, et de nouo ſimilem promiſſionem faciet in omnibus, et per omnia coram dictis dominis collegii teſtibus et notariis, ac ſubſcriptionem faciet manu proprià in inſtrumento, prout infra de Cardinalibus continetur, et ſimiliter huiuſmodi ratificationem, approbationem, votum et promiſſionem effectualiter faciet in primo Conſiſtorio publico vel generali, quod poſt coronationem ſuam ad hoc commodo, conſueto et congruo tempore celebrabit. Inſuper præfati domini Cardinales vouerunt, iurauerunt et ad inuicem promiſerunt, quòd per ſuas literas infra menſem à die intronizationis prædicta collegialiter intimabunt, et de electione factà, necnon de voluntate, et promiſſione, quo ad vnionem perſequendam, et omnia ſuprà dicta omnibus præfatis dominis, prout et ſicut facere tenetur, qui erit electus, et etiam inchoata mediabunt, proſequentur et finient, quantum in eis erit, nihil de contingentibus, neceſſariis, vel opportunis quomodolibet ſeu vtilibus omittendo, quæ omnia et ſingula promiſerunt inter ſe ad inuicem, et viciſſim, vt ſuprà, attendere, facere, exequi, et adimplere, bonà, purà et ſincerà fide omni dolo, et fraude ceſſantibus. Et ſic quilibet eorum iurauit corporaliter manu tactis ſacroſanctis Euangeliis coram eis præſentialiter poſità ſeruare, & adimplere ac exequi, prout ſuperiùs continetur, quodq. à prædictis promiſſione, voto & obligatione ac iuramenti præſtatione, et eius obſeruatione, ac omnibus, et ſingulis ſuprà dictis nullus eorum abſolutionem petet, ſeu impetrabit per ſe vel alios, & impetratis vel impetrandis vtetur, & ſibi conceſſam nullatenus acceptabit, nec datà poteſtate per ipſum alteri ſe faciet abſolui, ſeu etiam in aliquo ſecum diſpenſari. ſed volet dicto vinculo perpetuò remanere obligatus. Et nihilominùs ad maiorem certitudinem, & firmitatem præmiſſorum quilibet ex dominis de collegio prædicto tenetur ſe ſubſcribere manu proprià in omnibus, et ſingulis inſtrumentis conficiendis exinde, quorum inſtrumentorum quilibet ex ipſis dominis de collegio vnum vel plura habere valeat pro eius libito voluntatis. Acta in capellà præfatà.

Pacta inter Patres.

His confectis, *Vir quærebatur* (inquit Aretinus) *non tam peritià, quàm fide idoneus et integritate, quippè ad benè agendum in care non calliditate conſilis, neq. profundo, arcanoq. pectore, ſed bonà voluntate opus fore videbatur. Ita animati cum ſingulos examinarent, tandem in Angelum Corrarium natione Venetum Patritei ſanguinis, filius mentem, conſenſumquè omnes verterunt. Is fuerat paulò ante operà Innocentii Pontificis inter patres adſcitus, cum antea titulo tenus Patriarcha Conſtantinopoleos haberetur. Vir priſca ſeueritate & ſanctimonià venerandus. Is verò conclaui egreſſus promiſſionem, votum, iuramentum, quæ priuatus fecerat, tunc in poteſtate conſtitutus iterato nouauit, atq. ita loquebatur de vnione primo illo tempore, vt ſi cætera deeſſent, pedibus et baculo ſe iturum ad eam conficiendam aſſeueraret.* Concordat Niemius *l. 3. c. 2.* Ante coronationis inſignia *ſermonē fecit coram Cardinalibus, et Curialibus et aliis non modicà multitudine præſentibus, cuius thema fuit.* Parate viam Domino, *nihil aliud in ipſo ſermone deducens, quàm exhortando Cardinales, quòd cum eo omnino parato, vt tunc verba ſona-*

Correrii electio in Papam.

nabant, ad faciendam vnionem in eadem voluntate concurrerent. De quo Curiales plurimum lætabantur, et dictis ſcriptis lateque Errorium (ſcommate hoc Gregorium notare auctor conſueuit) *præconiis laudant de ipſius ſanctitate, et literarum ſcientiâ, prudentiâ, et bonitate vſq. ad ſydera efferebant.* Excurrente decimo à ſuâ creatione die, priuſquam thiarâ redimeretur Pontificiâ literas ſcripſit inſignes Petro de Lunâ, *Aretino* teſte; quibus expoſuit ſe ad coniungendas ſacro priſtino eccleſias fœdere, Pontificatu ſe abdicaturum, ſi ipſe affectari honoris inſignia abijceret, vt tertius eligeretur comunibus vtriuſq. collegij ſuffragijs.

Exemplum Literarum.

Gregorii literæ ad Petrum de Lunâ.

Gregorius Ep. ſeruus ſeruorum Dei, Petro de Lunâ, quem nonnulla gentes in hoc miſerabili ſchiſmate Benedictum XIII. appellant, pacis & vnionis effectum. Qui ſe humiliat, inquit veritas, exaltabitur; & qui ſe exaltat, humiliabitur: cuius ſaluberrimam monitionem quantum nobis ex alto permittitur, obedienter ſecuti, decreuimus per literas noſtras omni contentione ſepoſitâ benignè te affari, & ad integrationem Eccleſia cohortari, immò te inuitare ad id conſilium capeſcendum, quod nos ipſi pro pace Eccleſiæ accepimus. Vides, quanta mala quanta pericula, quanta incommoda, quanta deniq. Chriſtiana religionis infamia iam per triginta annos ex hac peſtilente ac veſanâ ſeditione in populum Dei peruenerunt, quantaq. niſi prouideatur, ſint quotidiè euentura horum omnium malorum, quæ cauſa ab initio fuerit certa videtur, quibus rigor iuſtitia non ceſſit, nec forſan æquitas perſuaſit, nihilominùs tamen graues moleſtias Chriſtianam religionem perpeſſam non dubitatur. Si ergo nunc quoq. eodem modo fiat, dubius eſt remedii locus, quo minùs Eccleſia in ſolitis remaneat anguſtiis, in quâ & tu de teipſo, & conſcientiâ tuâ videris, nos mentes & intentionem noſtram apertiſſimè profitemur, non eſt conſilii noſtri tempus aliquo modo terere, ſed quò validiora, certiora & firmiora fuerint iura noſtra, tanto laudabilius ducimus ea pro pace, & reintegratione Chriſtianorum relinquere: non enim de ſummo iure diſputandum eſt, ſæpè rigor ipſi vtilitati, & tempori cedit. Nam ſi mulier illa et iure ſuo, et proprio filio ſpoliari voluit, ne ſectionem vnius pueri videret, quanto magis nos, ſi malitiâ operante ad optatam vnionem venire non poſſumus per iuſtitia vias, matri cedendum videtur. Quare exurgamus ambo in vnum vnionis affectum, concurramus, feramus ſalutem Eccleſiæ iam hoc diuturno morbo afflictæ, ad hoc te inuitamus, paratiq. ſumus, et offerimus noſtro veriſſimo iuri, et Papatui cedere, et renunciare, et efficaciter faciemus, ſi et quando tu renunciaueris, ac ceſſeris præſenti iuri, et Papatui tuo, vel deceſſeris, dum tamen illi, qui apud partem tuam pro Cardinalibus ſe gerunt, ſic conuenire, et concordare cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus cum effectu voluerint, vt exindè canonica vnius Romani Pontificis ſequatur electio, ita quod prædicta expeditiorem ſequatur effectum, celeriter mittemus Oratores noſtros, qui tecum de loco habili, et decenti ad huiuſmodi rei confectionem diſponant, et inſuper pendente vnionis huiuſmodi tractatu non faciemus, neque creabimus aliquem Cardinalem, niſi forſan cauſâ adæquandi numerum fratrum noſtrorum cum numero eorum, qui apud te pro Cardinalibus ſe gerunt, vt ſic pares ex vtraq. parte A *ad ſolemnem, et canonicam electionem vnici Romani Pontificis venire poſſint. Extra hanc autem coæquationis cauſam nullum vt dictum eſt, creare decreuimus niſi ex defectu tuo, vel partis tuæ ſteterit, quò minùs vnionis præfata concluſio infra annum, et tres menſes à die intronizationis noſtræ computandum fuerit ſubſecuta. Hoc tamen quod de non creando Cardinali tractatu huiuſmodi pendente diximus, ita locum habere intendimus, ſi tù quoq. idem obſeruabis: hanc verò oblationem, et inſinuationem de Cardinalibus non creandis, ac ſuperiorem oblationem renunciationis modo prædicto vt ſtrictiori vinculo fiorent iuranimus, vouimus, promiſimus ante electionem noſtram eodem vinculo effectualiter adimplendam cum ſingulis ex noſtris fratribus antèdictis in caſu, quo aliquis noſtrum ad apicem ſummi Apoſtolatus eſſet aſſumptus, poſt ipſam aſſumptionem ad ipſum et firmiorem inſtantiam denuo iurantes, vouentes, promittentes atquè ratificantes. De hoc autem, quòd bulla ſine impreſſione noſtri nominis eſt appenſa, præſentium nullus debeat admirari: nam ante noſtræ coronationis inſignia huiuſmodi imperfecta Bulla abſq. ipſius impreſſione nominis habetur. Datum Romæ apud S. Petrum, etc.*

Iiſdem conceptas ſententijs literas miſſas ad pſeudoCardinales teſtatur Niemius *l.3.c.2.* Sollicitatos Reges, Principes, Præſules, Populos de ijs, quæ cum Lunenſi gererentur, præcipuè Gallorum Regem, Aceademiam Pariſienſem teſte Monſtreleto *vol.1.c.33.* Ita ad vnionem ſollicitatus Antipapa, vt Orbem illuderet Chriſtianum, hiſce reſpondit mendaciis.

Benedictus &c. Angelo Corrario, quem nonnulli in hoc pernicioſo ſchiſmate adhærentes Gregorium nominant, pacis & veræ vnionis affectum, pariter, & effectum.

O te felicem, ſi ad hoc te Dominus reſeruauit, ſi facultatem ad ea, quæ tibi data videtur, cum omni diligentiâ efficaciter proſequens nobis in effectu proſequendæ vnionis te reddendo conformem ſpopondiſti. De contingentibus nil omittas, ad hoc te piis exhortationibus inuitamus, ad hoc nos promptos reperies, hoc ſummopere cupimus, ad hoc noſtra aſpirauit & aſpirat intentio, noſter attendit affectus, vt deo dirigente, qui voluit, et eo præſtante, qui poteſt, per noſtræ humilitatis miniſterium, vt vnio in Dei eccleſiâ deſiderata ſequatur. Sed non permittit nos diſſimulare ſilentio, immò in ſtuporem vehementis aſpirationis inducit, quod tuâ ſcripturâ interprete videris innuere, quod per iuſtitiæ vias ad optatam vnionem venire non potes, vt nobis quodammodo videatur impingi, quod via diſſenſionis, veritatis, et iuſtitiæ per nos recuſata fuerint, vel in aliquo impeditæ. Abſit hoc à nobis: nam teſte Deo, nunquàm in hoc viam iuſtitiæ ac diſſenſionis, veritatis recuſauimus aut impediuimus: immò, vt verum fateamur, eam obtulimus, optauimus & optamus, & erga prædictos prædeceſſores tuos te teſte, qui vt percepimus, aliquando interfuiſti, & erga alios, quos negotium tangebat, cum debitâ ſollicitudine quæſiuimus & proſecuti fuimus, nec per nos vnquàm ſtetit, ſtat aut ſtabit, quò minùs iuſtitia & veritas huiuſmodi, quantum ad nos pertinet, videatur & agnoſcatur, ſicut ſatis ex oblatis per nos tuis prædeceſſoribus antèdictis poteſt liquidè apparere, tamen de iure noſtro per ſcientiam & iuris euidentiam ſumus certi.

Vt

Vt igitur de intentione noſtrà quod habuimus circa huiuſmodi ſchiſmatis extirpationem & vnionis affectationem, te reddamus certiorem, tibi præſentium tenore ſignificamus, quòd vt tam præoptatum vnionis negotium effectum conſequi valeat, & ſecuriùs executioni demandari, parati ſumus vnà cum collegio venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium in loco ſecuro & decenti ac idoneo tecum, & cum quocunq. ſucceſſore tuo decentibus cum prædictis, qui apud partem tuam pro Cardinalibus ſe gerunt, perſonaliter conuenire pro vnione eccleſiæ tractandà, & fauente domino obtinendà, vbiq. proviſo, et ordinato de his, quæ pro ſecuritate ac accelerationis vnionis prædictæ erant opportuna, et neceſſaria diſponenda, parati ſumus pro ſalute animarum ac vnione, et reintegratione Chriſtianorum in dictà conuentione perſonaliter noſtro veriſſimo iuri, et Papatui purè, liberè et ſimpliciter cedere, et renunciare, et efficaciter faciemus ſi tu ibidem conſimiliter renunciabis, et cedes prætenſo iuri tuo et Papatui, vel decedet, dummodò tu, vel quicunq. ſucceſſor tuus, et illi, qui apud partem tuam pro Cardinalibus ſe gerunt aut gerent, ſi vt præfertur, volueritis et voluerint cum effectu conuenire, et concordare nobiſcum, et cum venerabilibus noſtris prædictis, quod exinde Canonica vnici Romani Pontificis ſequatur electio, et vnio eccleſiæ ſanctæ Dei. Oratores autem tuos, quos vt aſſeris, ad noſtram præſentiam celeriter deſtinare proponis, libenter videbimus, benignè audiemus, et charitatiuè tractabimus, eiſq. tam ſaluũ conductum per dictum conuerſum deſtinauimus. Quod et iam de abſtinendo à creatione Cardinalium, niſi in certis caſibus, intimaſti, volumus et intendimus obſeruare. Feſtina igitur, tolle moras, concurre nobiſcum, et conſiderans humani operis breuitatem, tantum bonum non vltra differendo procraſtines, ſed celeriter viar ſalutis, et pacis amplectaris, cùm tandem in extremo iudicio cum numeroſa multitudine eorum, qui nos in hac, quam preſtolamur, vnione ſequentur, quam ad illius ouile præſtante domino reducemus. Ipſe paſtor bonus, qui pro ouibus ſuis animam ſuam poſuit, nos, vt de eius miſericordià ſperamus, in dilecta ſua tabernacula introducat. Datum Maſſiliæ apud ſanctum Victorem.

Dum hæc agerentur; peracta eſt (vt de more) Gregorii coronatio, in Baſilicà Principis Apoſtolorum, *me præſente* (inquit Niemius l. 3. c. 12.) *qui cum coronationis inſignia reciperet, erectis in Cælum oculis fleuit præ gaudio, vt per hoc (ita puto) homines alliceret ad credendum, quod ipſe huiuſmodi Papatus honorem ad ipſum regendum ſe minus reputaret idoneum, nec illum curaret habere, niſi vt vnionem faceret, quam toties promiſit.* Cum poſtea percrebuiſſet in Gallià, Petrum è Lunà oblatam à Gregorio abdicandæ dignitatis conditionem admiſiſſe: Carolus Rex ſolitas ſubodoratus fraudes, celebri congregato cœtu, literis cenſuit hortandum vtrumquè, vt antè colloquium oblatum à Petro quilibet in loco ſuo, coram legatis, vel coram Cardinalibus inſignia poneret; poſtea ad communem conuenirent colloquium, his namquè præhabitis, facile erant vtramq. partem conuenire pro creatione Pontificis. *Niemius Tract. 1. c. 7.* Ex eodem etiam conuentu oratores ad Petrum decreuit ampliſſimos Maſſiliæ agentem Patriarcham Alexan., Cameracenſem, & Bellouacenſem Epiſcopos, S. Dionyſii, & S. Michaelis Abbates vt eum hortarentur, quòd ſi Gregorius Pontificatu, ipſe quoq. ſe abdicaret: aliàs Galliam ab eo defecturam, nequè illius excepturam diplomata ſi conditionem reſpueret oblatam. Tunc Petrus deluſis legatis, Cardinalibus inconſultis decretum edidit, quo anathema intentabat in eos, qui ab eo deſciuiſſent. Huius tenoris duæ leguntur ſanctiones apud Monſtreleium *c. 30.* quibus exaſperati Galli, in publicà Pariſienſi Accademià, eum hæreticum, ſchiſmaticum, Chriſtianæ quietis perturbatorem, qui Papa, vel Cardinalis ſine ſchiſmatis flagitio appellari non poſſet: eius ſententias, acta vt irrita repudiarunt in eum eiuſq. ſucceſſores iudiciarià ſeueritate decretà, Ioh. *Corteſius* in frequentiſſimo procerum cœtu declamauit, eo orationis themate; *Conuertetur dolor eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet. c. 41. Idem.* Gregorius autem Petri fraudibus irretitus, conſilia non aduertens fallacia, oratores ad eum miſit Antoniũ Motonenſem, Guillelmum Tudertinum Epiſcopos, atq. Antonium è Butrio doctorem Bononienſem, vt de loco, tempore, & aliis ad colloquium neceſſariis conuenirent, Maſſiliam applicuere Internuntii, ab Antipapà comiter excepti, & circumuenti, vt Gregorii nomine colloquium promiſerint die feſto S. Michaelis celebrandum in Liguria, Saonæ, quæ ciuitas eſt imperio obnixa Gallorum, quò deſcendere Gregorius non poterat, niſi domum ingredererur hoſtilem, Ianuenſem ſcilicet, tunc Veneto infenſam nomini, & homini; & ſchiſmatis participem, ac ſchiſmaticis obſequentem. Maritimam etiam, vt aptiorem inſidiis, cum claſſe præualeret Antipapa. Leges colloquii fuere ſequentes.

Saona deligitur pro cōuētu.

Pacta conuenicndi.

1. *Ambo Domini perſonaliter conuenirent Saonæ, in feſto S. Michaelis cum collegiis ſuis 2. Octo tantum triremes armatas quilibet eorum ſecum duceret. 3. Detur iuramentum ſecuritatis eundi, et redeundi pro Dominis, Cardinalibus, et famulis. 4. Fiant duo Capitanei maris, qui confœderati mutuam præſtent ſecuritatem. Idem fiat in ciuitate Saonæ. 4 Populus Saonenſis, Rege permittente Gallorum, iuramentum, obedientiam homagium præſtet in manibus amborum æqualiter, durante conuentu, ſub pœnà excommunicationis, confiſcationis in eum vel eos qui proditoriè inſurgeret. 5. Ducant ſecum 200. pedites armatos. 6. Ciuitas, portus, caſtra æqualiter diuidantur. 7. Arma ciuitatis æqualiter diuidantur. Nemo ingrediatur armatus, et ſine ſchedulà. 8. Famuli et ipſi ſint pares. Centum ſcilicet familiares, Camerarium, duos protunotarios, viginti quinque prælatos, duodecim S. Ceer. duodecim Theologos. Quilibet prælatus habeat ſex Camerario. Archiepiſcop. quinque, Epiſcopus quatuor, Abbas tres, Doctor duos. Quilibet Cardinalium introducat in ciuitatem viginti familiares tantum. 9. Procuretur pax inter Venetos, et Ianuenſes, vel ſaltem ſecuritas vtriq. parti. 10. Nemo Papa vel Antipapa vocabulo offendatur. 11. Si peſte ingruente locus eſſet mutandus colloquei. D. Auenionenſes tenentur aſſentire loco per Dominũ Romanũ aſſignãdo.*

His conuentis, Pontificij internuntii in Gallias vlterius penetrantes, vbiq. gaudio excipiebantur ingenti, & Gregorius vt *Angelus Lucis* prædicabatur. *Haſitantes* (ita ſpectatiſſimos Galliæ viros

Hie-

Niemius nominat l. 3. c.23.) ſibi perſuadere non poterant, quòd Petrus ſe abdicaret Pontificatu. Ratas habuit Gregorius pactiones vniuerſas, immò mirabatur *tanta & tam ſubtiliter facta capitula, qua locum ſibi non vindicabant, cum hic bonâ fide ageretur. Ibidem*. Pro tanto apparatu cum magni ſumptus eſſent neceſſarii; ærarium vt suppleret exhauſtum, decimas Eccleſiis indixit Italicis, Siculis, Dalmatis, Vngaris, Græcis, ab Henrico Anglorum Rege opem, & ſubſidia popoſcit. *l. 1. ep. cur. p.* 331. Eccleſiarum & Monaſteriorum Vrbis gazas vendidit, vel oppignorauit (teſte Niemio *l.* 3. *c.* 22.) Inde à Venetis inſtructas triremes poſtulauit; ſed ipſi eas meritò negarunt, ne illæ à Ianuenſibus opprimerentur hoſtibus ſuis cum litora appellere tenerentur hoſtilia. *l.* 3. *c.* 17. *Idem*. Inſidias tunc Gregorius partiâ, & religione Ianuenſibus aduerſus advertere cæpit, quas ſpreuerat vſquè in hanc B diem; hinc viginti quatuor IureConſultis mandauit, ſententiam ſcripto exponerent, an Saonenſi itinere ſuperſedendum foret? Sed penè omnes reſponderunt, maritimo, vel terreſtri itinere Saonam maturandum, vt conſtituto tempore priſtina in eccleſiam pax ſchiſmate reuocaretur ſublato. His auditis, cum Ladiſlao Rege cui ſuſpectum erat Saonenſe colloquium propter regni arcana Neapolitani, conſpiraſſe, vt immiſſis Columnenſibus Vrbem occuparet, ac obſidione voluntariâ itinere diſturbaretur propoſito, idem Niemius Gregorium inſimulat. Sed à calumniâ ſequentibus Aretinus liberat. *Sunt, qui putent, hanc totam rem à Pontifice de induſtriâ compoſitam, quo mentio omnis unitatis obrueretur: quod futurum erat, ſi Rex obtinuiſſet. Nos de Pontifice nullo modo credimus: de propinquis non dubitamus l.* 2. *ep.* 7. Coniurationẽ Columnẽſiũ oppreſſit Paulus Vrſinus die 28. Iunii, propterea à Gregorio in præmium virtutis toparchiâ donatus Narnienſi. Scripſit itaq. Gregorius, Gallorum Regi poſcens, vt Saonæ locus cum alio magis opportuno commutaretur. Deeſſe ſibi Venetas triremes, quæ ex conuentis pari numero inſtructæ ſtarent in portu Saonenſi niſi ſe omnino hoſtibus permittere vellet improuidus. Loco mutando minimè aſſenſit Antipapa, Gregorium nouis literis vrgens, vt Saonæ die adeſſet conſtituto. Idem vrgebant plures alii Principum Oratores, inter quos Saonenſes, Ianuenſes, qui Pontifici triremes excuſanti obtulere ſuas, ſed tanquàm ſuſpectas non admiſit. Inde Petro Hannibaldo Cardinali S. Angeli Vrbi præfecto Romanæ; ipſe Viterbium venit, vbi Marchioni Montisferrati mandauit iuxta pacta D ſub die vltimâ Iulii cum Antipapæ internunciis, vt alterius partis Saonæ, eiuſq. arcis poſſeſſionem acciperet, congruam pro tuto Venetorum acceſſu cautionem poſceret, à Saonenſibus obſides reciperet, Ianuenſes adigeret ad triremes nauali apparatu nudandas, eâ exceptâ, quæ portui præeſſet: caſtrorum, quæ inter Senas & Saonam excurrunt, flagitaret præturam: Si Petrum è Luna claſſe Saonam petere contingeret, operam daret, vt comportatis armamentis diſſolueretur; vtq. Bucicaldus Gallias repeteret, atquè ex Oratoribus Gallorum Regis, vnum pro Ianuâ moderandâ deſignaret. Centum Ianuenſes, quinquaginta Saonenſes nobiles deligeret obſides; vt in literis Gregorii *l.* 3. *p.* 94. Hæc portò omnia in ſpeciem acta non ſolum Niemius inſimulat, ſed ipſe Aretinus *l.* 2. *ep.* 6. *Eadem inuitatio* (inquit) *fuit, eademq. exhortatio: locus deinde neceſſarius viſus eſt, in quo & Pontifices ipſi, & collegia conuenirent. Ad hoc Saona pari conſenſu recepta eſt Vrbi medio fermè ſpatio. Et tam mari, quàm terra acceſſibilis, proſperè hucuſq. & planè ex ſententiâ: deinde turbationes ſubortæ graues, cunctaq. ſuſpicionibus referta: neceſſarij enim quidam propinquiq. confluentes ſuſpicionem apud multos pepererunt, quaſi voluntatem prius rectam inflectere conarentur. Accedit quoq. Ladiſlai Regis deteſtandus conatus: cum enim regnum Siciliæ ad ſedem ſpectet Romanam, & in hac diuiſione noſtri quidem Pontifices Ladiſlao, diuerſi autem Ludouico Andegauenſium Duci conceſſerint, ac certamina eâ de cauſâ fuerint permagna, in quibus tandem Ladiſlaus præualuit, regnumq. ſolus poſſideat, veretur nunc ne abdicatione factâ, & vtroq. collegio ad electionem coeunte, Gallicus fortè aliquis ad Pontificatum ſumatur, qui fauorem in regno obtinendo ad Ludouicum conuertat. Hac itaq. ſuſpicione permotus omnes machinas adhibet ad vnitatem impugnandam, quod quidem factum patribus ac bonis ita moleſtum eſt, vt ad ſummum odium nomen Regis peruenerit: nam illi quidem ſatis cautum erat ex formulâ ipſâ, quâ prouidetur in cunctis dignitatibus, vbi plures à diuerſis electi reperiuntur, poſſeſſori duntaxat ius fore: itaquè ſuſpicantur quidam non tam eo metu Regem moueri, quàm id arcanè moliri, vt per diuiſionem perpetuam ſedes Romana imbecillior maneat, ac nunquàm in formidabile robur ſit integrata &c. Hæ literæ ne in aliorum perueniant manus. Vale Nonis Aprilis.*

C Oppreſſurus ergo Romanam eccleſiam, à Picæno incæpit, Gregorio clam ſuadens, vt eius adminiſtratione Ludouicum expoliaret Melioratum, vt huius operâ poſtea vteretur contra Pontificem. Hac viâ Aſculum irrupit & Firmum, inde copiis in Vrbem immiſſis, effractis mænibus occupauit. Atrocem ingratitudinem ut comprimeret Pontifex, vel comprimere fingeret, VI. Kal. Octob. Ladiſlao Campaniæ atquè Maritimæ præfecturam ab Innocentio conceſſam abrogauit. *l.* 2. *ep. p.* 242. Callidè Ladiſlaus literis reſpondens comminatoriis, Aſculum ac Firmum ſe recepiſſe, vt has vrbes ſeruaret Eccleſiæ, multis verborum officiis nixus eſt delinire Gregorium, ac commonere, Saonæ locum tutum non eſſe pro reparandâ concordiâ; cæterum ſe Oratores miſſurum ad excuſationem facinoris, rogans interim, vt animum erga filium geſtaret paternum; pro quo carmen repetebat Dauidicum, *Domine ne in furore tuo arguas me* &c. Niemius, *Tractat.* 4. *c.* 6. Senis (quò ſe Gregorius receperat, vt propiùs ad locum congreſſus accederet) accepit Ladiſlai literas hoſtium furori expoſitus, cum pacta non ſeruarent, nec arma ponerent; Ianuenſes dare obſides nollent, vt potè qui vim inferendam ſuſpicarentur Pontifici. Proinde diſcrimen declinaturus Gregorius, Petrũ è Luna ſollicitauit de loco permutando per *Iacobum è Torſo* Vrinenſem, Io: Abbatem S. Mariæ e Pratalia, ac Franciſcum Iuſtinianum Venetum patritium. Cauſæ permutationis erant (quas etiam in feſto Omnium Sanctorum per ſacros conciona-

Gregorius inſidias timet.

Petit locum mutari colloquij.

Ladiſlai inſidiæ

tores de ſuggeſtu publicari mandauit) *Vetitos fuiſſe oratores ſuos, Ianuam paciſci pro celebrando conuentu hinc tacitè etiam Saonam excluſam fuiſſe. Venetis non datas cautiones pro ſecuro acceſſu. Gregoriu defuiſſe triremes neceſſarias non ſolùm facilitate itineris, ſed pro cautione perſona. Petrum de Lunà noluiſſe triremes bellico ſpoliare apparatu. Gregorio denuntiatum fuiſſe plurimorum literis ei inſidias parari, ſi Saonam peteret. Bellum imminere à Ladislao, ni Saona declinaretur locus ſuſpectus. Vngarorum, aliorumq. principum oratores denuntiaſſe Saonam concurſui abfuturam. Francorum Oratores Romæ in Pontificem ſeditionem conflaſſe, ac Cardinales ab eo alienaſſe. Ianuenſes recuſaſſe obſides dare; quòd ſi iſti diffiderent, quanto magis ſuſpicari teneretur Gregorius.* Preces adiunxit (vt ſe ab inuidià purgaret) ſolemnes in omnibus eccleſijs, non ſine indulgentiarum præmio, quibus ipſe cum Cardinalibus Senis adfuit. *Niemius l. 3. c. 23.* Vnionem ſanè meditabatur Gregorius, & citiùs perfeciſſet; ni

Grego- XII. xpedi- us. 2. *Caro et ſanguis* obſtitiſſet. Cum enim Senis agitaret de Pontificatu ponendo in eà vrbe, iuxta Gallorum conſilia, vt ita liber ex vtraquè parte Cardinales coirent, in gratiam nepotum ſuorum tanta ſibi reſeruauit Gregorius, quòd omnibus in ſuſpicionem venerit, non candidè ſed callidè agere, ne abiret Pontificatu. Male audiri cæpit Gregorius cum nepotem nomine Paulum Marchię Anconitanæ præficere tentauit, reuocato Ludouico Meliorato; aliumq. nepotem *Marcum* nomine Viterbio, & Mōtiflaſconi rectorem deſignauit alioſq. affines promouit, & conſanguineos *l. 3. c. 16. Niem.* Creuit ad ſūmū inuidia, cū *Senis Pontificatu ſe abire obtulit, dumodò Patriarchatus ei reſeruaretur Conſtantinopolitanus, nec non Motonenſis & Coronenſis Epiſcopatus, in Anglià Archiepiſcop. Eboracenſis, cum quodam Prioratu in ditione Venetorum licet tunc eccleſia non vacarent. Nepotes verò ſui* Marcus, Franciſcus, Paulus *filii* Philippi Corrarii *patritis Veneti infeudarentur principatibus Fauentino, Foruliuienſi, Vibenetano, Cornetano, aliiſq. oppidis Rauennæ ditionis cum mero et mixto imperio etiam ad poſteros trāſmittendis. lib. 3. c. 21. Niem.* Hiſce conceſſis, promittebat Gregorius deponere infulas; vt etiam Petrus de Lunà Pontificatus abiret; quod ſi negaſſet mox patefacto periurio, deſereretur à ſuis. Verùm cum à Cardinalibus promiſſa, ac ſubſcripta eſsent, quæ compleri non poterant: obfuit, ne Gregorius nudus nudum Chriſtum ſequeretur; Balthaſar Coſsa Cardinalis S. Euſtachii, qui Bononiæ, Fauentiæ, et Foro Liuii præerat nomine Eccleſiæ Romanæ, dictos principatus nepotibus tradere renuens Pontificis (*Niem Tract. 4. c. 2. Nemoris vnionis*) occaſionem fouit infulas non deponendi. Hinc Antipapa licet armatus ad inſtar bubali marini, caput tenens in aere, reſiduum corpus claſſe regeret fortiter armatà, in loca declinans ſolumodò maritima ac ſibi ſubiecta, omnia reſpuens oblata, etſi cautiones non deficerent, vt ſecurus accederet, crebris toto orbe vulgatis inuidiam diſſidij in Gregorium deriuabat. *Niem. capite 31. Tractat. 6.* Ex aduerſo literis extratis Gregorius Kalend. Aprilis, Lucæ, quò Senis ſe receperat, ciuitates Lucanam, Piſanam offerebat, quò Lunenſis maritimo itinere Gregorius terreſtri tutò accedere poterant. Aſſentiebat etiam Gregorius Piſis vel Liburni conuenire iuxta petita Lunenſis; ſed omnia repulit multo verborum fuco Petrus, Gregorium ad ſuſpecta, & anguſta loca maritima *Cararim*, & *Lauenam* trahere meditatus. *Niem lib. 3. c. 26.* Ladislaus interim cupidus imperii Romani, inſtructà equitum quindecim millibus, octoquè peditum claſſe Oſtiam irrupit: deinde admotis caſtris Romę, quam Paulus Vrſinus militari tuebatur præſidio, poſt leues vellitationes eodem Vrſino in ſuas partes traducto, die 25. April. triumphantis more à Romanis receptus, vt tyrannidi colorē imponeret promulgauit, quod abſente Gregorio, Lunēſis vrbē affectaret. Ladiſlaus Romā occupat

B Poſt Romā non dificile fuit, reliquū Petri occupare patrimonium omnia diſſimulante Gregorio, immò præ lætitià nepotibus laſciuientibus, & tripudia agentibus, quaſi per hæc ab omnibus calamitatibus eſſent immunes. *Niem l. 3. c. 28.* Conſpirabant namq. forſan inſcio Gregorio, cum Ladislao, ne vnio fieret. Hinc Florentinis ſcripſit valde lętari, quòd Gregorius ciuitatem elegiſſet Piſanam loco conuentus, cui etiam ipſe perſonaliter meditabatur adeſſe, non vt diſſidia componeret, ſed reponeret *ib.* Veritas eſt (eodem Niemio teſte *Tractat. 6. c. 32.*) vndecim triremes ſubmiſſas fuiſſe ab Antipapà, duce Bucicaldo, vt Romam interciperet, ſed reflantibus ventis, in itinere ſubſtitiſſe, dum Ladislaus velocior præcurrens Vrbem Nepotes Gregoriū à recto retrahunt.

C vſurpauit, ita permittente Deo, ne Antipapæ veſtigijs ſedes præmeretur Romana. Tantam victoriam cum Gregorij Domicelli tenerentur ſupernæ adſcribere prouidentiæ, in ſuperbiam elati, patruum ſuum ad creationem Cardinalium excitarunt, ſpreto iuramento, quo ſe adſtrinxerat, nullum Cardinalem ſe creaturum, niſi ad æquandos ſuos cum hoſtium collegio. Conſilia Gregorij cum reſciuiſſent Cardinales, cæperunt apertè obloqui contra Pontificem. *Indignabantur omnes eà ætate homines ſupra ſeptuagenarium, & Dei metum, & hominum cenſuram poſt habere. Hæc erat hominum indignatio, & querela. De me autem ſi quæris* (inquit Leonard. Aretinus libro ſecundo, epiſtolà 15.) *ego deceptum Pontificem noſtrum ab ijs, de quibus ſupra dixi* (conſanguineis ſcilicet) *metumquè inanem per malos ſuaſores iniectum illi exiſtimabam. Conſpexeram enim ab initio illius rectiſſimam voluntatem, mutatum verò à ſeipſo bonum quidem virum perſuadere mihi non poteram; nam ſi malignum putaſſem, non tu me præueniſſes abeundo. Cum eſſet hic ſtatus rerum, ecce noua turbatio ſuperoritur; conſtituit enim Pontifex noſter Cardinales nouos in Romanam eccleſiam aſſumere; huius verò cauſa erant duæ. Vna quòd fautoribus quibuſdam ſuis gratiam referre cupiebat, præſertim id magnoperè flagitantibus. Altera, quòd admiſcendo vetuſtis patribus nouos aſſumptos, temperaturum ſe illorum vehementiam exiſtimabat.* Diù namq. noctuq. pulſabant, vt ad vnionem deſcenderet. Saonæ cum eſſet indictus conuentus; *Franciſcus Cardinalis S. quatuor Coronatorum*, Adminiſtrator eccleſię Burdegalenſis, licet ſenex & ab Italià remotus in partibus Aquitaniæ, Saonam venit, vbi diù Periurus creat nouos Cardinales.

D

Gregorij præſtolatus aduentum, Senas acceſſit, rogans, hortans, increpans Pontificem, nè peieraret. Sic Cardinalis Quinque Eccleſienſis natione Vngarus, ætate decrepitus, ſpe vnionis ex Pannonià honorifico comitatus adueniens, cum Sienæ decumberet, conſpiciens Gregorij nepotes inhiantes gazis ſuis ſollicitè perſcrutari, an expiraret? vehementer indignatus dixiſse fertur: *Verè me, nec bona mea habebitis*. Nec mora; ipsà hieme, licentià non habità, nec petità, Venetias delatus, inde in Vngariam breui deceſſit. *Niem l. 3. c.* 23.

Auaritia nepotum Gregorii.

Irritatos itaq. Cardinales reclamaturos probabile erat aduersùs Cardinalium promotionem, quæ abſq. eorum conſenſu à Pontifice decerni non ſolet. *Fortiter igitur* (ita Aretinus proſequitur) *conandum ratus, patres in concilium vocat. Conuenere trepidi, iam aliud alij ſuſpicantes: paratur ſecreto locus, ſubſellia ponuntur: prodit cubiculo Pontifex, & in throno reſedit: patres inde ſuis locis conſidere iubentur: vbi conſeſſum eſt; Pontifex contra conſuetudinem duos circa ſe familiares retinuit, cæteram excluſit multitudinem; id fine, vt interuentu noſtro, ſi quid opus foret, vteretur ſine aliam ob cauſam, incertum habeo; mora quadam prius, & ſilentium fuit: inde Cardinales aſpiciens non ſatis læto vultu:* Præcipio (*inquit*) vt nemo veſtrum aſsurgat. *Hæc prima illius vox cum mentes ſubità admiratione percuſſiſſet, alio alium reſpiciente, indignanteq. Henricus Tuſculanus, Quid eſt, inquit, hoc pater, & quid ſibi vult iſtud præceptum?* Quandoquidem (*inquit*) vobiſcum, nequeo rectè agere, prouidere eccleſiæ volo. *Ad hæc Henricus: Immò destruere Eccleſiam vis. Hic cum indignanter omnes ſederent, tamen primus omnium Raynaldus S. Viti in Macello Diaconus, vir vt tunc mihi viſum eſt omnium, qui aderant cordatiſſimus repentè aſsurgens: Moriamur potiùs* (*inquit*) *vt tu ſcis procero corpore, & cum proceritate ipſa, tam etiam verbis facere animos viſus eſt. Itaq. pleriq. poſt hunc ſurrexerunt: ſed in noua, & ſubità re proſpicere licebat quid in vnoquoque animi, vigoriſq. ineſſet. Rubebant alij, alij pallebant, irà & iurgio alij, alij prece ſupplices nitebantur. Columnenſem ego vidi ad pedes Pontificis prouolutum, rogantemq. ne ita facere vellet. Contrà verò Leodienſem minabundum, & contumaciter incenſum: Burdegalenſis quaſi medius modò iras leniebat, modò Pontificem precabatur. Ità re infectà, concilium tandem dimittitur, præcepto tamen prius à Pontifice, ne quiſquam patrū vrbe Lucà exiret, neuè iniuſſu ſuo conuenirent. Præceptum quod aſperitatis plenum, & ſuſpicionis viſum eſt.*

Occaſio diſſidii inter Papā, et Cardinales.

Hinc iterum vocati Cardinales, cum noluiſſent accedere: Gregorius Antonium ex fratre nepotem, ac Gabrielem Condulmerium ex ſorore nepotem qui poſtea in Pontificatu, Eugenij IV. nomen accepit, nec non Iacobum Vtinenſem Protonotarium, & Ioannem Dominici, è ſacrà Prædicatorum familià, coram Epiſcopis, & Præſulibus in Cardinales cooptauit, abſentibus veteranis Cardinalibus, qui nunquàm ſe eos vt Cardinales accepturos iureiurando obſtrinxerunt. Epiſcopum etiam Lucanum conſanguineum Præfecti Lucenſis pari honore donare decreuerat, vt ſic fortior exurgeret in Cardinales veteranos. Sed Prætor nomine Epiſcopi ambitu vnioni poſtpoſito, recuſauit honorem. *c. 31. l. 3. Niem.*

Noui Card.

Vnus recuſat.

Cum autem quartà Maij vetuiſset Gregorius Cardinales in colloquium venire cum Oratoribus Francorum Regis, communicatis conſilijs, parant abſcedere. Primus omnium Io: Normannus, vulgo Leodienſis die XI. Maij, Lucà Piſas ſe proripuit, quem Paulus fruſtrà armatus inſequens, eius poſtea familiares diripuit ac ſupellectilem; peiora meditatus, niſi carceri traditâ familià Pauli, Prætor vim eius repreſiſset. Eadem die receſſerunt alii Cardinales cum familià, nemine impediente, nam timor & tremor inualuerat aduersùs Gregorij nepotes, tres ſolumodò Lucæ remanẽtes ex Cardinalibus vt Gregorium pacarent. Videntes autem nihil proficere, & ipſi Piſas abierunt ad fratres, vbi literis encyclicis Præſules ac Principes fecere certiores quomodò eccleſiam Papa deluderet, ac contra præſtita ſacramenta, vnionem minimè promoueret, ſed affinium, & conſanguineorum ſoli incumberet exaltationi. Datæ Piſis ſunt literæ die 14. Maij An. 1404.

Card. veterani à Gregorio ſecedũt.

Pridie verò huius diei, vt ſe aduersùs Gregorij iudicia communirent, conceptam prouocationis formulam ad Concilium Œcumenicum ei tranſmiſere, præcipuè, quod *nondum decem diebus elapſis, eiſdem aliqua feciſſet præcepta, quæ de iure ſunt nulla, et quatenus eſſent aliqua, cum omni ſemper reuerentià loquendo, ſunt iniqua & iniuſta. Primi autem mandati tenor talis eſt: Præcipimus omnibus & ſingulis Cardinalibus, exiſtentibus in Romanà Curià ſub pœnà priuationis Cardinalatus, & beneficiorum ſuorum quam quilibet ipſorum incurret ipſo facto, ne ab iſtà die, 4. videlicet Maii, inantea aliquis exeat de Lucà ſine ſpeciali & expreſſà licentià noſtrà per nos oretenus ſibi factà. Cuius mandati nullitas & iniquitas manifeſtè patet. Primò, quia non poterant ibi morari cum ſecuritate perſonarum ſuarum, & ſine metu carceris aut mortis quæ cadere poſſet in conſtantem virum, maximè quia die Veneris, 4. Maii, cùm irent ad palatium, inuenerunt demum habitationis veſtræ etiam intrinſecùs plenam viris & ſatellitibus armatis vltra ſolitum morem cuſtodiæ, & in locis inſolitis, & vltra armaturam ſolitam: & dictum fuit eis à fide dignis & veridicis perſonis, quòd aliqui ex dictis Cardinalibus debeant interfici eâ die: quod poſtea rei declarauit euentus. Nam cùm dominus Cardinalis Leodienſis de Lucà receſſiſſet, fuerunt, vt notoriè patuit, poſt eum nonnulli ex armatis dictis deſtinati, quibus etiam mandatum extitit, vt eum caperent, & ſi ipſum captum ducere non poſſent, eundem dominum Cardinalem occidere deberent, qui etiam inſequenter poſt reditum ipſorum per dominum Lucanenſem capti fuerunt, & in carcerem detruſi. Item, quia domus præfati domini Cardinalis Leodienſis poſtea per gentes B. V. vltra omnẽ modeſtiam poſita fuit ad ſaccomannum in Lucà, et familiares eius capti et torti: et hoc abſque alià iuſtà cauſa, ſed tantùm quòd ſollicitabant cauſam vnionis ſanctæ matris eccleſiæ, prout de iure et ex iuramento et voto tenentur, et quia non conſentiebant creationi nouorum Cardinalium, prout de iure non poterant, nec debebant; quia nec vos, ſancte Pater, de iure creare illos poteſtis, nec debetis ſtante obligatione factà in Conclaui, et per vos ratificatà, ac etiam iteratà poſt aſſumptionem veſtram ad apicem ſummi Apoſtolatus. Item, quia in domo veſtrà nocte præcedenti fuerunt fabricati cyppi et compedes pro car-*

Appellant ad Concil.

carcerandis et detinendis dictis Cardinalibus. Item, quia non conſuevit, nec de iure debet, aut poteſt tam gravis pœna pro tam levi culpâ talibus viris, tantaquè conditionis imponi, niſi ex graviſſimis tantum culpis, et cum magnâ ſolennitate, quæ in tali præcepto ſervata non fuit, et ſervari tamen debet, ſi poſſint, ſeu debeant Cardinales privari Cardinalatu: et de iure non aliter fieri poterit. Item, quia ſecundùm obligationem factam in Conclavi, et votum ac iuramentum ipſorum oportet eos convenire cum alio prætenſo collegio in loco idoneo. Cùm autem civitas Lucanenſis fuit iam per aliam partem recuſata, tanquàm locus non idoneus, neceſſe erat ipſos exire dictâ civitate Lucanenſe pro proſequendo negotio unionis et ſervando iuramento ſuo. Item, cùm per vos, beatiſſime Pater, et per ipſos Cardinales de voluntate veſtrâ fuerit oblatum de eundo ad civitatem Piſarum, ſi altera pars veniret Liburnium, quæ oblatio per aliam partem certo modo fuit acceptata, neceſſe erat eis ſe conferre Piſas, ut ſervarent etiam oblationem ſuam. Quare dictum mandatum fuit omnino nullum et iniuſtum. Item, per huiuſmodi mandatum contra ius et iuſtitiam eis indicebatur carcer, cùm nihil diſtet à carceribus, mancipari inter parietes murorum collocari; et incipiebatur ab executione à carceribus contra viros in tantâ dignitate conſtitutos: quod omnia iura deteſtantur.

Aliud mandatum quod fecit B. V. eiſdem Cardinalibus, fuit tale: Item ſub pœnâ periurii, quam incurrent ipſo facto, præcipimus et mandamus eiſdem, ne ulteriùs congregentur in aliquo loco ſine expreſſo mandato noſtro. Cuius quidem præcepti nullitas, et iniquitas, et contra ius collegii, quod habent Cardinales de iure et antiquâ conſuetudine à tanto tempore, cuius initii memoria in contrarium non exiſtit: quod ius collegii principaliter conſiſtit in conveniendo ſimul et tractando negocia ad ipſum collegium pertinentia: quod ius et facultas ab eis ſine cauſâ auferri non debet. Item Cardinales tenentur collegialiter inter ſe tractare et conferre de cauſâ fidei, et hæreſis et ſchiſmatum, prout in Conclavi ſe obligarunt ſolenniter per votum, et iuramentum, ac mutuâ fide tractare univerſaliter & ſingulariter de uniendo Eccleſiam: quod fieri non poteſt, niſi collegialiter congregentur. Hanc igitur facultatem nobis interdicere eſt non ſolum nolle per ſe attendere ad unionem Eccleſiæ, ſed etiam prohibere ipſis ne ad eam attendant; quod omnino eſt iniquum et abominabile. Item, quòd ſi nunquàm iuratum fuit per ipſos Cardinales, vel aliquem ipſorum, quòd ſe non congregabunt, tunc iuramentum fidelitatis vel obedientiæ, ſi quod præſtiterunt, non extenditur ad hoc, quod de iure facere poſſunt: quare incongrua omninò et inconveniens atquè iniuſta fuit pœna periurii in tranſgreſſione talis mandati vel præcepti conſtituta. Tertium præceptum, quod fecit dominus Cardinalibus Beat. veſtra, fuit tale: Item, ſub eadem pœnâ periurii præcipimus et mandamus eiſdem Cardinalibus, ne aliquis eorum participet cum Oratoribus Petri de Lunâ, nequè cum Oratoribus Gallicis, ſive per ſe, ſive per interpoſitam perſonam. Cuius quidem præcepti nullitas et iniquitas manifeſtè patet: primò, quia ex iuramento et voto ſunt aſtricti nihil omittere de contingentibus, neceſſariis, vel quomodolibet opportunis ſeu utilibus, licetquè omnia inchoata proſequi, mediare et finire ad ſanctam unionem conſequendam, quæ obtineri et perfici non poteſt, niſi habendo tractatus et colloquia cum alterâ parte, et cum nunciis ad hoc miſſis maximè cùm per vos, Pater beatiſſime, ad hoc tractandum fuerant acceptati. Hoc præceptum manifeſtè etiam eſt contra dictam obligationem, iuramentum et votum, et per conſequens, nullum et iniuſtum. Item, quia hoc præceptum eſt contra charitatem, in quâ qui non manet, in Deo non manet. Et quia quilibet fidelis Chriſtianus tenetur, quantum poteſt, errantes denuò revocare: quòd utique fieri non poteſt abſquè participatione et colloquio: non ergo debuit prohiberi, maximè talibus viris, quorum affectus omnes debent revocare Chriſtianos ab hæreſibus et ſchiſmatibus. Quare, beatiſſime Pater, præfati domini Cardinales et ſervitores veſtri cum omni obedientiâ et humilitate ac reverentiâ exponunt et dicunt talia præcepta eſſe nulla, et de iure eos nullatenus aſtringere ad obſervantiam ipſorum iniquitatum: aut ſi fortè forent, aut cenſerentur alicuius roboris, vel momenti, dicunt ipſa fuiſſe et eſſe iniqua et iniuſta, et ſe ex ipſis præceptis fuiſſe et eſſe gravatos contra omnem iuſtitiam ac debitũ iuris, et ab ipſis præceptis ac omnibus aliis gravaminibus poſt prædicta fortè ſecuturis, ſi quæ fortè ſequentur in poſterum, præfati Cardinales, in quãtum eis licet, et in quantum poſſunt, provocant, et in his ſcriptis appellant: et primò, quia ratio appetitui noſcitur eſſe ſuperior, et intellectus dominari ſenſibus: et vobis, Pater beatiſſime, irrationabiliter & ſecundum non rectam rationem decernentibus, ad voſmet ſecundùm rectam rationem et meliùs informatum. Item, ſi diſcretio perſonarum requiritur à vobis, Pater ſancte, vicario ad dominum noſtrum IESVM Chriſtum, qui iudicaturus eſt mortuos et ſæculum per ignem. Item, ad generale concilium, à quo et in quo ſolent geſta etiam ſummorum Pontificum quæcunquè pertractari, decerni et iudicari. Item ad Papam, et Pontificem futurum, cuius eſt geſta inordinata ſui prædeceſſoris in melius reformare. Niemius. *Tractat. 6. c. 10.*

Appellationem hanc vt mendacijs refertam confutauit Gregorius ſcripturà, rationem reddens ob quam receſſum Patribus interdixerat. Ob nimiã enim conuerſationem cum Gallicis Oratoribus, diuiſio contigerat inter eos. Ex hac familiari conuerſatione cum miſſis Petri Lunenſis, vſurpauerũt ſe collegialiter congregare ſinè licentià Pontificis, quod antea non faciebant, ſpretà clementi reprehenſione factà per SS. Gregorium &c. Hinc machinari cœperunt conſilia hæretica, atq. ſchiſmatica contra veritatem, & innocentiam Pontificis, qui verè concordiam procurabat per viam renuntiationis. Cum autem plures inſidiæ in Pontificem ſint detectæ, Romæ occupatione per Ladislaum factà, aliiſquè attentatis per Petrum de Lunà, rationabile credidit, Cardinalibus prohibere receſſum, cum membra ſequi caput, non caput membra conueniat.

Appellationis confutatio facta à Greg.

Reliqua de mandato mortis, carceris, vel torturę omnia eſſe confictà; Cardinalium creationem fuiſse honeſtam, & neçeſsariam in dictà ſcripturà apud Raynaldum Ann. 1408. videre eſt, quomodò Gregorius conaretur oſtendere.

Horum occaſione, Aula Gallica viam optimam credens ad ineundam concordiam, ſi Cardinales qui à Gregorio ſeceſserant, cum aduerſo Purpuratorum Aueniouenſium Collegio conuenirent,

lite-

literas exarauit Caroli Regis nomine (Has habes apud Niemium *c.14.Tractat.6.*) ſententiis refertas grauiſſimis tam contrà Petrum de Lunà, quàm contrà Gregorium, quià tanto temporeOrbem ſefelliſſent Chriſtianum. Acceſſit Accademia Pariſienſis Auenionenſes excitans PſeudoCardinales, vt cum Cardinalibus Romanis in ſchiſmaticos conſurgerent, vtriquè ſe ſubtrahentes litiganti (teſte *Nicolao de Clemangiis pagin.* 587.)

Antonius de Butrio, & Ancharanus ſcribūt in Gregorium

Omnium primus qui Pariſienſibus adhærens ſe à Gregorio ſubtraxit, vt vtroquè depoſito Lunenſi, & Corrario, tertius eligeretur, fuit *Balthaſsar Coſsa*, qui ambitu adipiſcendi Pontificatum ſurebat. Bononiæ is præerat ſummo cum imperio: vnde *Antonium de Butrio*, & *Petrum Ancharanum* doctores Bononienſes impulit, vt reſponſis ſuis totius Accademiæ nomine Bononienſis explanarent, quid de tali ſubtractione ſentirent. Pariſiis conſona Bononia, vel Bononiæ nomine Butrius plures vulgauit concluſiones, quarum tenor erat. *Licitè Gregorio negari obedientiam, quia contra pacta, ac propria à ſe præſtita iuramenta ſchiſma potiùs aleret, quàm tolleret ambitu ſuo. Ius eſſe Cardinalibus, & pſeudoCardinalibus conuenire pro electione tertij, vt pax, quam iſti turbabant, reſtitueretur eccleſiæ. Hæc verificari contra Gregorium legitimè electum; & multò magis contrà* Petrum *de Lunà, qui fuerat & erat ſchiſmatis auctor.* Niem. *Tract.6.c.16.* Hæc Goſsà cogente exaraſse Butrium, ſibi ipſi & poſteris teſtis eſt ipſe Butrius, qui paulò poſt morbo implicitus lethali, omnia quæ dixerat, & ſcripſerat aduersùs Gregorium reuocauit. Gobellin. *in Coſmod. at.6.c.89.* Gregorius autem in crimen propagati ſchiſmatis non ſolùm à ſchiſmaticis, ſed etiam à Cardinalibus ſuis ſe cernens adductum; Concilium die Pentecoſtes immediatè Rauennę, vel Aquileiæ celebrandum indixit, cuius indicendi auctoritatem ueteri eccleſiæ more, ad Pontificem tantùm ſpectare promulgauit literis ad Rupertum Romanorum Regem, cæteroſq. principes, *Lucæ datis VI.Non.Iulii.Ann.* 1408. Diem obſerua: nam Cardinales & Anticardinales ex ſententià Doctorum Bononienſium, negarunt adeſse Concilio indicto per Gregorium, quòd ipſi Gregorio præcurriſsent, Piſano indictoConcilio; noua tamen & acerbiori diſcordià: obijciente Gregorio, falsò literas Cardinalium ſignari die 24. Iunii: cum tamen menſe tantum Auguſti Piſas à Florentinis obtinuerint prò congregando Concilio. Alio etiam inſimulabātur mendacio, quòd in literis datis Liburni die 26. Iulii ad Robertum Regem Romanorum ſcripſerint, ſe deliberaſſe ex vtraquè parte concilium congregare, locum verò conuentus breui deſignaturi: vnde ſi 26. Iulij locus deſignatus non erat; qua ratione 24. Iunij dicitur deſignatus. Adiungitur, quod ipſorum internuntius in partibus Rhenanis, menſe Octobrl, literas de conuocatione Concilij, die primà Septembris promulgauit: cum anteà bimeſtri præcedente, Gregorii literæ de indicto Concilio eſſent promulgatæ. Augebatur mendacium, quià Gregorii Cardinales mutuum fœdus cum pſeudoCardinalibus ſanxerint vltimà die Iulii, vt patet ex eorum publicis inſtrumentis: & tamen in literis de

Greg. Concil. indicit.

Mendacia Cardinaliū.

A indictione Concilii mutuam illam conuentionem promulgant fuiſſe ſancitam die 24. Iunii.

His non obſtantibus, pro die proximè futurà Annuntiationis B.Virginis, Menſe Martio, Anno 1409. in ciuitate Piſanà aperiendum intimauere Concilium tam Gregorio, quàm Petro de Lunà, minantes nullam rationem habituros abſentium, cum ex præhabitis iuramentis ſponte præſtitis vterq. teneretur inſulæ abdicatione, in tertium ab vtraq. parte eligendum conuenire. Addebant Concilium à Gregorio conuocari non poſſe, quia ſi ab eo congregaretur, aduerſa pars conuentura non eſſet.

Non diſſimili formulà Petro de Lunà ſcripſere Auenionenſes, qui Perpiniani ſynodum indixerat in Aragonià, in quo Epiſcopis ſuæ obedientiæ noB uo ſe aſtrinxit periurio, inſulas ponendi ſi Gregorius poneret, decederet, vel à ſuis deponeretur *Niem. l.3.c.38.* Eius tamen doli cum vniuerſæ paterent eccleſiæ; Galli, qui die XII. Ianuarii, iugum eius excuſſerant, miſſà denuntiatione, ni Dominicæ Aſcenſionis die ſchiſmati finē poneret, Gallias eius non parituras imperio, ab eo percuſſi anathemate, diploma excommunicationis laniarunt, flammis iniecerunt, eiuſq. nuntios ad ſummam ignominiam mithris è papyro redimitos, depictis Lunenſis inſignibus ſed inuerſis, in veſtibus albis Pariſiis circumductos, cum carceri tandem tradiſsent, propoſitiones vulgarunt ſequentes.

Con... ſione Galli in ... uent...

1. *Petrum è Luna fore non tantum ſchiſmaticum & pertinacem habendum, verùm etiam hæreticum, per* C *turbatorem pacis, & S. vnionis eccleſię.*

2. *Petrus de Lunà non eſt nominandus Papa, non Benedictus, non Cardinalis, nec ei obediendum tanquàm paſtori ſub pœnis fautorum ſchiſmatis.*

3. *Facta, dicta, collationes, prouiſiones, proceſſus à tempore data litera ad modum bullæ confecta, inſuper pœna quæcumq. ſpirituales vel temporales explicata vel implicata in dictà literà contenta, nulla ſunt.*

4. *Dicto Petro aut ſuis literis, vel mandatis nullus poteſt obedire, immò tenetur ſibi non obedire ſub pœnà fautorum ſchiſmatis.*

5. *Dicta litera eſt de ſe iniqua, ſeditioſa, doloſa, fraudulenta, turbatiua pacis, & offenſiua regiæ Maieſtatis.*

6. *Contra fautores, & receptores, Petri ſuarumq. literarum procedendum eſt, ſicut contra dictum Petrū.* Data ſunt Bucicaldo Ianuenſi perfecto ab Rege D mandata, vt Petrum è Lunà comprehenderet: ſed is periculum ſubodoratus, ex Ligurià ſe in Cataloniam recepit ſub tutelà Regis Aragonię Cardinalibus eius Piſas coeuntibus cum Cardinalibus Gregorii(*Monſtrelet.vol.2.Tract.6.c.17.*)à quo ferè omnes receſserant

Balthaſar Coſsæ Inſidiæ in Gregorium

Parabat iter in Picęnum Gregorius, cum cognitis per exploratorem inſidiis ſibi paratis à Balthaſſare Coſsà Card. S.Euſtachii, Lucà Senas deflexit quæ Ladislai Regis confœderatæ cum honorifice ſuſceperunt. *Tract. 6. c. 43. Niem.* Ibi eidem Balthaſſari ius abrogauit legati Pontificii, crimineq. notauit tyrannidis. Geſſerat ille plura aduersùs Gregorium: quippè Bononiæ in foro publico quadringenta exuſſerat diplomata Pontificia. *Idem c. 16.* Mille & quingentis ſuccinctus equitibus

bus, verſus Picęnũ excurrerat, vt Pontificem intercipere t. *c.*43. Florentinos reluctantes adduxerat, vt Piſas ad concilium celebrandum permitterent. *Idem l.*3. *c.* 38. Auctor ſeditionis, primus fuerat qui auro, ac promiſſis Cardinales pauperes ad defectionem illexerat. *Niem. in vita Io*: XXII. Maximum dolorem concipientes Catholici ex tali diuiſione, ne inde erumperet nouum ſchiſma, Senenſes præcipuè (apud quos agebat Gregorius) Oratores Piſas miſere, vt Cardinales Gregorio reconciliarent, ne ex ſynodorum varietate nouæ emergerent diſſidia. Sed reſpondere Cardinales, *ex ipſorum ad Gregorium reditu pacem in eccleſiâ componi non poſſe, quia ad Concilium ſi per Gregorium vocarentur, aduerſarii non eſſent acceſſuri. Vnicam ſupereſſe rationẽ abolendæ diſcordiæ, ſi vtraq. pars ſynodum celebret, ad quam ſi Gregorius acceſſerit vel per ſe, vel per procuratorem, apiceſq. poſuerit pontificios, cedente, vel Concilii ſententiâ deiecto aduerſario pax reſtituatur. De loco vero ſynodi celebrandæ vniuerſalis facile cum Gregorio, etiam ſi Senas delegerit conſenſuros.*

Hæc cum reſpondiſſent Cardinales Piſis congregati; replicauit Gregorius, *Hoc Conciliabulo nouum inchoari ſchiſma. Quia Anticardinales nullum faciant collegium, ſicut ſenſerant, dixerant, & ſcripſerant ipſi Cardinales. Si enim illi collegium facerent; iſti non Cardinales eſſent, nec collegium. Ad Concilium itaq. quod ſuperſtite Papâ nemo poteſt congregare, indictum à Papâ Gregorio, etiam priuſquàm illi de Concilio agerent, venirent. Nam conciliabulis intereſſe non valet, niſi ad damnationem & exterminationem conuenientium. Pariter non tenetur per viam ceſſionis vnionem inſequi, quia hoc exemplo daretur poſteris occaſio ſecedendi à capite, vt ita Pontifex pro excitando ſcandalo, teneretur abire Pontificatu. Exemplum non vrgere B. Clementis, qui dicitur ſpontè ceſſiſſe, ad euitandum ſcandalũ in eccleſiâ Dei. Hiſtoria namq. incerta & ambigua non ponit legem vbi non eſt. Cæleſtinum potiùs reſpicerent, qui ſolus Papatui ceſſit, viuens habens ſucceſſorem: & tamen Eccleſia Gallicana cum vniuerſitatibus ſuis Bonifacium VIII. ſucceſſorem non recepit, quòd adhuc viueret prædeceſſor Cæleſtinus. Vndè laudandus Gregorius, ſi ad viam ceſſionis tam diſcretè, & prudenter accedat. Neq. in eo poteſt accuſari Gregorius, quòd particulare velit Concilium; ipſe namq. tanquàm pater vniuerſalis generale indixit concilium, cui licet non adfuerint Turcæ, infideles, ſchiſmatici ſed tantùm fideles catholici, generale tamen erit; quia etiam Chriſtus cum ſolis XII. Apoſtolis Concilium celebrauit, quod generale dictum. Conuentus verò, quem Caiphas ex multitudine Pontificum, & ſacerdotum ac Phariſeorum coegit, conciliabulum dictum eſt.* Dum hæc agerentur, nouiſſimi acceſſerunt ſequeſtres pacis, Veneti; ſed ex Gregorii pertinaciâ nouum ſuſpicati ſchiſma futurum, eccleſiæ cauſam ſuo præferentes concilii, atq. patritio, omnia liberè futuro legitimo permiſere. Concilio. Ratus autem Gregorius nullius auctoritatis fore Piſanum Concilium, ſi à Gallis pſeudo-Cardinalibus, & à Romanis exaucroratis, celebraretur, dignitatem Senis ademit Cardinali. tiam. Illi autem vt aulicos & Domicellos Gregorij ad ſe allicerent, datis literis ſollicitarunt., Piſas accedere, ſecuri quòd in priſtinâ conſeruandi eſſent dignitate. Gregorius ex aduerſo ad partes ſuas confirmandas V. Non. Maij, creauit Cardinales.

Greg. creat nouos Cardin.

Ludouicum Brancatium Archiep. Tarent.

Angelum Ep. Recinetenſem.

Angelum Barbadicum Ep. Veronenſem.

Baldellum e Baldellis Ep. Ariminenſem.

Philippum Anglum Ep. Lincolmienſem.

Mathæum Ep. Vvormatienſem, Oratorem Roberti Regis Roman.

Lucam Florentinum ex ordine Humiliatorum, Ep. Feſulanum.

Vincentium priorem Montisferrati oratorem Martini Regis Aragonum.

Petrum Maurocenum.

Ariminum poſteà iturus, Lucam Cardinalem S. Laurentij legatum creauit per Etruriã, vt hoſtium ſe inſidiis opponeret. Antonium nepotem ſuum Ep. Portuenſem ad Regem Romanorum ire iuſſit, ſynodum diſturbaturum Piſanam. *l.*3.*c.*36. *Niem.* Io: Dominici in Vngariam, Poloniam, Dalmatiam. Præmiſerant etiam Piſani Patres Legatos ſuos ad Reges, vt Gregorium cogerent inconſtantem, iuramenta ſeruare teſte *Vualſingano*. Iuerat ad Robertum Regem Romanorum Landulphus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano; ac Germanos adduxerat, vt in die Epiphaniæ Francofurti comitia cogerent, pro ſchiſmate promouendo. Interfuere Moguntinus & Colonienſis Archiepiſcopi, Robertus Rex Rom. cum magnatibus & Præſulibus, ac plurium Oratoribus prouinciarum. Sex diebus agitatum de eccleſiâ reintegrandâ: Septimo recurrente, Antonius Gregorii legatus perorauit aduersùs Landulphum, obtinuitq. vt à Cæſare Legati decernerentur Rigenſis Archiepiſcop. ac Vvormacienſis, & Verdenſis Epiſcopi, qui Piſis agentes obtulere Gregorii nomine, Pontificatum deponere, ſi Cardinales ad Concilium conuenirẽt Æcumenicum, quod in tertio loco celebrare offerebat Gregorius. Cardinales verò pertinaces non ſolum Oratores Cæſaris audire recuſarunt teſte *Niemio l.* 3. *c.* 39. ſed etiam tres Religioſos, qui vt veritatem, atq. Gregorii cauſam probarent, flammas ingredi offerebant, vt ex literis Gregorii ad Communit. Florentinam. *l.*3.*ep. cur.* *p.* 67. Propterea Oratores Cæſaris cognitâ Piſani pertinaciâ conuentus, inexpectato reſponſo Piſis receſſerunt, appellantes ad Concilium Æcumenicum à Gregorio conuocandum; confectiſquè tabulis publicis, obiecère Cardinalibus *Eccleſiam ſchiſmate diſcidiſſe, literas inductionis Concilii aſperſiſſe mendaciis, præcipiti impetu Gregorio ſe ſubduxiſſe, Gregorium vt periurum accuſaſſe; cum de eo crimine non ſit conuinctus; cum ſchiſmaticis non abſolutis à cenſuris ſe coniunxiſſe; acephalos eſſe; tertium procurare et ambiguum Papam, ſub quo ſchiſma non tolleretur, ſed augeretur.*

Cardinalium pertinacia.

Inſtabat etiam grauiſſimis argumentis tàm Piſanum cætum, quam Gregorium Carolus Malateſta Ariminenſis toparcha, vt vnicum celebraretur Concilium. Piſtorium proponebat, vt locum communem, in quo vel eccleſiam reintegraret, vel in conſpectu totius mundi palàm faceret innocentiâ ſuam

ſuam Gregorium vt ab imminenti diſcrimine ſubtraheret, certiorem fecit, *ab Orbe inſimulari vniuerſe ſynodum indixiſse Aquileienſem, ſolùm vt ceſſionem ſubterfugeret, propterea nullos vel paucos ibi expectaret cum deciſione Apoſtolica auctoritatis, & odio perſona tanquàm incorrigibilis. Ex hoc namq. Aquileienſi Concilio ſperare non licebat, quàm celeriùs vtrumq. condemnandum litigantem à Piſano conuentu, ac tertium eligendum, vt poſtea irreconciliabilis fiat eccleſia, & impoſſibilis vnio. Si enim duo conuenire non poſſunt, quomodò conuenient tres? eo diſtelias, quod tertius nullo feret ceſſionis onere adſtringendus.* His auditis Gregorius cœpit obiicere ruinam, & deſolationem ſuorum ſi Pontificatu cederet. *Quid* (aiebat) *de Cardinalibus meis, quid de Rege Romanorum, de Rege Ladislao, de Rege Vngariæ, atq. curialibus, & fidelibus meis, qui propter conſtantiam ſunt adeò exoſi hoſtibus meis? Certè Deum,* B *conſcientiam, meoſq. fideles adeò impiè non lædam, pro ſaturandà aliorum impià voluntate.* Repoſuit Malateſta. *Omnia benè ſperanda tam pro Regibus quàm pro Curialibus. Antonium Nepotem Cardinalem futurum, & forſan Camerarium. Acta Pontificia confirmanda vniuerſa. Solos Cardinales nouiſſimè creatos fore ſub iudice; quorum tamen cauſa non erat eccleſiæ præferenda vnitati.* Eodem tempore Malateſta Patres vrgebat Piſanos, Piſtorium accedere ad euitanda diſcrimina: ſed reſpondere: *Piſas* ſinè iuſtà cauſà à Gregorio recuſari, quia locus eſſet ab eodem Gregorio oblatus Benedicto; & à Benedicto ipſi Gregorio, vt ex *Bullà Lucæ datà*: proptetea tertium locum doloſè obtrudi, ſolùm ad declinandam promiſsam, & iuratam ceſſionem. Nullam cauſam adduci poſse cur Piſæ recuſentur? Si inſtãte Gregorio locus mutetur, mutandum etiam inſtante Benedicto, vndè circumueniri Patres, nè vnquam finis imponatur diſſidiis. *To. 2. de Schiſm. p.* 107. Pertinaces itaq. die XXV. Martij An. 1409. conuenere Cardinales veri, ſalſiuè XXII, quorum quatuor apices gerebant Patriarchales. Archiepiſcopi XII. Epiſcopi 80, Galliarum Angliæ, Poloniæ, Luſitaniæ; Cypri, Bohemiæ, Siciliæ Oratores, Caſtellanus, Aragonius pro Petro de Lunà. Robertus Rex Romanus, Ladislaus Rex Neapolis, Danus, Suecus, Noruegus, Batauus, Vngarus aliquantulum pro Gregorio ſtetere conſtantes. Adfuere Oratores Principum Germaniæ numero ſexaginta. Accademiæ etiam Pariſienſis, Bononienſis, Tholoſana, Andegauenſis, Cracouienſis, Viennenſis, Montis Peſſulani, Exonienſis, Cantabrigiæ, Pratenſis, Colonienſis miſere legatos vnum ſupra triginta. Adfuit Philibertus è Nolyaco Rhodiorum magiſter cum ſexdecim religioſis equitibus. Adfuere Priores 41. Abbates 87. Priores Monaſteriorum 20. Generales Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Auguſtinianorum, cum aliquot magiſtris Theologis, & procuratore ordinis Montis Oliueti, quatuordecim Archiepiſcoporum procuratores, Epiſcoporum duo ſupra centum, Abbatum ducenti duo: capitula Eccleſiarum Metropolitanarum, cathedralium, & collegiatarum, quæ ſuos miſere Oratores, nouẽ ſupra centũ fuere. *Facta tunc relatione* (inquit S. Anton. 3. *p. tit.* 22. *c.* 5. §. 3.) *omnibus de ſcandalo, quod inferebant illi duo Pontifices adinuicem colludentes, & nolentes vnionem Eccleſiæ quærere, prout promiſerant; decretum eſt, vt Oratores mitterent ad vtrumq. vt ad locum accederent, quorum operam Benedictus deriſit, dicens controuerſiam fore de Papatu inter ſe, & Gregorium, et nihil ad eos ſpectare de re ipſà. Gregorius verò reſpondit, non ad eos pertinere congregare concilium, ſed ad ipſum vt Pontificem Romanum quod celebrare volebat non Piſis, ſed alio in loco, videlicet in foro Iulij, ipſoſq. Cardinales eum ſequi debere ad locum, non ipſe eos: quia non decet à capite membra recedere: Sed membra caput. Vndè ipſe Gregorius cum curià ſuà eſt paratà ad locum determinatum prælatis, Principibus, & communitatibus publicatum acceſſit tempore ſtatuto. Sed ſolum de obedientià ſuà prælati, quæ adhuc vigebat in regno, profecti ſunt, alij potiùs ad Piſanam ſynodum* B *vel congregationem accedentibus. Illi breuiter expleuerunt quæ viſa ſunt eis expedientia.* Infra: Nam *poſt legitimas citationes non comparentes, ſed contumaces contra eos ſententiam depoſitionis, & priuationis protulerunt, Gregorium & Benedictum vt hæreticos & ſchiſmaticos, prohibentes Chriſticolis cunctis, ne quem eorum Papam nominarent, aut tanquàm Romano Pontifici obedirent. Quibus peractis ad electionem vlteriùs proceſſerunt.* Hęc an legitimè? dificile eſt indagare, diſiciliùs iudicare. Certum eſt Gregorium ritè in ſolio fuiſse collocatum Apoſtolico. An iure deiectum? ſub iudice adhuc. A Piſano conuentu ſollicitatum fuiſſe, Pontificatu abire, non negamus. An verò iudices illi eſsent idonei? Deus ſcit; & forſan negat eccleſia, quæ pro validitate ſynodi Coſtantienſis conſenſum poſtulauit Gregorii: à quo talia non rogaſſet, ſi Pontificem non C credidiſset.

Piſano conuẽtus deponit. Gregorium & Petrũ de Lunà.

Conuẽtus Piſanus.

Interim in Auſtriã Gregorius venerat in diœceſi Aquileienſi, vbi Concilii iam indicti primam ſeſsionem celebrauit die ſacro Corporis Chriſti, infrequenti admodum comitatu (quod ad ſchiſmatis preparationem Concilium crederetur congregari) facie, corpore, robore extenuatus, quaſi mortis præmeretur anguſtiis, teſte Niemio *l. 3. c.* 36. Sed falſo, nam teſte S. Antonino *p. 3. tit.* 22. *c* 5. §. 3. *In tot perſecutionibus & aduerſis tã conſtans et magnanimus fuit, vt nihil videretur de his curare ſciẽs quia ſecundũ prophetam non eſt malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus. Sic fixus erat in his, quæ ſibi conſcientia di*D*ctabat, vt nullus poſset à ſuo propoſito reuocare. Sic modeſtus, vt philoſophus videretur. Sic ſapientiæ deditus, vt à ſpeculatione & diſputationibus nõ ceſſaret.* In 2. ſeſſione ſententiam tulit aduerſùs Petrum de Lunà; et Petrum de Candià dictum Alexandum. In tertià, quæ contigit die 5. Septemb. obtulit ſe inſignia poſiturum Papalia, ſi Petrus de Lunà & Petrus de Candià faſtigio cederent, vt tertius deinde communibus eligeretur ſuffragiis; poteſtate tradita Roberto Romanorum Regi, Sigiſmundo Vngariæ, Ladislao Siciliæ, vt de communi loco cum aduerſariis paciſcerentur. Hęcq. per legatos toto in Orbe iuſsit promulgari Catholico. l. 3. c. 46. Niemius. Ariminum poſtea ex Concilio redeunti Gregorio inſidias ſtruxit Patriarcha Aquileienſis, vt eum comprehenderet. Quibus detectis, cum vi perrumpere non poſſet, ornatu poſito Pontifi-

Calumnia N. mil r Greg.

Synodus Aquileien. celebratur Greg.

ALEXANDER QVINTVS
PONTIFEX ROMANVS CCVI.



CCVI

IN ſole poſitum tabernaculum Dei *Pſal.* 18. Alexandro V. apponimus Romano Pontifici, propter Zelum iuſtitiæ, quà à tyrannis ditionem purgauit Romanam. Sol enim cum oritur, luſtrat primo cacumina Montium, indè in valles deſcendit. Sic iudex oculos primùm dirigat aduerſùs magnates, poſtea deſcendat in pauperes.

Eligitur Ann. Sal. 1409. die 26. Iunij. Coronatur die 7. Iulij. Obijt. An. 1410. dię 4. Maij. horà quintà noctis. Cum ſediſſet. An. 1. minus diebus XXII. Sedes non vacat, viuentę Gregorio XII. Pontifice.

E L O G I V M.

Anni Sal.IAL 1409 Ir

LAtet ſub hoc ſaxo Petrus, Philargus
Quòd inſulà exactoratus Romanà
Quam vſurpauerat, ſinè eà videri erubeſcat.
In Cretà nato centum olim Vrbibus inclytà,
Quaſi pro Homero certarunt Græci diſſidio
Certior ei patria Mundus:
Totam peragrauit Europam,
Oſtiatim panem quęrens & patrem:
Donec cucullà initiatus Minorum,
Gręcam fidem contexit cinere.
Pariſijs ſcientiarum Enciclopædiã ità hauſit,
Vt Theologi ſortiretur cognomen,
Theſibus ibi propugnatis, Mũdi theſis futurus
Inſulas Vicentinã, Nouarienſẽ, Mediolanéſẽ
Pręnſauit ſed pretio Sapientię.
Optauit etiam Romanam purpuram;
Dignus qui ad cathedram vocaretur;
Si tamen vacaret.

Anni Sal.IAL 1409 Ir

Tan-

Anni Sal. 1409. I1

Tanti eum Piſanus fecit Conuentus,
Vt Pontificē dixerit, etiam viuente Gregorio.
Nomē aſsumēs Alexandri animo nō indignū
Exhauſto largitionibus ærario ſolebat dicere
Diuitē fuiſſe Ep. Cardinalē pauperē, Papā mēdicū
Inter Apoſtolicos² dices, ſi precarios adiicias.
Poſt falces obijt octimeſtres:
Vt decet Pontificem ſanctum;
Sine Formidine:
Verbis repetitis Saluatoris.
Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.
Papa fuerit, vel Antipapa?
Hoc illi Romana debet Eccleſia,
Quòd Romam vindicauerit à Tyrannis.

Anni Sal. 1409. I1

ADNOTATIONES IN ALEXANDRO V. PONT. ROM. CCVI.

Alex. V natalia. 1 PEtrus *Philargus* teſte Theodorico Niemio l. 3. c. 52. *natione Græcus, natus in inſulâ Candia, quæ per Venetos occupatur, & vt ipſemet, tunc in agone, ſeu in vltimis conſtitutus coram ſuis familiaribus faciendo pulchrum ſermonem dicebat: Nunquam nouit patrem aut matrem, aut aliquem fratrem, ſeu ei carnis propinquitate coniunctam: ſed eum in pueritiâ mendicantem victum quidam frater ordinis Minorum in eadem Inſulâ recollegit, atq. in latino ſermone inſtruxit, & dum erat aliqualiter maior, et aptus in domo fratrum Minorum, in ipſâ inſulâ conſiſtentē, ipſum poſuit, et habitu regulari eorundem fratrum induit: et conſiderans quòd eſſet bonæ indolis eum ſecum ad Italiam poſtea duxit, in quâ in primitiuis artibus eruditus ad ſtudium Oxonienſe in Angliam mittebatur: vbi etiam per plures annos ſtudendo, & benè proficiendo demum acceſſit Pariſios, et tamdiu illic in Philoſophiâ, et Sacrâ Theologiâ ſtuduit, quòd magnus magiſter in ipſâ Theologiâ factus fuit. Poſt hæc veniens ad Lombardiam, et notitiam Io: Galleacij Ducis acquirens, & eius promotione, atq. fauore primo Ep. Vicentinus, et poſtea Archiep. Mediolanenſis, ſucceſſiuè Cardinalis, et demùm Papa creatus fuit gradatim ad dignitates, et* Dignitates. *honores huiuſmodi aſcendendo. Erat autem iſte Alexander prius nominatus Petrus de Candiâ.* Et infra. *Fuit autem dictus D. Petrus cum eligebatur in Papam ſeptuagenarius, vel citra.* Ita Niemius qui omnia vidit, & ſcripſit. Prætereo propterea eos, qui *Alexandrum* natione fuiſſe ſcribunt *Nouarienſem* natū vico Cruſinallo, *de Candiâ* vulgo dictum. Cardinalem tit. SS. Apoſtolorum fuiſſe creatum ab Innocentio VII. ob famam doctrinæ conſentiunt omnes. Creatus eſt in Concilio Piſano, vbi Cardinales conuenerant & pſeudoCardinales cum totà ferè eccleſiâ Dei, poſt depoſitionem Petri de Papa eligitur Lunà pſeudopapæ, & Gregorij XII. legitimi Pontificis, teſte *Blondo Flauio l. 10. Decad.* 2. S. Antonino 3. *p. tit.* 22. *c.* 5. §. 3. *Conclaue ingreſſi* (inquit) *Cardinales vtriuſq. partis, more conſueto pertractantes rem ipſam elegerunt in ſummum præſulem, Petrum de Candiâ Cardinalem Mediolanenſem, Ordinis Minorum, virum vtiq. valdè peritum in Theologiâ, et ſpeculatiuum. Hunc nominauerunt Alexandrum V.* Operâ præcipuè Balthaſaris Coſsæ, in quem Luna, & Corrario depoſitis, conſpirabant Patres; ſed ipſe reſpondit, illud non expedire; *ſed ſibi videretur eſſe magis vtile ac conueniens eâ vice, quòd Petrus de Candiâ presbyter Cardinalis eligeretur in Papam, quia eſſet vir apprimè literatus, et ætate grandæui ac bona fama, et de Græciâ oriundus, ita quod non haberet aliquos ſibi carnis identitate coniunctos, per quos Romana Eccleſia grauaretur: quem ſi eligerent, vellet fideliter omnibuſq. modis, quibus poſſet dirigere, atq. iuuare, vt orbem et alias terras eccleſiæ Romanæ prouinciæ patrimonij B. Petri in Tuſciâ, et etiam alia temporalia et regalia ipſius eccleſiæ violenter et iniuſtè occupata recuperaret ab illicitis detentoribus eorum. Sicquè* Geſta Alex. *Alexander perſuaſionibus, et promiſſionibus huiuſmodi, ibidem Piſis per electionem Dominorum Cardinalium in Papā fuit aſſumptus* (Niemius *in vita Io. XXIII.*) die XXVI. Iunij An. 1409. die poſtea Lunæ, primà Iulij, iterum coacto Concilio ſermonem habuit Alexander, cuius thema. *Erit vnum ouile, et vnus paſtor etc.* exponendo, quomodò paſtor ſe habere debeat erga gregem, & grex erga Deum. Confirmauit poſtea acta Cardinalium à die III. Maii Anni præteriti: diuerſaq. eorum collegia coniunxit, acta Piſana firmauit. Sententias à prędeceſſoribus latas in cauſâ ſchiſmatis diſſoluit, ac cenſuras relaxauit. Concilium proximo recurrente triennio celebrandum indixit, pro eccleſiæ reformatione tam in capite, quàm in membris. Hiſce actis repugnauere Gregorius, ac Petrus è Lunà. Is quamuis nullo iure Pontificatum vſurparet, in actibus tamen ſuis iudiciariis Barcinone editis Cardinalibus ſuis diem dixit, quò eis tanquàm inferioribus non licuiſſet congregare concilium, cuius indictio ad ſolum ſpectat Pontificem.

2. *Inter Apoſtolicos dices?* De Alexandri V. pontificatu Doctores certant. *Duce Deo* (ait An Papa legitimus Alexander fuerit. Ægidius Cardin. Viterbienſis in H. M. S. Sæcul. 20.) *illi Auenione, hi Roma ſoluunt, vtriq. tandem Religioni conſultari, pandunt vela ventis, vtriq. Piſas, eodem non vento, ſed Numine potius afflante, perueheuntur, Patres rem mirati, ac Diuinam Prouidentiam animaduertentes, attoniti tanto euentu primùm, deinde incredibili affecti lætitiâ, alteri amplectuntur alteros, alteri ad ſchiſma abolendum alteros adhortantur.* Antè Ægidium Ioannes Gerſon *lib. An Papa exautorari queat?* ait, Dei nutu, & Spiritus Sancti inſpiratione eos fuiſſe tractos, qui Piſanæ ſynodo calebrandæ operam dederunt. Ex aduerſo D. Antoninus *p.* 2. *Hiſtor. tit.* 22. *c.* 5. §. 3. Piſanum Concilium nunquàm vt legitimum agnouit. *Per Piſanum Concilium vel conciliabulum* (inquit) *cum non eſſet alicuius eorum, qui ſe gerebant pro Pontifice auctoritate congregatum, non erat ablatum ipſum ſchiſma, ſed augmentatum, ex duobus tribuſue ſe pro Papâ gerentibus.* Non diſſenſit, qui ſcholia ſancto adiecit auctori. *Præterea ſi hoc* Chriſti Domini noſtri verbum verum eſt, *ex fructibus eorum cognoſcetis eos Matth.* 7. Quis non videt Piſanam congregationem non fuiſſe legitimum Concilium, *quæ ſchiſma non ſuſtulit, ſed potius auxit, cum tres ſe poſtea pro Pontificibus geſſerint*, Infrà: *Addidit autem*

Gregorij XII. Sepulcrum in Cathedrali Recineti Ecclesia Positum.



cio alium inducit, vt cultu ornatus papali incederet. Ita hoſtes eluſit; nam interceptus qui Pontificis laruam gerebat, direptiſq. Gregorii impedimentis, ipſe duobus tantùm ſtipatus comitibus, ad triremes, quas Ladislaus ſubmiſerat Rex Siciliæ, fruſtra hoſtibus inſequentibus Caietam euaſit, l. 3. c. 49. Niem. S. Antoninus loco cit.

Inſidiæ in Greg.

Nec ſibi defuit Petrus de Lunà, Perpiniani indictà ſynodo, vt faſcinaret Aragonios, viginti octo Præſules deſignauit, ad ſexdecim poſtea redactos, qui pro eccleſiæ reintegratione conſulerent. Sed ex ſexdecim deputatis, quindecim (vt in Actis M. S. Concilii Conſtantienſis, ſeſſ. 32. p. 82.) conuenerunt in ſcriptis, vt Petrus dictus Benedictus teneretur ire Piſas, vel procuratores mittere irreuocabiles cum plenà poteſtate ad renunciandum Papatui pure & liberè, ſi Corrarius dictus Gregorius cederet, obiret, vel à Concilio deponeretur. Paginam hanc cum ei obtuliſſent, reſpondit. Nil faciam eorum quę in hac ſchedulà continentur, quia eſtis diſcordes. Adiicientibus, ſe eſſe concordes, vno excepto reſpondit iterum. *Ille vnus meliora ſenſit, quàm cæteri.* Cum poſtea reſciuiſſet, quòd Cardinalis de Chilanco fuerat ex quindecim eidem prohibuit, *ne ſententias illas Concilio aperiret in virtute ſanctæ obedientiæ; aliàs recludam vos vbi amplius ſolem non videbitis,* quod & fecit, vt fama reſonat. In Concilio tandem, vt ſpecie concordiæ, Aragones deciperet, Oratores decreuit ad Piſanum Côcilium, qui cum veniſſent, & Petrum de Lunà coram Concilio Pontificem appellaſſent, tanquàm ſchiſmatici, & hæretici fuere reiecti. Mutuis hiſce dicterijs ſcandalizabatur eccleſia. Vbiq. tamen præualente Alexandro, etiam Romani damnato Gregorio, non ſolùm Alexandro obſequia præſtarunt, ſed extincto Alexandro, Ioannē ſubrogarūt XXII. eiq. fidelitatē iurarūt. Vnus Carolus Malateſta Gregorio fidelis recuperatà Fauētià ac foroLiuio licet tentatus illecebris apertè negauit Ioannē vt Papam venerari, & quòd incapacē crederet tanti faſtigii, pacem dare rogabat eccleſiæ, infulas ponendo, quod facere Ioannes modò promittebat, modo negabat, *Niem. in vita* Io. 23. iuxta fortunæ caſus, quæ ſemper varia. Vnus ſupererat in partibus Gregorij, Ladislaus, cuius timore plurimi adhuc cum eo côueniebāt. Balthaſſar qui non minus annis certabat, quàm fraude, decreuit auro ſubuertere Regem: qui facile aures præbuit, vt à Gallis Ioannem ſeggregaret. Pactorum hæc formula: *vt Ladislaus non ſolum regno potiretur Neapolit. verum inſulà Sicilia, quæ Aragonio Petri de Lunà ſectatori parebat. Crearetur eccleſię ſignifer ducenta ac viginti aureorum millia acciperet, vel pro pignore Aſculum, Viterbium, Peruſium, Beneuentum. Mille equites in Siculos Ioannes aleret ſumptibus ſuis. Ius omne quod Andegauenſis in regno habere contendebat, ei Ioannes abrogaret. Vectigal quadraginta aureorum millium decēnio inſolutum Ioannes Ladislao remitteret. Ladislaus Gregorium deſereret, ac in Ioannis obſequium adduceret: quod vt facilius perficeret: datum iri offerendi Gregorio quinquaginta aureorum millia annuatim: ac tres affines eius inter Cardinales cooptandos. Si fœderi aduerſaretur Gregorius: promittebat Ladislaus Iōānis tradere poteſtati.* Hæc iurauerat Ladislaus, cum tamen adhuc amicè

Mors Alex. V

Creatur Io: 22.

A Caietæ Gregorium conueniret, Pontifex verò clam fœderis certior factus initi, publicè Regem interrogauit. *Chariſſime Domine Rex, quare cum aduerſario meo concordaſtis, me inſcio penitus & excluſo?* Negauit Rex conſtanter, licet die ſequenti intimari mandauerit, vt infra certum tempus, & nimis arctum, cum ſuis elongaretur à regno. Detectà perfidià, cæpit Pontifex trepidare. Sed adfuit in ſubſidium Deus, immiſſis duabus nauibus Venetorū mercibus oneratas, quas illicò Caietani ciues qui Gregorium diligebant, in odium perfidi Regis emerunt, vt exoneratæ Gregorium cum ſuà curià in tutum appellerent. Repentè itaq. conſcenſis nauibus cum Cardinalibus Barbadico, ac nepotibus Corrario, & Condulmerio (qui poſtea Pontifex creatus nomine Eugenii 4.) per inferum ac ſuperum mare inter hoſtium ac piratarum inſidias in B Dalmatiam traiecit, & inde vnius diei ſpatio ſulcato mari Adriatico, Ariminum venit, ſummis exceptus honoribus, teſte *Niemio in vita* Io: 23. ac ipſo Gregorio *l. 5. ep. p. 48.*

Ladiſlai Regis perfidia.

3 Conſtantiæ interim Sigiſmundus Imperator concilium indixerat œcumenicum, ſed quia Gregorii nomine Io. XXIII. veluti ſine Apoſtolicà auctoritate indictum euertere conabatur. Gregorius datis literis ad Sigiſmundum, Legatos miſit ad Conſtantienſia comitia, vt ibi eum iniquè exauctoratum a Piſano Concilio demonſtrarēt. Eò cū veniſſet Io: Dominicus Cardinalis, ac inſignia Gregorij prę foribus affixiſſet hoſpitii, noctu diſiecta fuere, teq. in iudicium deducta, pars Gregorii ſuccubuit, *quòd in loco qui Iōāni pareret, deſigi non debuiſſent.* Nec impetrare potuit Dominicus, vt palā ſtatueret Gre- C gorij inſignia: tantum aberat, vt Sigiſmundum ad ſe traduceret. Ea erat Gregorij calamitas, vt nemo Pontificem diceret, niſi vtilitas expoſceret priuata. Hinc cum de Colonienſi Archiepiſcopatu côtentio recurreret inter Fridericū de Morſa & Vvillelmum Montenſem: ac Fridericū Ioannes confirmaſſet: Cæſare Sigiſmundo intercedente Vvillelmus expoſità in foribus eccleſiæ Colonienſis prouocatione à Ioanne Bononienſi ſimoniacè intruſo, ad Gregorium Pontificem legitimum, ac Conſtantienſe concilium appellauit, teſte *Gobellino in Coſmod.* Interim exauctorato per Conſtātienſe Concilium Balthaſare; Cardinalis *Ioannes Dominicus* (qui 3. Idus Martij literas Arimini à Gregorio tenebat exaratas, vt Conſtantiēſe confirmaret Concilium, ſi æmulus Balthaſſar non præeſſet, ſed ab illo prorſùs remoueretur, cum hæc omnia Deo eſſent ad- D iuuante peracta) Concilium Conſtantienſe conuocauit, adprobauit iuxta formam mandati. Coaluit tunc pars vtraq. Gregorij, & Io: ſub vno capite Chriſto: dein abrógatæ ſententiæ, quæ antea à Ioanne in Gregorium, vel ab hoc in Ioannem latæ fuerant, priſtinaq. munera eis, qui Gregorium coluerant, confirmata. Sancitum inſuper; vt in publicis monumentis nulla ſedis Apoſtolicæ mentio recurreret, ſed Annus adſcriberetur Regis Romani, cum ſedes vacaret Apoſtolica. His geſtis Ioannes Dominicus Cardinalium oſculo exceptus, inter Franciſcum Venetum, & Antonium Aquileienſem presbyteros eſt collocatus. Poſtulauit deinde Carolus Malateſta (cui à Gregorio data

Concilium Conſtātienſe.

Adprobatur à Gregorio 12.

erat

erat procuratio deponendi Pontificatum) poſtulauit; an tunc gradu cedere conduceret, vel Petrum de Lunà expectare? reſponſum; faciendam abdicationem. Tunc Carolus Malateſta in ſolio ſedens Pontificio, ſacris infulis indutus, ac chiarà redimitus, habità oratione ex propoſito themate: *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis*, cultu depoſito Pontificio, purè, liberè, ſincerè Gregorii nomine Pontificatum reſignauit. Confirmata tunc omnia Gregorii geſta, quæ honeſta & rationabilia viſa ſunt. Decretum etiã de non eligendo Gregorio, non ad ipſius ignominiam, ſed pro eccleſię pace, & ad euitanda ſcandala. Cardinalitiam dignitatem cũ pręfecturà ærarii Apoſtolici cum ipſe ſibi reſeruaſſet, ampliore munificentià conſuluere Patres, nam munus Cardinalitium Picęnà legatione exornarunt perpetuà. Cognità Gregorius ſui Papatus ceſſione factà per Malateſtam, conuocatis Cardinalibus ſuis, Prælatis, ac Clero qui ſibi adhærebant, in publico conſiſtorio, ſpontè & gaudenter approbauit, laudauit geſta omnia, mithram deponens Pontificalem, colobium, cæteraq. Papatus inſignia, (ex *Niemio in vita lo. 23.*) cum proteſtatione non amplius aſſumendi, vt pax reſtitueretur eccleſiæ. Miſſi tunc à Concilio Legati ad Petrum de Lunà, vt iuxta pacta decem dierum ſpatio, & ipſe inſignia poneret Pontificalia, aliàs tanquã hęreticus & ſchiſmatis nutritor antiqui habẽdus eſset. Cũ legatis ipſe Sigismundus Imp. in Aragoniam ad colloquium cum Rege Ferdinando & Petro de Lunà perrexit. Vigeſimà primà Septembris Perpinianum ingreſsus omnibus pręcibus contendit, vt Lunenſis inſignia poneret: ſuas addidit Rex Aragonum; ſed omnes ludificatus Lunenſis, ne interciperetur Paniſcolam fugit, munitiſſimum in rupe oppidum, vbi ſe obitum vſquè continuit. Pertinaciæ ſpecies erat, quòd cũ ipſe fingeret ſe eſse verum Papã, ſi ſe abdicaret, Eccleſiam magno exponeret diſcrimini, cum Papa futurus non eſset legitimus, vnde ſine graui peccato non poſset viam abdicationis ſuſcipere. Ibidem vt pertinaciæ ſocios ſibi pararet: conuenticulum ſuorum coegit An. 1417. menſe Februarii, ſummà iactans hypocriſi nunquàm a ſe ici deſertam eccleſiam. In hac rerum pertubatione quid agendum conſultus S. Vincentius Ferrarius à Ferdinando Rege Aragonum, reſpondit. *Deſerendas illius partes, ſi trinà vice poſtulatus, abſcedere detrectaret.* Surrita *l.* 22. *c.* 55. Immò in publicis concionibus, vt prauum impoſtorem ab omnibus perſequendum, & vità priuandum declamaſſe, auctor eſt *Niemius in vità lo:* 23. Petrus verò de Lunà vt ſanctum virum palparet, & in ſuas partes traduceret, purpuram ei obtuliſſe Cardinalitiam, auctor eſt Petrus Rãzanus *l.* 2. *c.* 4. Habito interim Perpiniani conſilio à Ferdinando Aragonum Rege cum Oratoribus Regum Caſtellæ, Nauarræ, & Fuxi comitis, qui adhuc Petro adhærebant, vnanimes decreuere ſpretà eius contumacià, Oratores Conſtantiam mittere, vt in Petrum è Lunà animaduerterent Patres. Conſtantiam venere nuntij die feſto S. Thomæ Cantuariẽſis, eà Patrum lætitià, vt in omnibus eccleſiis campanæ pulſarentur. In cathedrali cum omnes conueniſſent Patres, alij præ gaudio plorabant, alij *Te Deum laudamus* deuotiſſimè concinebãt. Nõ minori lætitià perſuſa eſt Hiſpania ſperans pacem breui adfuturam. Promiſerat etiam Ferdinandus breui Ep. Concilio Cõſtantienſi adfuturos Hiſpanos; cum intempeſtiuo obitu Ferdinandi, Caſtella nutare cępit, Toletano Archiep. nonnulliſq. aliis ſchiſma extrahentibus. Neq. emicabat in Alphonſo ſucceſſore paternę pietatis ardor: immò ſub cõmodi lenocinio faſcinatus, libera Paniſcolæ permiſit conciliabula, in quibus Hiſpani hæreticorum more, ad latebras Paniſcolenſes Eccleſiam redactam iactantes catholicam, ſe vt ſanctos commendantes, & martyres væſanà declamatione pro tutelà Petri Lunenſis declamabant ad necẽ paratos. Anno tamen proximo (qui fuit Sal. 1416.) Alphonſus miſſis Oratoribus ad Concilium, Æcumenicum, & generale recognouit, licet poſteà ex controuerſià titulorum, ac præcedẽtiæ iterum ad partes Petri de Lunà ſe conuerterit. Adfuere etiam Trinacriæ, Sardiniæ, Neapolitani Oratores inter quos pacis ſtudio, lites de honoris gradu abrogatæ. Interim peremptoriè, perſonaliter 21. Ianuarii citatus Petrus de Lunà ab Oratoribus Concilij, qui Peniſcolæ libellum ei obtulere bullatum, cuius in dexteris *capita exprimebantur Apoſtolorum Petri, & Pauli*, in ſiniſtris *Claues erant eccleſiæ*: reſpondit de more, *Pontificem Concilio non ſubeſſe: Conſtantiæ congregatos non eſſe ſynodum generalẽ, nec eccleſiam repreſentare, ſed excommunicatos ac dignitate priuatos. Quod ipſe tanquàm Papa non poſſet iudicari quàm à ſeipſo maximè cum in eo ſolo reſideret eccleſia.* Proteſtabatur tamen ſe paratum abire Pontificatu, dummodo acta Piſani abrogarentur Concilii: eiquè ſoli vt Cardinali renuntiato à Gregorio XI. ante ſchiſma ius creandi Pontificis permitteretur. Eligendos etiam proponebat compromiſſarios iudices, quibus Conſtantienſe ſoluebat Concilium, & litium retibus inuoluebat eccleſiam. Audito Patres pertinaci reſponſo, die 26. Iulii *tanquàm periurum, vniuerſalis eccleſiæ ſcandalizatorem, fautorem & nutritorem ſchiſmatis inueterati, ſchiſmaticum, hæreticum, à fide deuium, & articuli fidei* Vnam ſanctam catholicam eccleſiam, *violatorem pertinacẽ, incorrigibilem notorium, & manifeſtum, omni titulo, honore, gradu ipſo iure priuatum, excommunicatum declararunt, & ad cautelam priuarunt, & denuò excommunicarunt.* Adhuc verò oblatraſſe, in ſuà peruicacià obduruiſſe, dabimus *in vità Martini V.*

4. *Cardinalis*, non Pontifex cum ex Gregorio Angelus rediiſſet Corrarius, obiit biennio poſt renunriationem Pontificatus, Recineti, in Picæno Ann. 1417. Eius obitum S. Antoninus deſcripſit verbis illis, quibus mors deſcribitur S. Stephani. *Qui durante Concilio, non multò poſt obdormiuit in Domino, plenus dierum.* Sepultus in cathedrali cum ſequenti epitaphio. — Gregorio XII. Obitus.

Maximus Eccleſiæ Princeps, ſummuſq. monarcha,
Ordine Gregorius bis ſenus clauditur arca:
Hic pro pace datus cæleſti munere ſemper
Ferbuit, æthereos ſuperis munire decenter
Archiſchiſma malum, facta hac dementia Piſis
Ipſe prius relenat, facta eſt Conſtantia teſtis
Cardine bis ſacro Paſtoris conſcia ſede
Marchia ſuſcepit, Recaneti Flauius æde.

Obijt Anno D. M. CCCCVII.

ALE-

tem D. Anton. ſecundum communem opinionem, ſignificans ex ſuâ ſententiâ Alexand. V. legitimum non fuiſſe Pontificem, ſed Gregorium XII. Nam cum Ioannis Dominici Card. Raguſini ſectator fuerit, et diſcipulus, qui ſemper Gregorii 12. partes eſt ſecutus, ipſe quoq. hunc Gregorium verum vbiq. et legitimum Pontificem prædicauit. Hinc ſupra §. 2. decretum doctorum Theologiæ, & vtriuſq. iuris tenentium tam Gregorium 12. quàm Benedictum 13. deponi poſſe, dilucidè refutauit. Hinc etiam ſupra §. 2. c. 3. hunc Gregorium verum Papam, etiam tempore Concilii Conſtantienſis, & in Italiâ, et aliis locis habitum fuiſſe refert. Et infra c. 6. §. 2. hunc Gregorium à multis Deum timentibus, et peritis creditum fuiſſe tempore eiuſdem Concilii verùm Pontificem aſſerit. Infra: *Idem etiam in ſummâ huius tituli, cum de creatione huius Alexandri egit, hac correctione vſus eſt: Si tamen potuerant.* Hinc poſt Conſtantienſe Concilium Romani Pontifices Alexandrum V. nō abſolutè dixere Pontificem, ſed *in ſuâ obedientiâ* addebant. Sinè culpâ adoratum fuiſſe vt Pontificem legitimum, turba doctorum excuſat, qui eum ſequebantur. Veneti ipſi poſt matura conſilia cum Theologis & Iuriſperitis, relicto Gregorio, Alexandro ſe inclinarunt. *Niemius l. 3. c. 45.* S. Anton. *c. 5. §. 2. tit. 22. p. 2.* De vtroq. S. Malachias prophetaſſe legitur: *Nauta de Ponto Nigro*, loquendo de *Gregorio* XII. quia Venetus erat, & Epiſcopus Eubœę, ſeù *Nigri Pontis*: De *Alexandro* autem, *Flagellum Solis*, quia Archiepiſcopus eſſet Mediolanenſis S. Ambroſii; cuius inſignia *flagellum* erant; *Sol* aurem Alexandri. Accepto itaquè Eccleſiaſticæ ditionis imperio, ad recuperanda quę Ladislaus occupauerat, animum conuertit. Præſto adfuit Ludouicus Andegauenſis, filius quondàm Ludouici Ducis Andegauenſis, qui regnante Carolo; in Siciliâ obiit, cum Cardinali Balthaſare Coſſâ, Carolo Malateſtâ, ac Paulo Vrſino vt iunctis viribus, hoſtem eodem tempore diuerſis in locis fatigarent. In eum veluti tyrannum Alexander, atq. eccleſiæ hoſtem aduertere conſtituit, publico edicto propoſito, in quo datum crimini, quòd captatâ turbatę Eccleſię occaſione, Romam ac alias vrbes oppreſſiſſet: *quòd rogatus à Card. Odone Columnâ, Piſas mittere Præſules ad reintegrandam eccleſiam, negauerit, Romanum affectaſſet imperium; ac vrbes inuaſiſſet eccleſiæ. Deducendum in Aprutium curaſſet Gregorium, ac in Vrbem vti Pontificem reducendum iactaſſet, Alexandrum verò prohibuiſſet nominari Pontificem.* Hæc Piſis Kal. Nouemb. An. 1409. ſed armis retundere parabat Ladislaus arctiori nexu iunctus cum Gregorio, Ludouico de Melioratis, Malateſtis, atq. Camertibus toparchis. Extant eiuſdem literæ ad Gregorium de Piceni veſtigalibus inter eos partiendis pro bellicis ſumptibus ſuſtinendis

Alex. a ma- [illegible]

Mouet ſe Ladislai.

Alexan. en elegan.

3. *Alexandri* nomen non indignum Petro fuiſſe Philargo tradunt Platina, Ægidius Viterbienſis, Genebrardus, Panuinius. *Pauperibus lonandis* (ait Viterbien) *ita ſtuduit, vt nihil omninò ſibi reſeruaret. Nec ſibi ſapere eos dicebat, qui cum ſummam gloriam erogandâ pecuniâ comparare poſſint, ſummam aut colligendâ infamiam, aut aſſeruandâ inuidiam conflant. Nam cum triplex ſit in eâ aſſeruandi ratio, eorum qui vnde fas non eſt, aurum comparant, qui vbi compararent, nemini dant, qui dant quidem: ſed non quibus dare maximè oporteret: primos raptores, alteros lucifugos, poſtremos dilapidatores appellabat: faeliciter eos ſummum locum adipiſci, qui faciliorem ſibi inde ſternunt ad Cœlum viam.* Pecunia cum deeſſet Alexandro vt pauperibus præcipuè ſatisfaceret; per iocum dicebat interdum. *Se diuitem fuiſſe Epiſcopum, pauperem Card. mendicum Pontificem.* Platina. Papirius etiam Maſſon. *inſtructiſſimum, & naturâ magnanimū* appellat, *eiq. datâ à Cardinalibus plenâ licentiâ ad diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtatū corrigēdū, quem pro ſapientiâ ac luce dignitatis ſuæ in poſterum regeret &c. Erat vir digniſſimus altiſſimo, qui eum ſequutus eſt, honore: natura quippè illum eſſe inſtituerat benignum, liberalem; O virum felicem, qui virtute, fortunaquè inter mortales tam ſublimem honorem nactus, eo benè vti, quod perrarò contingit, ſciuiſti. Cum amicos atquè bonam famam opibus vtiliores, honeſtioreſq. atq. minus animi laboribus obnoxios, quàm aurum, in quo omnia contraria inueniuntur, eſſe duxiſti.* Conſonant Fulgoſius *l. 4. memorabilium.* Io: Baptiſta Egnatius. Gerſon in ſermone habito coram Alex. V. in die Aſcenſionis. Theodoricus verò Niemius, qui Antipapæ cauſam potiùs egit, quàm Pontificis, ac omnia Gregorii, Alexandri, cæterorumq. Pontificum ſiniſtrè eſt interpretatus, liberalitatem piam vt ignauam prodigalitatem inſimulans, ita ſcripſit *l. 3. c. 51. Erat iſte Alexander homo benignus, liberalis, & libenter benè, & lautè bibebat, bibendo frequenter vina fortia, & delectabatur in illis. Hic, quidquid ordinauit & fieri voluit Io: Papa, tunc Diaconus Cardinalis, in omnibus & per omnia fecit, ab eius precibus conſiliis aut mandatis, vt exitus actu probauit, nullatenus recedendo, & in eius Papatu nihil penitùs reformauit, & omnibus ſtuduit complacere, et vix alicui ab eo quicquam petenti à maiori vſquè ad minimum ſine perſonarum diſcretione ſciuit denegare. Vnde ſubitò poſtquàm in Papam aſſumptus fuit, adeò deformauit notabiliora officia ſuæ Curiæ ad importunam inſtantiam multarum petentium, excedendo illorum numerum antiquum, nullâ neceſſitate aut vtilitate vrgente, quòd in longo tempore in ſtatum debitum vix potuerunt reformari, et tam prodigus fuit in concedendis gratiis beneficialibus, quòd nullam poſuit differentiam inter perſonas, quibus illas fecit, et quales facere deberet, nec modū nec ordinem debitores conſuetos in talibus obſeruando: fuit enim in illis practicalibus et agibilibus penitùs inexpertus, vnde per ſe in Conſiſtorio publico, vt conſueuerunt facere ſummi Pontifices, rariſſimè aduocatos audiuit, et per alios ſibi porrectas ſupplicationes quandoquè ſignari fecit: aliquos etiam fratres Minores ſibi charos et ſociales publicis officiis et lucratiuis, quæ priùs conſueuerunt regi per ſeculares perſonas habiles et expertas, in eadem ſuâ Curiâ præferret, et miro modo conabatur pleroſquè fratres Minores Cathedralibus eccleſiis vacantibus præficere in paſtores: in his præcipuè; et etiam in multis aliis Papale officium, cuius grauitatem non nouit, in breui tempore denigrando: Sed etiam clericos apud ipſum exiſtentes exceſſiuè fecit 4 vnde ſupplicationum rotulas per eum ſignatas, quæ per Dominum vicecancellarium ſanctæ Romanæ eccleſiæ iuxta eius officium inter abbreuiatores literarum Apoſtolicarum iuxta eorum ſufficientiam, et merita debebant diſtribui, paſſim per dictos ſuos clericos etiam in talibus omninò inexpertos lucri captandi cauſâ diſtribuit*

Dictum de ſeipſo.

Vitiis notatur à Niem.

bait per ſeipſum, per hoc expertos abbreuiatores ſolitis lucris ſpoliando, et ſuos inexpertos qualitercũquè ditando, etiam in magnum præiudicium et damnum illorum, qui literas Apoſtolicas ſuper eiſdem ſupplicationibus et rotulis confici procurabant. Vnde valdè multa falſitates in ſupplicationibus ſub breui Pontificatu dicti Alexandri, qui ſolum per X. menſes, vel circà, durauit, commiſſa fuerunt, quia cùm aquæ ſunt turbidæ, vtiliter piſcatur in illis. Et etiam videntes talia ipſi abbreuiatores magis experti ſemper continuari, fortè non fuerunt ita ſollicits ad expediendum maturè literas Apoſtolicas, ſicut fieri debuiſſet, & multę literę in eius camerà per ſuos ſecretarios expediebantur, ex quibus poſtea candala ſubſecuta fuerunt. Quam ob rem ipſa Curia in tam breui tempore in magnam confuſionem & infamiam eiuſdem Alexandri, Papa cauſante ſimplicitate, deuenit.

Adiungit idem *Niemius c.* 52. Alexandrum ante ſuam coronationem plures creaſſe Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, familiaribus Cardinalium (qui in Conclaui miniſtrauerant) plura contuliſſe beneficia etiam incompatibilia, nullà perſonarum cognitione vel diſtinctione præmiſsà, & hoc grandi murmure, & ſcandalo, maximè quòd ſcriptis declaraſſet, beneficiorum profuſionem ex pacto feciſſe, quia in Conclaui Cardinalibus promiſiſset omnia ſe conceſsurum, ſi Pontifex eligeretur. Subiungit etiam in *c.* 53. declaraſse Ioan. Archiepiſcopum Moguntinum legatum natum in ſuà prouinciâ, ac aliàs inſolita & inaudita contuliſse priuilegia Germaniæ Epiſcopis, nec non in cauſis matrimonialibus irregulariter diſpenſaſse, magnà ſui ac Curialium infamià. In eius creatione Fratres minores tantam concepere lætitiam vt cateruatim per vicos curſitarent & plateas, veluti mẽte capti. Niemio tamẽ nõ ſolũ cæteri aduerſãtur hiſtorici, S. Antoninus, Platina, Ægidius Viterbienſis, Onuphrius; ſed Geſta eiuſdem Alexãdri, quæ Cardinali Coſsà perorante, induxere Conclaue ad eum eligẽdum in Papam. Item legationes ac conſilia, quæ pro Galeacio Duce obiuit Mediolanẽſi mendacem Niemium arguunt, & Alexandrum aulæ non inexpertem. Indè Ægidius Viterbienſis: *Alex. V. Cretenſi accuratum ſtudium, peripateticam diſciplinam, diuina lux & ſacrarum rerum intelligentiã, & incredibilem dederat ſanctitatem.* Is Põtifex creatus *vniuerſam eccleſiam in ſpem ſanandi vulneris erexit, & capit omnia agere, quæ & Chriſtiana Reſp. et tanta tempeſtatis ratio poſtulare videbatur. Fuit is magno erectoq. animo, ſummà prudentià, incredibili liberalitate in pauperes præcipuè.* Concordant Sanderus, Genebrardus, Cromerus.

Elogia Alex. V

Obitus.

4. *Obiit.* Alex. V. Bononiæ, die 3. Maii Ann. 1410. horà quartà noctis, conuocatis priùs ad ſe Cardinalibus, quibus pulchrum fecit latinum ſermonem, Niemio *l.* 3. *c.* 53. De pace verba feciſse auctor eſt Platina, ac de tuendà eccleſiæ dignitate. *Ex me quàm fallax ſit hæc vita* (Cardinalibus dixiſse refert Ægidius) *cognoſcite: cum viuitis, quæ agenda ſunt, ne differatis.* Obiit ſine formidine rectà vità ſuffragante præteritâ, præcipuè ex geſtis Piſani Concilii, cuius geſta omnia rectè & ſinè dolo confirmauit fuiſse peracta. *Cum hæc dixiſset* (teſte Platinà) *lacrymantibus omnibus, qui aderant, illud Saluatoris verbum ægrè proferens,* Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, *ſtatim moritur,* erectà manu ad Cardinales benedicendo, ſublatiſq. in Cœlum oculis: *Rodulphus.* Venenatum fuiſse in cliſtere ſcribit Antoninus 3. *p. tit.* 22. *c.* 5. *l.* 3. Sepultus eſt Bononiæ in eccleſià Fratrum Minorum teſte Niemio cum ſequenti inſcriptione.

Petro Philargo Cretenſi, viro inſigni, Oratori gentium, Concionatori facundo, Conſiliario Ducum, diſputatori acerrimo, Pariſiis publicè Theologiam in quatuor libros ſentẽtiarum ſcriptori luculentiſſimo, qui ex Ordine Minorum ad Epiſcopatum Vincẽtiæ, Nouarię Archiepiſcopatum Mediolanenſem, Cardinalatum, & tandem ſummi Pontificis apicem euectus eſt Alex. V. appellatus Bononiæ moritur An. MCCCCX. Pontificatus ſui menſe octauo. Hic fallitur; XI. dicas

Alia contra Sepulchrum.

Summus Paſtorum Alexander V. & omnis ſcripturæ lumen Sanctiſſimus Ordo Minorum. Quem edidit, et proprio Cretenſis nomine Petrus.

Quartum carmen tribus epitaphii carminibus additum legitur apud Rodulphum,

Migrauit ſuperum ad lumen, ſedeſq. Beatus

Alia ex Iano Vitali.

Quintus Alexander, ne degeneraret ab illo
Qui Macedum fortè præfuit imperio
Erexit Reges ſolio, ditauit egenos
In quo certarunt officia & pietas.

5. *Romam.* Inſulis ſuſceptis Alexander, fœdere inito cum Ludouico Andegauenſi quem hæredem legitimum declarauit regni Neapolitani, Petri bona vindicauit, auctore Vrſino, cuius victoriæ certior factus cum Romam meditaretur aſcendere; negauit Coſsa quòd Bononienſibus promiſiſset illuc Papam reducere, Cardinales autem illecti promiſſis (partem enim expenſarũ itineris Coſsa offerebat ſe ſoluturũ) ac Papa loci ſecuritate deceptus, hiemali tempore per montes, & glaciales ſemitas Bononiã venere, vbi domicellos & cubicularios à Coſsa deſignatos ſuſcepit inuitus; quorũ dolo poſteà venenatus deceſſit, *Niem. in vità lo.* 22. *& l.* 3. *c.* 52. Bononiæ Romanos excepit Legatos, qui Vrbis claues, cæteraq. inſignia Alexandro detulerant, ipſe mutui amoris ſigna manifeſtans, Petrum Cardinalem S. Praxedis vicarium creauit in vrbe, mandãs vt ſacramẽta iam antè Gregorio, ac Ladislao pręſtita ſolueret; Anathema renouans die ſacro Cęnę Dominicæ in Petrũ de Lunà, ac Gregorium eiuſq. ſequaces. Hinc in *Rupertum* Romanorum Regem motà lite, *Vuenceslaum* (qui iam erat depoſitus atq. exauctoratus) Cæſarem repetitis literis nominauit, vt *Ruperto* inuidiam excitaret, qui adhuc partes fouebat Gregorii.

Patrimonii vindicat Petri

Scripta Alex. V.

Commentaria in Sententias extant *M. S.* Oxonię in bibliothecà Balliolenſi *vol.* 57. Patauii apud Conuentuales.

Quodlibeta quædam

Concluſiones in collegio habitas, ſunt Cantabrigiæ M.S. in collegio Emanuelis *n.* 29.

Sermones varii

Epiſtola M.S. in Vaticano.

JO. XXI. Dict. XXIII. Vel. XXIV.
PONTIFEX ROMANVS CCVII.



IOannem 22. Antipapam (quemadmodùm fuit etiam Alexander V.) armis *magnum*, in ſpiritualibus *nullum* , vt ait Sanctus Antoninus , in vitulo damus , quem coactus Aaron Hebræis erexit , ſub titulo : *Hi ſunt Dii tui Iſrael. Exodi* 32. Quibus verbis Cardinalis Burdegalenſis Piſanum exprobrauit conuentum à quo Ioannes electus fuit , nec vnquàm adduci potuit vt in Ioanne conſentiret.

Eligitur Ann. 1410. *die* 14. *Maij . Coronatur die* 25. *Deponitur in Concilio Conſtantienſi An.* 1416. *die* 29. *Maij . Cum ſediſſet. An.* 6. *dies* 12. *Obijt An.* 1419. *die XI. Kal. Ianuarii . Sedes non vacat ſedente Gregorio .*

E L O G I V M.

Anni Sal. Io. 1410 BAlthaſar [1] Coſsus Parthenope genitus, [A]
Futuræ magnitudinis ſigna puer edidit.
Nam ſpe conceptà Pontificatus futuri,
Ambitu, largitione pręnſauit, pulſauit :
Donec ſuffragãte *Ludouico* Duce Andegauẽſi
Pontifex ſi non factus, eſt dictus .

Bononię Iuriſprudentiæ incubuit ; Anni Sal. Io. 1410
Indè Bonifacio IX. aſcitus cubicularius ,
Ita exercuit iura regnandi ,
Vt ſolui ditionẽ Eccleſię vĩdicauerit à tyrãnis
Auctor Piſani [a] Concilij
In quo Alexander V. palmam retulit,

Anni Sal. Io. 1410.

Fidelitatem ſeruauit vti cardinem vitæ ſuæ;
Purpuram cum decoraſſet ſanguine;
Diù legatus, mox Pontifex 3 Romam venit
Vt Baptiſtæ caput venderet Florentinis .
Quanti venderet? Herodias dabit ,
Quę regni dimidio prætulit caput Ioannis ;
Ad Concilium citatus 4 Conſtantienſe
Veritus Pontifex accedere , priuatus regredi
Venit, vidit, , fugit .

Sed à Cæſare implere coactus, ſpôte promiſſa
Tetrarum faſces , & Cœli vices 5 abdicauit .
Quid magno animo acerbius vita priuatâ ?
Tyrannum imitatus Ioannes Dionyſium,
Qui amiſso imperio, ſcholam aperuit .
Thiarâ poſitâ laciniam retinuit ,
Quam breui cum vitâ depoſuit;
Sine maieſtate impotens ſuperuiuere.

ADNOTATIONES IN IO. XXI. DICT. XXIII. PONT. ROM. CCVII.

1 Balthaſar &c. Nouemdialibus Alexandro perſolutis, Bononię die Mercurij XIV. menſis Maij An. 1410. poſt horam XXII. Conclaue ingreſſi XVII. Cardinales cęperũt de ſubrogãdo nouo Põtifice agitare conſilia. *Balthaſar Coſſa* Card. Legatus Bononienſis ſimulans non ambire Papatum ſuadebat Cardinalibus, vt Conradum ſancti Chryſogoni presbyterum Cardinalem vulgo Melitenſem , natione Neapolitanum in Papam eligerent , Erat iſte bonus moribus, ſed ineptus & illiteratus. Parabat tunc Ludouicus Andegauenſis claſſem, vt Ladislao eriperet regnum Siciliæ ; & audito Alexandri obitu , Oratores Bononiam miſit præcipuè ad Cardinales Gallos , rogans vt Coſſam Papam eligerent, ſperans eius auxilio Siciliam è manibus Ladislai vindicare. Galli profuere preces, nam paucos poſt dies in feſto ſancti Vrbani Papę, Pontifex infeliciter coronatur . *Niemius in vita Io. 23.* Fuit *Balthaſar* natione Neapolitanus filius . . . . . . *Coſſæ equitis Neapolitani*, diuitijs refertus, Bononiæ ciuili Pontificioq. iuri operam dedit . Lauream cum obtinuiſſet Doctoralem, Romam veniens in itinere interrogatus ab amicis, quò iret ? *ad Pontificatum* reſpondit , teſte Platinâ . Fuit primùm à Bonifacio IX. in gratiam patrię inter cubicularios aſſumptus , poſteà Archid. Bonon. & Protonotarius Apoſtolicus, diaconus Card. S. Euſtachij , ac Flaminiæ Legatus, quo munere fungens Io: Galeacio Inſubrum Duci Bononiam abſtulit . Adſuit in electione & coronatione Gregorij; licet poſteà ab eo deficiens quadringenta eius diplomata, Bononię in publico foro cõbuſſerit; inde militari ſtipatus exercitu Picenum excurrerat, vt Gregorium interciperet . Adduxit tandem Florentinos , vt Piſas ad ibi peragendum Concilium permitterent . Hinc à Gregorio . . . .

Balthaſaris Coſſę aſtus.

Eligitur Papa. Eius natalia.

2. *Piſanum* &c, purpurâ , & legatione priuatus magis irritatus , auctor fuit , vt Cardinales pauperes auro corrupti, Piſis in electione Alexandri V. conuenirent ; qui non tàm gratitudinis teſtimonio, quàm timoris, totum Pontificatum ſuum iuxta Coſſæ conſilia dirigens , Bononiæ ſubſiſtens ibidem ab eodem Coſsà veneno ſublatus eſt . Eius mores breui deſcripſit S. Antoninus 3. p. tit. 22. c. 6. *Vir quidem* (inquit) *in temporalibus magnus in ſpiritualibus nullus omnino, atq. ineptus, vt ſcribit Leonardus Aretinus Hiſtor. Ital.* In eius *electione* (ſubiungit Gobelinus in Coſm.) *multi ſcandalizati ſunt, quia vt tyrannus rexiſſet Bononiam, et vita mundana deditus dicebatur* . Violenta inſimulatur electio , quòd cum Legatus eſset Bononienſis , armatos teneret

3. *Pontifex* &c. milites tàm in vrbe quàm in agris, vt ſi precibus non obtineret, minis conſequeretur & armis . *Platina* . Seipſum elegiſſe cum de alio ſperarent, ſcribit *Philip. Berg.* Cum enim obſecraret, vt quem vellet Pontificem, non diſſimularet . *Date mihi* (inquit) *Petri chlamydem, et ego eam dabo Pontifici futuro* . Oblatâ chlamyde , ille eam imponens humeris ſuis . *Papa* (ait) *ſum ego, et non alius.* Nec diſsenſere Patres, quòd *hominem terribilem atq. armatum territare non videretur vtile.* Stella . Inſignibus ſuſceptis Pontificiis , Præſules ac Principes electionis ſuæ certiores fecit : Alexandri V. exemplo Vrbanum VI. & ſucceſsores ambiguos diſceptans fuiſse Pontifices , cenſuras ab ijs reſcidit inflictas , & ſacerdotia collata inſtaurauit, Gregorium verò ac Petrum de Lunâ actis inſequens iudiciariis, vt ſpetie clementiæ ipſos ad ſe pelliceret ; ſententias in eos latas ad ſemeſtre viribus carere iuſſit. Inde Legatis in Orbem ad ſollicitandos Chriſtianos in obſequiũ miſſis, vires cum Ludouico miſcuit Andegauenſi aduerſùs Ladislaum, vt Siciliâ depelleret, ſed nauali inito certamine propè portum Veneris, victi Galli numero octomille cęſi vel capti Ludouico abſtulere victoriam, non vindictam. Diſcrimen augebat Carolus Malateſta, qui nullis illecebris adduci potuit in partes Ioannis, imò Fauentiã & Forũ Liuii Gregorio reconciliauit. Cladem tamen compenſabat acceptã Sigiſmundus Rex Vngariæ, qui antea Gregorii deuotus nunc in partes Ioannis receſserat , Synodo receptâ Piſanâ ; datis à Ioanne in monumentum gratitudinis ampliſſimis priuilegiis ei eiuſq. ſucceſsoribus, miſſoq. Legato *Brandâ* Epiſcopo Placentino, qui ipſum temeratæ religionis nexibus irretitum ; ob vſurpatas eccleſiarum opes abſolueret , Vngariam ex bellorum diſcrimine ſacerdotibus minus idoneis implicatam in meliorem frugem dirigeret, atq. ſuam Eccleſiis aſsereret immunitate. Aduerſus verò Ladislaũ Regem Siciliæ , qui ſolus cauſam fulciebat Gregorii , vt ex Romanę Eccleſię diſſidiis imperiũ propagaret , Ludouicum excitauit Andegauenſem , ac Petrum Vrbanum Comitem Nolanum , vt gladio pellerent , quem ipſe ſacro calamo deturbauerat. Die S. Georgii ſacro, promotis caſtris, ſuperato ad Ceperanum vado, Die XIX. Maii ad Roccam Siccã inito Marte , dum Ladislaus ad cœnam ſederet victus tantũ eſt, cum ſterni poſset. Fortuna victoriam obtulit ; auaritia triumphum abſtulit . Vaſa aurea in

Vſurpat titulum Papæ

in menſis reperta; equi phalerati qui ephippios va-A gabãtur, temora fuere victoribus, ac victis ſemita, vt ſecedere potiùs viderentur, quàm fugere. Actum erat de Ladislao, ſi victores vti ſciuiſſent victoriã. Sed dum victores inter ſe ſpolia diuidunt: vires reparant victi, vt iterùm victoribus imminerent. Hinc poſtea Ladislai vox: *quà die profligatus eſt, & ſui corporis & totius regni poteſtatem in manibus hoſtium fuiſſe: Secundà die redimiſſe corpus, non regnum: tertià die vtrumq. ſeruaſſe.* Fama eſt, Paulum Vrſinum noluiſſe Ladislaum ſternere, vt inter Pontificem & Ludouicum medius ſtaret, & vtriq. oſtentari. Hinc Ludouicus Italorum exoſus incõſtantiam, vir quietioris ingenii ad ſua in Galliam rediit, nõ ſatis fortis, & prudens vt cum Neapolitanis ferro ſimul, ac fraude pugnaret. *Niemius in vità Io:* S. Antonin. 3. *p. c. 6.* Vexilla in ſignum victoriæ, Romam tranſmiſſa, Baſilicę ſancti Petri Balthaſsar iuſſit appendi inſtructàq. proceſsione ſolemni, ad maiorem con-B temptum Gregorii & Ladislai, retrò proceſsionem vexilla trahi ac luto inquinari, muſſitante Curià, quòd tanta ignominia ſolumodò vehementius prouocaret offenſus. Nec ſefellit opinio. Cum enim tumidus *Balthaſsar* ſubactæ Neapolis nuncium expectaret: eccè Ludouicus cum exercitu in vrbem rediens, quòd ad alendos milites præda non ſufficeret; ac Ladislaus reparatis viribus aditus omnes abrupiſset. Non propterea *Balthaſsar* ſpiritus poſuit feroces: nam die XI. Augusti in ſenatu Cardinalium Ladislaum cẽſuris deuinctum vulgauit eccleſiaſticis. Die 9. Decemb. perculit anathemate: ſacrum bellum in eum toto orbe catholico excitauit. Quare cum Pragæ de huiuſmodi in Ladislaum bello gerendo prò concione ageretur, Huſſitæ ad omnem occaſionem aduerſus Eccleſiam intenti tres ſordidos ſubornarunt artifi-ces, qui Papam Antichriſtum appellarent, quòd C contra Neapolitanos Chriſtianos ſæuũs bellum decerneret. Comprehenſos à magiſtratu populus ab hereticis in arma concitatos cum in libertatem vindicare niteretur, prudentum virorum oratione delinitus diſceſſit: illi autem blaſphemi impietatis pœnas capitali luere ſupplicio. Ioannes verò Hus, qui malà doctrinà in extremam calamitatem hoſce traxerat imperitos, vt popularium animos religionis ſpetie commoueret, ſtipatus ſectatoribus ſuis, interceptorum corpora capit, aureoq. panno circumuoluta veluti martyrum, qui pro Chriſto ſãguinem fudiſſent, per vrbis plateas circumtulit, (concinentibus ipſis; *Iſti ſunt Sancti, qui pro teſtamento Dei ſua corpora tradiderunt*) ad in Sacrario D edis (cui Bethleem nomen erat) aromatibus condidit, quaſi ſeditioſo ſanguine ſuam conſacraſset eccleſiam: *Coclaus hiſtor. Huſſit. l. 1.* Dum hæc agerẽtur; concilium in vrbe *Balthaſſar* celebrare decreuit, quod eius prædeceſſor Alexander Anno tertiò poſt Piſanum Concilium decreuerat celebrandũ. *Gobel.* In Hiſpanià verò captatà occaſione Maurorum Granatenſium, qui in Caſtellę fines irruperant, vt ſpetie religionis Hiſpanos *Balthaſſar* in ſuas partes traduceret, Iordanum Cardinalem S. Laurentij Legatum miſit, ſacram militiam ad conſcribendã aduersùs Granatenſes. Vanè tamen laboratum, *Petro de Lunà* apud Hiſpanos ſuos præualente, à

Ladiſlaus victus.

Ladiſlaus excommunicat.

Huſſitę tumultũ agunt Pragę.

Io concilium celebrat.

quo Ferdinandus Caſtellanæ Regiæ procurator, Dertuſæ indicto colloquio, Siciliæ ac Sardiniæ imperium accepit beneficiarium. *Marian l. 20. c. 5.* Romæ verò *Balthaſſar*, vt ſe armis communiret ac literis, quatuordecim creauit Cardinales præſtantes doctrinæ preconio: Inter quos Petrus de Aliaco Ep. Cameracenſis, Franciſcus Zabarella Ep. Florentinus. Alios etiam creauit Anno ſuturo 1413. de quibus ſuò loco. Legatum miſit ad Sigiſmundum Vngariæ regem Imp. electum, vt ad ſuſcipienda inſignia imperii in Italiam deſcenderat. Bina celebrauit Concilia in hæreſes Vvicleſi, & Huſſi, de quibus habebis infra. Tertium iam promulgauerat, cuius prætextu Ladislaus cum phalangibus ſuis Romam acceſſit, vt tumultus cõprimeret, qui facilè poſsent inſurgere, re vera vt vrbis dominium iterùm vſurparet, ad quod exules excitabant Romani, nec ciues abhorrebant propter gabellas, & infeſta onera, quibus dietim præmebantur à pſeudoPontifice Balthaſſare. Fractis itaq. per Ladislaum mœnibus, non habens *Balthaſsar* defenſorem, Sutrium fugit tanto incomodo atquè terrore, vt plurimi ſiti, calore deſecerint in via. Sutrii non ſecurus, noctu Viterbium ſe proripuit, indè ad Faliſcos, mox Florentiam, vbi in ſuburbano habitauit Epiſcopi, quòd diſſidentibus Florentinis timore Ladislai non eſſet inuitatus in Vrbẽ. *Niemius in vità* Ioann. 23. S. Antoninus 3. *par. tit.* 22. c. 6.

4. *Conſtantienſe &c.* Cum itaq. Ladislaus latè per Italiam dominaretur vbiq. potens, atq. terribilis, nec vlla reſiſtendi ſpes eſſet, Ioannem impulit ad externa & tranſalpina reſpicere auxilia, miſſis duobus Cardinalibus *Antonio Calaneo, & Franciſco Zabarella* ad Sigiſmundum Imp. vt Eccleſiæ opem ferret contra perfidum Regem. Ioannis caſum Cœlum ipſum præluſerat prodigijs ſuis, teſte *Niemio.* In feſto Pentecoſtes dum in capellà maiori palatij ſui propè S. Petrum Veſperas celebraret, ſumpto exordio ab hymno *Veni Creator Spiritus*, repentè aduolat bubo ſeu noctua: Sic cum in portà eccleſiæ Sanctis Ioannis Lateranenſis inſignia ſua inter alia prædeceſſorum pingi curaret, percuſſa fulgure cecidere, integris cæteris remanentibus. Venere interim ad Sigiſmundum Ioannis miſſi, vt in Ladislaum deſcenderet, ſollicitantes ac de loco, tempore paciſceretur Concilii iã indicti ab ipſo Ioanne. Diuinitùs autem factum, vt cum in ſpetiem pacis ampliſſima ac libera mandata Legatis ſuis dare decreuiſſet Ioannes, clàm verò locum deſignaſset, vbi conuenire volebat, nempè vbi ipſe viribus Cæſari præualeret, dies venit, quo cum legatos proficiſci oporteret, Ioannes *remotis cæteris præter me vnum* (Leonardus is erat Aretinus, qui Ioanni à ſecretis erat, vt in *hiſtorià rerum Italicar.* & ex eo ſanctus Antoninus) *legatos ſecretò allocutus eſt, multiſq. verbis cohortatus ad munus legationis diligentiſſimè obeundum, oſtendens quanti ponderis illa res eſſet, cuius gratià mitterentur: deindè conuerſus ad beneuolentiam, tum eorum prudentiam, fidemq. laudares, ac melius illos cognoſcere, quid facto opus eſſet, quàm ſe ipſum dicebat. Dum iſta commemorat, atquè inculcat, affectus ipſe beneuolentia, propoſitum diu cogitatum momento temporis im-*

mu-

Io. creat Cardinales.

Granat Romanos gabellis.

Implorat Sigiſmundum Imper.

Prodigia in Ioanne.

*montauit. Decreuerã (inquit) loca quędã nominare, à quib. nullo modo diſcederetis: ſed in hoc temporis puncto ſententiam muto, ac veſtra prudentia cuncta permitto: vos quod mihi tutum & quid formidandum cogitotis: chartulamq., in quà ea loca ſcripta erant, in eorum conſpectu lacerauit, abſq. vllà alicuius loci nominatione. Legati igitur ad Sigiſmundum profecti, Conſtantiam prò loco Concilij delegerunt vrbem & tranſalpinam & Imperatori ſubiectam: quod ſimul atq. intellexit Ioannes, incredibile quantum indoluit, ſeipſum ac fortunam ſuam deteſtatus, quòd tam leniter à cogitatione, propoſitoq. illo priſtino reſtringendorum locorum deſciuiſſet: ſed voluntatem Dei nemo vitare poteſt. Ioannes principio hyemis Florentià Bononiam abiit, nec multò poſt congreſſum Sigiſmundi petens, in Galliam Ciſalpinam profectus, Placentia primùm cum illo congreditur, indè ad Laudenſem vrbẽ profecti ambo, menſe ferè toto in eà vrbe fue*re: vbi datis literis encyclicis, Conſtantiam vocauit omnes Chriſti fideles pro Concilio æcumenico, vt in *Bullario ſub* Io. 23. Regias literas ipſe adiunxit Sigiſmundus, quibus oblatà ſecuritate acceſſus, atq. receſſus promittebat, quòd Papa, Cardinales, Epiſcopi ſaluà Eccleſiæ immunitate poſſent ibidem exercere iura ſua: item quòd omnes in Concilio adfuturi poſſent liberè loqui, tractare; quæ ſibi videbuntur opportuna. Eodem interprete Sigiſmundo, pacti ſunt Conſtantienſes cum Legato Ioannis, ipſos Ioannem ſolitis honoribus Pontificijs proſecuturos, nequè ei abeundi libertatem adempturos. Vocatus quoquè Gregorius ab eodem Sigiſmundo ſequentibus literis; *Si facere vultis quantum in vobis eſt, vt eccleſia Dei poſſit eſſe debitè reformata, modum habetis, veniendo ad præmiſſum locum tempore conſtituto cum veſtris de veſtrà obedientià &c. vt pro noſtro imperiali officio exhortamur, requirimus, & monemus, & ſuper his noſtras vobis tranſmittimus, ne poſtea dicere, vel allegare vllam ignorantiam valeatis. Nos etiam, vt pleniorem cauſam veniendi habeatis, per præfatos damus vobis & veſtris plenum & ſaluum, & ſecuritatem. Datum Laudæ &c.* Solicitatum fuiſse etiam Petrum de Lunà ab eodem Imp. conſtant in *actis Concil. Conſtant. collectis à Iacobo Cerret. vt in M. S. Vaticano n. 4942.*

Concilii indicit Conſtantienſe.

Gregorius inuitatur

Ex Laudenſi colloquio reuerſus Ioannes Cremonam venit vltimà Ianuarii, vbi in Ladislaum agitatis conſiliis, Mantuæ poſtea, à *Franciſco Gonzaga* honorificè exceptus, Franciſcum Archiepiſcopum Narbonenſes Prouinciæ præfecit Aueniorenſi, quæ Petri Lunenſis excuſſo iugo, Ioanni ſe ſubiecerat. Indè Bononiam receptus arcem inſtaurauit dirutam, Legatos miſit in Angliam vt Henrico, Angliæq. præſulibus anguſtias exponerent, in quas erat adductus *Aretinus hiſt. Ital.* Imminebat namq. Ladislaus cum valido exercitu, auxiliante Carolo Malateſtà, ac Paulo Vrſino, vt Bononiæ Ioannẽ ſtantem intercluderet. Curiales perterriti iam vaſa collegerant & Venetias tranſmiſerant: Cũ inter ſecundos ſucceſſus morbo correptus Ladiſlaus ex illito genitalibus à Peruſino ſcorto veneno, ſiuè ſacro igne diuinitùs immiſſo, Neapolim reuerſus, die 8. interiit Auguſti. Succeſſit Ladislao Ioanna II. eius ſoror. In hac rerum conuerſione Gregorius & Ioannes mutuò ſibi obſtitere, ne ditionẽ aſſererent eccleſiaſticam. *Niemius, Aretinus.* Romam reuerti meditabatur Ioannes, ſed fortiter reclamantibus Cardinalibus verbo ſcripto vt ſpiritualia perſonaliter ageret, tẽporalia per legatos, ad Conciliũ ęgrè ire diſpoſuit, pacto tamen priùs occulto fędere cum Federico Duce Auſtrię, vt in premium pecuniæ, quam obtulerat, ſecurum duceret contra omnes, quò, & quando vellet. Animi non ſinceri præſumptio, ſed fraudolenti. Cum enim pecunià abundaret, credebat breui poſſe auro patres ſubuertere, & iterùm ad imperium Bononiam redire. Sed Domino diſponente dum firmiùs ſtare credebat, in foueam incidit, quàm ipſe fecerat. Nam die V. Nouemb. habità ſolemni ſupplicatione, quæ ſynodis ſolet præmitti, primam ſeſſionem ad diem 16. indixit, quà recurrente, celebrato ſacro, imploratiſq. de more ſanctorum ſuffragijs, *Ioannes* prò concione Præſules pro inſtaurãdà concordiò excitauit, ac hæreſes naſcentes patefacere. Inde ad XVII. Decemb. ſecundam ſeſſionem indixit, licet ad Martium Anni futuri dilatam, vt Galliarum præſules accederent, quos iter maturare literis ſollicitauit. Affulſit interim Annus 1415. plenus lætitià, quòd Gregorius ſolemnibus Epiſcoporum cœtibus Conſtantiæ habitis auctoritatẽ attribuit, vt Concilium diceretur Æcumenicum, *dummodò tamen conuenirent Patres prout à Sigiſmundo Cæſare congregati nomine Gregorij, non Ioannis; Item quòd Concilio Ioannes nec præeſſet, nec intereſſet.* Huius rei extàt diploma Gregorii ad ſuos internuntios in *l. vlt. ep. var. Io. 23. p. 291.* His acceptis Patres non permiſere poſt hac Ioanni præſidere Concilio, quòd etiam curas omnes impenderet, vt Patres in factiones diſcinderet per ſuos proxenetas, & mediatores, cum quibus ſimoniam exercere conſueuerat, corruptis quibuſdam Epiſcopis, aliiſq. magnæ auctoritatis viris, vt ei omnia arcana reuelarent Concilii, eos noctu ad ſe auocando, & à periurio abſoluendo, vt ſecreta panderent. Hoc cum innotuiſſet Concilio, citari proditores, formidantes adeſſe, impetratà abiere licentià. Protulit tunc quidam Italus aduersùs *Balthaſſarem* libellum famoſum ſecretò tamen, vt de abominandis ſceleribus in eum fieret inquiſitio. In hoc tamen non conuenere Patres; Angli, Germani, Poloni abhorrebant inquiſitionem, ad euitanda ſcandala, & ne ſedes pollueretur Apoſtolica. Clamabant alij notoria eſſe crimina illa, nec probatione indigere. Hoc cum ſciuiſſet Balthaſſar tremens, & timens Cardinales conſuluit fideles, auro mulcens, vt tutelam aſſumerent nominis ſui. Fatebatur oppidò plura vt homo comiſiſſe deſcripta in articulis, negabat alia. Proponebat perſonaliter ad Concilium accedere, & peccata ſua publicè confiteri, credens quòd cum Papa ob ſolam hæreſim deponi poſſit; facilè eſſet indulgentiam promereri: non aduertens hęc vera eſſe de Pontifice legitimo, nõ ſpurio, vel dubio. Propterea reſponderunt amici diebus aliquot ſuperſederet, vt rectiùs deliberaret. *Niem.* Cõciliũ interim cũ cognouiſset accuſationes innotuiſse Ioanni, dimiſsà vià inquiſitionis acceſſerunt ad eum vnanimiter rogantes, vt viam ceſſionis ſui Papatus eligeret, quam reliqui contendentes eſſent facilè æmulaturi. Quibus læto ipſe reſ-

Exorditur Concilium.

Accuſatur in multis.

reſpondit animo, ſeruatâ tamen ex induſtriâ quadam grauitate, ſe facturum quod peterent, dum tamen idem facerent æmuli ſui. Via tunc ceſſionis plana viſa, & mitis *Balthaſari*, accuſationibus perterefacto. Oblationem cum Patres retuliſſent Concilio, magnâ voce Clerus, & populus præ lætitiâ exclamauit. Sigiſmundus etiam, & Cardinales actis gratijs, rogarunt, vt proximâ illuceſcente die, quæ ſuit ſecundâ Martii, in publicâ ſeſsione promiſsa firmaret Confecta res eſt iuxta decretum, coram vniuerſali Concilio nuncupato ſacramento ſolemni, modo *Gregorius*, & *Petrus Lunâ* Pontificalia inſignia ponerent, vel vitâ functi eſſent. Dum autem hæc verba conciperet *Spondeo, promitto, voueo, et iuro Deo*, ſe in genua prouolutus, manum pectori admouit. Quo peracto Rex Romanorum ſurrexit è ſolio, In genua procumbens ante Pontificem, coronaq. poſitâ, Ioanniſquè pedibus libatis oſculo, ſuo & Concilii nomine grates egit, quas etiam Concilii nomine Patriarcha perſoluit Antiochenus: Indè repetito hymno, *Te Deum* laudes decantarunt; ac rerū omnium monumenta confecere publici tabelliones. Funditùs autem conſideratâ ſponſione Ioannis, dolos ſuſpicati Patres, etquòd ad exitū perducere recuſaret, quia *Petrus de Lunâ* ſchiſmatis propagator nunquàm ceſſurus eſset, vndè fruſtrâ tēpus inſumerēt; iterùm acceſserūt ad *Balthaſtarem* rogātes humiliter ac reuerenter, vt vberiorem in ſcriptis ſponſionem faceret renuntiationis: ſed contradicentem paſſi, ac de die in diem duriorem (creſcentibus eius ſautoribus quos ſibi per fas, & nefas deuincebat, vt Concilium diſsolueret) acquieuerunt, vt priorem ſcripto repeteret, quam poſt multas ambages tandem operâ Sigiſmundi Imp. VI. Non. Martii relaxauit. Has literas exegere Patres (teſte *Niemio in vitâ Ioannis*) quia iniurioſis verbis ab eo affecti, dum talia peterent, non ampliùs audebant de ceſſione verba facere, cum proditores, & hoſtes publicè appellarentur ab eodem *Balthaſtare* & proxenetis ſuis. Sponſionem hanc Synodus eblandita Ioannis ad Gregorium ſe conuertit, & Petrum de Lunâ. *Gregorius* (teſte S. Antonino 3. p. tit. 22. c. 6. §. 2.) *vir ſanctus, vt potè qui eccleſiæ, & vnionem, et reformationem ſemper optauerat, per Carolum Malateſtam procuratorem ad hoc ſuum, omni iuri ſuo, quod in Papatu haberet, renuntiauit ſolemniter.* Petrus verò de Lunâ homo peruicaſſimus qui Hiſpanorum viribus nitebatur, grauiorem exhibebat moleſtiam. Hunc vt ad officium redigeret, conſtituit *Sigiſmundus* aſsentiente Concilio, cum Ferdinando Rege Aragonum, ac Petro de Lunâ in colloquium venire. Timuit tunc Ioannes auditâ ceſſione Gregorii, & ad Petrum de Lunâ accedere Sigiſmundum. Quapropter vt Concilium diſsolueret, obtulit ipſe ad Petrum accedere, quia Imperator auctoritate deſtitutus, ſi iret, oleum, & operâ perderet. At cognitâ nequitiâ eius, permiſsus eſt pergere Sigiſmundus Niciam in Prouinciæ limite ſitam; Villam Francam deſcenderet Ferdinādus Rex Aragoniæ cum Petro de Lunâ, oblatis hinc indè competentibus ſecuritatis fideiuſsoribus, quæ omnia comprobauit Ioannes *l. vlt. ep. car. p.* 284. Interim nil innouaretur in Concilio. Hæc ſcribebat Ioannes dum clam varijs artibus Concilium diſsoluere meditaretur, pluribus conſpirantibus auro corruptis. Cęteri verò ſtudio acceſſi concordię cum Sigiſmundo edixerant, ne interim euiq. liceret Conſtantiâ diſcedere.

[margin: …ſe abdicat.]

[margin: Sigiſmūdus Imper. ad colloquiū aſcīcit Ferdinādū.]

[margin: Io: inſidiæ, vt Concilium ſoluat.]

5. *Fugit* &c. Cum hoc audiſset Ioannes, cępit eos accuſare perfidiæ, qui fidem publicam violarent, ac Federicum Auſtriæ Ducem eacire, vt ab eo Conſtantiâ educeretur. Fugæ vt colorem præluderet, cœpit Conſtantienſe Cœlum ſuæ noxium accuſare valetudini. Sigiſmundo autem loca offerenti ameniſſima, & finitima ad captandum puriorem aerem *reſpondit*. (teſte Niemio) *quòd nullatenùs niſi diſſoluto Concilio vellet recedere, credens fortè, quòd eo recedente illud omninò diſſolueretur*. Hæc omnia in ſpetiem; nam ſimulato cultu, die Mercurii nocte fugit veſtibus perſonatus ruralibus Scaphuſiam longè à Conſtantiâ per quatuor milliaria Germanica, terrâ ſub dominio Federici Auſtrii. Inuidiam verò, quam apud bonos viros ſibi contraxerat, vt à ſe remoueret, literis vulgauit, non retinendi Pōtificiam dignitatem cupidus abſceſiſse Conſtantiâ, ſed vt ſibi Pontificium cultum ſinè libertatis diſcrimine exuere liceret. Lectis literis Patres coram Sigiſmundo Cæſare, ac quatuot nationum præſidibus profeſſi ſunt, ſe parituros Ioāni donec in ſententiâ perſiſteret de inſulis deponendis. Hinc Oratores miſſi à Concilio, cum à Ioanne niſi ambages retuliſſent, ad eludendas eius ac ſectatorum fraudes, tertiam ſeſſionem die 25. Martij celebrarunt, in quâ decretum de continuando Concilio, donec ſublatis diſſidiis, pax reſtitueretur Eccleſię. Huic ſeſſioni duo tantùm interfuere Cardinales, cum cæteri vel morbo impliciti, vel indecorum cenſerent intereſſe, antè Ioannis reſponſum. Horis verò Pomeridianis lectus eſt Ioannis libellus, *quo procuratoribus poteſtatem faciebat abdicandæ dignitatis, dummodò non detineretur inuitus. Poſcebat poſtea Sigiſmundum, ipſius ſaluti, ac libertati conſuleret. Cardinales ad eum commearent, ac ii, qui munera curiæ exercerent Romanæ. Friderico duci bellum non indiceretur, vllaue moleſtia inferetur*. Fugientem Ioannem plures ſequuti fuerant Cardinales, ſimiliter multi officiales, & curiales (teſte *Niemio*) ſed quartâ feriâ Maioris hebdomadæ redierunt, ne fortè priuarentur dignitatibus ſuis. Acerbè tamen Concilio obloquebantur, ſolutum clamantes propter receſſum Pontificis. Reſpondentibus autem pluribus de Concilio viris magnæ auctoritatis, & ſcientiæ, *Papam non eſſe ſupra Concilium, ſed ſub Concilio*, facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur maior? Reperta eſt interim in portis Eccleſiæ Maioris affixa quædam ſchedula papyracea, in quâ citabantur omnes officiales Papæ ſub pœnâ excommunicationis, & priuationis officiorum ſuorum Schafuſiam infra paucos dies. Sed Patribus delatâ ſchedulâ, inſciis Cardinalibus: tunc quidam Epiſcopus venerabilis eiſdem dixit Cardinalibus. *Nos credebamus, Reuerendiſſimi Patres, quòd huc pro bono pacis veniſſetis, ſed duxiſtis contra nos fel amariſſimum*. Reſpondentibus autem Cardinalibus, ſe rediiſſe pro bono pacis. *Quare ergo* (inquit) *portaſtis citationem contra officiales domini Papæ & curiales hic exiſtentes in præiudicium huius ſacri Concilii,*

[margin: Ioannis fuga.]

[margin: An Cōcilium ſit ſupra Papam.]

lii, & eam nobis inſciis publicaſtis? Quod cum negarent conſtantes. Epiſcopus ſchedulam in mediū protulit, ac publicè legit. Tunc ſtupefacti Cardinales, abſq. eorum mandato hoc proceſſiſſe dicebant. Quod vetum; licet die immediatè ſequenti ibidem affigi, & publicari debuiſſet. Hinc ſuſcitato in eos clamore valido, ipſi inſalutato hoſpite abierunt. Alterà tamen die redierunt, ad placandum Concilium, & tempus in ſchedulà præfixum auctoritate Balthaſsaris prorogarunt; per hoc Concilio magis ſuſpecti, quod clamore ſe defendere tentarent, non rationibus. Ad ſedandam itaq. præſentem controuerſiam, An Ioannes eſſet ſupra Concilium? quarta ſeſſio celebrata eſt 30. Martij in quà decretum: *Quòd ipſa ſynodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, generale faciens concilium, eccleſiam catholicam militantem repræſentans poteſtatē immediatè habet à Chriſto, cui quilibet, cuiuſcumq. ſtatus vel dignitatis, etiā ſi Papalis exiſtet, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, et extirpationem dicti ſchiſmatis, & generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris.* Quæ vt ſanè intelligas, de Pontifice dicas *nullo*, vel *ambiguo*. Hinc Patres illam appoſuere clauſulam, *In his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis*. Extra namq. ſchiſma non ſubiicitur Papa Concilio; ſed tantùm cum dubius eſt Papa, qui habetur prò non Papà. Sicuti cum quis dubitatur conſecratus, pro non conſecrato habetur, & eget conſecratione. *c. veniens, de Presbytero non baptizato.* Sic ſi in hæreſim (quod Deus auertat) Pontifex laberetur, non in eum habet Concilium poteſtatem, qui ſit Pontifex, ſed in eum qui fuit; quòd eum hæreſis omni dignitate ſpoliauerit. Conſonat etiam Concilium Piſanum Anno conuocatum 1409. Quod opponenti Gregorio, Concilio eſſe Papam ſuperiorem reſpondit: in hoc caſu particulari ſchiſmatis, in quo tres de Pontificatu contendunt, Concilium eſſe iudicē legitimū, & ordinariū: quia cū duo nō poſſint eſſe capita, nec vnus ſit ſuperior altero, & adhuc incognitū ſit, quale ſit caput, poſſe membra conuenire, & vniri vt recipiāt & vniantur capiti ſuo. Concilium itaq. decreuit Conſtantiæ, vt Ioannes Conſtantiam rediret, aut ſaltem Scaphuſià non abſcederet. Ipſe autem ſpreto decreto, Leſſemberch venit ſub Federici Auſtrij patrocinio, priùs accerſito ſabellione & teſtibus, coram quibus eſt publicè proteſtatus, *quod quidquid ipſe Conſtantiæ iurauit, vouit, promiſit, omnia vi, metu feciſſet, & non aliàs*. Hanc proteſtationem (teſte Niemio) pluribus aliis repetiuit in locis, licet in pluribus ſcripſiſſet epiſtolis, Conſtantià non aufugiſſe metus cauſà, ſed ne *Gregorius* & *Petrus de Lunà* abdicationi ſe ſubtraherent, metus Ioanni illati prætextu. Sanè tantum aberat, vt metus ſit *Ioanni* illatus, quòd cum Sigiſmundo Imperatori fama, ac rumor inter aulicos nuntiaſſet Ioannem in procinctu eſſe, vt fugam arriperet, propterea portas cuſtodiri mandaret: reſpondit. *Malo liberè Ioannes hinc abeat, quàm me fides violatorem poſſit accuſare*, vt ex literis Concilii datis ad *Vniuerſos Chriſti fideles*. Curſitabat interim Ioannes hac illac, nulli ſecurus trepidante conſcientià. Lanſenbergio tribus tantum ſtipatus comitibus Friburgum fugerat, poſt tres dies Briſacum, vt Auenionem ſubduceret, ſed falſo rumore Cæſarianorum militum inſequentium diù noctuquè errans in agris, legationem tandem honorificam Friburgi audiuit miſſam à Concilio, nempè duos Cardinales, & plures Epiſcopos poſtulantes, *vt inſulas poneret ſaltem per procuratorem; ipſe autem locum eligeret ad habitandum, donec aliud de eo Concilium decerneret. Quod ſi negaret: velle Concilium ad priuationem procedere.* Quibus Ioannes acerbè reſpondēs, miſit procuratori formulam abdicationis, ſed non idoneam. Sex verò Cardinales, qui Schaſfuſiæ ſubſtiterant, X. Aprilis poſtulatà ſingraphà ſecuritatis redire Conſtantiam, inter quos erat *Odo Columna* Martinus V. futurus. Die 13. Aprilis Archiep. Genuenſis recitauit pacta, quibus inſulas ponere intendebat Ioannes. Vt Cardinalitia dignitas in primis illi aſſereretur. Italica, vel Auenionenſis legatio toto vitæ flexu committeretur. Annua triginta aureorum millia attribuerentur, pluraquè alia *Quæ à Concilio* (ait Niemius) *præſtari non poterant*. Iuſſus propterea per Oratores Conſtantiam redire, Vlmam, Rauensburgum, aut Baſileam. Parere recuſanti dies dicta, vt tanquàm ſchiſmatis propagator iudicio ſiſteret. Sigiſmundus conſcripto exercitu quadraginta millium virorum caſtra mouit in Fridericum, belli cauſis priùs expoſitis in Præſulum ac Oratorum Regum cætu, die quintà Maii. *Quòd Ioannes noctu ſe ſubducendo Eccleſiā ſcandalizaſſet, & penè Concilium diſſolueſſet. Epiſcopos nonnullos ſuis expuleſſet ſedibus, et Abbates, Abbatias retinens et Epiſcopatus in manibus propriis. Viduas expoliaſſet et orphanos, quorum multi ex hoc vagarentur in Vrbe.*

Ioinceſ. ſtantia.

Accu- tio in Ioan.

6. *Abdicauit etc.* Tanti belli mole territus Fridericus (teſte *Niemio*) protinùs ſe ſuaquè Regi tradens, Sigiſmundum placauit. Propterea miſſi à Concilio quatuor Præſules, qui Fridericum ad regium conſpectum venientem conſociarent. Adductus ad Sigiſmundum in genua prouolutus, veniam de Concilio Regeq. læſis flagitauit, ſeq. ac vniuerſam ditionem regiæ permittens poteſtati promiſit *Ioannem* Pontificem, eiuſq. aulicos Conſtantiam ſe reducturum, quorum incolumitati cautum deprecabatur. Ibidem *Ioannes* maneret, donec eidem Concilium prouidèret. Interim *Fridericus* Conſtantiæ in hoſtagio maneret, quouſq. *Ioannes* Conſtantiam perduceretur. Oh arcana rerum conuerſio. Tanti principis (qui diuitijs, potentià, prudentià cæteros antecellebat) triumpho oſtendit Deus, ipſe procurare reformationem Eccleſiæ ſuæ. Aduenit poſtea Seſſio XI. celebrata die Sabbati 25. Maii, in quà præmiſſis citationibus iuxta ordinem iudiciarium, quem rigidè ſeruati voluere Patres, lecti ſunt articuli contra *Balthaſſarem* prolati, vt eidem miſſis reſponderet.

Tenor articulorum ac literæ miſſiuæ contra Balthaſſarē Papam nuncupatum nomine Io: XXIII. ex ſeſſione XI. Concilii Conſtantienſis.

Quòd Balthaſſar Coſſa à tempore iuuentutis ſuæ fuit homo malè indolis, inuerecundus, impudicus, mendax, parentibus ſuis rebellis, inobediens, plerisq. deditus vitiis,

OANNIS XXIII. SEPVLCRVM FLORENTIAE IN TEMPLO D. IOAN. EXCITATVM



nijs, lucro ſimoniaco, nomen diuitijs & ſtatum aſſumpſit, et ad Cardinalatum peruenit. Quod Bononiam ingreſſus titulo legati, eam tyrannicè adminiſtrauit, & expoliauit, vt ciues cogerentur mendicare; Quod in Papam electus ex malo peior factus, velut paganus diuina contempſit officia, Miſſis & Veſperis intereſſe non curans, ieiunia ſpernens & horas canonicas. Et ſi aliquoties celebrauit, hoc fecit feſtinanter more venatorum, non pietatis intuitu, ſed nè expelleretur de Papatu. Quòd ſit pauperum oppreſſor, iuſtitiæ perſequutor, iniquorum columna, ſimoniacorum ſtatua, carnis cultor, fex vitiorum à virtutibus peregrinus, conſiſtoria fugiens, totus ſomno ac alijs carnalibus deditus deſiderijs, vita et moribus Chriſti totus contrarius, infamiæ ſpeculum, adeò ſcandalizator eccleſiæ, vt vulgariter dicatur diabolus incarnatus. Quòd beneficia & dignitates plus vendiderit offerenti, vt vendi ſolent mercimonia. Quod ſæpè monitus à Cardinalibus, ſemper peiora prioribus perpetrauit per proxenetas beneficia, fructus vendendo futuros, mercatoribus in curiâ deputatis Romanâ, qui ſupplicationes non reciperent, niſi poſt ſolitam pecuniam, & à plus offerentibus: aliàs referendarij tenerentur ære ſuo promiſſa ſoluere. Quòd ſæpè confinxerit beneficiatos beneficia in ſuis manibus reſignaſſe, in virtute cuius conficta reſignationes plures expoliauit. Sacramenta, Indulgentias, Diſpenſationes, Conſecrationes, Reliquias, auctoritatem abſoluendi à peccatis cæteraquè dona eccleſiaſtica pretio omnia diſtribuit. Quod canonicè electos, ni pecuniam ſoluerent, confirmare recuſauit. Quòd Nicolaum de Piſtorio mercatorem Florentinum, laicum coniugatum, Anno 1412. Menſe Auguſto in Brabantiam legauerit pro exactione ſubſidij cum facultate excōmunicandi per ſubdelegatum ſuum conuentus, capitula, collegia, vndè eccleſiaſtica cenſura fuit omnibus in deriſum. Quòd eidem Nicolao indulſit vt omnibus vtriuſq. ſexus confeſſores ad libitum deputaret, qui à culpa abſoluerent & pœnâ, taxatâ tamen pecuniâ. De tantis ſimoniis ab Oratoribus Regis Francorum ac Prælatorum nec non Vniuerſitatis Pariſienſis, Romæ in palatio Apoſtolico, publicè coram Clero, & populo Ann. 1412. charitatiuè monitus, ne ampliùs Orbem ſcandalizaret catholicum. Quòd totum Petri patrimonium corraſerit, ac de Bononiâ egerit vendendâ Florentinis. Quòd peſſimus dilapidator, deuaſtator eccleſiæ, toti Vrbi ſcandaloſus, veneficus, homicida, fratrum interemptor, carnis vitia per omnia ſolens, infinitis irretitus criminibus, malæ famæ, peſſimæ conditionis. Papa Balderianus vocetur ad ſimilitudinem cuiuſdam militis facinoroſi, qui Balderinus appellatur. Quòd plura bona mobilia & immobilia S. Petri, Epiſcopatuum, Monaſteriorum, Parochiarum, Collegiorum, capellarum, hoſpitalium, altarium intra & extra vrbem ſolâ impellente vendidit auaritiâ, vnde in plerisq. diuina ceſſant officia, et religioſi fame moriuntur. Quòd ligna, lapides præparatas pro ædificatione eccleſiæ Bononienſis diſtraxit; prædia collegij Gregoriani vendidit. Lectoribus & doctoribus Bononienſibus à die ſuæ promotionis ſtipendia ſubtraxit, vndè tum nobile Collegium penè euanuit. Quod tantis & nouis gabellis angariauit perſonas eccleſiaſticas Dominis Florentinis, Venetis, Genuenſis, vt abſumptis bonis patrimonialibus coacti fuerint etiam vendere calices, libros, & ornamenta eccleſiarum. Quod reclamantes contra geſta ſua ſimoniaca, expreſsè prohibuerit audiri. Quod poſt legitimè congregatum Concilium, et ab eo confirmatum, cui ſe ſubdere, et per viam abdicationem pacem eccleſiæ dare publicè iurauerat, dolosè, noctu aufugerit, vt concilium diſſolueret, et ad præterita vitia periurus rediret: De quo monitus, ne ſacramenta violaret, ſed ad Concilium rediret, pertinax conſiſteret, omni viâ tentans Concilium diſſoluere. Quod ad Papatum medijs anhelans illicitis, in mortem Alexandri V. machinatus, Alexandrum, eiuſquè medicum veneno ſuſtulerit. Quod cum vxore fratris ſui, et cum Sanctis monialibus inceſtum, cum virginibus ſtuprum, cum coniugatis adulterium commiſerit. Quod ſex eccleſias parochiales Bononiæ laicis vendiderit, qui eas de facto tanquàm res profanas poſſidebant. Baſtardo regis Cypri ætatis annorum quinquè conceſſit præceptoriam Cypri, ordinis S. Io. Hieroſolym. cum facultate profitendi in eadem ætate. Eam reuocare requiſitus noluit, ni Regi pecunia reſtitueretur, quam ipſe à Rege acceperat pro huiuſmodi venditione. Item quòd priùs darentur Papæ ſex millia florenorum auri de camerà. Fratrem Iacobum de Viriaco maiorem annis, expreſsè profeſſum religionis Hoſpitalis, à votis, regulâ & habitu religionis abſoluit, cum facultate ineundi matrimonium, et hoc intuitu pecuniæ. Caſtellaniam Scalarum dicti Hoſpitalis conuentualem in quâ deberent eſſe quindecim fratres capellani, Heymaco de Veſello vendidit. Bona monaſterij S. Laurentij deputata ad alimoniam Monaſterij diuiſit inter Cardinales vndè monachi apoſtatarunt. Monaſterium S. Alexii vendidit Baptiſta de Sabellis pro ſuo baſtardo: S. Sabinæ Nicolao de Vrſinis. Caput S. Io: Baptiſtæ quod erat Romæ in monaſterio S. Silueſtri, pretio quinquaginta millium ducatorum vendidiſſet Florentinis, niſi obſtitiſſent Romani: quorum plurimi propter hoc exules abiere. Plura caſtra menſæ Bononienſis laicis alienauit. Sæpè dogmatizaſſe coram prælatis & viris honeſtis non eſſe vitam æternam, ſed animam hominum mori more brutorum.

Hic tamen feriò adnotandum cum Cardinali Bellarmino; quòd cum Ioannes XXI. non fuerit Papa legitimus, eiuſq. hæreſis nihil officiat honori Pontificio, tamen errorem hunc de Animæ mortalitate, falsò tributum fuiſſe Ioanni. Cum enim in *ſeſs. XI. Concilij Conſtantienſ.* articuli enumerentur, qui obiiciebantur Ioanni, primò articuli collocantur numero quinquaginta tres, qui omnes ad mores pertinent, & hi omnes ſuis certis teſtibus confirmantur. Deinde adferuntur quidam alii ſinè certis teſtibus, quorum penultimus is eſt de *Animæ Mortalitate*, & ſolo vulgi rumore obiectus; qui quoniam videbat Ioannem vitæ eſſe diſſolutæ, exiſtimare cæpit, atq. etiam dicere eum non credere vitam futuram, & carnis reſurrectionem. Praua tamen opinio: cum multi rectiſſimè credant, & perditiſſimè viuant. Hinc eſt, quòd in *ſeſs.* 12. vbi Concilii recitatur ſententia definitiua contra Ioannem, & breuiter recēſentur damnationis cauſæ, & depoſitionis eius; nulla tamen fit mentio hæreſis, vel erroris. Quod certè eſt euidens argumentum, non potuiſſe probari Hæreticum fuiſſe Ioannem. Si enim probari Hæreſis potuiſſet, loco priori fuiſſet oppoſita tanquàm iuſta & legitima cauſa iudicandi Pontificem.

Io: X… nō hæreticus

Lecto itaquè proceſſu mandauit Concilium

ei-

eidem *Balthaſſari* intimari, & citari ad audiendam ſententiam definitiuam. *In quo conſenſit* (teſte Niemio) *rogauit tamen enixè honori, et ſtatui ſuo Concilium prouideret, quod factum fuit*. Conſonant Acta typis cuſa *ſeſſione* 12. *Dominus Ioannes Papa, dixit et verbo propoſuit, ipſum pro eccleſiâ Dei, et eius vnione plura feciſſe, etiam antequàm in Papam fuiſſet aſſumptus, præſertim tempore errorum et circa Piſanum Concilium, et antè huius ſacri Concilii congregationem, in quo etiam liberam ceſſionem ſui Papatus obtulit, prout in ſchedulâ per eum in eodem concilio in publicâ ſeſſione tunc lectâ et publicatâ pleniùs continetur: ſubiungens triſti vultu, vt apparuit, quòd à Conſtantiâ et Sacro concilio turpiter receſſerat, quòd benè recognoſcebat, immò quòd maluiſſet illâ die ſinè animæ ſuæ præiudicio mortuus eſſe, quàm ita turpiter receſſiſſe. Ea propter idem Dominus Io: Papa ſucceſſiuè reſpondit, quòd ipſe contrà ſuperiùs recitata nullam defenſionem facere volebat, immò prout prædictam ſchedulam ſuâ manu ſubſcriptam, quam pridie ex parte eius ab oppido Cellenſi, Cardinales de Vrſinis de Salanco, de Sallutiis, Cameracenſis, et Florentinus ad Concilium tulerũt, continebatur, volebat et præſentialiter ſtare promiſſis, et in omnibus ſe conformare omni ordinationi ſacri Concilii: et inſuper omnimodum proceſſum per idem Concilium contra eum habitum ratificabat, et ratum habebat aſſerens, quòd non aliter voluit prædictis articulis reſpondere, affirmans Conſtantienſe Concilium Sanctiſſimum eſſe, errareq. non poſſe ac Piſani Concilii continuatiuum: et quòd ipſe ſacro Conſtantienſi Concilio nunquàm contradicere vellet, etiamſi in Bononiam, aut alio quouis loco ſibi magis accepto perſonaliter eſſet: cum id ſibi minus non eſſet, quàm publicè fateri, ſe in papatu ius nullum habere*. Infra: *Omnimodâ defenſione huiuſmodi præterquàm, vt hic ſubſequitur, expreſſiùs renunciatâ, concilio prædicto ſe ſubmiſit dicens: Volo quod Concilium ſit mea defẽſio, quòd ſcio errare non poſſe, nec aliâ defenſione vti volo: ſupplicans ſe humillimè per commiſſarios prænominatos eidem concilio ſincerè recomendandum fore*. Cum verò ei denuntiaretur, quòd die ſequenti 28. Maij, Conſtantiæ ſententiam accepturus adeſſet, reſpondit: *Comparere non curo: ſummè mihi placet ſententia ipſa, quæ, ſupplico, quàm citò lata ſit mihi deferatur; quam cum omni reuerentiâ, etiam cum bireti mei depoſitione recipiam, eamq. quantũ in me fuerit, confirmabo, euulgabo, vt nunc pro tunc approbo; confirmo &c.*

Io. 23. ſe abdicat.

Laudat ſententiã Cõcilii.

Prorogatâ poſtea ſententiâ ad diem 29. Maij, quâ teſte *Niemio*, ſolemniter Ioannes depoſitus fuit, ac carceri adiudicatus ad pænitentiam peragendam quouſq. aliter prouideret eccleſia Romana. Sententiam cum ei Præſules Concilij nomine expoſuiſſent, approbauit, ratam habuit corporaliter iurans, manum pectori admouendo, contra eam non reclamare publicè, nec occultè; in cuius ſignũ crucẽ papalẽ è camerâ ſuâ fecerat amoueri; ac ſingula inſignia deponere Papalia offerens, ſi veſtes habuiſſet mutatorias, promittens in poſterum Papa non nominari. Adiecit tamen quòd ſi in poſterum ab aliquo accuſaretur, vellet ſub dicti Concilij generalis tutelâ ſe defendere, quod pro ſuo iudice, & defenſore recepit humiliter, ſupplicans, vt vellet eum habere ſpecialiter commendatum. Traditus poſtea Ludouico Comiti Palatino Rheni cuſtodiẽdus, qui in loco ſpatioſo & ameno non conſtrictũ, non catenatum Balthaſſarem benignè pertractauit, ei prouidendo de omnibus opportunis. Dati ſunt ei duo Cappellani, qui coram eo celebrarent, & cum eo officium recitarent, ac quidam honeſti nobiles, qui miniſtrarent in menſâ. Dicere ſepè ſolebat nullum diem lætus in Pontificatu tranſegiſſe: propterea ſi cõtingeret, quòd iterum eligeretur nunquàm ſuum præberet aſſenſum: *Niemius*. Vſquè ad annum 1419. fuit Balthaſſar ſub Ludouici cuſtodiâ donec pretio triginta millium aureorum redẽptus à Martino V. ad ſe venire iuſſus ſub cuſtodiâ Io: Ep. Lubecenſis, cum ex itinere ad Petrum Rubeum amicum diuertiſſet, noctu inſcio Internuncio Apoſtolico fugâ euaſit. Audi Aretinum *hiſtor. Ital. Erat ſcrupulus quidam apud multos, quoniam depoſitio & abdicatio illius violenta fuerat, num iure ſubſiſteret; quòd ſi illa dubia? Martini quoq. electio in ambiguum veniebat, quoniam non vacanti eccleſiæ prouideri de nouo paſtore non potuerat. Ob hunc timorem Martinus, & ſimul nè Germaniæ Principes hoc habentes idolum, aliquid quandoq. molirentur, redimendum Ioannem & in Italiam reducendum prouidit. Igitur ſic exemptus carcere, cum in Galliam perueniſſet, conſilio Martini cognito (id erat vt Mantuæ perpetuo carcere teneretur) antequã Mãtuã veniret, rursùs aufugiens in Lygures abyt. Ibi cum eſſet liber, & ſui iuris ſiuè conſcientiâ ductus, ſiuè quod deſperabat aliquid proficere poſſe, ſponte ſuâ Florentiam venit, & ſe ſe pedibus Martini ſubijciens, eum vt Pontificem verum & vnicum recognouit*. Die 9. Kal. Iunias. *In aduentu eius tota ciuitas obuiam profuſa multis lacrymis, & incredibili commiſeratione reſpexit hominem de tantu dignitatis faſtigio in tantas calamitates prolapſum: ipſe quoquè miſerabili propè habitu incedebat. His omnib. commiſeratio populi augebatur. Suſceptus à Martino tandem interceſſione ciuitatis primus Cardinalis efficitur, nec annũ integrum ſuperſtes è vita migrauit. Solemniſſimæ* (addit S. Antoninus. 3. p. tit. 22. c. 7. §. 2.) *eccleſiaſtica exequiæ ſunt ei exhibitæ, ſepultuſq. ſolus in oratorio Ioannis Baptiſtæ in ſepulcro partim æneo, ſeu orichalceo, partim marmoreo*. Cuius Inſcriptio.

Sub cuſtodiâ Palatini

Redimitur.

Fugit.

Ioannes quondam Papa XXIII. *obijt Florentiæ Anno D. MCCCCXIX. XI. Kal. Ianuarii*.

Moritur.

Scripta Io: XXIII.

De Varietate Fortunæ, *Carmina*

Epiſtolæ M. S. in Vaticano.

Mœrore confectus, ac tædio vitæ priuatæ obijt, poſtquàm Martinum adorauit

7. *Dionyſium* imitatus tyrannum Siciliæ, qui amiſſo imperio ſcholam aperuit, auidus dominãdi. De Io: 23. Pontifice dubio propheraſſe legitur S. Malachias. *Ceruus ſirena*. Ceruus dicitur, quia Cardinalis S. Euſtachii erat cui Ceruus pingitur, *Sirena* adijcitur, quòd Neapolinatus eſſet, quæ *Parthenopes* appellatur, ab vnâ Syrenarum ibi ſepulcâ.

Sirenum dedit vna tibi memorabile nomen
Parthenope. *Silius Italus*.

MARTINVS QVINTVS
PONTIFEX ROMANVS CCVIII.



CCVIII

PAcem reſtituens Eccleſiæ, poſt longum Corrarii, Coſſæ, ac Lunæ ſchiſma Odo Columna Pontifex Romanus, iure exponitur *Columnâ nubis*, cuius ſub ſpetie (*Num.* 12.) apparuit Dominus in introitu Tabernaculi.

Columnam erectam in parmâ Gentilitiâ memoriam eſſe columnæ, ad quam Chriſtus à Iudæis eſt alligatus, & flagellatus, ex Palæſtinâ Romã delatæ à Io: Columnâ Cardinali S. Praxedis, ſcripſit R. P. *Cladius Molinet* Canonicus Regularis Gallicæ Congregationis. Ab amico tamen eruditiſſimo & de Republicâ literariâ benemerito diſſentire cogor, cum Ioãni Cardinali Columnæ, qui ſæculo vixit 13. plures præcedant heroes, *Columnenſes* cognomine dicti, & inſignibus. Corona autem, quæ inſidet Columnæ, monumentum eſt *Sarræ Columnæ*, qui diadema imperii capiti Ludouici Bauari Romæ quondam impoſuit: vt in noſtrâ *Aquilâ Vagâ*.

Eligitur Anno Sal. 1417. die 11. Nouemb. Coronatur 21. Nouemb. Obiit Ann. 1431. die 20. Februarii in aurora diei. Cum ſediſset Annos 13. Menſ. 3. dies 9. ſed dies 22. dicitur in eius epitaphio. Vacat ſedes vſq. ad V. Non. Maii.

Anni Sal. Mu. 1417. IGnis improbis, nubes probis *Columna* adeſt.
Sic inquinata & inclinata res erat Romana
Vt rueret, niſi fulciretur, Columnâ.
Conſtantię, Eccleſiæ precibus
Coactus Deus oſtendere Vicarium ſuum,
Solùm poſt tres exauctoratos Pontifices,
Odonem elegit Columnam
Quòd ad cooperiendum tantum virum Ann. Sal. Mu. 1417.

Pal-

Pallium non ſufficeret vnius Pontificis.
Anni Sal. IMa 1417.11 Eà arte palpauit purpuram, quà iuſtitiam:
Spernendo munera,[2]non reſpiciendo perſonas.
Nulli cum teneretur, quàm ſibi,
Facta eſt *Columna* fundamentum Eccleſię,
Angulari innixa lapidi Chriſto Ieſu.
Sponſus, nō adulter cum quęreretur Eccleſiæ
Latere non potuit
Supra Columnam poſitus ſtylita inclytus.
Corrarii, Coſſę, Lunę Eccleſ. fatigata diſſidiis
Pudenda filiorum operuit Martini pallio.
Chlamydē olī Martinus ſcidit, vt Chriſtū tegeret
Sciſſam nunc ſarcit Martinus alter,
Oppreſſà Lunà Columnæ pondere.
Annis triginta expletis ſuæ pertinaciæ[3]Petrus
Años vidit Petri, & ſuperauit in petrà ſcādali
Obiit maledicendo ſibi, & Cardinalibus
Ni ei Antipapam ſubrogarent.
Cumq. amplius non poſſet loqui,
Manu proprià ſubſcripſit.
Non aliter moreretur Diabolus, ni mortuus eſſet.
1421.14 Martinū tunc Roma[4]excepit inūdante Tybri
Geſtiētes aquę[6] prę lętitià, ac pedib[9]prouolutę
Quaſi oſcula figerent gratulabundæ.
Præcurrerunt ei Iuſtitia & Pax:
Suas enī epiſtolas uno ſēper incæpit exordio
Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram.
Rogatus à Regibus ſedem mutare, reſpondit:
Eccleſiā eſſe domū Dei, Romam domum Petri. C
Dirutam[7]cum inueniſſet Vrbem
Cooperu it tectis[8] ac moribus:
Homines mutando & leges; (quis
Quos ornauit nouis priuilegiis, ſpoliauit anti-
Ignota ciuitas & ſuis obruta cæmentis
Rediuiua ſurrexit nulla ſimul & maxima.
Quaſi citiùs adoleſcant vrbes, quàm arbores.
Fuit Petrus eccleſiæ petra, Martinus columna
Suoq. pallio veſtiuit Petrum, et Chriſtum.
Reſtituta eſt manus eccleſiæ;
Cum Martinus amputauit [5] *Braccium,*
Qui arma gerebat aduersùs Deum.
1424.17 Liberatori ſuo Roma grates egit accēſis facib[9] D
Italà ape canente panegyrim
Bernardino[9] Senenſi.
Hunc Martinus concionatorem delegerat
Aduersùs Chriſtos, aduersùs Deos,
Reges & Sacerdotes.
Sub cinere adhuc flāma ardebat [10] Huſſitica,

A Et pro anſere cygnū expectabat Ziſcà [11]duce. Anni Sal. IMa 1417.11
Victoriæ iſte tā certus vt etiā cæcus ïuenerit
Nam vtroq. orbatus lumine
Sigiſmundū Imperatorē oppugnauit, & vicit.
Occulatā quis dicet victoriā, quę cæcū ſequitur?
Viui cremati in Concilio Conſtantienſi
Cōtumaciſſimi *Io: Hus & Hieronymus Pragēſis*
Flāmarū vim cū conſtantię laruà ſuperaſſēt;
Hus vt prophetes cultus & protomartyr,
Ita quandoq. vitium fallit ſpetie virtutis.
Annos quinque hæreſis conuixit Liſcæ,
Eamq. cæcus aſſiduis illuminauit tropheis,
In monumentum victoriæ Taborre erectà
B Donec ille, cuius in manu ſunt ſortes Regū,
Errorem cæci Numinis emendauit.
Rogatus antè mortem ſepulchrum eligere,
Volucribus legauit carnem, curatà cute
Ex quà obtenderent tympanum.
Cum hæc audis, Satanam habes in caſtris.
Martini tandē honeſtate Vrbe correctà; factū:
Vt etiā lupanaria inclinarent ad verecundiā
Et Sanctos germinaret Italia vniuerſa, (*nū*
Antoninū[12]Florētiæ, Venetiis Laurētiū [13]Iuſtinia
Quorum verba morientium:
Sancta & immaculata virginitas,
Quibus te laudibus efferam? neſcio.
Commercia vt homines miſcerent cum Angelis:
Iubilæo [14]Cœlum aperuit.
Munia [15]cum oneri non muneri delegaret
Homines ſępè vocauit ex finibus Orbis terrę.
In patientià doctrina eius;
Non quid feras, ſed quomodò feras, oſtendens,
Siccis oculis ſpectauit funera [16] fratrum.
Viros optimos cum in delitijs Deus non ſuſtineat,
Non illi ſatis, ſemel pulſare tormentis.
Anno XIV. Pontificatus
Ex Solis deliquio præludens obitum [17] ſui, 1431.14
Plumas reſpuit;
Ne molliùs moreretur, quàm Deus.
Iuſta homines ſoluerunt & Angeli,
Funeris tibicines, ac virtutis buccinatores.
In Conſtantinianà ſepelitur Baſilicà,
Vbi exerta Principum Apoſtolorum capita
Veluti ad excubias proſtant.
Serò cognitum, non ſerò mortuū luxit patria,
Quòd vitia nō admitteret, nec committeret.
Breue regnum cupiebat Roma, cum accepit.
Longum cum amiſit.

ADNOTATIONES IN MARTINO V. PONT. ROM. CCVIII.

1 C*Onſtantia* à Patribus in Concilio congregatis, depoſito Io: 21. dicto 23. ac Petro de Lunà, Gregorio ſpontè abdicato, cum pro electione futuri Pontificis vocari Cardinales Lunenſes venire contemnerent, nullà eorum ratione habità, decreuit Synodus, pro maiori ſolemnitate, et or-

Modus eligendi Papam.

ordine vt pro hac vice tantùm, è ſingulis nationibus ſex viri conſpicui eccleſiaſtici deligerentur, qui Cardinalibus adiuncti Papam eligerent. Horũ autem vota vt nulla haberentur, niſi duæ partes Cardinalium, & duæ partes adiũgendorum in vnũ concurrerent. *Concil. Conſtant. Seſt.* 40. Die itaq. octauà Nouemb. An. 1417. triginta viri ſpectatiſſimi delecti ex vniuerſis nationibus Conclaue ingreſſi cum Cardinalibus (hi antea Ioanni, vel Gregorio, vel Benedicto numero tres ſupra viginti adhæſerant) latis de more ſuffragijs, die Iouis ſacrà S. Martini Epiſcopi, XI. Nouemb. *Odonem de Columnà* Cardinalem diaconum S. Georgij ad velum aureum, Cardinalem de Columnà vulgariter nuncupatum, natione Romanum, filium *Agapiti* concorditer in Romanũ Põtificẽ elegerũt, iuxta Malachiæ vaticiniũ, *Corona Veli aurei*, quia ex familia *Columnæ*, quã coronatam gerunt in ſtemmate, & Cardinalis eſſet S. Georgij ad *Velum Aureum*; qui ob reuerentiam S. Martini, cuius feſtum recurrebat, *Martinus* nominari voluit. *Quintus* huius nominis dicitur (cùm verè ſit *tertius*) quia Marini & Martini nomina ſunt confuſa. Cæterum ſi duos Marinos detrahas, Martinus iſte tertius eſt, nôn Quintus, Coronatus in eccleſià Conſtantienſi, Concilio præſente vniuerſo, à Sigiſmundo Romanorum Rege in dextero à Frederico Marchione Brandeburgenſi in ſiniſtro latera eius per equi frenum, in quo ſedebat, ſtipantibus cum populi multitudine ab eccleſià vſquè ad monaſterium S. Auguſtini, & per circuitum ad prędictam eccleſiã ſolemniter reductus. Peracta coronationis pompà, veteri more Reges, ac Præſules certiores fecit. Eius primordia ieiuni admodum percurrunt hiſtorici. A teneris annis, curà parentum, moribus imbutus & literis, vbi adoleuit, iuri Pontificio Peruſij operam dedit. Inde in vrbem rediens ab Vrbano VI. Referendarius, munus tantà cum humanitate, iuſtitià, & manſuetudine geſſit, vt Diaconus Cardinalis ab Innocentio VII. creatus ſit. Non propterea elatior factus, ſed humanior patrocinium ſuum omnibus præſtabat, ſolitus vincere in bono malum. Gregorius XII. cum ſuſcepto iuramento, quo ſe obſtrinxerat non creandi nouos Cardinales, ad nouam creationem pergere meditaretur inuitis Cardinalibus, vnde rumoribus, oblocutionibus Curia eſset concitata Romana; Odo Columna in genua prouolutus coram Gregorio rogabat humilis, Cardinalibus non diſſentire. *Leonar. Aretinus l. 2. ep. 15.* Cum verò nil proficeret, vnà cum cęteris ad Cõcilium prouocauit Æcumenicum, quà de cauſà ab eodem Gregorio gradu depoſitus Cardinalitio; à Cõcilio Piſano (in quo creationi interfuerat Alexandri V.) ad Ladislaum legatus Regem Neapolitanum vt ad concordiam cum Eccleſià retraheret, quam vexabat; à Io: XXIII. tuendæ Romanæ præfectus prouinciæ, ita ſe geſſit vt hoſtibus ipſis laudabilis eſſet. In Concilio tandem Conſtantienſi, in quo diuerſa factionum ſtudia, cauſam ita eſt moderatus eccleſiæ, vt in alterutram partem nunquam inclinans, publicam ſemper priuatæ prætulerit vtilitatem. *Ludouicus Comes Palatinus Rheni*, ac *Reynaldus Dux Iuliacenſis, et Gelriæ*, qui è Columnenſi ſtirpe deſcendere gloriabatur in literis ſuis.

Martini V. natalia.

Electio in Papã.

Studia, mores.

Purpurà priuatur à Gregorio 12.

2. *Spernendo munera*, Poſnanienſi Epiſcopatui cum inhiaret Procãcellarius Poloniæ, quem alij iam Martinus contulerat: Ladislaum Regem ac Vuitoldum Lituaniæ ducem impulit, vt muneribus tentarent conſtantiam Pontificis. Excãduit Martinus aduerſus Regem, quod is crederet muneribus ſedem corrumpi poſſe Apoſtolicam, Procãcellarium verò, qui ſpe deſtitutum dignitatem adipiſcendi, Regem in Pontificem excitabat (quaſi Regio imminuto iure ob non expectatum Regis conſenſũ in collatione Epiſcopatus) cuiuſuis gradus eccleſiaſtici poteſtate priuauit. *l. 9. ep. p.* 30. *Anno* 1427.

Munera ſpernit.

3. *Petrus de Lunà*, auditâ Martini electione rogatus à Card. ſuis ſub vno cotre Pontifice, ac Oratores Cõſtãtiã mittere, vt ſcãdalũ tolleret, quod alebat in eccleſià, reſpondit, *quod nedum Papa, ſed quicumq. alius Prælatus non obligatur propter prætenſum ſcandalum cedere: quia ſcandalum non eſſet puſillorum, ſed phariſæorum, & ſchiſmaticorum.* Cum replicarent, quòd quadragenarium ſchiſma aliter tolli non poſſet, quàm per ceſſionem, quam ipſe vouerat, & iurauerat, dicente Auguſtino *l. 2. contra Creſconium. Nec epiſcopi propter nos ſumus, ſed propter eos, quibus verbum, & Sacramentum dominicum miniſtramus.* Deniq. quod plurimi viri ſancti non ſolùm ſine culpà, ſed cum laude Epiſcopatum depoſuerint, vt Gregorius Nazianzenus: Quòd omnes Romani Pontifices de aliquo crimine accuſari in pleno ſe purgauerint Concilio, vt legimus de Damaſo. 1. Pelagio. 1. Leone III. *Nec eſt curæ præſentis* (dicebant Cardinales ſchiſmatici ſuo Antipapæ) *an dicti Pontifices neceſſario ſe purgauerint, an de honeſto: quia vtroq. caſu imminentibus ſcandalo, infamia vtiliter conſulitur, & ſanctè requiritur fieri in generali Concilio purgationẽ prędictã, maximè ab eo qui ſchiſmatis inueterati fautor eſt.* Hiſce conſtrictus perfidus antipapa, vt ceſſionẽ effugeret, impudenter reſpondit, habiturũ ſe colloquium cum Martino, ſi vera eſſent, quæ de eius humanitate integritate ferebantur. Cognità itaq. illius pertinacià, ad eccleſiæ caſtra transfugère Io: Maurillus Cardin. S. Laurentij in Damaſo, Carolus de Vrnes S. Georgij ad Velum aureum, Alfonſus Carillus ſancti Euſtachij, Petrus Fonſeca ſancti Angeli. Lunenſis audaciam vt Martinus contunderet, Alamanno Cardinali ſancti Euſebij mãdauit in Lunenſem animaduertere. Spernentẽ cenſuras legatus facile perdomuiſſet; ni Alfonſus Rex Aragonum ſtudia diſturbaſſet legati, credens antipapæ tutelà regnum Neapolitanum à Pontifice extorquere Romano. Bis repetita eſt expeditio per Crucesignatos, ſed ſemper incaſſum. Pontifici iratus Alfonſus, quòd Papa in partes propenderet Ludouici Andegauenſis, in quem pro regno Neapolitano Alfonſus arma gerebat. Hinc mortuo Petro de Lunà, ne hoſtis Martino deeſſet, curauit Alfonſus, vt nonnulli Sacrilegi ab eodem Petro ante obitum creati dicerentur Cardinales, cum tamen liquidò conſtaret, neminem nominaſſe, ſed ne ſchiſma deficeret, fabulam confictam ridiculam. Nam *Egidium Munionem canonicum Barcinonenſem*, natione *Hiſpanum*, ex prouincià Aragonum, oppido Tereuli, diœceſis Cæſar Auguſtanæ, Paniſcolæ ſubrogauit *nomine Clementis VIII.* An. Sal. 1424. Menſe Septembri. Omnia is geſſit, quæ veri Pontifices

Lunẽſis pertinacia.

Sub tutelà Alphonſi.

Clementis 8. Antipapæ natalia.

Excommunicatur.

ces facere conſueuerunt, ac præter alia nonnullos AntiCardinales creauit, vt Martinus legitimus Pontifex haberet in quos virgam extenderet paſtoralem. Nã Senas translatum Concilium, quod Ticini ex Conſtantienſi decreto celebrandũ erat (quod ibi lues graſſari cœpiſſet) ſtatim anathema in Antipapam, in Anticardinales, in auctores & fautores tam execrandi ſchiſmatis pronuntiauit. De electione huius Antipapæ diſſonant hiſtorici. Sunt qui ſcribãt, à duobus (qui ſuperfuerant) anticardinalibus *Iulianno Dobla*, & *Carthuſiano* temerariè ſubrogatum; nutantem porrò ac toto Orbe reluctante terrarum, oblatum honorem ſuſcipere recuſantem, Alphonſum Aragonium confirmaſſe, & ineundi Pontificatus auctorem fuiſſe. Alii non à duobus tantum pſeudoCardinalibus, ſed pluribus, qui falsò vulgabantur electi antè obitum ab ipſo Petro de Lunà. Volunt alii Petrum de Lunà adeò tenacem fuiſſe Pontificatus, vt ſub æternæ maledictionis pœnà præſcripſerit Cardinalibus ſuis qui B aderant, vt nouum Pontificem eligerent, & cum amplius loqui haud poſſet, id propriâ manu ſcripſerit. Petri mors & hæc variè deſcripta. Venenum ei propinatum à quodam monacho *Thoma*, authore Cardinale Piſano, qui ad capiendum eum venerat, tradit *Ludouicus Panſanus ciuis Hiſpalenſis* 12. *cõmentario*, fuiſſeq. de confeſso Monacho ſumptum ſupplicium, quod etiam in Cardinalem parabatur, ni metu Roderici, & Aluari qui patruus erat Petri Lunæ, aufugiſſet. Hæc omnia falſa: nam Alamannus Adimarius Florẽtinus (quem Pãſanus Cardinalẽ *Piſanũ* vocat, quòd Piſanus eſſet Archiepiſcopus) teſte Ciaconio Hiſpano, Tibure die 14. Kal. Octob. An. Sal. 1422. diem clauſerat extremum. Non ergo Anno 1424. potuit Petro Lunæ miſcere venenum. Adiunge Alamanno Adimario ſobrogatum fuiſse à Martino in Hiſpanica legatione Epiſcopum Tifernatem. Auctorem fabulæ fuiſse Alfonſum Regem; Petrum de Lunà nullũ pſeudoCardinalem dixiſse, ipſe teſtatur Martinus Põtifex in literis ad Regem Caſtellæ. *l. 9. Breu. p.* 3. verbis ſequentibus. *Petro è Lunà defuncto in latebra Paniſcola Dertuſenſis Diœceſis, continuò data fuit opera, vt nonnulli ſacrilegi falſo dicerentur, per diem ante mortem ipſius Petri ab eodem creati eſſe Cardinales, ſeu veriùs profanati; cum tamen liquidò & certù conſtet, ipſum neminem nominaſſe, ſed vt ſeminarium non deficeret ſchiſmatis, hanc ridiculam fabulam fuiſſe confictam: atq. ita continuò, aſſentiente Alfonſo Rege, nec enim aliter factum eſſet, quendam Ægidium per illos ſacrilegos in idolum fuiſſe creatum, & Clementem auſu temerario & impio nominatum, vt eo nomine, ſi poſſet, ſuſcitaret, & perpetuaret ſchiſma iam antè ſublatum*. Neque certiùs: corpus eius poſt ſex annos refoſſum ſuauem odorem afflaſſe, & Illucæ in oppido nepotis quondam ſui incorruptum ſeruari. Hoc certiſſimum: primo eum funere tralatitio tumulatum eſse, deinde prophano ſepulchro incluſum. Mortuus eſt Petrus è Lunà An. 1424. Antipontificatus ſui Anno XXX. die feſto Pentecoſtes, 10. *Kal.* Iun. ætate grauis, nonagenarius; vnde non opus fuerit veneno ad extinguendum ſenem nonagenarium, quem tamdiù vixiſse in maximo rerum diſcrimine tantiſquè procellis, inſtar prodigii homines credidere.

Pertinacia Petri de Lunà morientis.

Obitus Petri de Lunà.

Scripſit.

Scripta Petri è Lunà.

De poteſtate ſummi Pontificis & Concilii, extat M. S. Romæ in Vaticanà bibliothecà.

Vita humana aduerſùs omnes caſus conſolationes linguà Hiſpanicà.

Clemẽs 8. Antipapa ſe abdicat.

Mortuo Petro de Lunà, *Ægidius Munio* ornamenta ſuſcepit pſeudopontificatus, & tenuit vſq. ad Annum 1429. diem 26. Iulii ſanctæ Annæ ſacrum, quo *Papalibus indutus inſignibus in caſtro Paniſcola, pro ſerenitate conſcientiæ ſuæ (vt dixit) publicè, & ſolemniter omnes proceſſus, ſententias, cenſuras per ſuum prædeceſſorem olim Benedictum XIII. in ſuâ obedientia nuncupatum contra D. Odonem de Columnà, quem illi Antipapã ſchiſmaticum, & omnes adhærentes fulminatos verbo & in ſcriptis, per ſuas literas, & ſuas prætenſas bullas plumbeas expreſſè, et ſpecialiter reuocauit, et ipſum Dominum Odonem de Columnà ad omnes dignitates, et honores ſpecialiter ad Papatum, motu ſuo proprio habilitauit, reſtituit, et reintegrauit. Deinde idem Ægidius ibidem ſolemniter propoſuit, Papatum hoc vno fine recepiſſe, ut ſic vnio reſtitueretur eccleſiæ. A primis namquè diebus aſſumptionis ſuæ ad Apoſtolatum, veraciter in animo ſuo diſpoſuiſſe, ſpontè, et liberaliter ſe velle renunciare dignitati, officio, ac honori papali, quod vtiq. iam diù feciſſet, vt aſſeruit, ſi impeditus non fuiſſet*. Obſtiterat ſanè Alſonſus Arragonius, qui tandem cœleſti afflatus lumine, Petro Fuxenſi Cardinali ſancti Stephani, legato Apoſtolico in Hiſpaniam citeriorem venienti die 12. Maii 1429. obuiam egreſſus extra Barcinonem cum clero & populo, leges fœderis ſacramento admiſit ſolemni. Ita penitus extirpatum ſchiſma, quod à Roberto Gebennenſi nomine Clementis VII. intruſo Anno C 1378. die 26. Septemb. vſquè ad diem 26. Iulii, Anni 1429. Annos durauerat 51. *Acta Card. Fuxenſis*. His dictis coram Alfonſo Borgià regio Oratore (qui poſtea Calliſtus futurus) gradu ceſſit Antipapali, reuerentiam, obedientiam, fidem promittens cum Anticardinalibus ſuis Martino V. vti vero Chriſti vicario, & B. Petri ſucceſſori. Indè ab omnibus pœnis, & ſententiis abſolutus, Baleari donatus Epiſcopatu iuxta pacta conſtituta, quorum immemor Alſonſus poſcebat, vt *Galcerandus Albertus* ad eam dignitatem promoueretur. Pontifex verò, qui datam fidem colebat, Regem admonuit à conuentionibus non diſcedere, timore ſaltem inconſtantis notæ, quæ fœda in homine, ſed in Rege fœdiſſima. Die tandem 15. Auguſti Iulianus Loba, Franciſcus Rouira, Ægidius Munio iunior pſeudoCardinalatus inſi- D gnia poſuerunt; Gazà recuperata eccleſiæ Romanæ, quam Petrus è Lunà Paniſcholam traduxerat cum libris, & monumentis, quæ ſuperfuerant, cum plura eorum ſurripuiſſet olim Rex Ferdinandus. *Ibidem*.

Schiſma extinguitur.

4. *Roma*. Conſtantià Gebennam diſcedenti Martino die 16. Maii. Anno 1418. ſtratoris obſequium præſtitit Sigiſmundus Imperator, teſte Monſtreleto *volum.* 1. *capit.* 192. die 11. Iulii, vbi Oratores Auenionenſes obuiam profecti, fidelitatis præſtitere iuramentum. Die III. Sep-

Septemb. Mediolanum, vbi conſecratâ arâ maximâ in eccleſiâ cathedrali, die 25. Octobris, comitantibus XI. Cardinalibus Mantuam ingreſſus, Florentiam tandem peruenit, Bononiâ præteritâ, quæ ſe in libertatem vindicauerat. *Leonar. Aret.* In vrbem contrariis ſeditionibus fluctuantem cum tutò ſe conſerre non poſſet, à Principibus Germanis (*Platina*) Gallicis rogatus apud eoſdem, parumper ſubſiſtere, reſpondit ſibi integrum non eſſe, Vrbem, eccleſias, Patrimonium tyrannis exponere abſentiâ ſuâ, vt omnia vi, ferro, fame, ſeditionibus obruerentur. Æquo ferrent animo nauis gubernatorem in puppi ſedere, vt omnibus tāquàm pater & paſtor accurrere poſset: Florentiæ ſubſtitit, donec Braccii nequitia Martinum impulit Romam properare, vt habes infra n. 8.

Bracii natalia, geſta. 5. *Braccium* &c. Naſcitur *Andreas Braccius* Anno 1368. die 1. Iulij, Peruſii ex nobili proſapiâ, Aſtrologo prædicente, elatiſſimum inter arma futurum. Sub Bonifacio, & Innocentio, ac Io: 23. Rom. Pontificibus caſtra ſequutus eccleſiæ, famam retulit immortalem, aduersùs Ladislaum Siciliæ Regem, non ſine totius Italiæ pauore. Opibus enim auctus, & milite, tantùm creuit, vt non ſolùm Peruſium patriam ſuam tyrannus, ſed ſpecie protectionis Marcam totam Anconitanam, & Vmbriam dominaretur. Nec quieuit donec Romam ipſam ſuo ſubiecit imperio. Creatus tandem Martinus Papa cum iura, & arces à Braccio repeteret eccleſiaſticas; negauit iſte tutelæ ſpecie, quā gerere profitebatur nomine Io. XXIII. quem Concilium exauctorauerat Conſtantienſe. Hinc Martinus inito fœdere cum *Ioannâ* 2. Reginâ, ac Carolo Malateſtâ Ariminenſi toparchâ, vi agere decreuit. Fuit Ioannâ ſoror Ladislai Regis Siciliæ, qui cum ſine prole deceſſiſſet legitimâ (Rem Rege indignam, dignam tamen, & opportunam homini brutalis, qualis fuit Ladislaus) ſororem ſucceſſorē habuit, non merito virtutis ſed ſplendore nataliū, quibus maximè illicitur ſuperbia nationis Neapolitanæ. Toto ſuæ vitæ curſu oſtendit Ioanna ſe fœminam eſſe nuptiarum præcipuè inconſtantiâ: Nam viros alios fune ſuſtulit aureos; alios nudos è throno eiecit, & thoro. Filios cum non haberet à naturâ, arte quæſiuit. Alphonſum primo adoptauit Regem Aragonum; poſtea adoptione reſciſsâ, Ludouicum Andegauenſem, quorum diſſidiis Roma obruta, Italia concuſsa. Ioanne itaq. aſserto regno Martinus *Tartaleum de Lauello* ſtrenuum militem cum ſibi eentutiaſſet aduersùs Braccium, Ioannam Reginam, alioſq. Italiæ principes excitaſſet ad vindicandam ditionem eccleſiæ; *Braccius* tutiùs ducens obſequium præſtare Pontifici, poſt miſſos legatos, venit & ipſe Florentiam à Martino honorificè exceptus, eoq. amore à Florentinis, quantum ſubditi ſoluerent Principi ſuo. Plurimum ſanè Pontifici *Braccius* contulit, ad recuperandam

S. Bernardini Amor Martirij Bononiam à Bentiuolis occupatam gladio ſuo: voce autem B. Bernardinus ordinis Prædicatorum. Cum enim non eſſet, qui anathema promulgaret, & literas introferret; martyrii cupidus Bernardinus, vrbe egreſsus intrepidus literaſq. à Legato acceptas Apoſtolicas, haſtæ affigens, in vrbem regreſsus, cum in plateam perueniſset, cępit alta vo-

A ce clamare: *Ecce vobis Deo & vicario eius rebellibus vniuerſa ſacra interdicuntur: ac vt nullus excuſari poſſit ignoraſſe, inſpicite literas, profanum corrigite errorem.* Leander *in eius vitâ.* Bononienſi ab expeditione reuerſus Braccius, ſolemne inſtituit belli ſimulachrum, eo Florentinorum plauſu, atquè lætitiâ, vt noctu Martino audiente Pontifice canerent

Braccio valente, vince ogni gente.

Papa Martino, non vale vn quatrino.

Hinc tantam indignationem concepit Pontifex, quod Florentiâ Romam illicò diſcedere decreuerit. Leonardus verò Aretinus, qui Pontifici à ſecretis erat, vt Martinum leniret iratum, *Num etiam* (inquit) *ad aures tuas peruenerunt hæ puerorum nugæ?* Pōtifex verò reſponſi vice carmina & ipſe canebat *Papa Martino non vale vn quatrino.* Aret. verò

B pro patriæ honore, vulneri mederi conatus, *Quid* (inquit) *Pater Beatiſs. ciuitati illi ſucceſſes, quæ vna pro cunctis in tuis prævaluit vtilitatibus, & neceſſitatibus? Florentiam veniſti, cum nihil temporalis Domini poſſideres, occupatis vbiq. per aduerſarios oppidis, Bononiâ quoq. parere abnuente, vt tibi neceſſarium fuerit, cum ex Ferrariâ Florentiam venire velles per Rauennatem & Forolinienſem agrum longo ambitu deflectere. Te Florentiæ commorante & cætera oppida in poteſtatem tuam redierunt, & Bononiā ipſam, quæ priùs extulerat ceruicem, ſubmiſit. Contulit verò ad hæc plurimum opportunitas huius vrbis, propterea quod Braccius amicitiam, fidemq. Florentini populi ſecutus ad te venire non dubitauit, & intercedente ciuitate diſcordias omnes componere atq. oppida reddere; illiuſq. tu poſtmodum fretus operâ Bononiam*

C *tibi parere vi adhibita compuliſti, vt longè lateq. nunc tua potentia dominetur. Te inſuper Florentiæ commorante, Cardinales ab Hiſpaniâ, deſerto Benedicto, huc venientes te vt verum atq. vnicum Pontificem recognouerunt, quo facto tres obedientiæ dudum ſeparatæ in te vno conglutinatæ ſunt. Ad hæc duo incrementa hoc in loco ſuſcepta teſtium illud præſtantiſſimum omnium mirabili felicitate cumulatur, quòd qui dum fuerat Ioannes Pontifex, de cuius depoſitione propter vim adhibitam multi dubitabant, huius loci fiduciâ, Florentiam venit, tibiq. ſe ſuâ ſponte ſubiecit, ac Dominum, & Pontificem veriſſimum recognouit: quo facto omnis penitus ſcrupulus eſt ſublatus. Accidit etiam, quòd paulò poſt defunctus eſt, vt & admiratio & querela, & vt ita dixerim, fortunæ ludibrium*

D *tolleretur. Illud certè conſtat, nullo alio loco illum ad te venturum fuiſſe, niſi in hac vrbe, in quâ permagnas amicitias priuatim, & publicè ſe habere ſentiebat. Hæc ſunt, pro quibus gratiam tuam Florentia promeretur, cuius vel opportunitate, vel obſequio vel auſpicio tanta pontificatui tuo ſuperacceſſerunt incrementa.* Hæc adeò grata fuere Pontifici, vt Florentiâ diſcedens, dum ciuibus gratias ageret, ſupradictâ omnia commemoraret: ac ciuitate ſupplicante eccleſiam epiſcopalem in Metropolitanam promouerit, datis pro ſuffaganeis Feſulano & Piſtorienſi Epiſcopo. Inde Romam è veſtigio profectus (comitantibus octo Legatis Reipublicæ Florentinæ, qui vbiq. lautè ac ſplendidè eum hoſpitio reciperent, vſquè ad portum S. Petri. Inde Romam veniens primò in eccleſia S. Mariæ de populo pernoctauit.

Se-

Senatû poſtea Populôquè acclamante Romano, *Martino Papæ ſalus & vita*, ad Vaticanum deductus. Fuit iſte clementiæ triumphus, quo Baptiſtam Sauellum eiuſq. filios læſæ maieſtatis reos veniâ donauit, eorumq. crimina in Eccleſiam patrata clementiâ deleuit. Creſcebat interim pertinacia Braccii, vt ditionem omnem inuadere minaretur eccleſiæ, ipſumq. compulſurus Pontificem pro vno baiocho miſſam celebrare priuatum *S. Anton.* Superbiebat Braccius, fortunâ vndiq. aſlante, ac Marte propitio. Ludouici Andegauenſis cauſam patrocinante Martino aduersùs Reginam Neapolis Ioannam Eccleſiæ contumacem Romanæ, ob non ſoluta ſtipendia, ac commeatum prohibitum Romam inuehi. In carcerem Iacobum Regem uirum ſuum coniecerat fæmina impudica, vt nullo illius metu libidinis frena laxaret, tantoq. facinori eam ſpeciem prætendebat, ſe ab eo regiæ auctoritatis B vſu fuiſſe ſpoliatam. Obriguit in carcere Rex donec intercedentibus Carolo Francorum, ac Carolo Nauarræ Regibus, eâ lege emiſſus è carcere, vt nomen poneret regium. Ex arce verò captâ fugâ Tarentum naui delatus, cum ibi exercitum conſcriberet aduersùs adulteram copiis circumuentus hoſtilibus, profugere coactus in Gallias, ibi rebus valere iuſsis mortalibus, Franciſcanæ ſe adſcripſit familiæ, ac ſanctè obiit. Adoptauit interim Ioanna Alſonſum Regem Aragonium, cuius nomine regnum ſuis ſeruauit phalangibus aduersùs Sfortiam, qui iam Neapoli imminebat vt regnum aſſereret Ludouico Andegauenſi, cuius cauſam Pontifex patrocinabatur. Varia fuere certamina, Sfortię Galliſq. ſemper aduerſa. Præmium laboris Capuanum principatum Braccius retulit à Ioanna & Alfonſo Regibus; donec Sfortiæ fraudibus expulſo Alſonſo, ac Pontifici reconciliata Ioanna, Braccius vtriſq. ſuſpectus, quòd regno inhiaret Neapolitano, C dum Aquilam obſidet, in acie ſaucius capitur, & ex vulnere moritur. *Braccius hoſtis publicus* (inquit ſanctus Antoninus. 3. p. tit 22. cap. 7. §. 5.) *factus eccleſiæ, propter quod anathematizatus notoriè in tantam ſuperbiæ culmen aſcendit vt ſibi perſuaderet regnum adepturum Apuliæ: nec erat difficile, ſi ciuitatem Aquilanam, quam obſederat, expugnaſſet, quæ altera dicitur eſſe clauis regni. Aquilani cernentes à Reginâ auxilia neceſſaria ſe habere non poſſe, ad Pontificem oculos direxerant, ſuppliciter ſuffragia poſtulantes ad obſidionem remouendam: quibus non defuit pius & prudens antiſtes: ſed inuocato prius diuino adiutorio per proceſſiones ſolemnes, & Orationes iniunctas generaliter cum munere indulgentiarum, collectis copiis eccleſiæ & comitis Franciſci Sfortiæ* (cius pater Aterno flumine merſus perierat) *& exulum Peruſinorum contra Braccium deſtinauit, mandato prius facto, vt obſidionem ſolueret, cum nil vires haberet* (Ioanna quippè Pontifice inconſulto, Capuæ & Aquilæ principatum diſtrahere non potuerat) *Contra quem contemnentem Deum, & eccleſiam, et ad arces ſuas inſtruentes in habitu non proprio, ne ab hoſtibus cognoſceretur, diſcurrentem eccleſiæ milites proceſſerunt ad pugnam. In quâ à Peruſinis exulibus cognitus, et ad mortem afflictus non multò poſt animâ, et corpore mortuus eſt, et quia hoſtis eccleſiæ et excommunicatus ſepultus eſt in inferno. Sepulturâ quoq. non eccleſiaſticâ, ſed ſub-* *Angulis corpus humatum*. Anno Sal. 1424. Tantam lætitiam ex cæde Braccij populus concepit Romanus, vt ignibus excitatis & pyris, quiſquè faces noctu gereret accenſas, comitantes & congratulantes Iordano Columnę nepoti Pontificis de hoſte ſublato ferociſſimo Papæ, & familiæ Columnenſis. Is ille *Braccius*, qui Martinum egentem deſignauerat ſacrificulum, totâ ſibi Italiâ promiſsâ, nunc neq. Italiæ ſex pedes habet ad ſepulchrum.

Braccij nedes.

6. *Aqua geſtientes pro lætitiâ.* Romam Martino aduenlente, *quem non ſecus ac quoddam ſalutare ſydus, et vnicum patriæ patrem expectabant Romani* Platina. *Diem illum in faſtis annotauere, X. Kal. Octob. An. 1321.*

Romæ plauſus erga Martinum.

7. *Dirutam cum inueniſſet Vrbem*, ad Curiæ reformationem intendit protinùs, cuius exordium duxerat in ſynodo Conſtantienſi *ſeſſion.* 23. quâ Monaſteria, Eccleſias, ſacerdotia imperio ſubducta Epiſcoporum, priorem redegit ad formam. Plura pſeudopontificum geſta reſcidit: Simoniâ coercuit ſacerdotiis potitos ad onera iure coſtrinxit antiquo. Romæ poſtea Anno 1424. à Cardinalibus curiæ reformationem exorſus, leges impoſuit ſequentes, vt cœteros excitarent exemplo, *Cardinales munditie vitæ alios præcellant, ac ſobriè, iuſtè, pieq. viuant non ſolùm à malo, ſed à ſpecie mali ſe abſtineant, pœnam in aliorum exemplum ſubituri, ſi vitam ſuo ſtatui minimè congruentem ducere comperti fuerint. Humilitatem continuò exerceant, prælatoſquè benignè ac honorificè pertractent ſecundum diuerſitatem ſtatutum eorumdem. Domui ſuæ ſe benè præeſſe oſtendant, familiamquè tam clericorum, quàm laicorum honeſtam honeſtiſq. veſtibus incedentem induant, ſacerdoteſq. et leuitas in teſtimonium bonum ſecum habeant. Protectiones Regum, Principum, Comitum, aliarumquè perſonarum ſæcularium non aſſumant, aſſumptas non exerceant, vt liberius ipſi ſanctiſſimo in conſiliis, ac aliis actibus valeant aſſiſtere. Pro Ordinũ, Religionum, ac perſonarum particularium protectione nihil pecuniæ percipiant etiam à ſpontè offerentibus. Nullas ſupplicationes ipſi ſanctiſſimo præſentent niſi pro pauperibus, vel pro perſonâ ſuâ, ſeu ſeruitorum conſanguineorum, vel affinium, vel familiarium ſuorum. Non ducant vltra 20. familiares equites clericos, et laicos continuos commenſales, cum ad palatium equitant, vel ſe ipſos viſitant, vel alibi conueniunt. Non portent in præſentiâ Papæ cappam, vel aliam veſtem ſuperiorem coloris rubei. Procurent reparationem eccleſiarum ſuorum titulorum, cultum per religioſos augendo diuinum. In eccleſiis et monaſteriis ſibi commendatis abſq. excuſatione congruum habeant numerum canonicorum pro diuinis officiis. Bona, poſſeſſiones, iura conſeruent eccleſiarum.* Contelorius *in vitâ Mar. V.* Hoc voto Concilium Ticini celebrandum iuxta decretum Concilij Conſtantienſis, lue graſſante Senas translatum, Anno 1423. die 22. Auguſti primâ ſeſſionem habuit contrà hæreſes Io: Hus, atq. Vvicleffi. Eò aſcendere Martinus etiam decreuerat ad promouendam cauſam Reipublicæ Chriſtianæ. Cur non venerit, accuſa Alfonſi Regis Aragonum inſolentiã, qui in vindictam negati ſibi Siculi regni, per Oratores ſuos, corruptis quibuſdam præſulibus, litem de Pontificatu in eodem Cõcilio Martino intenderat. Necte Senenſium audaciam,

Curiã reformat.

ciam, qui ob priuata comoda, Concilij libertatem temerè infringere uitebantur. Magnos namq. quæſtus cum ex ſynodi prorogatione ſperarent, legatis auſi aduerſari Apoſtolicis, ne ſynodum abſoluerent patreſq. dimitterent; vt ex *l. a. Breu. Martini V. p. 49.* Senenſibus tamen, poſt ſancita fidei decreta vel inuitis, Concilium Martino iubente Baſileam tranſlatum, nè Pontifex Chriſtianorum conuentum ſubterfugere videretur. Interim eius prudentia ſemine ſublato diſcordiæ (*Platina*)

Martinus mores, & muros reparat. 8. *Tectis* &c. Moribus quantum potuit Martinus reſtitutis, ad reparandam vrbem, animum adiecit. *Adeò enim diruptam & vaſtatam inuenit, vt nulla ciuitatis facies in eà videretur. Collabentes vidiſſes domos, collapſa templa, deſertos vicos, cenoſam & oblitam vrbem, laborantem rerum omnium caritate, & inopià. Quid plura? nulla vrbis facies, nullum* B *vrbanitatis indicium in eà videbatur. Dixiſſes omnes ciues, aut inquilinos eſſe, aut ex extremâ omnium hominũ fece eò commigraſſe. Ciuium itaq. ſuorum calamitate permotus Pontifex optimus, animum ad exornãdam ciuitatem, componendoſq. ciuium animos ita adiecit, vt breui conualeſcens, meliorem faciem præſe tulerit. Hanc ob rem ciuitas ipſa, eum non modò ſummum Pontificem, verùm etiam patriæ parentem appellauit.* Platina. *Martinus autem ab externo hoſte quietus* (idem Platina in fine) *ad exornandã patriam, baſilicaſq. Romanas animum adiiciens, porticum S. Petri iam collabentem reſtituit: & pauimentum Lateranenſis Baſilicæ opere vermiculato præfecit; & teſtitudinem ligneam eidem templo ſuperinduxit: picturamq. Gentilis, opus pictoris egregii inchoauit. Ædes præterea vetuſtate collabentes ad duodecim Apoſtolos reſtituit, vbi & annos aliquot habitauit. Huius autem ſtudia Cardinales ſecuti, titulos ſuos ita certatim reſtituunt, vt iam aliqua fa-* C *cies rediſſe vrbi Romæ videretur.*

S. Bernardinus Senenſis. 9 *Bernardino Senenſi*: magni Franciſci diſcipulo tanta fuit pro virtutibus contra vitia dicendi libertas, vt ad eum aleas flammis vſtulandas vrbis omnis comportaret. Verùm cum his, qui his conficiendis vitam ſuſtẽtabant, vltima immineret paupertas, eiſdem auctor fuit nomen Ieſu tabellis inſculpendi, quo breui factum, vt etiã diteſcerent. Ipſe diuus cum de nomine Ieſu ſermonem haberet, ſupra caput ſuum id ipſum quandoq. cõſpicuum habuit Sole ſplendidius. *Vixit in terris annis 66. Viginti duobus in ſæculo, reliquis in profeſſione degit monaſticà: quadraginta multo labore Verbum Dei prædicauit.* Surius.

10. *Huſſitica*. Vvenceslao regnante Imperatore, cum quidam Bohemus familiæ putridi piſcis dictus, ex Anglià, vbi liberalibus operam dederat vel potius diſciplinas polluerat erroribus imbutus Vvicleffi, librum ſecum reportaſſet eiuſdem Vvicleffi, hæreſibus ac plenum blasphemiis, donoq. dediſſet *Ioanni*, cui *Hus* (Villa eſt in qua natus) fecit cognomen quod *anſerem* linguà ſignificat Germannà. Ioannes cum eſſet ingenii peracris, & linguæ diſertæ, auidè Vvicleffi doctrinam arripuit, quà Theutonicos cæpit vexare magiſtros, qui ſcholam regebant Pragenſem; nec deſtitit, donec à *Vvenceslao* impetratum, vt Pragenſe gymnaſium ritu Pariſienſi gubernaretur. Hanc ob cauſam Theutones magiſtri, ac diſcipuli iureiurando adacti, vno die A ſupra duo millia ſecuti Lipſiã Miſniæ ciuitatẽ, trium dierũ itinere à Pragà Accademiã traduxere diſtantem: Bohemis ſcholæ ſuæ relicto regimine, quorum

Io. Hus hæreſes. princeps *Io: Hus* vbi ſatis fidei ſibi comparatum exiſtimauit, venenum occultè cõceptum cæpit euomere, & in templo S. Mathæi, vbi feſtis diebus ad populum concionem faciebat, ex inſanà Vvicleffi doctrinà *Romanum* prædicare *Pontificem reliquis eſſe parem Epiſcopis. Inter ſacerdotes nullum eſſe diſcrimen. Purgatorium ignem nullum inueniri. Orare pro mortuis, figmentum eſſe auaritiæ ſacerdotalis.* Tantis blaſphemiis occurrit *Subinco* cognomento *Lepus*, Pragenſis præſul, crematis ſupra ducentis voluminibus huius peſtiferæ ſectæ, ac *Ioanne Hus* prædicatione prohibito. qui tamen in uillà natiuitatis ſuæ, plebem docere non deſtitit, permittente loci domino, qui eius fauebat inſaniæ. Popularium etiam quo ſibi magis animos conciliaret, decimas non magis quàm eleemoſinas ſacerdotibus debitas adſtruit. Odioſo quamuis animo hæc Vvenceslaus intelligeret, deſidià corruptus, impunè debacharis ſinebat hæreticos. Archiepiſcopus vbi nullum aduerſus mala inuenit in Rege præſidium, ad *Sigiſmundũ Vvenceslai* fratrem confugit. Dat fidem *Sigiſmundus* breui ſe petiturum Bohemiam. Sed dum dies die dicitur, *Subinco* moritur & *Albicus* ſufficitur natione Bohemus, arte Medicus, *Sigiſmundo* charus, ſed adeò auarus vt nec claues cellæ vinariæ crederet famulis ſuis. Idoneus ſanè præſul qui hæreſim foueret ſurgentem. Infeſtabat eà tempeſtate eccleſiam Romanam *Ladislaus* Rex Neapol. aduerſùs quem cum Io: 23. Papa bello decreto, peccatorum remiſſionem indulſiſſet ijs, qui ad tuendam eccleſiam arma induerent: decretum cum recitaretur in eccleſià Pragenſi, Pontificem vt Antichriſtum increpare cœperunt homines ſordidi, quia crucem aduerſùs Chriſtianos decerneret. Hos è veſtigio in carcerem rapi Senatus iuſſit: è contra populus arreptis armis vindicare feſtinat. Oratione populum placare furentem, vtile Senatus credidit tanquàm vita captiuorum in tuto eſſet, dum clam ſumebatur ſupplicium. At cum ſanguis extra prætorij ianuam deflueret: iterum exurgens populus interemptorum corpora rapuit, ac veluti Sãctorum reliquias in templo aromatibus condidit. Hæc cum accepiſſet Io: Papa Ann. 1412. in Huſſitas laxauit anathema, Concilium indixit. Sed audaciores facti ſectarij, heterodoxorum more, qui facilitate D efferantur atq. blanditiis; ad concilium vocati Conſtantienſe, minimè veniſſent, niſi literis exhibitis ſecuritatis à Sigiſmundo Imper. Anno 1414. *omni prorſus impedimento remoto, tranſire, ſtare, morari, & redire liberè* promiſſi fuiſſent, & reuocari. Literas habes in *Aquilà noſtrà Vagà p. 367.* Venere itaq. *Io: Huſs, et Hieronymus de Pragà* (vt ſcribit Æneas Syluius) *non tam verecundè aliena, quàm ſua impudenter ingerere parati, docendi quippè quàm diſcendi cupidiores, & populares amantes aures. Auditi ſunt in conſeſſu patrum. Ioannes ætate maior, & auctoritate habitus; doctrinà ac facundià ſuperior Hieronymus. Lecti ex omni natione patres diuini atq. humani iuris doctores, ſæpè eam his colloquium habuere, dogmata eorum aliena à lege diuinà eſſe monſtrarant, neq. bonis conducere moribus. Rogauerunt, ne plus ſapere vellent,*

quàm

quàm Eccleſia, ſed ſaperent ad ſobrietatem. Ingenia ſua nobiliſſima Vvicleffitarum inſaniâ ne fœdarent. Poſſe eos & in conſpectu Dei, et in eccleſiâ militante ſublimem conſequi locum, ſi reiectis nouitatibus, patrum ſequerentur veſtigia. Stetere in propoſito pertinaces Bohemorum animi, neq. victi rationibus, vinci volvere. Neq. illud prætermittendum duco, eos Conſtantiam veniſſe, tribus diebus antequàm literas ſecuritatis, ſeù *Saluum Conductum* eis Sigiſmundus expediendum curaret: nihilominùs fuiſſe amicè ſuſceptos, & liberè agere permiſſos, donec detectos errores diſseminare Vvicleffi, ac de fugâ cogitare, decretum eſt in Concilio aduersùs contumaces, cremandos eſse, qui doctrinam reſpuebant Eccleſiæ. In fugâ eſt Huſs repertus, in curru ſtramine pleno, quo ex vrbe deportandus erat, ex quo reductus, fuit carceri traditus, & combuſtus. Hieronymus diù poſtea in vinculis habitus cum reſipiſcere nollet, pari affectus ſupplicio. *Pertulerunt ambo* (ita Æneas Syluius) *conſtanti animo necem, & quaſi ad epulas inuitati ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quæ miſeri animi eſſet indicium. Vbi ardere cœperunt, hymnum cecinere, quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo philoſophorum tam forti animo mortem pertuliſſe traditur, quàm iſti incendium. Pogius Florentinus, ætatis noſtræ nobilis ſcriptor, de morte Hieronymi ad Nicolaum Nicoli concium ſuum, elegantem ſcripſit epiſtolā, quamuis paululùm ſuâ conſuetudine in mores cleri inuectus videatur. Cineres exuſtorum ne reperentur à Bohemis, in lacum proiecti. Diſcipuli eorum ex eo ſolo terram abſtulere, in quo ignis fuit, eamq. veluti ſacrum ſecum attulere in patriam. Non eſt tamen* (inquit Cochlæus l. 3. hiſt. Huſſit.) *quod de hoc fortitudinis fuco glorientur Huſſitæ: nimis magno pretio fucata hæc laus conſtat, infelix illius anima, quæ per eam pertinaciam periit in æternum. Et non ſolum eum æquauerunt, ſed etiam ſuperauerunt, in hac virtutis ſpecie multi Pagani, Iudæi, et hæretici, qui vltro in ardentem rogum non ligati (vt hic Hieronymus) inſiluerunt.* De his itaq. cum Auguſtino concludam; *Cum viuatis vt latrones, mori vos iactatis vt martyres, qui faciunt opera latronum et Dæmonum, et gloriam ſibi vindicant martyrum.* Vaticinium etiam referunt *Ioannis Hus* cum ad ſupplicium traheretur. *Centum reuolutis annis Deo reſpondebitis, et mihi. Me anſerem aſſatis* (id Hus Bohemicè ſonat) *ſed veniet poſtea cygnus, qui aliquanto meliùs vobis inuitis canet, nec tamen eum aſſare poteritis:* & de Luthero interpretantur. Cum tamen de tot, tantiſq. hæreſiarchis *Huſſi* vaticinium poſſit intelligi, qui vnà cum Luthero, & poſt Lutherum, nati ſunt. Ex ſcripturis ſanctis, vel ex hominum mentibus ad nouitatem diſpoſitis tempora Satan cum cognoſceret inſtare periculoſa, hoc per eum prædici voluit, quo hæretico auctoritatem conciliaret.

Supplicium Io. Huss: & Hieronymi Pragensis.

Securitatis literæ ab Heterodoxis adeò iactatæ, nullius ſunt ponderis, quia ipſe *Huſs* fugâ ſua eum irritas reddidiſset, vnde temerator inſimulari nequit Sigiſmundus. Secundò, quòd immunitas ſecuritatis præſtitæ à Sigiſmundo *itineris* tantum ſecuritatem reſpexerit, & *vectigalium* immunitatē, quam nomine ſuo, non Concilii nomine præſtiterat hæreſiarchis. Cum igitur non ſynodus, ſed Imperator fidem hæreticis dederit; nec ſynodus illam fidem, quam non dedit, ſeruare potuit; nec ſuo cedere iuri ob fidem ab alio datam. In cauſâ namq. fidei, maior erat ſynodi, quàm Imperatoris auctoritas. Minor autem non poteſt cohibere maiorem, quo iſte minùs vtatur iure ſuo. Imperator ipſe (etiā ſi ſynodus fidem dediſset hæretico) potuiſset extra ſynodum in eumdem hæreticum manus inijcere. Quę enim inter nos aguntur, tertio non prȩiudicāt. Hinc lector diligenter caueat hæreticorum calumnias in Eccleſiam inuentas, ab hac doceri, fidem datam hæretico non ſeruandam. Decreuit ſolummodò *ſeſſione 19. Concilij Conſtant.* Eccleſiam non obligari, nec impediri ex ſaluo conducto à Regibus vel Imperatore hæreticis conceſſo, quin contra errores huiuſmodi perſonarum inquirat. Permiſit autem Deus, vt *Huſs* fidem interponendā non ſolùm ab Imperatore, ſed à Concilio obliuiſceretur; vt ſynodo liberum eſset inquirere. Hieronymus verò Pragenſis Conſtantiam cum *Huſs* non venerat, neq. Saluum conductum à Cæſare impetrarat; ſed poſteà cum reſponſurum ſe obtuliſset his quæ ei obiiciebantur, dummodò ſaluo conductu tutus redderetur: Concilium verbis reſpondit ſequētibus. *Perſonam tuam tanquàm de multorum errorum doctrinâ, ac temerariâ aſſertione ſuſpectum, & diffamatam euocamus, & citamus ſub tenore præſentiū.* Infra. *Comparens ſecundum tenorem prædicti tui ſcripti reſponſurus ad ea, quæ tibi aliquis vel aliqui in cauſa fidei voluerint obijcere, recepturus ac facturus in omnibus iuſtitiæ complementum, ad quod à violentiâ (iuſtitiâ ſemper ſaluâ) omne ſaluum conductum noſtrum, quantum in nobis eſt, & fides exigit Orthodoxa, præſentium tenore offerimus. Seſſ. 6.* Quibus verbis à violentiâ facti conceſsum fuiſse ſaluum cōductum *Menochius* reſcripſit *To. 1. conſil.* 100. *n.* 226. non autem à *iure*, & à *iuſtitiâ*, quæ expreſsè fuit reſeruata, vt refractarium deponerent, vt depoſuere, Curiæ tradentes laicorum.

In eis literæ, & irritatæ ſunt.

Nunciato Bohemis Huſſi, & Hieronymi ſupplicio; eorum ſectatores annuos illis veluti martyribus decreuerunt honores. Indè templis inuaſis Catholicorum, ſupra quingenta cremarunt. *Sigiſmundus* concilio dimiſſo Conſtantienſi, in Vngariam reuerſus, Martini Pontificis gratiâ è rebus ſacris decimas conſequutus, grauia poſthæc cum Huſſitis habiturus certamina.

11. *Ziſca* namq. Troſnouius, nobili genere, cenſu tenui, à puero regiâ educatus in aulâ, rapinarum actidus, Huſſitarum contagione demens, collectâ hominum ſibi non ab ſimilium manu (quæ ad 40. millia mox armatorum excreuit) crudeliter cœpit in res, hominesq. ſacros graſſari. *Sophia Bauara* filia Io: Ducis Monacenſis, Vvenceslai vidua, Sigiſmundi implorabat auxilium. In Turcam verò cum ipſe bellum paraſſet, dilato Bohemiæ ſubſidio, in Baiazetem infortunato mouit conſilio, quo nec hoſtem depulit ab Vngariâ, nec tempeſtiuè regnum adiuuit fraternum. Cruce publicatâ, totus penè orbis adfuit in Ziſcam cum Sigiſmundo ſed ſemper infelici. Nam quinquies tentatâ Bohemiâ, quinquies victus omnibus amiſſis, nonnunquàm hoſte etiam non viſo turpiter ceſſit; Licet Ziſca ex monoculo (oculum puer in ludo perdiderat)

Ziſca propugnator Huſſitarum.


MARTINI.V. P. M.
MAR TINUS PP. V.
MARTINVS PP.V. SEDIT ANNOS XIII
MENSES III. DIES XII. OBIIT ANNO
MCCCC.XXXI. DIE XX. FEBRVARII.
TEMPORVM SVORVM FELICITAS
MONVMENTVM

rit) in vrbis obſidione amiſſo altero oculo cæcus factus, à puero regeretur. Scientiſſimè nihilominus regebat exercitum, & ex ſolà relatione ſitus hoſtilis, aciem diſponebat. Hinc conſternatus Sigiſmundus, deſperato armorum auxilio, ignobilem hominem, ſenem, cæcum, prophanum, ſacrilegum omniumq. ſcelerum auctorem largitionibus expugnate coactus, ſupplex rogat, vt perpetuà præfecturà Bohemiæ cõtentus, magiſtratum quoq. equitum, ac ingens quotannis ſtipendium acciperet, ſolumodò *Sigiſmundum* Regem nominaret. Accepit conditionem auarus *Ziſcha*, ſed dum eò pergit peſte abſumptus interiit, nec Dei manus euitauit, qui hominum effugerat. Singulare Sigiſmundus credidit beneficium, ne ſibi tanta nota inureretur. Interrogatus paulò ante obitum, vbi ſepeliri vellet, iuſſit cadaueri ſuo pellem detrahi, ex quo tympanum fieret, hoſtium terriculum; reliquum corpus feris, & volucribus obiiceretur, vt eo guſtato crudeliores euaderent.

…ſchæ …a- …ium. Sepultus in vrbe Thabor, quam conſtruxerat, ſequens habuit epitaphium, *Iohannes Ziſcha nullà Imperatorum Ducumve rei militaris peritià inferior, ſuperbia ſimul & auaritia Clericorum ſimul ſeuerus vltor, patriaq. acerrimus propugnator hic taceo. Quod Appius Claudius cæcus benè conſulendo, & M. Furius Camillus ſtrenuè agendo ſuis præbuere Romanis, hoc ipſum Bohemis meis præſtiti* &c. Hæc perditi & mortui Taborritæ ſuo inſcripſere mortuo. Verius inſcripſiſſent. *Ziſcha ſacræ religionis, ac ſacrorum hominum infeſtiſſimus hoſtis, Templorum euerſor, Eccleſiæ bonorum direptor, Patriæ excidium & incendium; ſeditioſus in Regem, ſanguinarius in ſocios, impius in Deum, vnius Vvicleſi cultor.* Defuncti imaginem ſpetie Angeli calicem manu tenentis ſupra vrbis portam repoſuere: Indè in duas factiones diuiſi, pars vna *Veterum* altera *Orphanorum* dicta eſt. *Veteres* ſibi *Procopium* cognomento *Magnum* optauere. *Orphani* ſcelectos quoſdam habuere, quorum communi conſilio bellum gerebant. *Scelectorum* princeps alter *Procopius* erat cognomento *Minor*. Erant & *Orebitæ*, Thaboris inſtar à quo *Thaboritæ* Mons Sion etiam vrbs extructa, vndè in catholicos homines exiere Fanatici, Bohemiæ non minùs quàm Eccleſiæ pernicioſi. Inimici inter ſe omnes, niſi cum Theutones inuadendi, vel repellendi, quos Philiſtæos, Moabitas, Idumeos, ſe vero Iſraelitas & Bohemiã terram Promiſſionis appellabant. Sigiſmundus egrè ferens auitum ſibi abrogatum regnum, Piſonij indicto conuentu, Bohemiæ proceres conatus ad ſe traducere, correctione oblatà aſperitatis ſi quæ fuiſſet; reſpondere Bohemi: *ab Eccleſià Romanà cauſam rebellionis exortàm, à quà ſe hæreſeos iniuſtè aſſerebant damnatos.* Benignè autem repoſcenti Sigiſmundo, *Generali ſynodo omnia poſſe componi, in quà ſuam tuerentur innocentiam:* illi, qui armis non argumentis talia diſſerere conſueuerat, ad diſputationis anguſtias redigi recuſantes, re infectà diſceſſerunt. Hæc cum accepiſſe *Martinus* Papa, Cardinalem Vintonienſem, regia Britanniæ ſtirpe natum in Germaniam cum plenà auctoritate legauit, vt finitimas vndiq. gentes in refractarios compelleret. Paruere primùm Saxoniæ duces cum vrbibus, quas *Stagnales* vocant: Alterum exercitum coegere Francones, ſub Principe Brandeburgenſi. Tertium habuere Rhenenſes Duce *Othone* Treuerenſi metropolità. Sed omnia ceſſerunt in prædam hæreticis. Cæſar rem malè geſtam cum accepiſſet, fortunæ nolens cedere iniquæ, Norimbergæ noua Principum auxilia comparat, & cum Cardinali *Iuliano Cæſarino* legarò ad octauum Kal. Sal. Anno 1430. expeditionem decernit. Belli ſummam *Fridericus* accepit *Brandeburgenſis*, vt quà ad Templam eſt iter, Bohemiam adoriretur. *Albertus Auſtriæ* Chriſtophorus Bauarus, Fridericus Dux Saxoniæ cum Legato Apoſtolico per Moraniam iter facerent. Adfuere Herbipolenſis, Bambergenſis, Eiſtetenſis Epiſcopi cum ſocietate Sueuorum, quam diui Gregorii vocant, Auguſtalium vrbium, Moguntini, Treuerenſis, Colonienſis conuenere auxilia. Equitum quadraginta millia, & peditum paulò minus fuiſſe creduntur. Cal. Aug. irruptio facta eſt in appendices Bohemiæ, primùm re benè geſtà: poſteà audito hoſtium aduentu, pannico timore correptus Brandeburgicus, impedimenta omnia hoſtibus occupanda reliquit. Albertus Dux Auſtriæ rem meliùs geſſit in Auſtrià; Hæreticos namq. compulit definitionibus ſe ſubmittere futuri Baſileenſis Concilii, quod Martinus indixerat, & Eugenius qui Martino ſucceſſerat, confirmauerat.

12. *Antoninus* Florentinorum præſul ad Chriſti cruce pendentis raptus imaginem, mellitiſſimis vulnerum oſculis cum aliquandiù inhæſiſſet, ad pauperes redijt tam clemens & liberalis, vt etiã dominicam ſupellectilem eis diſtribueret. Obijt Anno 1459. Ægrotantis verba, *Seruire Deo, regnare eſt.* Morientis, *Sanctà & immaculatà virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio.* Ex Vincentio Mainardus. S. Antonini obitus

13. *Laurentius Iuſtinianus*, Patritius Venetus, ex eà familià, quà nunc M. Antonius Iuſtinianus regnat Princeps, & Mæcenas meus. Teſtimonium obſequii, eius erit breuis vitæ deſcriptio, quam typis dabo. Annum agenti Iuſtiniano decimum nonum induta virginem Sapientia ſuperna amplexum tulit, & oſculum. Ab hoc tempore omnis illi mundus deſipere, una ſapere religio cœpit. Ad hanc cum ſe recepiſſet, fuit qui cum familiaritate (quæ ei cum Laurentio intima erat) deſtitutum ſe indignè ferret, ad ſepta monaſterii cum totà acie ſodalium veniret: cornu vnum citharædi, alterum armati tenebant. Sed vtrumq. perrupit Laurentius, captumq. verbis ſodalem in ſua iurare verba, manusque dare religioni daret coegit, plaudentibus Superis, quòd iam Theſeus Pirithoum ſuum, non in orcum comitaretur ſed Cœlum: *Reliqua Laurentii dabimus in ſequentibus.* B. Laurent. Iuſtinianus.

14. *Iubilæum.* Legem Vrbani VI., qui ad annum 33. Iubilæum reuocauerat Martinus ſecutus, Anno 1423. Indulgentiæ theſaurum Chriſti fidelibus Romanas Baſilicas viſitantibus aperuit, teſte Paulo II. Sixto IV. & Iulio III. Iubilæũ

15. *Munia.* Pacatà vndiquè Eccleſià Dei, *in dandis beneficiis* (teſte Platinà) *mirà prudentià Martinus vſus eſt. Non enim vnicuiq. petenti ea conferebat, ſed ſtatim mente agitabat, quis potiſſimum eſſet idoneus, cui talis cura demandaretur. Quòd ſi homines* pro-

prouinciarum non noſſet in quibus vacare beneſitia contigiſſet ſtatim, peritos regionum conſulebat, qui in curia, aut publicis gymnaſiis eſſet doctrinà, nobilitate, moribus tantà prouinciâ dignus. Hac ratione & eccleſiis, & hominibus honore dignis pariter conſulebat cum maximà celebritate nominis ſui.

Martini Conſtantia. 16. *Fratrum* funera tantà conſtantià ſuſtinuit, *vt cũ duos haberet fratres, quorum alter Iordanus princeps Salernitanus maior natu, peſte moritur: alter verò minor natu, Laurentium appellant, in turri igne caſu iniecto exuſtus eſt, vt nil ex eo auditum ſit, nil viſum, quod impatientia aut abiecti animi ſignum aliquod præ ſe ferret.* Auaritiæ Martinum Nouatores cum accuſent, magnaſquè congeſſiſſe opes, quas nepos princeps Salernitanus inuaſit, ac tandem in bello aduersùs eccleſiam conſumpſit: Nepotes defendere non audeo, quos Nemeſi vlciſcente perditos inuenio. Martinum tamen pio pecuniam congeſiſſe voto, duo ſuadent: ſtudium perdendi hæreticos Bohemis: ac ſollicitudo Græcos tuendi aduersùs Turcas, atquè Orientem à barbarà vindicandi feritate. Eodem voto Anno 1418. amanter Martinus conceſſerat, vt Fæminæ Latinæ Græcis locarentur principibus, dumodò ritu uiuere permitterentur Latino, vt vinculis affinitatis Principes adſtricti Occidentales in ſuppetias Græcorũ accurrerent aduersùs Turcas. Calumniæ in Martinum. Iam Græcia à Romano Pontifice legatum poſtulauerat, pro reconciliatione ineundà Byzantio namq. Amurathes Rex imminebat Turcarum, cui cum naues deeſſent ad milites ex Aſià in Europam traducendos, Ioannes Adurnius Ianuenſis datæ Christo in ſacris baptiſmalibus fidei immemor, ac patriæ ſuæ, (Græcis nanq. deuictis; tot Ianuenſium coloniæ ſparſę in Oriente, erant extio futuræ) auro corruptus in Europã Mahometanum traiecit exercitum. Tentauit Martinus ſub pænà anathematis Ianuenſes à fædere auertere Mahumetano, ſed auri præualuit ſacra fames. Obſedit aliquot menſibus Conſtantinopolim Amurathes, fruſtra quidem, ſed ita firmato imperio, vt certam ab eo Græci ruinam expectarent.

Eundem Martinum inſimulant Hæreſiarchæ, cuidam permiſiſſe germanam ſororem in vxorem ducere ex *Angelo Clauaſio* in *Summà Angelicà*, & *Sylueſtro* verbo *Papa* §. 17. authorem vterq. citat Archiepiſcopum Florentinũ in ſummà, qui tamen aliter rem narrat: nempè diſpenſaſſe cum ſorore eius, quam vir polluerat, non cum proprià ſorore vt Beza mentitur. Vide S. Antoninum 3. *p. tit.* 22. *c.* 11.

Obitus Martini V. 17. *Obitum* Martini V. Anno contigiſse XIV. ſui Pontificatus, quo Baſileenſe inſtabat Conciliũ, habes, ex breui epitaphio appoſito ſepulchro eius æneo in Baſilicà Lateranenſi, tantà Cleri mæſtitià, quaſi ſimilem ſpectare non liceret.

Epitaphium Martini. V.

Martinus Papa V. ſedit Annos XIII. *Menſ.* III. *dies*, XXII. *Obiit Anno MCCCCXXXI. die* XX. *Februarii. Temporum ſuorum Felicitas.* Sed hæc ſemper inſtabilis. *Huius temporis felicitatem* inquit) Card. Egid. Viterb.) *multũ turbauit Bohemorum hæreſis, plus Caſarini Cardinalis caſus, plurimum Martini mors* Apoplexià Martinus extinctus eſt.

Scripta Martini V.

De tranſlatione corporis S. Monicæ B. Auguſtini matris Oſtia Romam ſermo, vt in M. Auguſtinianà Tholoſæ editâ p. 473.

Epiſtola Variæ quæ aſſeruantur M. S. in Vaticano. *Conſtitutiones* in Collectione Romanà, & Bullario.

Approbatio regulæ Monachorum, extant inter opera D. Hieronymi. *Eiuſdem teſtamentum, & Ceremoniale Curiæ Romanæ*. Extat in Bibliothecà Barberinà.

Regeſta Bullarum & Breuium in Vaticano.

Leges pro Cardinalibus apud Contelorum

Louaniẽſem Accademiam, quam Lipſius ſuas, & Belgicas Athenas nuncupauit, robore Apoſtolicæ muniuit auctoritatis. *Præerat tunc* (inquit Lipſius) *eccleſiæ Martinus V. Gente Columnià, ideſt primarià Latii familià, & quæ bello ac pace inſignia lumina rei Chriſtianæ dedit. Sed hic Pontifex bonarum artium ſciens & cupiens erat: eoq. facilius de Accademià impetratum.*

De Martino ita cecinit Ianus Vitalis.

Maximus vt fieres Mundi, Martine Sacerdos.
Non hominum potuit cura, ſed eſſe Dei.

Mediolani Martinus à Philippo Maria V. C. Inſubrum Duce incredibili pompà acceptus, cum Anno 1418. die XVI. Octobr. aram maximam Eccleſiæ Metropolitanæ conſecraſset; gratitudinis teſtimonio Philippum ſtatuà erectà lapideà ad læuam Baſilicæ, carmina ſubſcripſit ſequentia.

Cerne Viator, ave, hic ſtat imago ſimillima Papæ
Qui bonus Eccleſiæ Martinus in ordine Quintus
Paſtoralis tibi Roma tua tibi gloria gentis,
Quam parit alta domus celebrata Columna per orbẽ
Mundus erat longo Eccleſia vexatus in alto
Schiſmate, Concilium Conſtantia firmat, & ecce
Orbe Columna potens, magno de Cardine ſummus
Præſul hic eligitur, meritò velut ante Creator
Surgentem Eccleſiam ſuper alta cacumina Petra,
Mox voluit fundare ſuam ſic peſte cadentem
Schiſmatis, ac firma ſtatuit ſtabilire columnà,
Hinc repetens primò ſua ſancta Palatia Roma,
Hinc prius amplificam, quæ Roma ſecunda vocatur,
Vrbem adit, hoc altare ſacrat, celebrat quoque Miſſã
Primus, & hic venias grandes, miraſq; ſalutis
Pro fabricà Eccleſiæ bona dantibus addit habendas,
Præſertim admiſſi cum feſta dicatio templi
Venerit, atque die præſtante, ſequenteq; feſtum
Iſta duce Anguigero Ligurum regnante Philippo
Imperio talis per ſultaq; bella tremendo
Mille quater centum octauo decimòq; ſub annis,
Et ſexto decimòq; die tum Octobris euntis
Facta colenda manent; ad honorem Virginis Almæ.
Carminis eſt Bripius Ioſeph ordinarius auctor
Doctor Canonici Iuris, ſacræq; Magiſter
Theologiæ; aſt hic præſtantis Imaginis Auctor
De Tradate fuit Iacobinus in arte profundus,
Nec Praxitele minor, ſed maior, fateor auſim:

Verba quæ legis in epyſtilio (*Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram*) lemma ſunt, quo frequenter Martinus admonebat vicarios ſuos.

Numiſma mediũ iacens in ſuperliminari ſepulchri

vt

vt ſup. *in pag.* 481. in quo inſignia Regum, Principũ, Ducum, Cæſarum, Epiſcoporum, Pontificũ incendio omnia comburuntur ſub titulo *Sic omnis Mundi gloria* ſymbolum fuit Martini V. aduerſus humanarum rerum inconſtantiam, teſte *Egidio Sadelero* ex Auſæo *Octauij de Stradà*.

Coronæ ſupra columnas inſigne annuunt Gentilitium.

De primo, ſecundo, ac tertio numiſmate dextri lateris habes in margine eiuſdem tabulæ.

Romanis Imperatoribus præſtantioribus delatus.

De tertio lemma habes, quod in ſuà coronatione aſſumpſit Martinus, vt de more Pontificũ Romanorum *Auerte mala inimicis meis, & in virtute tua disperde illos*. Exaudiuit plenè Deus pias Põtificis preces, ſub Martino namquè extinctum ſchiſma, quod per annos quinquaginta vexauerat eccleſiam Dei.

I


3 G

II


4 G

III


3 B



Primum numiſma à ſiniſtris typus eſt Romæ, clypeo inſidentis, & ab antiquis Cęſarum numiſmatibus ſolum differt, quod loco victoriolę Romę bilancem ſuſtinet, iuſtitiam Pontificis annuens, cuius ſingulare ſtudium Martino erat, teſte Platinà. *Cornucopia* adiungitur, quia ex ſolo iuſtitię ſemine bona omnia terrarum germinant, & abundant in populis. Inſcribitur *Optimo Pontifici*, titulus Traiano olim, Veſpaſiano, & Antonino Romanis Imperatoribus præſtantioribus delatus.

Nouiſſimè nummum hunc vulgauit *P. Molinetus*; Stat in eo *Peristilium ampliſſimum*, forſan porticum annuens Vaticanam, quam teſte Egidio Viterbienſi extruxit, & Lateranenſem Baſilicam opere ſtrauit vermiculato, ſub titulo *Dirutas et labantes vrbis inſtaurauit eccleſias*, vt ſupra habes *n.* 7. Hinc Subſcribitur peryſtilio, *Columnę huius prima petra*, quia quam Martinus Columna primam petram poſuit, Eccleſia fuit, lapis angularis geſtorum omnium Martini Papæ.

EVGENIVS QVARTVS
PONTIFEX ROMANVS CCIX.



SEdet in conuiuio Eugenius more Chriſti, magiſter continentiæ vino abſtinens, vt à conuiuis inquireret contra ſeipſum. Sic in domo Phariſei (*Matth.26.* vbi Magdala vnguentum effudit ſuper caput Chriſti) vino incalentes diſcumbentes blaſphemare cæperunt contra Chriſtum: *Vt quid perditio hæc?*

Eligitur Anno Sal. 1431. die V. Nonas Martii. Obiit An. Sal. 1447. die VII. Kal. Mar. Cum ſediſſet An. XVI. minus diebus VII. Vacat ſedes dies XI.

E L O G I V M.

Anni Sal. IEu 1431. EVgenius IV. antea Gabriel Cōdulmerius
Venit: vndè venire ſolet piſcator, ex mari.
Venetiis naſcitur:
Vbi naſcūtur, ac moriūtur Prīcipes more priuati.
Familiā cū accepiſſet *popularē, patritiā* reliquit
Patre mortuo, incipiens obedire Euangelio,
Venire iuſſit hereditatē, vt veniret ad pauperes
D. Georgiū Tribunū ſuūcū Veneti reformaſsēt
Ex Duce militem,
In Imperatorem delecto Marco Euangeliſtà:
Nè Georgius indignatus recederet,
Uiciniorem à Condulmerio ductus in inſulā Anni Sal. IEu 1431.
Regulares centuriauit Canonicos,
Qui trino cōuixere ſeculo; donec bello Cretico
(Quod nec militi pepercit togato)
Regula abiit, & obiit,
In Cælum, cum ſuo primipilo triumphans.
Epiſcopum primò datum reſpuère Senenſes,
Timentes quòd ciues colligeret in erem um;
Patronum poſtea poſtularunt, & Dominum:
Quòd

Anni Sal. IEu 1431.11 Quòdnon viribus, ſed iuribus regeret exẽplis
Picęnis[a] legatus, fidelitatem cũ docuiſſet ignotã
Paucorum ſupplicio vicit, & vinxit perfidiam;
Italiam bellis depaſcentibus vniuerſam.
In Condulmerio ita creuit amor pacis,
Vt puniatis ſeditiones in ciuibus,
Nec videre pateretur in fluctibus.
Hinc mari [3] domito,
(Quod ſuã ingluuie abſorbebat Anconam)
Obiecto aggere, ad modeſtiam erudiuit.
Vndæ innatã oblitæ veſaniã immotæ torpẽt,
Lambentes nomen victoris ſui,
A quo adhuc captiuæ tenentur.
Agnes[3] Latina virgo grata iura ſeruat hoſpitij,
Quam Eugenius templo excepit reſtaurato.
Bononia [4] Bononiæ reconciliata,
InſtarSolis perZodiaci mõſtra gradiẽtis, docuit
Diſcrimina ſæpè aſtra eſſe, non monſtra.
Hiſce gradibus Romam venit,
Sciens Pontificem ſe futurũ, antequàm eſſet.
Sana & ſacra eſt diuinatio.
In quã augures è Cælo deſcenduut [6] *Apoſtoli*,
Qui in arrham thiaræ, ægroto dedere ſalutẽ.
Aduerſã Pallade, dictus Pontifex, in Mineruã
Pontificatum incæpit, vndè inciperet Deus, C
A Iuſtitiã:
Eius famã unus[8] *Stephauus* infamauit *Columua*.
Ruitura videbatur hæc petra, deficiẽte Columnã
Sed ſtetit in Petro petra, & angulari lapide Ieſu.
Familiæ cũ eſſet *Columna*, non Eccleſiæ
Romã Pontifex cucullatus exceſſit,
Opertã maieſtate, ne eam fugã dehoneſtaret.
Fugit Parthorum ritu, pugnando.
Nam victor in Capitolium rediens,
Duos Cæſares ab Ortu & Occaſu
Semper diſſentiẽtes in vno conſentientes Eugenio
Pedes ad pedes ſuſcepit Eccleſiæ Caput. D
Greco dedit Fidei ſacramenta Latinæ:
1431.3 Latinum Lauro coronauit, [9] & auro.
In Italiã iſte cũ nil aureũ inueniſſet præter coronã,
Baſileam[10] rediens, Concilio conſiliũ reddidit
Ne à capite membra recederent.
HocMartinus indixerat, Eugenius firmauerat
Donec in Pontificem laſciuientibus Patribus,
Parere eis vetuit, antequàm monſtrũ parerent;
Solutã ſynodo, quæ Eccleſiam diſſoluerat.
Sed fruſtra elleborum; cum cutis ægra tumeſcit.
Baſiliſcum Baſilea enixa
1439 Infelici puerperio *Felicem* [16] edidit,
Qui decẽnio Eccleſiã sãctitate importunã vexauit
Amedeus anteà Septimus
Sabaudiæ Comitum vltimus, Ducum primus
Poſtquàm prole, pietate patriam propagaſſet,
Regno adſpirans æterno, deſerto mortali,


A Pacem quæſiuit in ſolitudine, ſed nõ innenit. Anni Sal. IEu
Inſaniã Baſileenſium exauctorato Eugenio, 1439.19
Maximam dignitatem ſibi ſupplicem videns
Imperii excæcatus libidine
Specie reformationis ſuſcepit deformandam:
Quaſi ſanctitas vitæ prioris excitaret ad nefas.
Ripaliæ in nemore Cœlos meditabatur:
Dum in erroris ſui nocte Baſilea
Sperans ab Amedeo diem, & Deum,
Interdictis Eugenio inſulis, Felicem dixit, infelicẽ
Dignitate cũ abſtinere poſſet, ambitus noluit
Retinere cum vellet, lex non permiſit.
Seceſsus eius plus habuit pompæ, quàm pietatis.
Interim Ferrariæ [21] Eccleſia coacta
Ab eo qui claues tenebat
Meliore omine Florentiam [22] immigravit,
Ubi inter flores Græcia mendax
Fructum retulit veritatis,
Apeſq. Atticæ libarunt Spiritum Dei;
Ne fingerent, ſed crederent
A duobus procedere Spiritum Sanctum;
Qui nõ factus, nõ creatus, non genitus ſed proce dẽs
Gemini amantis oſculum vnum,
Gemini ſpirantis vnum ſuſpirium,
Procedens à duobus ſpiritus vnus
Spirantes exhaurit.
Licet amare non ceſſent, ſed ſemper anhelent:
Ceſſarent namq. viuere, ſi ſpirare ceſſarent.
Sic Patrem Verbum exhaurit fecundum.
Sic Patrẽ et Filiũ quieſcere facit Spiritus Sãctus.
In hoc amoris circulo
Dexteras iungunt Oriens, & Occidens,
Sequeſtre Eugenio:
Factumq. vnum ouile, & vnus paſtor.
Syri[s] Arabes, Armeni, Mundiq.è finibus Indi
Romanam cum veniſſent agnoſcere fidem:
Debuit Deus linguarũ imbrem in Apoſtolos
Et vetera renouare miracula.
Tantũ trophæũ Græca ſola detraxit incõſtatia;
Cui ſuperuiuere renuens Eugenius
Quieuit [17] in Lauro. Nec alibi decebat
Qui in[18] Apolline ſemper cubabat Platonicè.
Sciendi famelicus, nũquam cænauit ſinè ſapiẽtib[9]
Ueritatem quærens
(Quæ vt plurimum vino proditur)
Sedens in conuiuio magiſter Temperantiæ,
Abſtemius vinum non libauit,
Niſi à conuiuis ſobriè inquireret cõtra ſeipſũ,
Vt ſeipſum ebrii more puniret.
Abeuntem Principes obſeruarunt more Solis,
Qui ſolum cum deficit, Spectatorem habet.
Vnicus Turca triũphus omnes proſtrauit victorias
Pactis Inter Chriſtianos & Turcas inducijs,
Earum cum mox Chriſtianos puderet,
In-

Anni Sal. Eu 1447. 16 Infelix Vngatus arma ſūpſit, quę felix poſuerat
Pugnatum ad Varnā luctuoſo eccleſiæ ſpectaculo;
Cęſis duobus Apoſtolicis, Rege & Legato.
Amurathes de more elatus non eſt;

Vltorem violatæ fidei à Deo ſe putans electū. Anni Sal. I Eu 1447.
Clades quanta fuerit? metire ex puluere.
Puluis namq. Regius amiſſus in puluere bellico.

ADNOTATIONES IN EVGENIO IV. PONT. ROM. CCIX.

Gabrielis Condulmerii natalia. 1. GAbriel Condulmerius, natione Venetus natus An. 1383. quæ honeſtos habuit geniores ſed populares, qui inter patritios aſsumpti fuere in gratiam Eugenii, poſt adeptum Pontificatū. Pater ei *Angelus*, mater . . . . ſoror Gregorii XII.



Rom. P. parentibus mortuis, Euangelii non ſurdus auditor pingue patrimoniū diſtribuit pauperibus Chriſti (teſte *Ænea Sylaio c. 58. Europa*) atq. ſocio *Antonio Corario*, eiuſdem feruoris adoleſcente, Erigit Monaſterium S. Georgii in Algà. Ordinem Canonicorum ſæcularium, in monaſterio *ſancti Georgii in Algà Venetiarum*, cui ipſi initium dederant, profeſſus, ſummà cum laude annos plurimos ſanctiſſimè vixit, donec ad ſedem euecto Pontificiam *Angelo Corario* nomine *Gregoris* XII. Condulmerii auunculo, Romam vocatus cum *Antonio Corario* Officia, dignitates. Senenſi eſt præfectus eccleſiæ, grandi humanæ exemplo viciſſitudinis. A Senenſibus namq. repulſus, hominis cauſantibus aſperitatem ac vitam monaſticam, qui mores hominum, ac ritus ciuitatis ignoraret, ab eodem Gregorio theſaurarius dictus Apoſtolicus, inuitis Cardinalibus Presbyter creatus Cardinalis ſancti Clementis (teſte *Ægnatio de viris Illuſtribus* cognomento *Cardinalis Senenſis* dictus, quòd Senenſem gereret Epiſcopatum, eà exiſtimatione munia geſſit Eccleſiæ, vt nil arduum *Martinus V.* abſolueret inconſulto *Condulmerio*. Inter legationes quas obijt

2. *Picęni* refulget, quod in fide cōfirmauit eccleſię, ac quomodo ſeditioſorum exacto ſupplicio paucorū pæna exemplum eſſet ad omnes docuit. Seruat adhuc Condulmerii monimenta Ancona (teſte Platinà) cuius portum

3. *Domito mari* magnà impensà reſtituit, fluctibus quaſsatum, & vetuſtate conſumptum. Noua poſtea moliente

4. *Bononià*, eo è Picæno legatus Condulmerius aduentu ſuo omnem ſuſtulit ſeditionem, percuſso cum Florentinis fœdere S. Antoninus *3. p. c. 8. §. t.* Sigonius *l. 3. de Ep. Bonon.)* ac cum S. Bernardino Senenſi amicitià, vt hoſtes ſuos gemino fatigaret gladio, humano atq. Diuino. Addit Sigonius ab eo indictas ſupplicationes, cum peſtis vrbem inuaſiſſet. Agnouit tunc ſedes Romana ſui incrementa imperii non tam à Condulmerii ſolertià Veneti Cardinalis, quàm ab ipſius Venetę Reipublicę fide, quę vltro venientes in obſequium & ſubiectionem Bononienſes, fidei potius quam imperii cupida reſpuit, ſuaſitquè in obſequio perſeuerare Pontificis. Contarenus l. 14. Hiſtor. Venetę. Iuuentutis eius primodia ſanctus Antoninus eius contemporaneus ita deſcribit. *Martino de hac vità ſubtracto, creatus eſt Gabriel Cardinalis Senenſis, natione Venetus, Eugenius quartus in Papatu nuncupatus. Qui cathedram Petri tenuit Annis XVI. An. D. 1430. menſo Martio. Hic ſtaturà fuit procerus, gratioſus aſpectu, nec animo minor, liberaliſſimus ad pauperes, ad reparationem eccleſiarum munificus, religioſos Deum timentes eximio fouebat affectu pariter & effectu cultus diuini et chriſtiana religionis dilatandæ Zelator præcipuus. Ipſe ab adoleſcentia bonis ſuis pauperibus erogatis, ſtatum clericorum ſæcularium religiosè & communi viuentium (qui Cæleſtini dicuntur) Venetijs deuotus apprehendit. Ex quo poſt annos plures à Gregorio XII. in Ep. Senenſem aſſumptus eſt, & indè ad Cardinalatum, demùm in ſummum præſulem. Statum quidem eccleſiæ inuenit ſatis potentem & opulentum, ac quietum: ſed ſub eo Deo permittente, & demeritis hominum exigentibus, ac militià tyrannorum operante, præcipuè ducis Mediolanenſis, valdè perturbatus eſt & diminutus. Multaſq. perſecutiones Eugenius paſſus & inſidias vitæ iniuſtè, æquanimiter tolerauit;* De quibus infrà.

5. *Agnes Romana virgo.* De templo S. Agnetis Anconæ per Gabrielem Condulmerium reſtituto, Platinam habes in *vità eiuſdem Eugenii* 4.

6. *Apoſtoli etc.* Prænuntiatum Condulmerio Romanum fuiſse Pontificatum refert Pius 11. c. 58. *in Europa: Huius* (inquit) *pater, cum in Ægypto negotiaretur cum patre Franciſci Foſcari, ab eremità quem pariter ſciſcitandum adorſi ſunt, non minùs lætum vaticinium, quàm ille accepit. Ille enim filium, quem habebat futurum patriæ principem: hic ſuum inter ſacerdotes ad ſummum euaſurum didicerat. Eugenio verò Gabrielis nomen in baptiſmo inditum fuit, qui cum adoleuiſſet conditis parentibus, Euangelii non ſurdus auditor patrimonium, quod ab illis non tenue acceperat, inter Chriſti pauperes erogauit. Exin Antonio Corario comite eiuſdem feruoris adoleſcente religionem intrauit, in quà ſummà cum laude verſatus tandiù cum illo vixit, donec Angelus Corarius Gregorius XII. appellatus ſedē Petri ſortitus, cum altero ſeparari non poſſet, ambos ad ſe vocans, Senenſi eum, Bononienſi Antonium præfecit Eccleſiæ; nec diu moratus vtrumq. Cardinalatus honore dignatus eſt: in quo ambo claruerunt. Sed hic ſummum Pontificatum conſecutus magis enituit.* Addit Franciſcus Philelphus etiam ipſi Gabrieli, cum grauiſſimo implicitus morbo decumberet, ab Apoſtolis Petro, & Paulo Pontificatum oſtenſo viſo cæleſti promiſſum. *Gabriel* (inquit) *Condulmerius, qui poſtea Eugenius nominatus ſummà cum dignitate, & glorià Romano præfuit Pontificatui, cum vehementer ęgrotaret, eſſetq. de eius ſalute à medicis omnibus de-*

deſperatum, illi iam de morte non tam ſolicito, quàm nihil certius expectanti Petrus, & Paulus Apoſtoli apparuerunt in ſomnis, atquè bono animo eſſet, hortati ſunt: nam & bonam valetudinem ei redditam eſſe, et propediem fore, vt ſummus Pontifex crearetur: quod quidem vtrumquè ſequutum eſt; nam tum ſimul cum ſomno illum reliquit febris, tum non multò poſt, cum Martinus Columna vitam finiſſet, Pontificatui ille præfectus eſt. Ita in *orat. ad* Iacobum *Antonium Marcellum*. Adiicit Vitæ Eugenii *Auctor. M. S.* in monaſterio S. Georgii in Algà Venetiarum, ignotum acceſſiſſe Eremitam, dum *Condulmerius* ex more ſuo pro excipiendis hoſpitibus ianitorem agebat, ac poſt fuſas in templo preces, ei prædixiſſe in ordinem Cardinalium adlectum iri, deindè ad ſummum Pontificatum euehendum, ac plures aduerſos toleraturum caſus, labente vero decimo ſexto octauo Pontificatus Anno è viuis exceſſurum. His dictis Eremita diſceſſit incognitus, nec ampliùs viſus. Hęc cum frequenter Eugenius poſtmodum repeteret; Baſileenſes calumniandi occaſionem meditantes inter cætera obiecere, nouis vatibus fidem præſtare. Eius Pontificatum prædixit etiam Malachias, *Lupà Cæleſtinà*: quia Canonicus Cæleſtinus erat, & Ep. Seneſis, cuius inſignia *Lupa*.

Vaticinium de eius Pontificatu.

7. *In Minerua* &c. Martino ſepulto, Cardinales conclaue in ædibus Dominicanæ familiæ, apud Eccleſiam S. Mariæ ſuper Mineruam paratum ingreſſi, ſepta prius plateà Mineruæ vſquè ad plateam Rotundæ, tertio conclauis ingreſſus die, omnium ſuffragiis in Romanum elegere Pontificem *Gabrielem Condulmerium*, qui priuſquàm thiarà redimeretur Pontificià, omnia confirmauit, quæ priùs vnà decreuerat cum Cardinalibus, nimirum diſciplinam eccleſiaſticam reſtiturum; ſedem Apoſtolicam ad declinanda mala imminentia in varia non tranſlaturum loca: Æcumenicum celebraturum concilium loco, & tempore conſtitutis: Cardinales non niſi ex Conſtantienſis decreti formulà renunciaturum; pluraquè alia, quæ ad Cardinalium dignitatem expreſſa leguntur in decreto (quod incipit In *qualibet Monarchià* &c.) die edito ſecundà Martij, in Conclaui à Cardinalibus, ſede vacante. Nomine poſtea ſibi indito *Eugenij*, Pſalmiſtæ illud aſſumpſit in ſymbolum, *Adiutor & protector meus es tu Domine, ne derelinquas me Deus meus*.

Papa eligitur

Symbolum

Quarto Idus Martii in Baſilicà coronatur Vaticanà, ad pompam coronationis percuſſo numiſmate.



Senatus Venetus illicò de nouà dignitate gratulatus, miſit ad eum è ſelectioribus patritiis *Fantinum Dandulum, Andream Contarenum, Sylueſtrum Maurocenum, Petrum Diedum, Andream Mocenicum, Marcum Lippomanum* doctorem, *Delphinum Venerium*, & *Franciſcum Barbadicum*, quorum comitatum augebat preſtantiſſimorum iuuenum, aliorumq. ciuium numerus. Principes poſtea certiores fecit non per nuntios, ſed per literas, quas oratoribus Regijs apud ſedem agentibus Apoſtolicam tradi iuſſit, quod cum *Ioannes Caſtellæ Rex* egrè ferret; Eugenius non niſi coercendæ miniſtrorum auaritiæ causà ſignificauit, qui hac occaſione improbam ante pecuniam lenocinabantur; non autem Principes negligendi, quos omni honore proſequebatur.

Legatio Venetor.

Literis Reges fecit certiores

Primum Conſiſtorium Vaticani indixit, quod tantà populi celebratum frequentià (teſte *Platinà*) vt trabes deficerēt, & in fugà Epiſcopus Senogallię, ciuis Romanus, è gente *Millinà* obſcitus perierit. Monuit etiam per legatos (teſte *Petro Iuſtiniano*) Italiæ populos arma ponere, vt coire poſſent in Turcas. Sactum opus turbauit vnus

8. *Stephanus Columna*. Rumor erat ſacræ militiæ voto *Martinum V.* grandes congregaſſe theſauros, ſed à *Martini* nepotibus *Antonio Columnà* Principe Salernitano, *Eduardo Celani* Comite, ac *Proſpero Cardinali* expilatos. Hinc *Stephano* compellente *Columnà*, qui cum ſolus à cęteris Columnenſibus diſſentiret, ab Eugenio copiis Pontificiis præfectus erat, adiuuantibus etiam *Cardinale Vrſino*, & *Cardinale Comitum* ob inueterata in Columnenſes odia, mandauit Eugenius *Oddum Poccium* Martini V. Cancellarium ad ſe vocari ſinè vllo ſtrepitu, atq. ignominià. Res Stephano comiſſa Columnæ, omnimodè ex aduerſo abſoluta. Nam *Oddo* tanquàm latro per ora hominum violenter ad Pōtificem raptus; bonis eius à militibus direptis; eà tamen Pontificis indignatione, vt contrà *Stephanum Columnam* de iniurià ſibi illatà proteſtaretur atroci. Veritus itaq. Stephanus iram Eugenij, ad Principem Columnam Præneſte confugit, arcana Eugenij ſpetie detegendi, cui in animo eſſet, nomen delere Columnenſium, tantiq. facinoris, & ipſum fuiſſe participem. His motus Princeps, ex vrbe reuocato fratre Proſpero Cardin. Columnà armatus Romam venit; ſed in vico Columnà obuiam facto milite Pontificio, adiuuante populo, pugnatum acriter cæde promiſcuà. Columnenſes videntes populum aliter ſentire, cedere conſtituerunt ex vrbe, rerum & hominum onuſti ſpolio. Talionem porrò reddidere Romani, direptis Columnenſium domibus, eorumquè qui Martino conuixerant. Captus etiam Archiepiſcop. Beneuentanus, Antonij Columnæ filius, ac quidam *Maſius* Monachus, qui præfectum arcis ſancti Angeli meditabatur occidere, eamquè Columnenſibus tradere. Auxiliares copias Pontifici *Regina* Ioanna ſubmiſerat, *Iacobo Cadolà* Duce; ſed is auro corruptus Columnenſium, arma verterat in Pontificem, auctore *Philippo* Duce Mediolanenſi; cuius hoſtes Veneti ac Florentini, auditá perfidi *Cadolæ* defectione, *Nicolaum Tolentinatem* validis ſuccinctum copiis Pontifici miſere in ſubſidium; Huius aduentu fracti Columnenſes ex alto culmine ceciderunt, opibus, quas vſurpauerant, infra ſex menſes bello conſumptis, partim Pontifici ad pacem redimendam reſtitutis vnà cum oppidis Narniæ, Orti, Sutiani, Gualdi, Nucerini, Aſſiſij, Aſculi, Imolæ, Foriliuii, & Foripo-

Columnenſes in Eugenium conſpirant.

Popilii, quæ ex patrui ſemeuriâ ſpontè reddiderũt, Salernitanum etiam principatum, aliaq. citra vrbem caſtella dimittere compulſi, teſte *Blondo.* Reconciliatis Columnenſibus; priores curas componendæ ſuſcepit Italiæ. In Floreorinos cum *Philippo* Mediolani Duce conſpirauerant Seneoſes, vt Rempublicam inſtaurarent *Piſanam*, ſuſpicatiquè cum Florentiois coire Eugenium, refertas querimonijs miſere literas, quaſi *Micheletttam de Attendalis* ad vaſtandum agrum imiſiſſet Senenſem, cum tamen is non à Pontifice, ſed à Florentinis ad bellũ propulſandum fuiſset conductus. Retudit porrò Senenſium querelas literis Eugenius grauiſſimis qui *potiùs bellum intulerant finitimis, ad quòd componendum eam Antonium Cardin. Oſtienſem legaſset, ipſi continuò procul amandarant: literas ſedi ſcriptas Apoſtolicæ aperuerant; ac eum ſociis Iannenſibus triremem Pontificiam quæ aduerſùs pyratas mare ſulcabat, occuparant, vſque ad fauces irrumpentes Tyberinas.* Senenſes excitauerat in Florentinos *Paulus Guiniſius* Lucenſis regulus, eo timore quòd Lucâ ſubactâ, Senis par immineret diſcrimen. *Philippus etiam Dux Mediolanenſis* futuram Florentiuorum odio habens potentiam cum Senenſibus conſpirabat. Veneti, ne Lucenſis clientelæ ſpetie Dux Mediolaoenſis latiùs dominatum proferret, in agrum irrupère Mediolanenſem. Cum Philippo ſentiebat Marchio Montis ſerrati, cuius copias Nicolaus deleuerat Placentinus. Ex aduerſo imiſſa à Sigiſmundo Imperatore quinq. Vngarorum millia in ForumIulium ad Venetos diſtrahẽdos, *Carmaniola* conſertâ manu vicit, ſed victoriã tantâ crudelitate fœdauit, vt captis oculos effoderit, & manus amputarit, pareni referens iniuriam Vngaris, qui eadem immanitate Venetos affecerant. Tam ſæuum bellum vt *Martinus Papa* compeſceret; Nicolaum legauerat Card. *Albergatam*, vitaq. Martino ſuocto *Eugenius* munus confirmauerat, ſed cum ipſius laboribus optati non reſponderent ſucceſſus, eum in Gallias ire iuſſit, vt *Carolum* Francorum, & *Henricum* Anglorum Reges bello implicitos teterrimo, in concordiam redigeret. *l. 16. literarum Eugenii, p. 29.* Non impari ſtudio fœdera renouauit inter *Ioannem Caſtellæ, Alphonſum Aragonum*, ac *Io: Nauarræ* Reges operâ *Dominici Kaui* Cardinalis SS. Io: & Pauli, & *Alfonſi* Cardi. S. Euſtachii. Spectabant eò vota Pontificis, vt duce *Io: Caſtellæ Rege*, Mahometicam infidelitatem è regno expelleret Granatenſi, quæ adhuc inter præpotentes Chriſtianorum Reges, magno vigebat dedecore. In Italiâ poſt varia diſcrimina An: 1433. pax inter omnes Principes obtinuit, vt bello parta poſſeſſoribus reſtituerentur antiquis. Ambitum tamen ſuum impotens coercere *Philippus Mediolanen.* qui Italiæ affectabat imperium, confĩcto diplomate Concilii Baſileenſis, quo ſe legatum aduersùs *Eugenium* creatum fingebat, iterum in Picænum irrumpens, plures dolo occupauit vrbes, immiſſo in Picænum *Franciſco Sfortia, Cotignolæ comite*, qui filiam *Philippi* notham in vxorem duxerat: in agrum verò Romanum *Fortebraccio*. Tanti ſceleris ſe immunes eſse Baſileenſes literis, ac legatis palam fecerunt. *Sfortia*, quem Eugenius præmii lenocinio à Philippo ſubduxerat, conceſſit, vt Picenum, quod fraude

Philippi Mediolan. obitus.

A inuaſerat, & Iniuriâ, beneficio moderaretur Eugenii. Non propterea *Philippus* quieuit: ſed concitaros ad ſeditionem Romanos impulit, ab *Eugenio* veterem repetere Reipublicæ formam, arceſq. ſibi tradi Oſtienſem & Adrianam: huius rei obſidem *Franciſcum Condulmerium* Cardinalem nepotem ſuum cum tradere recuſaret *Eugenius*, ipſi vi è latere diuulſum Pontificis carceri tradiderunt, ædes Pontificias ingenti ſepſerunt ſatellitio. Diſſimulatâ iniuriâ Pontifex reſpondit, ſe vrbis regendæ moleſtiâ liberatum, rebus tantùm ſacris operam daturum. Reſponſum Romani ſuſpicati non ex animo prodite, *Eugenium* in ædes s. s. Apoſtolorum deducere ibiq. honeſtâ detinere cuſtodiâ meditabantur, donec à *Philippo*, vel à Baſilienſi Concilio acciperent, quid agendum. *In eo diſcrimine*

B (teſte Blondo lib. 6.) *cui extrema quæque ante oculos verſarentur, memor quamprimùm aduesperaſceret, eundũ ſibi fore ad S. Ap. ædes, vbi aut vitam finiat, aut Pontificatu nefariè ſpolietur, ſubitò abeundi conſilium capit. Ipſe itaq; et Soldanus, nigris quas in domo haberẽt monachorũ ſancti Pauli veſtibus induti è cubiculo egrediuntur. Poſteriori exinde ædium parte deſcendentes, in inferiorem domeſticis curialibuſquè frequentatam, ideò tranſeuntes ſe incognitos eſſe conſciant, quòd nullum vident ſedentem aſſurgere, vel ex more in faciem ſe proſternere, & mulas conſcendentes ſtrigoſiſſimas, quibus monachi ſancti Pauli conſueuerant vectari, portâ egreſſi domus poſteriore, ad nauali a ſtadio diſtantia, à nullo recogniti peruenere. Erat fortè tunc patriarcha Hieroſolymitanus repentini pontificis conſilij non ignarus, & epiſcopi Anconitanus ac Parentinus in aulâ ſimulantes pontificis audientiam expectare quos adueniens turba Romanorum ſtipatus regionis Tranſtyberi-*

C *na princeps Romanus ciuis interrogat, quid apud pontificem ageretur. Cui reſpondit patriarcha illum cum primum ex meridiano ſomno excitatus fuerit in conſpectũ omnibus ſe facturum. Valentinus interim à pincernâ quem præmiſerat Soldanus in ripæ ſummitatem accitus, egrè depoſitam mulâ pontificem, Soldano adiuuante retinet, & per ripa deuexam ſuſtentat brachio deſcendentem. Cumquè ſcapham per littoris iniquitatem ſicco mare vidiſſet adhærere, medium amplexatus, per aquas ad femur vadis ſcaphæ impoſuit reſupinum. Tunc remis vt iuſſi erant incumbentes ſocij, ſecundo Tyberi aduolanerunt. Conuerterat in ſe multos per ripam naualium faſſos, & in vicinis exiſtentes nauibus, noua res ſpectaculũ,*

D *monachos qui citato aduenisſent gradu, dimiſſis ſinè cuſtode mulis, ripâ præcipites actos eſſe, & alterum viribus vigetum, ſcaphã ingreſſum arma remoſquè raptim expediuiſſe, alterum niſi tacuiſſet rapto & violenter abducto ſimilem fuiſſe in ſcapham humeris comportatum. Augebat admirationem ſersba omnibus noti familiariſquè præcepi ſine cuiuſquam ſalutatione profectio. Dũ tamen cunctabundi alter ab alterius pendent iudicio. Valentinus naualia turrimquè cuſtodiæ præterlabitur. Reuerſus interea domum pincerna patriarchæ Hieroſolymitano renunciat pontificem ſe vidente nauim ingreſſum abſceſſiſſe. Et cardinalis ſancti Marcelli, quem pontifex capto camerario apud ſe retinuerat, à familiari ſuo certior factus pontificem veſte monachali indutum recedere futura formidans mala, fugam & ipſe intra vrbem comparat; miniſtris verò perterritis, & multa præcipitanter quæritabundis illum comitantibus,*

Eugẽ-
nil ne-
potẽ ca
ceri tra
duntRo
mani

Eugẽ-
nii fuga

ſibus, Romani qui regionis Tranſtyberinæ principem adduxerant, illum in aulam adeuntes anxii renunciarunt inferiorem domus partem per Cardinalis ſancti Marcelli fugam direpta ab hoſtibus ſimilem, curamquè diligentiorem de perſona pontificis habendã eſſe. Tũcq; apud naualia derepentè noua incerto auctore vox auditur, pontificem inſequendum vociferatur. Quibus exauditis vocibus princeps regionis, poſtquàm pontificem cõperit profugiſſe, magno incenſus furore patriarcham quem eius conſilij conſcium fuiſſe aſſereret, fruſtra rogantem comprehendi, & in Capitolium duci, alios pontificem inſequi, alios bona illius, quæ multa erant, relictà populo Romano intacta ſeruare iubet. Anconitanus verò & Parentinus epiſcopi, aliiq. pontificis domeſtici, partim Adriani molem, partim Romam fuga præcipiti petiuere. Eo perlato in vrbem nuncio Romani armati inermesq. in naualia concurrentes, pars quã nam, quandò aufugerit, quo fuit abductus, interrogant, pars inſiliunt equos, pars pedibus quacunq. caſus obtulit inſequuntur, pars expedita, quam à Maſſiotto acceperant cymbà tergo inſtare perfluuium properarunt. Fecerat fortuna, quæ difficillimis quibuſq. nouos ſemper addit labores, Valentinum nõ ſcapham triremis vt conſueuerat, quam agilem elegantemq. apud Oſtiam Vitellius habebat, ſed oblatam fortè piſcatoriam fluuiatilemq; populeam adduxiſſe, cuius carina picis ignara craſſum pro ligni natura villis accipiens limum, ſudantes remiges fruſtrabatur, vt Veneto etiam per meridiem à mari immoderatius reluctante, quo maiori Oſtiam petebant conatu, eò magis Romam referri viderentur. His remotus cauſis Valentinus, non prius magnum tortuoſi amnis reflexum, ad ſancti Pauli octo paſſuum millia per aquã curſum ab vrbe diſtantẽ, præterlabi potuit, quàm Romani notis accurrentes ſemitis, terreſtri itinere dimidio breuiore præoccupaſſent. Erat tunc fortè per æſtatis tempora fluuius aquà macer, vt ſinuoſos receſſus aquis pleniores, ſcaphà petere cogerentur, & Tyberis complentes ripas Romani pars de infimo ſecundum aquas alueo, haſtis in fluuium iactatis, pars baliſtis & oblatis fortè miſſilibus quibuſq. telis deſuper minabantur. Eorum terri aſpectu Soldanus Valentinuſq. pontificem vt principio immiſſus fuerat reſupinum ſcuto tegentes, baliſtis quas etiam ipſi habebant in hoſtem verſi, ſcuta duo ſagittis hoſtium prætenderant. Exortoq. Romanorum clamore, minas, inter & multa quæ immittebantur tela taciti ſunt delapſi. Qui verò nauigantes inſequi properauerant, cymbà in ſubiectam turri naualium glaream impactà, deſides ſubſtiterunt. At pedibus equiſq. inſecuti, licet primo fruſtrati eſſent conatu, nequaquam inſequi deſtiterunt, ſed alijs item ſemitis, quà ſe flectit amnis, requiſitis contumelioſiſſimas vbicunq. exaudiri potuerunt voces in pontificem clamauere. Quod tamen ſpei retrahendi pontificis principio habuiſſent, qui pernicioſo curſu præceſſerant, ad anfractum quem porti dicunt in Portuenſis agri ripà expectantes, ſcalmum piſcatorium fortè oblatum, expeditis iuuenibus compleuerunt, eoſq; in Oſtienſem ripam, quæ eſt è regione traijcientes, iuſſerunt loca virgultis bibliſq. obſita inſidere. Vt ſi fortè pontifex ſcalmo in Tyberi viſo, armatis hoſtibus conſerto, & ripam Portuenſem multitudine innumerà tectam cernens, terreſtri & breuiaſcula Oſtiam verſus via, in quà nullus appareret hoſtis exſcendens iret, fugiſſet caperetur. Die interim ad veſperam declinante, qui pontificis ſcaphæ obſiſtebat ventus remiſit, & mari cedente

A *Tyberis rapidior defluebat. Stans igitur altiuſcula puppi Valentinus, hoſtem primus omnium & inimicum conſpicatus ſcalmum remiges hortatur, præmia ſpondet à pontifice ingentia, gloriam memorat, quæ obſcuriſſimo natos loco & genus honeſtabit ſuum, qui Romanum pontificem ſanctum virum faucibus canum eripuerint; quod omnes hactenus ſanctiſſimi patris merito & miraculo, per ſpiculorum imbres, per volantia vndiq. tela, per adactas cominus pectori lanceas illæſi tranſierint, memorat. Scapha interim concitatius delabens, hoſtili appropinquat ſcalmo. Videres Romanos ad ſcaphæ conſpectum per amnis ripas furentes, partim voce & iactatis in aera brachijs minitabundos, partim multa Valentino & remigibus, ſi pontificem traderent pollicentes, partim* B *ſpicula, lapides, tela, eminus iacentes. Tunc qui ſcalmum armati inſederant, proram medio amnis curſu obiicientes ſpicula & ipſi contorquent, lanceas quaquauerſum quod poſſunt longè exerunt, vt nullus appareat ſecurus remigi curſus, quin vtrobiquè præterlapſurus viſcera transfigatur. In eam adductus difficultatem Valentinus, impetendum hoſtilem ſcalmum proram prorà, armis arma vociferat collidenda. Lanceas ſubitò Soldanus aliiq. ſtantes quatuor, ſcuta duo, tres baliſtas ſedentes expediunt, & medio ipſo amnis curſu furibundus ruens Valentinus, hoſtium proram petere contendebat. Tum Romani carioſo & putrido vt poſtea dixerunt diffiſi ſcalmo, ac demiſſa deſuper rapido aqua curſu remiſq. validè impulſis fortiter irruentis ſcafæ impetu mergi timentes, curſu deflu-* C *xerunt, & ſecurum Valentino ſine contentione tranſitum permiſerunt. Exorta exinde vectorum pontificis clamore alacritate pleno, ſedens ipſe tunc primo, qui orationi inſtitutiſq. erga deum officiis ad eam horam iacens, & magnà itineris parte tacitus vacaſſet, quo geſta eſſent modo omnia repetebat. Et laudatis pro virtute omnibus, multaq; pollicitus, turrim adlabitur Oſtienſem. At triremem verò Vitelli delatus, Ciuitatis vetulæ portum nocte illà petere decreuerat.* Piſas poſteà venit, indè Florentiam, vbiq. honorificentiſſimè exceptus, vt ipſe teſtatur literis *ad Ioannam Reginam* datis An. 1434. *Ea Romanorum impietas non fuit impunis; nam qui in Adriani molem ſe receperant curiales* D *præſertim pontificis domeſtici, iactis noctu interdiuquè bombardis, vſquè ad radices Capitolij perpalum agitarant. Et Baldaſſar Offidanus præſidii arcis præfectus per pontem Traiani ſubiectum impetu in vrbem facto omnia circumſtantia ferro igniq. vaſtauit, peditibuſq. ſcafà Tyberim traductis cũ prædam captiuoſq. ex vrbe ſæpè numero abduxiſſet, omnia latrociniis infeſtauit. Micheletus verò Laurentius & Leo Sfortia, qui vt diximus ſ. vrbis rebellione auditâ caſtris è Tybure motis ad vrbem redeuntes portam ceperunt Appiam, apud celeberrimam diui Pauli baſilicam caſtra metati, Latium prædabantur.* Militari etiam ſtratagemate vſus arcis præfectus octo præcipuos nobilitate Romanos ſimulatà ab Eugenio defectione, cum allexiſſet in arcem, cuſtodiæ tradidit, quorum permutatione redemptus Cardinalis *Condulmerius* nepos Pontificis, ac verbo pacis iniecta, quæ demum 28. Octob. abſoluta. Vnius Poncelleti ſumpto ſupplicio, qui Romanos manu, & voce exciuerat in ſeditionem, cum crederetur quies reſtituta, repetitis inſidiis per Epiſcopum Nouarienſem (qui à *Phi-*

lippo Mediol. Duce, de pace acturus venerat cum Pontifice.) In æde S. Antonii extra muros diuerſantem Pontificem eū ope *Nicolai Piccinini* meditaretur abducere, patefactis inſidiis, *capitale parabatur ſupplicium: & quia murmur erat in populo hoc proceſſiſſe* (ita S. Antoninus) *à Philippo Mediolanenſi, ille habità ſecuritate vitæ, quam ex tanto flagitio merebatur degradatus amittere, in publico conſiſtorio ſcelus confeſſus declarauit, Mediolanenſem eius proditionis minimè conſcium vel participem: ſed proprià intentione id egiſſe, veniamq. poſtulans à clementiſſimo principe impetrauit.* Hac occaſione (ex *Blondo*) pace reſtitutà inter Pontificem & Philippum, rediere Bononienſes, Foroliuienſes, Præneſtini ad Apoſtolicum. Domito etiam *Laurentio Columnà*, omnia ſperabantur pacifica; cum defuncta Anno Sal. 1435.

Ioannę II. mors

Ioanna II. vtriuſq. Siciliæ regina annos nata 65. die Purificationis B.V. cuius ſe filiam dicebat, vt huic faceret ſatis, & vitæ luxurioſæ à ſe pœnas exigeret tumulo condi voluit ignobili. Adoptauerat hæc An. Sal. 1420. *Alphonſum* Regem Aragonum in ſucceſſorem ſed inſcio Pontifice *Martino V.* cuius *Altum* eſt regni Dominium; quamuis poſtea abrogato *Alphonſo Ludouicum ſuffeciſset Andegauenſem*, cuius occaſione diſſidii factus eſt protector pſeudo-Pontificum, nullo tamen fructu, cum relicto à *Ioannà* hærede teſtamento *Renato Andegauenſe* Ludouici fratre, captiuo tunc *Philippi ducis Burgundię*, Vxor Renati *Iſabella*, virilis animi fœmina cum duobus liberis *Ludouico*, & *Ioanne* eò aduolans Regnum tenuit, dum Alphonſus eodem tempore Capuam occupauit; Caietam verò tentans, à Ianuenſibus ad inſulam Pontiam, prælio captus nauali, cum fratre Rege Nauarræ perductus ad *Philippum* Mediolani Ducem eà fortunà, vt quaſi victor reciperetur. Nam ſtatim liber dimiſſus, conſpiratione inità aduersùs Francos, & *Eugenium* R. P. Italiam inter ſe diuidere meditabantur. Paulò poſt à *Petro Alphonſi* fratre interceptà Caietà, ita fors fauit, vt victus eſſe, quo faciliùs vinceret, ab omnibus iudicaretur. Cardinalem *Io: Vitelleſcum* ſubmiſerat Pontifex in Reginæ ſuppetias contrà Aragonium, ſed poſt egregiè nauatam operam, expeditione flagitioſè desertà, conſpirationis initæ cum Mediolanenſi delatus apud *Eugenium*, vulneribus confoſſus interiit, cum ſatellitio reſiſtere tentaret foreuſi. Suffectus ei *Ludouicus Mediarota* Epiſcopus Florentinus *Nicolaum Piccininum* Ann. 1440. die martyrii S. Petri, & Pauli, ſtrage fudit ingenti. Dimiſſus interim *Renatus* à Duce Burgundiæ, Pontifice intercedente, mouit protinùs in *Alphonſum*; ſed is fraudibus & dolo ſemper ſuperior. Neapolim cum obſideret Petrus Alphonſi frater, tormentum bellicum diſplodi iuſſerat in Baſilicam Carmelitanorum; cuius pila cum eliſura eſſet caput imaginis Chriſti Crucifixi, demiſit caput imago, vt globus irrito ictu ſuperuolaret: at die ſequenti emiſſa ex eodem loco tormenti pila eundem *Petrum* interemit. Seruatur etiam nunc imago Neapoli ad memoriam. Fatigauit hęc de regno Neapolitano diſcordia inter *Alphonſum*, & *Renatum* vſq. ad obitum Eugenii, quem Alphonſus Chriſti vicarium negabat, fingens in ſpeciem fauere *Felici*

Sfortiæ dolus.

Antipapa cum tamen vtrumquè falleret: ſpretoq. fœdere, quod Papa cum Ianuenſibus percuſserat An. 1442. Neapolim occupauit immiſſo milite per cuniculum aquæductum (per quod olim *Beliſarius* vrbe potitus) ſibi à fabro cæmentario indicatum. *Renatus* conſcenſis nauibus Ianuenſium, ſeceſſit in Gallias. *Eugenius* verò vt victorem placaret ei, & collateralibus regnum confirmauit titulo fiduciario eà conditione, vt Sfortia iura tueretur Eccleſiæ. Vafer iſte compoſitis falſis literis Baſileenſium Picænum occuparat: Pontifici conciliatus creatuſq. Eccleſię ſignifer, & promiſſa reſtituere renuit, & Aſſiſium, ac Tolentinū inuaſit. Anno 1440. delectus pacis arbiter inter Venetos, Florentinos, Mediolanenſes, ac Pontificem, proditā eccleſiā, cū Bononiam aliaſq. vrbes à tyrannis occupatas reſtituendas curare debuiſset; non ſolùm neglexit, ſed Forumliuii in ſuam redegit poteſtatem. Iterum ergo ſpoliatus pluribus Picæni ac Vmbriæ arcibus non quieuit, donec Anno 1444. Picænum ſortitus Marchionis titulo, *Philippum* etiam Mediolani Ducem reconciliauit Pontifici, vt ſpecie amicitiæ tyrannidem latiùs proferret.

Sigiſmundi coronat. Eugenius

9. *Coronauit etc.* Anno 1431. *Sigiſmundus* Romanorum Imperator, in Italiam deſcendens, in feſto ſanctæ Catherinę Virg. Mediolani ferreà redimitus coronà, Romam cum iter pararet, *Eugenio* ſuſpectus, ne cum *Philippo* Mediolani Duce *Eugenii* hoſte conſilium miſceret, Placentię ſubſiſtere coactus eſt, donec Italià compoſità, exarmatus cū ſolà familià Romam accedere permiſſus eſt. Duos Cardinales obuios habuit, qui quadringentis ſuccinctum equitibus perduxere Viterbium. Romam venit 22. Maii An. 1433. *In gradibus eccleſiæ B. Petri cum ſolemni apparatu et comitatù conſiſtens Eugenius Imperatorem flexis genibus pedem oſculantem, ad oſculum oris reuerenter excepit*, Sanctus Antoninus 3. p. tit. 22. c. 19. §. 2. Die Pentecoſtes inſignibus exornatus Auguſtalibus, ſolitum præſtitit iuramentum ſeruandi fidem catholicam, & iura Eccleſiæ Romanæ. Venit poſtea cum *Eugenio* ad gradus Baſilicæ S. Petri, præmiſsoq. verborum officio Pontifici equum conſcendenti ſtratoris munia impleuit (teſte *Aretino, Platinà, Blondo*) tribuſquè progreſsus paſſibus, & ipſe ſuum inſiluit in equum, leuam tenens Pontificis vſq. ad concham areę ſancti Angeli, vbi *Vale* dicto, Pontifex in Vaticanum receſſit: Imperator ad pontem Ælium progreſsus, plures auratos equites creauit, inde ad Lateranenſem perrexit Baſilicam. Redeuntem comitatus eſt *Marinus Vrſinus* cū alio viro prænobili, nomine Pontificis per ditionem omnem Eccleſiaſticam.

10. *Baſileam*. Victo Cruceſignatorum exercitu, prauis primo Catholicorum motibus, ferro deinde Huſſitarum, viſum eſt Baſileæ continuare Concilium. Delegati propterea à Cardinale Iuliano An. Sal. 1431. die Iouis 19. Iulii, *Ioannes Polemarius* adiutor ſacri Palatii, & *Io: de Raguſio* Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, die 23. Iulii Concilium aperuerunt, & inchoarunt in Cathedrali Baſileenſi iuxta delegatam Iuliano poteſtatem à Martino V. & Eugenio 4. Habita eſt etiam collatio ex themate, *Veniet Angelus teſtamenti, quem vos vultis*. *Mal.* 3. Horum certior factus Eugenius

à Io:

à *Io: Pulchri patris* canonico Biſuntino, infrequentia vileſcere comitia ob bellum inter *Philippum Burgundia*, & *Federicum Auſtriæ*: Deformatum Clerum iacerè Germaniæ: Peſtem Bohemicam irrepſiſſe Baſileam, quò accedere Clericis non liceret ſine vitæ diſcrimine; decreuit conſentientibus Cardinalibus Bononiam transferre Concilium; quò etiam Io. Paleologus Imperator Conſtantinopolitanus venire promittebat, & inſtanter vrgebat triremes in Græciam mitti cum expenſis neceſſariis pro acceſſu, et reditu Prælatorum; vt Græci tanto temporis interuallo ab eccleſià diſiuncti Romanà, iterum ſub vno reducerentur ouili. Hæc cum Romæ die 2. Id. Nouembris Anno 1431. Cardinali *Iuliano* ſcripſiſſet *Eugenius*; minimè conſenſere Patres Baſileenſes, ſpetie tamen obſequii diploma dixère *ſubreptum*, & Pontificem *ex falſis cauſis malè informatum*; Reſponderunt falſum eſſe: quòd Baſileenſes hæreſi infecti Bohemicà, Clerum perſequerentur; immò pactis induciis inter Auſtrios, & Burgundos poſſe omnes liberè ad Concilium accedere. *Tertiam* Græcorum cauſam nec certam, nec ſufficientem, nec opportunam: quia propter incertam Græcorum vnionem non eſſet deſerenda Germanià, quæ ſemper fidelis fuit, cum tamen periculum immineret, nè inficiatur Bohemià, ſi deſeratur. Græcorum cantilenam tercentis annis duraſſe ac quolibet anno renouari, nullo fructu. Vtrumq. tamen confici poſſe, cauſam nunc expediri Bohemiæ: & poſt Annum, Bononiæ nouum aperiri Conciliũ, cui omnes promittebant adfuturi. Interim Clerum Germanum reformandum, cuius deformatio adeò firmabat Bohemorum querelas, vt niſi citiùs reformaretur, verè timendum eſſet, vt etiam extinctà hęreſi Bohemiæ, alia ſuſcitaretur. (*Prædictio hæc fuit hæreſis Lutheranæ*) Verùm cum nouiter Pontifex accepiſſet Bohemos, qui vi frangi non poterant, ad Concilium inuitandos, vt in eo ſuper iam decreta Concilii Conſtantienſis, & Senenſis iterum audirentur diſputantes, & contendentes; die XV. Kal. Ianuarii mandauit expreſſè per literas Concilium diſſolui & diſſolutum declarauit; aliud et nouum Concilium Bononiæ indicens intra annum cum dimidio celebrandum à die præſentium. Hanc diſſolutionem grauiter ferens *Sigiſmundus*, cum poſt tentata infeliciter arma, Concilio ſequeſtre ſperaret, ad officium Bohemos flectere, *Eugenium* præmonuit; à diſſolutione caueret Concilij, quia graui nominis iniurià plures paſſurus eſſet aduerſarios. *Iulianus* quoq; Cardinalis decẽ argumentis grauiſſimis conatus eſt ſuadere Põtifici Cõciliũ nõ ſolueret *nè Eccleſia Hæreticis non expectatis, qui dicebantur Cõcilio adfuturi, ſe victa fateretur, fugà errores comprobando, et vnitatem damnando eo tempore, quo Hæretici vulgatis articulis 30. contra Sedem, et Curiam Romanam, pleno publicant ore; cũ Romanis non ſit quid reſpondeant, audientiam ſemper negaſſe. Dicet certè Orbis vniuerſus Clerum eſſe incorrigibilem, et abhorrere reformationem. Quid dicent Reges adhoc inuitati pro pace ineundà? doctores Accademiarum, pro veritate fulciẽda? Omnes ſe credent deluſos. Quid agendum cum Mardeburgenſibus, et Patauienſibus, qui Epiſcopos expulerunt, ſi cum venerint ad Concilium, hoc diſſoluto, remittantur inanes? Quid cum Alemannis, qui militem ſcripſerunt in Hæreticos expectantes à Concilio ſubſidia, cuius nomine ſunt requiſiti? nonne oblatà Huſſitis audacià, Catholicis diffidentià, cogentur iſti cum illis quoquo modo concordare? Concilium quòd poſt Annum cum dimidio promittitur, non tollit ſcandala: Hæretici namq. non procraſtinantur, ſed interim ſuis potientur votis, & Clerus omnino deformabitur.*

Patres Baſileẽſes ſioppugnant.

Suadetur Eugenio; Concilium nõ ſoluere.

Diſſidia augebat *Dominicus Capranica*, quem Cardinalem cum aliis creauerat *Martinus V.* Sed non promulgauerat morte præuentus. Hos *Eugenius* promulgauit vnà cum *Franciſco Condulmerio* nepote ſuo, atq. *Angeloto Fuſio*, excepto *Dominico Capranica* quem grauiſſimis criminibus onerauerãt apud *Eugenium* hoſtes. Prouocauit propterea ad Baſileẽſe Conciliũ, eoq. venit cum Eneà Syluio, qui poſtea *Pius II.* futurus, vt in *Bull. retract.* In *Bull. Conſtit.* 20.

Dominici Capranicæ contumacia.

23 Imprudenter Iulianum Cardinalem aduerſatum Pontifici partium laqueis ſe irretiiſſe, narrat Pius II. *Anno* (inquit) *ſalutis primo & trigeſimo ſupra milleſimum quadrigenteſimum cum Dominico Capranica, quem Martinus V. in ſecreto conſiſtorio Cardinalem creauerat & Eugenius IV. ſpreuerat, Baſileam petiuimus, ibiquè concilium inchoatum inuenimus; verum ab Eugenio reuocatum, quamuis congregati noluerant obedire, aſſerentes iam inceptum concilium ſine conſenſu patrum, qui conueniſſent, haud quaquam potuiſſe diſſolui. Iulianus aderat S. Angeli Cardinalis natione Romanus moribus & doctrinà conſpicuus: is cum cæteris præſtaret, audità Eugenij reuocatione præſidentiam dimiſit tanquàm ſummo Pontifici vellet obedire: ſed cum augeſceret in dies Eugenio vel inuito concilium, & multi ex diuerſis regionibus epiſcopi & Regum legati aduentarent, Cardinales quoquè ex Romanà curià profugi in dies nonnulli concurrerent, præſidentiam reſumpſit, & auctoritatem Concilii mirum in modum extollens, eminentiam primæ ſedis ſupprimere cœpit, venientes Eugenii legatos & poteſtatem Romanorum pręſulum magnificantes apparenter confutauit, & cum eſſet facundiſſimus, facile perſuaſit auditoribus quæ cupiebat. Cardinales ex vrbe profecti Eugenio infenſi vitam eius moreſquè carpebant. Accedebant in horas caterua tim noui curiales, qui (vt eſt omnis multitudo maledica et inimica principi) Eugenii nomen modis omnibus lacerabant.* Et infra: *De poteſtate Romani Pontificis pauci erant, qui loqui præſumerent: omnes, qui publicè loquebantur prurientes auribus multitudini applaudebant.* Et pluribus interiectis: *Didicimus, quæ nos antea latebant: Eugenium falſò de multis accuſatum inuenimus, Cardinaleſquè, qui Baſileam venerant ob priuatas inimicitias bono et ſancto viro notam inurere voluiſſe.*

Non mutauit ob hæc *Eugenius* mentem; ſed VI. Kal. Feb. Ann. 1432. Cæſari in Italià Placentiæ degenti reſpondit, prolatum iam de reducendo Bononiam Concilio decretum aſſentiente Cardinalium Senatu, cauſis grauiſſimis confirmaſſe. Baſileenſes ex aduerſo Patres, qui ſe notandos infamià putabant, ſi poſt euocatos ad Concilium Bohemos, iſtis non expectatis diſcederent, Eugenio repugnantes, datis die XXI. Ianuarii literis pro-

mulgarunt, *Concilium ſine irreparabili damno eccleſiæ catholicæ non poſſe diſſolui. Conuincendos argumentis hæreticos, armis comprimendos; Cleri mores reuocandos in veterem formam: Reges in concordiam redigendos: mutaturum ſententiam Eugenium, cum ſpectata foret Patrum integritas. Decretum Martini ab ipſo Eugenio confirmatum de ſynodis celebrandis non infringendum. Conſtitutiſſe propterea conuentum Baſileæ protrahere, donec Bohemiæ religio reſtitueretur, diſciplina inſtauraretur eccleſiaſtica, Reges ad concordiam reuocarentur.* Literas poſtea atq. Oratores ad Bohemos miſere, adhortantes vt prò ſacro inſtaurando fœdere, ac tollendis religionis diſſidiis quantocyus Oratores ſuos Baſileam legarent. Confirmati potiſſimùm ſententià Patres cum à ſuis Oratoribus, quos Norimbergam miſerant, vt cum Huſſitis paciſcerentur, certiores facti, ſpem affulgere reintegrandæ concordiæ, *Æneas Syluius p. 75.* Cum Baſileenſibus conſpirarunt plures Eccleſiæ, præcipuè Gallicana die 26. Feb. Carolo Regi exponẽs Fidem Chriſti periclitaturam, ſi Concilium amoueretur. Huſſitarum hæreſi facile regna omnia inficienda, Gallia exemplo eſſet, in quam ſuperioribus annis irrepſerat, & Matiſconenſis agri plebem armarat in proceres, iactantibus Huſſitis, etiam Nobiles ex diuino decreto (*In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*) obſtringi ad agros colendos. Vndè nulla eſſent pendenda vectigalia, eliciebant. In Delphinatu nationem extare, quæ cum Bohemis impiè ſentiẽs ſubſidiarias pecunias tranſmiſerat in Bohemiam. Baſileam propterea pergendum, quod impetratum. Angli etiam & Caſtellani ſuos miſere Oratores, & præſules, ſed ante horum aduentum, aucta Baſileenſia comitia ſuas celebrauere ſeſſiones, quarum ſecunda die XV. Kal. Martii habita Ann. 1432. grauibus ſe cæpit erroribus implicare, Concilium legitimè congregatum vero, indubitato præferens Pontifici. *Primo declarat, quòd ipſa ſynodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, generale concilium faciens, et eccleſiam militantem repræſentans, poteſtatem immediatè habet à Chriſto, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, et extirpationem dicti ſchiſmatis, et ad generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite, et in membris.* Hæc quantum à veritate aberrent, licet non ſit diſputationi, ſed hiſtoriæ locus, vnum perpendat; Pontificem eſſe caput, paſtorem, & rectorem eccleſiæ, vt ex Concilio Chalcedonenſi *ep. ad Leonem Papam.* Eccleſiam gubernari Monarchicè, non Ariſtocraticè, iuxta id; *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Syon montẽ ſanctũ eius. Pſ. 2.* & Luc. 1. *Regni eius non erit finis*; ac Luc. 12. *Quis eſt fidelis diſpenſator, quẽ conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Cui quidem familiæ diſpenſatorem Deus non tradidit iudicandum, ſed ſuo ipſe reſeruauit iudicio. Concilium Conſtantienſe, cui inhærere videtur Concilium Baſileenſe, definiuit quidem *Concilium generale habere à Chriſto immediatè auctoritatem, cui omnes obedire tenentur, etiam ſi Papalis exiſtat dignitatis*, ſed in ſubiectà materià intelligendum, ſcilicet tempore ſchiſmatis; cum plures, Pontificis nomine, premunt Eccleſiam; & ignoratur, quis eorum verus ſit Papa. Tempore autem Concilii Baſileenſis non erat caſus; cum *Eugenius*, Papa fuiſset legitimus ipſo approbante Concilio Baſileenſi. Accedit, quòd Concilium Cõnſtantienſe cum hæc definiuit, non erat Eccleſia vniuerſa, ſed in eo, ex tribus obedientiis Gregorii XII. Benedicti XIII. & Io: XXIII. vna tantùm aderat Ioannis ſcilicet, cæteris abſentibus, præcipuè Gregorii XII. qui erat legitimus Pontifex. Nec verum decretum illud à Martino V. fuiſse confirmatum. Confirmare namq. ea eſt proteſtatus, *Conciliariter* quę eſſent abſoluta, ideſt damnationem *Huſſi* atquè *Vicleffi*. Concilium tandem Baſileenſe legitimè quidẽ fuit inchoatum, ſed illegitimè terminatum, Vndè quæ ab eo definita contra Pontificis auctoritatem, omnes Pontifices reprobarunt.

Diſcordia in Eccleſia.

Galli cũ Baſileẽſibus conſpirant.

Decretum Baſileẽſiũ quòd Concilium ſit ſupra Papam.

Seſſione tertià ſub die 19. Aprilis Baſileenſes Patres *non audientes vocem Domini* (inquit S. Antoninus, 3. p. tit. 22. c. 10. §. 4.) *ſed congregatione illà factà, conciliabulo nullas vires habente, niſi vt ſynagoga ſathanæ auctoritate ſua temeraria præſumptionis cœperunt Eugenium ad Concilium adeundum citare, ſolicitati ad hæc à Duce Mediolani ęgrè Pontificatum eius ferente, quia non ſibi fauebat.* Data eſt poſtea Bohemis publica fides, vt ad Concilium accederent, qui celebri conuentu apud Ægram acto Oratores mittere promiſerunt. Comparatis ita ad concordiam Bohemis, *Eugenius* qui ſummo animi ardore eos ad Eccleſiæ gremium traducere peroptabat, *Vladiſlaum* Regem Poloniæ adhibuit interpretem, ſed pertinacià improborum hominum, labor omnis illuſus. Baſileenſes verò euertendæ Pontificiæ auctoritatis cupidi, cum *Eugenio* poteſtatem ademiſſent creandi nouos Cardinales, dum ſynodus vigeret; ac interdixiſſet creatos à Concilio retrahere; *Eugenius* vt eos ad ſaniora conſilia reuocaret, Internuntios Baſileam miſit, è quibus *Andreas de Petrà Archiep. Coloſſenſis*, & *Io: Archiep. Tarentinus* luculentiſſimis ſermonibus Patribus concordiam, & auctoritatem Pontificis inſinuarunt, cauſis expoſitis ob quas *Eugenius* Concilium Baſileà Bononiam traducere decreuiſſet. Ad tollendam tandem controuerſiam ſubiunxit Tarentinus, aſſentiri *Eugenium*, vt omni abruptà morà Concilia in vnum coaleſcerent; Baſileenſes ipſi locum in Italià deſignarent: cum non ſolum Huſſitis, ſed etiam Græcis in eccleſiæ ſinum reducendis opera eſſet impendẽda, & Concilio *Eugenius* ipſe vellet adeſſe prò reformatione eccleſiæ, tam in capite, quàm in membris, quam à tenerà iuuentute ſincerè præoptauerat. Non his permoti Baſileenſes propoſitam reſpuere concordiam, contendentes Concilium præferre Pontifici, iuxta illud *Mathæi* 18. *Si peccauerit in te frater tuus, dic Eccleſiæ; & ſi Eccleſiam nõ audierit, ſit ſibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Quaſi Concilium acephalum, quale erat Baſileenſe, eſſet Eccleſia. Defluxere poſtea ad querelas illatas ab Internuntiis tam contra Concilium, quàm contra *Dominicum Capranicam*, quem purpurà ornauerant Patrès Cardinalitià, tanquàm iniurià ſpretum ab *Eugenio*. Seſſione ſextà, cui *Branda* Cardinalis Placentinus, & *Dominicus Capranica* cum præſulibus 32. interfuere, contumaciæ inſimularunt *Eugeniũ*, qui monitus edictum retractare de ſolutà ſynodo Baſileenſi, monita ſpreuiſset ſynodalia. Rogauit Ar-

Citant Papam ad Concilium.

Concordiam Eugenius offert.

Brandæ & Capranicę contumacia.

Archiepiſcop. Tarentinus Internuncius Pontificius publicà concinne à temerarià in Pontificem actione deſiſtere, & Cardinales intermittere ſed incaſſum: Nam die 18. Decemb. *Eugenium* monuere iterum Baſileam venire, vel legatos mittere: Cardinalibus pariter gradus priuationem interminati, ni accederent. Ex aduerſo *Eugenius* ſolumodò fidei cauſam præ oculis habens, iniurià acceptà præteritâ, Baſileenſes vt deliniret, Legatos ad *Sigiſmundum* miſit Imperatorem, cui cum ſpes eſſet, Huſſitas placare, Concilium Baſileà dimouere non placuit, ſed Eugenium traxit in partem, vt Legatos Baſileam mitteret, *cum poteſtate agendi ea, qua pro Bohemis reducendis ad fidem Orthodoxam, reformatione eccleſiæ vniuerſalis, ac principum concordià eſſent neceſſaria*. Extat epiſtola *Eugenii in append. ad Concil. Baſileenſe c. 57.* Reliqua omnia fuiſſe ab Eugenio interdicta demonſtrant literæ Eugenii ad Fredericum Saxoniæ Ducem, & ad alios Electores Imperii. Nonò itaq. Decembris Anno 1433. Baſileam cum acceſſiſſent Bohemi, *Iulianus* Cardinalis longam, & luculentam habuit orationem de auctoritate eccleſiæ, cui omnes ſe ſubmittere tenentur in dubiis Religionis & Fidei. *Iuliano* reſpondit alià Oratione *Ioannes RoKyzana*, quà primùm gratias Deo egit, tandem Concilio placuiſſe audire Bohemos: Inde per tres dies diſſeruit *de Communione ſub vtraq. ſpetie*. Deinde *Vuenceslaus Taborita* ſecundum articulum *de eliminandis criminibus publicis* per bidui ſpatium. Poſt quem Vdalricus presbyter Orphanorum tertium articulum *De liberà prædicatione Verbi Dei*, duobus item diebus propoſuit. Poſtremò *Petrus Payne Anglus* de quarto articulo, qui erat *De Dominio ciuili clericis non permittendo*, per tres dies verba fecit. Tres poſteriores ſatis inciuiliter in noſtros inuexere, *Ioannem Vuiclephum*, & *Huſſitam* vt viros doctos laudare nil veritos, Doctores vocare Euangelicos, quos iam Eccleſia damnauerat. Exigebat res, vt aliquid Bohemis reſponderetur. Surgens itaquè *Ioannes de Raguſio* Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, clarà voce petiit, poteſtatem ſibi dari, vt reſponderet priuato nomine ad primum Bohemorum articulum. Aſſenſit Synodus: Octoq. diebus reſpondit horis antemeridianis. Priuſquam exorditetur: *Io: Abbas Ciſterecienſis* hortatus eſt Bohemos, vt ſe ſubmitterent determinationi S. M. Eccleſiæ, quam ſacrum Concilium repræſentabat. Ea res Bohemos non parum offendit: præcipuè cum *Raguſinus* more ſcholaſtico nomen hæreſis in reſponſione protulit, vnde eum audire noluerunt. Ad ſecundum articulum reſpondit *Egidius Carzerius*, decanus Cameracenſis per dies quatuor. Ad tertium *Henricus* cognomento *Ferrum frigidum* per dies tres. Ad quartum *Io: Polemarius* auditor cauſarum ſacri Palatij per tres dies. Tunc *RoKyzana* Raguſini reſponſa per ſex dies fortiter impugnauit. Diſputatio porrò cum diſputationem pareret; tentauit *Vuilelmus Bauariæ Princeps*, Concilii protector, vt omiſſis diſputationibus plures delegerentur Thologi, qui Pragam pergerent, vbi ad diem ſanctiſſimæ Trinitatis populus conuenturus erat, & Concilij nomine referrẽt, ſi de tribus articulis Eccleſiæ ſe ſubmitterent; facile conueniri poſſe de quarto, ſcilicet de Communione ſub vtraq. ſpetie; quæ ſolum de conſuetudine, ab eccleſià introducta propter duas cauſas *erroris*, & *irreuerentiæ*. Erroris, Neſtorii ſcilicet dicentis ſub ſpetie panis non eſſe totum Chriſtum, ſed ſolam carnem: ſub ſpetie vini ſolum ſanguinem; cum reuerà ſub qualibet ſpetie ſit totus Chriſtus viuus, & integer, caro, ſanguis, anima & diuinitas. Ad obuiandum huic errori, vtile fuit viſum, ſub vnà tantùm ſpetie ſacramentum miniſtrare. *Irreuerentiæ* etiam, quæ tam facile accidere poteſt in vſu vini. Veruntamen ad ſatisfaciendum deuotis Bohemorum poſtulatis, indulgebit ſacrum Concilium, vt ab antiquà & rationabili conſuetudine Bohemia recedat; dumodò credat, & miniſter publicet, ſub vtraquè ſpetie totum & verum Chriſtum contineri.

Bohemi Baſileã veniunt.

Eorum diſputa.

Bohemorum proteruia.

Legati interim cum veniſſent Eugenii; Patres Baſileenſes minimè contenti facultate eis per Eugenium conceſſà, carpere cęperunt, ipſorum monitis morem non geſſiſſe, Concilii autoritatẽ à Deo tantùm contraxiſſe, nimirum ad *conuertendos hæreticos, & Principum pacem*: Eccleſię verò reformandæ caput prętermitti, neq. confirmari quæ geſta erant. *Quod ſi poſt huiuſmodi litem inter Concilium ortam & Papam, concilium quaſi victum cederet; et ipſum et alios Romanos Pontifices in poſſeſſione diſſoluendi Concilia poneret; qua tandem ſpes erit, quòd præfatus D. Eugenius decreta huius ſacri Concilij ſeruet, & ſeruari faciat, ſi ipſum Concilium ſpernat recognoſcere? quibus etiam remedijs vti poterimus, vt ſtatutis hic promulgandis non contraueniat? in ipſum Concilium, per quod ſtatuta ſunt imitari patiamur? Mori malumus, quàm tanto errori per ignauiam cedere*. Sic ſpetie pietatis ſchiſma fouentes; eò erupit audaciæ, vt legatis Pontificiis prohibuerit Synodi pręſidib. pręcedere: Seſſione XI. Pontificem intra quadrimeſtre ad Concilium citauerint, ſub pænà amittendi Pontificatum, ſi de mutatione vel diſſolutione Concilii verba faceret: datà facultate interueniendi Cardinalibus etiam inuito Pontifice. Inter huiuſmodi diſſidia, ea concordiæ ratio inita eſt interprete *Sigiſmundo* Imperatore; vt *Eugenius* ex *æquo & bono* pateretur Concilium in eã diem propagatum fuiſſe. Elatiores autem Baſileenſes facti, concepta verba *Volumus & contentamur*, quibus geſta æquo animo accipere profeſſus erat; iniquè accipientes, poſtularunt; vt *Eugenius* loco verborum *Volumus & Cõtentamur*, poneret *decernimus*, & *declaramus*, vndè appareret Concilium Baſileenſe contra monita Apoſtolica, *non toleratum*, ſed *iure & legitimè propagatum*; vt Pontifex ſe acephalo ſubmitteret Concilio. Tunc *Eugenius* omni reiectà concordià, geſtá omnia atq. decreta concilii reprobauit tam cõtra ſe, quàm contra Cardinales, dignitateq. deiecit, qui ea tuerentur. Baſileẽſes verò pertinaces ſeſſione celebratà XIII. *Iuliano* Card. præſide, de contumacià cum poſtulaſſent *Eugenium*, culmine non deturbarunt Põtificio, quia *Vuillelmus* obſtitit Dux Bauariæ, nomine Imperatorio. Alpes poſtea tranſgreſſus *Sigiſmundus* ipſe, Romà Baſileam rediens aduentu ſuo patres coercuit. Seſſione namq. XIV. cui adſuit ornamẽtis redimitus Imperatoriis, egit, vt diem peremptorium, quem iam *Eugenio* conſtituerant, ad diem producerent nonageſimum, intra

Durities Baſilienſium in Eugenium.

quem

quem interprete *Foſcaro* Venetorum Duce in ſpeciem concordiæ oſtentarunt capiti ſuo reconciliari Patres: Eccleſia namq. armis Philippi Mariæ Ducis Mediolanenſis diuexata, qui ſe à Baſileenſi Concilio de ſubducendâ *Eugenio* ditione eccleſiaſticâ accepiſſe iactabat; legatos miſere Cardinalem S. Crucis, & S. Petri ad Philippum, vt terras quas Eccleſiæ eripuerat, reſtitueret, teſte *Monſtreleto vol.* 2. Eugenius *Hugonem Cypri* Regis fratrem Cardinalem S. Hadriani, *Ioã Caſanoaà* S. Sixti, & *Dominicum Capranicam*, qui à Pontifice prouocauerat ad Concilium poteruos & contumaces in integrum reſtituerat, eo voto vt clementiâ & lenitate factioſos vinciret. Concilium etiam ab exordio ſuæ inchoationis vſquè in hodiernam diem legitimè declarauerat inchoatum, & continuatum perinde ac ſi nulla diſſolutio facta eſſet. Proceſſus etiam omnes & ſuſpenſiones, contra idem Concilium, eiq. adhærentes reuocauerat: ex quibus ſeditioſi ad infringendam Pontificiam auctoritatem argumenta ſumebant non attendentes (teſte *Turrecrematà l.* 2. *de Eccleſ. c.* 100.) bullas illas terrore extortas non ab *Eugenii* promanaſſe voluntate. Cum enim Venetorum orator, ac Cardinales qui erant in curiâ ſcandalum eccleſiæ timentes futurum, minarentur *Eugenio*, quòd niſi bullas illas relaxaret, ipſum derelinquerent, eo tacente atq. in lecto doloris decumbente, præfati Domini bullas illas taliter qualiter Baſileam miſere. Sed illud notatu dignum lector aduertat: *Eugenium* adprobaſſe quidem exordium, atq. Concilii progreſſum non tamen adprobaſſe decreta, quæ nunquàm viderat. Et licet Baſileenſes maximo ſtudio, repetitis vicibus ſupplicauerint pro confirmatione, eam tamen nunquàm conſequi potuerunt. Diſſolutionem, quam mandauerat, quòd poſtea ipſe adprobauerit, vrgente neceſſitate, ad euitanda ſcandala indulſit, quæ ſpontè facturus non erat, Paulum imitatus Apoſtolum, quem aliqua diſpenſatoriè feciſſe legimus, quæ poſtea reuocauit. Cæterum diſſolutionem Concilii à ſe reuocatam Eugenius, ſolo pacis ſtudio, ſignificauit per literas *Sigiſmundo* Imperatori, Francorum ac Polonorum Regibus, Electoribus Imperii, Burgundiæ Duci. Decreto reuocationis recepto, & in ſeſſione XIV. promulgato, declarauit Concilium *Dominum Eugenium plenariè monitioni, citationi, requiſitioni ſatisfeciſſe.* Tumida & temeraria verba clementiæ ac lenitati planè aduerſa Pontificis. Quanto enim ille mitiùs agebat, vt ad concordiam reduceret: tantò grauiùs illi reſpondebant. Nec factioſi deerant, qui ſub laruâ concilii, infandas ei ſtruerent inſidias. *Philippus* Dux Mediolanenſis fingens ſe à Concilio creatum legatum in Italiâ aduerſùs Pontificem, operâ *Franciſci Sfortiæ* Picenum; Fortebraccii, agrum vexabat Romanum. Dolum audiens ſacrilegum Sigiſmundus, *vehementi dolore* (ita Blondus lib. 5. Dec. 3.) *affectus congregationem ex more vocandi impatiens, vicos, compita, baſilicaſq. percurrens obuios accitoſq. è domibus quoſquè interrogat, quidnam hoc eſt, quòd malo natus deſolationiq. Italiæ & Chriſtiani nominis Philippus V.C. auctoritate Concilii gereret in Italiâ: quis confeciſſet epiſtolam. Et quia ſinguli ſe ſe inſcios dicerent, ad deputatos retulit. Tandem re*

Eugenius quid adprobauerit in Baſileenſi Conc.

non ſolùm Caſaris ſed principum Chriſtiani nominis omnium, qui aderant, oratorum maximà cum doloris, indignationiſq. ſignificatione accuratiùs, exquiſitiù, nullas à Concilio Duci Mediolani datas literas, nulla Vicariatus decreta fuiſſe conceſſa, reperiri potuit. Hincq. maiora, quæ ſecretò acturi ſumus, & tractaturi in Italiam venturis data ſunt inſtante Imperatore *à Concilio publica, à ſinguliſq. Principum oratoribus priuata ad tuam ſanctitatem mandata, vt Concilium, Principes, Nationes à crimine, quòd eis falſò obiicitur, ab iniuſti tanti ſceleris notâ purgemus, vt inſidiæ, fraudes, doli contra Sanctitatem tuam contra Romanam eccleſiam, ipſiuſq. prouincias, à quibus ſtruantur, fiant, parentur in conſpectu Sanctitatis tuæ auditaris omnibus, & per loca Italiæ quæcumq. redeuntes adire poterimus, notum faciamus. Quia tamen nec breui hinc diſcedere alia tecũ*

B *actaris licet, nec ſingulas adire poterimus ciuitates, epiſtolas mittemus, quas profecturis dedit Sereniſſimus Imperator, huiuſmodi purgationem habentes ſpemq. inſuper à ſuâ maieſtate inijcientes populis, quòd deſtinata ab eo tuæ Sanctitatis præſidia conſtantes expectabunt, nec fraudulentis ducis credent Mediolani artibus, aut prædonum minis, inſultibuſ. abſterrebuntur, quo minus Sacroſanctam tuæ ſanctitati & Romanæ eccleſiæ fidem ſeruent.* Sincero erga Pontificem animo ſe geſſiſſe Patres, legatio probat eiuſdem Baſileenſis ſynodi ad Romanos (quorum è manibus Florentiam *Eugenius* confugerat) vt eos *Eugenio* reconciliarent, teſte *Lælio Petrono*, quem citat *Raynaldus* An. 1434. n. XI.

Cæterum magis ſemper nouarum rerum cupidi diſputare cœperunt, an *Præſides Apoſtolici admittendi eſſent in Concilio?* teſte Turrecrematà *l.* 3. *c.* 13. *Audiuimus* (inquit) *aliquos de nouellis magiſtris multa & varia circa hanc materiam dicere, & plurima, vt nõ*

C *admitterentur: ſed alii dicebant nullo modo admittendos eſſe ad præſidendum Concilio: alii, quòd admitti deberent ad præſidentiam honorariam tantùm: videlicet vt eminentiorem locum tenerent in Concilio, & primi in eo loquerentur, & quæ agenda erant per interlocutionem dirigerent, non autem ad præſidentiam auctoritatiuam, dicentes quòd ſi Papa præſens eſſet, nihil auctoritatis haberet præter eminentiam loci, et miniſterium directionis. Primi errorem ſuum fulcire nitebantur: quòd in conciliis vniuerſalibus per Apoſtolos celebratis Petrus Romanus Pontifex non legitur præſediſſe. Adiiciebant alii, quòd in Conciliis, in quibus Papa non fuit, ſed Imperatores interfuerant, Imperatores & iudices de-*

D *ſtinati leguntur habuiſſe primatum et officium præſidẽtiæ per interlocutiones, et de conſenſu ſynodi, ſiue ex mãdato concluſiones, et iudicia feciſſe. Neq. in octo Conciliis vniuerſalibus de quibus d.* 16. *c. Sancta octo prætereà quàm in actione tertià Concilii Chalcedonenſis, vbi vicarii Leonis Papæ vicem gerentes, quia nullus pro parte Imperatoris præfuit, legitur primatum tenuiſſe, & præſediſſe. Spiritus Sanctus namq. præſidet Conciliis vniuerſalibus, iuxta illud Matthæi.* 18. *vbi duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum. Ergo non videtur, quòd ſine iniuriâ Spiritus Sãcti poſſit alius ad præſidendum admitti. Inſuper ſi Concilium vniuerſale ſuperius eſt Romano Pontifice iuxta decretum Cõcilii Conſtantienſis, quomodò poteſt inferior præſidere ſuo ſuperiori.* Haſce ineptias validè confutauit Turrecremata; quia *cauſalitas primæ cauſæ non tollit cauſalitatem ſecundæ cauſæ: ita prouidentia Dei non tollit præſi-*

Præſides Apoſtolici quomodo admittendi Concilio.

præſidentiam miniſtrorum eius. Aliàs peccaſſent Pontifices Sancti, qui præſediſſe leguntur. Peccaſſent ipſa Concilia, quæ hoc permiſere, maximè ſi vergeret in contumeliam Spiritus Sancti. His tamen non obſtantibus adacti iniuſtè fuere oratores Pōtificii ſe duobus Conſtantienſis Concilii decretis ſacramēto obſtringere, quæ lata fuerant in Pontifices dubios. *Iurauere tamen nominibus propriis, vt particulares perſonæ, ac maximâ neceſſitate compulſi, quia aliter non admittebantur maximo eccleſiæ ſcandalo, ad præſidentiam: non autem iurarunt illa tenere vt nuntii Apoſtolici, quo titulo proteſtati ſunt in contrarium, nec intereſſe voluerunt ſeſſionibus, in quibus talia concludebant,* teſte *Turrecremata.* Celebratâ ſeſſione XVII. die. 6. Kal. Maij. An. 1434. *Nicolaus* Card. S. Crucis, *Iulianus* S. Angeli, Card. Io: Archiep. Tarentinus, *Petrus* Ep. Patauinus, ac *Ludouicus* Abbas S. Iuſtinæ adiuncti fuere vt præſides Concilii, eâ tamen obſtricti lege, vt ſi decreta nollent pronunciare Concilii, proximus Præſul id munus ſubiret: & ita geſtum ſeſſione XIIX abſentibus legatis Apoſtolicis qui noluerunt adeſſe, ne cum ſeditioſis viderentur conſpirare. Seſſione 19. adfuere Græci pro futuro deſignando Concilio, eâ conditione inter plurimas requiſitâ, vt Pontifex adeſset Romanus vel per ſe, vel per legatos 2. Vt interim conuenta pro futuro concilio *Eugenius* ſuâ auctoritate firmaret. Aſsenſit Papa, monuit tamen Baſileenſes, perperam pactos eſse ſede inconſultâ Apoſtolicâ: ne qui in Oriente legati erant, diſcrepantia ſtatuerent, & ſic eodem tempore, in eodem negotio ſtatuta reperirentur aduerſa, cum Conſtantinopolitano, & Trapezuntino Imperatore, quos ſuis Pontifex literis excitauerat, vti *in app. Concil. Baſil.* Seſſione poſtea 20. quæ celebrata eſt 1. Kal. Feb. An. 1435. plura pro morum reformatione ſancita. Seſſione XXI. Apoſtolicis collectoribus mandarunt, vt quæ Pontificio nomine ſtipendia pro collatis ſacerdotiis, aut primis annuis cenſibus exigerent, in ærarium Concilii auerterent Baſileenſis. Ornabant facinus hoc fuco; maximos ſumptus prò conſtituēdâ Bohemiâ, & Græcis reconciliandis faciendos. Interim nuntius venit ex Græciâ *Chriſtophorum Garatonem* Eugenii legatum, de Concilio Conſtantinopoli celebrando, pactum eſse: cum iam Græci aliter conueniſſent cum ſynodo Baſileenſi. Ita ab eodem in eadem re fœdera aduerſa ſancita ſunt, vt ſanè præuiderat & præmonuerat Baſileenſes *Eugenius*, qui Garatonis pactis aſsentiri noluerunt, dicentes *non expedire vt certitudo fidei catholicæ quaſi per compromiſſum legatis concredi debeat. Neque pariter expedire vniuerſalem ſynodum Conſtantinopoli in faucibus ſita Turcarum celebrari.* Hinc Byzantium miſere legatos, vt *Ioanni Paleologo* ſuaderent, Baſileę conuenire. Negauit ſeriò ſe Baſileę ad futurum Imperator; locum eligeret maritimum, vbi ipſe cum Romano Pontificē comodè adeſſet. Seſſione XXIII. die 8. Kal. Aprilis. An. 1436. eò aſcendit audacia, vt nullâ acceptâ à Pontifice poteſtate, noxarum veniam iis elargiri non formidauerint, qui ſtipem erogaſſet prò ſumptibus in Græcorum coniunctione faciendis. Hinc Eugenius ſolius clemētiæ reus, pro tutelâ exurgens dignitatis Apoſtolicę ad Principes literas dedit, in quibus attentata expoſuit Baſileenſium, præcipuè: licet eū vt *verū Chriſti vicarium, & Concilii caput honorare* poſt confirmatum Concilium, *legatos Apoſtolicos admittere noluiſſe, niſi vt priuatas perſonas, ademptâ eis poteſtate coactiuâ, ex hoc inferre volentes Papam non eſſe caput Concilii eiuſq. loco alios ſibi licere præficere, qui decreta Concilii promulgent, legatis Apoſtolicis ea promulgare nolentibus: quaſi Papa ſit Concilio ſubditus, vt cęteri ordinarii Prælati.*

Attentata Baſileēſium.

Annatas Pontifici debitas ex conſuetudine, cuius initii non eſt memoria, quæ adhuc etiam in Orientali ſeruatur eccleſiâ, ſibi applicaſſe; electionem Pontificis (ſi hoc tempore ſedes vacaret) non niſi in Baſileenſi Concilio, poſt duos menſes à die vacationis non poſſe fieri; quo decreto ſchiſma palam procuratur. Item quòd electus nō habeatur vt Papa, ni prius iuret iuxta formam Baſilienſis decreti, proſequi celebrationem Concilii; quod inauditum, cum vſque in hodiernum diem exigatur ſolum Fidei profeſſio. Electorum libertatem coarctaſſe ad nominationem triam perſonarum, quarum vna ſit extra collegium. Numerum reſtrixiſſe Cardinalium, & nationibus alligaſſe; *cum ſemper liberum Papæ fuerit viros eligere profuturos eccleſiæ. Cardinales pendente Concilio Baſileæ eligendos.* Abſtuliſse *Pontifici ſpeciales reſeruationes, quibus aliquando vtitur vtilitate, vel neceſſitate exigente.* Indulgentias dediſſe: *cum exercitium clauium ſit penes Pontificem omnia tam in ſpiritualibus, quàm in ciuilibus exercentes, quæ ſpectant ad ſupremum eccleſiæ Principem, minores agant cauſas, de cauſis confirmationis cognoſcunt: Poſtulationes (quæ ſoli gratiæ innitētes, ſolummodò à Pontifice ſolent reiici, vel admitti) non ſolùm in Concilio recipiant, ſed eas contra Apoſtolicam prouiſionem admittunt: de Canonizationibus Sanctorum cognoſcunt; Officia, Beneficia, Cōmendas eccleſiarū cathedraliū ad tēpus dant, & in perpetuū, pēſiones ſuper beneficiis imponunt, Confeſſionalia concedunt more curiæ Romanę, à peccatis abſoluunt, cum illegitimis diſpenſant, ad ordines, dignitates, hæreditates; pallia conferunt, Epiſcopos conſecrari præcipiunt, ab irregularitate diſpenſant, & gradibus. Legatos à latere deſtinant; officia omnia & tribunalia curiæ Romanæ ad Baſileam inducunt. Vectigalia, cenſus, regalia eccleſiæ debita Romanæ, decimas in ſuum deriuant ærarium. Quæ nullum Conciliorum ab exordio naſcentis eccleſiæ facere præſumpſit. Et hoc quid aliud? quàm duo capita, & ſuprema tribunalia in eccleſiâ ponere militanti? et Monarchia, quam Chriſtus Petro reliquit vicario ſuo, in Democratiam reducere?*

Bullam fecere plumbeam, quòd nunquàm à Conciliis legitur attentatum, niſi forte ſede vacante, cum ſemper omnia nomine, et ſigillo Præſidum expedirentur. Scienter oratione, Deus omnium fidelium *omiſſâ, contrà vniuerſalem eccleſiæ vſum in Miſsâ non orant pro Papâ. Modum procedendi in Concilio ita inordinatum inſtituerunt, vt ſcientia non præualeat, ſed ignauia ſi numero maior. Quòd abhorrentes ſaniores pro maiori parte receſſerunt; ita vt à multo iam tempore in Concilio ex Epiſcopis, qui poſt confirmatum Concilium erant centum & quinquaginta, ſoli viginti quinque remanſerint, etiam Oratoribus Regum, & Principum computatis, nec ſecluſis ſuſpectis, & inimicis immò incorporatis, etiam cum ageretur cauſa ſingularis Romani Pontificis. Vnde cum à populo Romano, qui nuper Papam vincire conatus fue-*

fuerat, eiuſq. camerarium Cardinalem diro carceri A *mancipaſſet, legatus veniſſet non vt errorem cognoſceret, ſed ſcelus calumniâ palliaret, ſtatim nomine Romani populi ſit interdicti, & excommunicati, magnò plauſu fuit incorporatus Concilio; quod iam ſex annis ſine fructu protrahitur (inaudita hac Conciliorum duratio) eo modo ſtudentes priuato, cum à Clero quidam, alij à Principibus vel Prælatis abſentibus ampla percipiant ſtipendia. Quidam ex officio, quod ibidem exercent, magnas cumulant pecunias; quidam ibi laborant opinione ſummi in eccleſiâ principatus; caſum expectantes vacationis, tanto eccleſiæ diſpendio; vt nullus fidelium ſit amplius deſideraturus Concilia. Tentauit Eugenius clementiâ ſuâ ſeditioſos placare; ſed nil profecit: Nam moiora in eum protulere decreta: Rigati locum deſignare, quo Græci conuenirent, pro quorum itinere Chriſtiani principes pecunias & triremes offerebant; nunquam Baſileenſes potuerunt adduci, dicentes velle* B *Baſileæ ſubſiſtere, donec Græci litora appulliſſent Italiæ, tunc ipſis Græcis locum eſſe notificandum, ad quem venire deberent: quaſi ageret cum ſeruis, atq. captiuis; & ciuitas (vbi debebat parari Concilium) teneretur in inſtanti imperio acquieſcere Baſileenſium; Quapropter expertus Eugenius in diem inſolentiores fieri, licet iuridicè eos potuiſſet compellere, nihilominùs mitiùs agendo, legatos direxit ad Principes, auxilium implorans opportunum, quod facile; ſi Oratores ſuos Baſilea reuocarent; & præſules; Decimos non pat erentur exigi à Clero, niſi Pontifice aſſentiente, et nè in poſterum Romanam curiam carpere poſſent aduerſarij; exemplum reformationis legati Regibus præſentarent, quam Eugenius meditabatur; ſic enim non ſupereſſet, quid vltrà impingerent.* Hæc ſumma libelli Eugeniani; quem habes in *appendice Concil. Baſileenſ.* C

Cauſa protrahendi Concilium Baſileenſe.

Oblatio Eugenii pro concordiâ.

Aduenit interim Annus Salut. 1437. quo Seſſione 25. iterum tentati Græci Baſileam, quam antea repudiarant, vel Auenionem, aut aliquam Sabaudiæ vrbem prò futuro eligere Concilio: Reſponderunt Baſileenſes impedimento eſſe, ne eccleſiæ reintegrarentur, dum Baſileà in Italiam aſpernarentur deſcendere. Hæc inter diſſidia diuiſo Concilio, duo eodem die ſaucita decreta: Vnum à factioſis, & anecephalis (inſtigante *Amedeo* Duce Sabaudiæ, *Alfonſo* Aragonum Rege, & *Philippo Mariâ* Duce Mediolan.) quos inferioris ordinis ſacerdotum turba ſequebatur, Duce Cardinali Arelatenſi (qui ſolus remanſerat aduerſùs Eugenium) in quo *Baſilea* delecta pro futuro Concilio, ac ſi eam reſpuiſſent Græci, Auenionem deſignarunt, vel aliquam Sabaudiæ vrbem. Alterum, quo *Florentia*, vel *Vtinum* deſignata à digniori parte, ſed numero impari, cui præerant Legati Apoſtolici, Cardinales Cæſarinus, & S. Petri ad Vincula, cum his ſtabant Gallorum Oratores qui patriæ Auenionenſi Eccleſiam prætulerunt; fauentibus Græcis quibus *Florentia* placuit. Miſſi propterea ab Eugenio Coronenſis Epiſcopus, & Archiep. Tarantaſienſis Byzantium cum quatuor triremibus vt Orientales ducerent in Occidentem. Baſileenſes irritati, quòd decretum alterius antiſtitum partis de Florentiâ futuro loco Concilij, ad Pontificem pro confirmatione tranſmiſiſſent, Tarentinum Archiep. domi incluſum tenuere; procuratori eius iura imploranti turpiter iniecere manus, ac per capillos traxerunt ad carceres In ſeſſ. 26. *Eugenium* pro malè adminiſtratâ ditione eccleſiaſticâ in ius vocarunt fruſtra reclamante *Sigiſmundo* Imperatore. Eugenius 14. Kal. Octob. Ferrariæ indicto Concilio ciues rogauit Baſileenſes, ne exaſperarentur tranſlatione Concilij; quibus cum ex ſolemnibus ibi comitiis magnæ opes deriuarent, à factioſis non diſceſſerunt: ſed VI. Kal. Octob. habitâ Seſſ. 27. licet acephali ſinè Apoſtolicis præſidibus; & rumor creſceret *Ioannem Vitelleſchum* de eccleſiâ meritum Romanâ, ab *Eugenio* purpurâ donandum iri, ius omne *Eugenio* interdixere vetantes; ne vrbes eccleſiaſticas, præcipuè Auenionem cuiq. Principum alienaret. Vana namq. ſuſpicio erat; *Eugenium* moliri alienationem comitatus Auenionenſis, vt ſic vrbem ſubduceret Antipapæ, quem impij meditabantur. Seſſ. 28. Eugenium non comparentem contumaciæ accuſarunt 14. Id. Octob. in Seſſ. 29. decretum de trãſferendo Ferrariam Concilio abrogarunt eo tamen orbis ſcandalo vt ſpretâ eorum apologiâ (quam mendaciis refertam in Pontificem promulgauerãt) *Henricus* Rex Anglorum Præſules ſuos à factioſo abduxerit conuenticulo; & *Carolus* Rex Galliæ Gallos præſules ad Eugenii reduxerit obſequium. *B. Franciſca ordine Romana* monita à S. Gregorio Papa, nomine Chriſti, vt tantis calamitatibus agitatum confirmaret; monuit opem non defuturam diuinam. *Vita B. Franc. l. 3. c. 15. & 26.* Veneti, Sigiſmundus Imperator cum cenſuris ſe ſuſpicarentur irretitos ob frequentia cum Baſileenſibus colloquia, ab *Eugenio* veniam ritu petierunt eccleſiaſtico.

Baſileenſium diſcordia.

Decreta Baſileenſiũ in Eugeniũ.

Eugenium conſolatur B. Frãciſca Romana.

11. *Ferrariæ* poſtea Anno 1438. die 8. Ianuarij apertâ ſynodo, præſide *Nicolao Albergato*, Cardinale S. Crucis, in primâ ſeſſione (cui adfuere Archiepiſcopi V. Epiſcopi 18. quatuor alii deſignati, ac plures Religionum præfecti) damnatis Baſileenſium geſtis, Baſileà Ferrariam Patres Concilium iuſtè tranſlatum decreuere. Die 24. venienti Pontifici occurrit ſynodus proceſſionaliter vbi de Baſileenſium turba modeſtè queſtus expoſuit, *quomodò legatos Pontificios inhonoranò affeciſſet, dignitati detraxiſſent Apoſtolicæ, ac tandem coniunctionem impedirent Orientalium. Hortatus etiam vt optima ad compeſcendos ſeditioſos conferrent conſilia, ſingulis animi demiſſione addidit, vt ſi ipſe vel familiares aliqua geſſiſſent, quæ digna putarentur cenſurâ, ea ſe emendaturum iri.* XV. Kal. Mar. publicatum decretum in ſeditioſos, vt intra menſem Baſileâ diſcederent; mandatum populo inofficioſos eijceret. Ob- D temperauit decreto pars Præſulum, quæ dignitate, & auctoritate excellebat, inter quos Cardinalis S. Angeli legatus Venetias ad Græcos excipiẽdos procurrit. Cæteri pertinaces in locũ præſulum abeuntiũ ſubſtituere ſacerdotes minoris ordinis, vniuerſalem Baſileæ iactantes Eccleſiã reſidere; licet Pontifex cũ Orientaliũ & Occidentalium Epiſcoporũ ampliſſimo numero Ferrariæ concilium celebraret. Adfuere *Paleologus* Græcorum Imperator, & Patriarcha eâ pompa quæ adhuc viſitur efformata in valuis æneis Baſilicæ ſancti Petri. Imp. Ferrariã aduẽtũ deſcribit *Syluester Sguropolus* ſchiſmaticus, quomodo triremes *deſcendentem Marchio receperit: Marchionis filijs terra gradientibus in pedes iuxta equitantem Im-*

Concilium Baſileenſe Ferrariam transfertur

Imperatorem, & conopæum in ſublime euectum, velut vmbellam Imperatoris vertici circumfuſam, aliè comportantibus: atq. ita in modum triumphantis ad Papam prius deduxit, & Papa ad proprium Marchionis palatiũ. Præterit doloſè tamen, quomodo erga Pontificem ſe geſſerit Imperator. Audiamus ergo quæ ſupplent *Andreas de S. Cruce* aduocatus Conſiſtorialis, & *Ludouicus Pontanus*, in *Actis Flor. Concil. Imp. & Patriarcha Græcorum, primo eorum ingreſſu ex Venetiis ad ſummum Pontificem Oratores deſtinarunt ſeculares tres, Abbates duos, qui XX. Feb. Pontificem adierunt. Seculares conuenienter ſummi Pontificis in acceſſu genuflexi ſunt: clerici verò curuato capite, aliam reuerentiam non exhibuerunt.* Infra. *Quarto Maij Imperator Græcorum Ferrariam magno cum equitum apparatu ingreſſus. Occurrerunt ei Cardinales obuiam omnes, qui tunc Ferrariæ erant, extra ciuitatem, cum magno Prælatorum comitatu. Sub pallio aureo ductus eſt ad palatium Apoſtolicum, & equeſter vſquè ad Papæ cameram, via ad hoc in palatio Ferrarienſi per Marchiones antiquitùs conſtructà, exhibitaq.* Romano *Pontifice reuerentià debità, ad palatium,* Paradiſus *nominatum pro ſui reuerentià diſpoſitum, ſimili pompa aſſociatus eſt.* Conſonat Phrantzes l. 2. c. 15. *Cognito Imperatorem ad portam adeſſe ſurrexit, & inambulauit, & ita ſpatia facientem Imperator offendit, qui cum in genua vellet procumbere, non id Papa permiſit; ſed eum complexus, porrectàq. dexterà oſculatus eſt, & ad ſiniſtrã ſuam collocauit.* Applicuit deinde Ferrariam, 8. Id. Mar. Patriarcha, qui cum ad Concilium veniſſet, vt de controuerſiis inter Latinos & Græcos (quibus principalior articulus erat *de Primatu Romani Pontificis*) conueniret, nolens ſine diſputatione vllum dignitatis ſuæ præiudicium inferre, cum audiſſet tantum ſex Epiſcopos ſibi obuiam miſſos à Papa, neminem Cardinalem, noluit naui exire. Hinc die ſequenti, requiſitis curialibus ſpeciali numero, ad portum, quò naues Ferrariam applicant, curialium quiſquè equeſter acceſsit. Duo Cardinales iuniores diaconi, Proſper de Columnà S. Gregorii ad Velum aureum, & Firmanus ſanctæ Mariæ in Vià latà, pariter acceſſerunt iuſſu Pontificis. Equitantibus Patriarchà & Græcis aliis, Cardinales ei occurrerunt obuiam, nullaq. adinuicem alià inclinatione factà, nec alter alteri pileum flectens, dominus de Columna, qui ex eis duobus ætate minor, dignitatis tamen adeptione, collega maior, Patriarchæ ſic inquit: *Reuerendiſſime Pater, Dominus noſter Papa miſit nos, vt aſſociaremus Paternitatem veſtram. Eiq. in medio ſumptum ad palatium Apoſtolicum conduxere.*

Lud. *Quomodo per Pontificem receptus eſt?* And. *Papa eidem non occurrit in publico, quinimò vltra conſuetum morem, in priuatà camerà ſecreti cubiculi manſit, vt arbitror, prauæ irati difficultatis reſpectu. Ingreſſuſq. eſt Patriarcha ſex ſociatus tantùm, Papaue vt totidem ſecum haberet, ſi vellet vltra Cardinales contento. Sedit ſummus Pontifex vſquè ad Patriarchæ aduentum in ſecretà camerà, Cardinalibus ad dexteram Papæ conſtitutis in ſcabello ad ſiniſtram diſpoſita receptus eſt: atq. paululum ſummum Pontificem allocuto, ad palatium ſibi pro habitatione aſſignatum aſſociarunt omnes, qui ſecum ex naui venerant, Cardinalibus demptis.* Ita *Andreas à S. Cruce*, & *Pontanus*. Pontifici genua (vt audis) Patriarcha minimè flectit, A nec pedes eſt oſculatus Pontificis. Domum namq. redire potius decreuerat, quàm naui exire, Cardinalibus non obuiantibus; & pedes oſculari Pontificis. Primò cum accepiſſet expectare Romanos, vt Papam adoraret, eiuſq. oſcularetur pedem, grauiſſimè perculſus eſt, *qui ſibi modos* (ſi Sguropolo fides) *adeundi Papam longè diuerſos animo præſumpſerat, affectus alios, amplexus confidentiores, et ex æquo ac pari ſomniarat ſe à Papà recipiendum.* Ita *vt cum Venetiis moraretur, dixerat cuidam familiari & ex intima admiſſione Papæ: ſic apud me nuper conſtitui: Si Papa me ſuperaret annis, Papam venerer vt patrem: ſi in æquilibrio conſiſteremus, ſenio pares, eum haberem vt fratrem: vt ſi ego prouectiorem ætate me deprehenderem Papam tractarem vt filium: & ſi domus aliqua in proximo ſtetiſſet contigua Papali, illuſtris æque ac ſplendida, quæ viam nobis communem in* B *ſublimi; & vltra callem popularem exibuiſſet, per intergerinos parietes intrinſecus permeantem eam mihi conduci voluiſſem, vt ipſe ad Papam aliquotiès, & ille ad me peruadens, de publicis Eccleſiæ negotiis priuatim ageremus.* Cum verò Patriarcha à Græcis perſtringeretur, quòd inconſultè eos deduxiſſet in Latium, formulà minimè præſcriptà acceſſus atq. receſſus; maximè quòd Legatus Romanus Byzantii, cum eò veniſſet, acturus de futuro Concilio liberè, & apertè in primis ſollicitaſſet, vt Vicarius Papæ in Concilio etiam Conſtantinopoli celebrando, primam ſedem obtineret ante Patriarcham Conſtantinopolitanum: ipſe ſe excuſauit, dicens. *Hæc neque ſomniari poteram.* Accuſabant Græci Epiſcopi aulicos Imperatoris ſui, quòd ad iniuriam Cle- C ri: ipſi genuflexiſſent, vt Clerum deprimerent apud Papam, cuius amicitia Patriarcha ſperauerat, *ſe liberatum ire Eccleſiam ſuam à vili ſeruitute, quà Imperator eam inuoluerat, priuilegia ſua ſibi iniuſte vendicans, ſicut amicorum nonnullis Patriarcha ſæpè anteà prædicauerat: vbi ſemel caput exeram in Italià, faxo, vt alterius conditionis perſona appaream, & auctoritatem meam iamdiù collapſam, in plenam ac integrum vt decet, reuocabo: Hunc autem vt de pede exoſculando nuntium accepit, protinùs corruit.* ita *Sguropulus*. Hinc eſt, reſte Andrea à S. Cruce, quòd *eum perſona antiquitas, & ceremoniarum diuerſitas facilem non faciebat ad ſummum Pontificem, Patriarcha acceſſum deputati ſunt ex Cardinalibus duo, vt modum agendorum cum Patriarchà diſponerent.* Potuiſſet Græcorum Patriarcha arrogantiam & faſtum ſuum (vt notat *Horatius Iuſtinianus*) conſuetudine D excuſare eccleſiæ ſuæ licet iniuſtà; quia nec in eccleſià coram Sanctorum imaginibus genuflectunt orantes, vel adorantes: A patribus in hoc degeneres ſanctis. Nam *Daniel* ter in die genua flectebat *cap. 6.* Salomon vtrumq. genu orans in terrà figebat. 3. *Reg.* 8. Chriſtus poſitis genibus orabat *Lucæ* 22. flecto genua mea (ait *Paulus Epheſ.* 3. ad Deum pro vobis. Concordant Nicænum Concil. *can.* 20. & Concil. Conſtantinopol. *can.* 20. S. Baſilius *Homil.* 13. *de Bapt.* Damaſcenus *l. de hæreſibus* explicans nomen cuiuſdam ſectę *Agonyclita ſunt, qui quoties orant, genuflectere, prouoluique nolunt, ſed ſemper ſtantes precantur.*

Superbia Patriarchę Cóſtãtinopol.

Patriarcha verò cur morem oſculi Pontifici gerere negaret antiquum? audiamus à Sguropolo.

Dicite mihi (legatos Romanos Græcus interrogat) *Vnde Papa hoc ſibi arrogat? qua ſynodus antiquorũ Patrum? quis canon hunc morem ei indulſit? Monſtrate mihi ubi reperitur iſta conceſſio? Si ſe ſucceſſorem D. Petri Papa venditet, quidni & nos à reliquis Apoſtolis deſcendiſſe aſſeueremus? Num reliqui Apoſtoli S. Petri pedes oſculandos in genua procubuerunt? quis hoc vnquàm audiuit? Epiſcopi ad vetuſtam conſuetudinem confugerunt, quam à multis retro ſæculis in orbem Chriſtianum irrepſiſſe affirmarunt; & Epiſcopi, Reges, Imperatores Germanorum, Cardinales ipſo Imperatore ſublimiores, & omnes ad vnum ſacris ordinibus initiati, hanc oſculandi formulam vt Papæ debitam ſemper perſoluunt.* Paucis reſpondit Patriarcha ſed falſis.

De oſculo pedum.

Nouitiam conſuetudinem clamat Patriarcha, & quã me ambos nunquàm patiar. Si velit Papa, vt ſicut fratres fraterno amore in mutuos amplexus ruamus, quemadmodùm apud nos ab æterno inualuit conſuetudo, lubentiſſimè ad eum accedam: ſin vltra poſtulare quid perſeueret, me habeat excuſatum oro, reuertar vndè venerim. Græcorum proteruia latè quam pateat; ſtet vna pro cunctis Patriarchę mendax reſponſio. *Nouitiam conſuetudinem* inſimulans adorationem Papę per oſculum pedis. Errorem ne foueat nomen æquiuocum; triplicem adorationem aduertas, *Diuinam, Religioſam, Ciuilem.* Quæq. fit oſculo abſoluitur. *Prima* Dei, Virginis, Sanctorum eſt. *Secunda* Pontificis, qui Chriſti vicarius. *Tertia* Regum, & Principum. Initium ſi quæras & originem, honorem deferendi per oſcula pedum; ingenuè fatear, ignorare. Antiquiſſimum verò eſſe, ſat mihi oſtendere, vt inſolentiam, quam accuſant, vſu remoueam & audaciæ crimen depellam. Ante Chriſtum natum ſolitam tradit Cicero *orat. 2. in Verrem.* & Prudentius *in Apotheoſi*

Soleas Iunonis lambere, plantis
Herculis aduolui

Immò animalium ſimulacris, quæ ſtatuis adhęrebant

Et oſcula figit
Cruribus æripedum (ſi fas eſt credere) equorum.
Prudentius *l. 1. con. Symmachum.*

Cultum hunc poſtea ad ſuas homines retulerunt imagines, quin & ſibi vindicarunt Reges, & Principes, inter quos primi Perſæ, teſte Xenophonte *lib. 8.* Plutarcho *in Themiſtocle*. Martiale *lib. 10.*

Ad Romanos poſtea Imperatores emanaſſe vſũ, lege Dionem in Caligulà: Senecam *l. 2. de Beneſic. c. 12.* Capitolinum *in Maximino Iuniore, in Diocletiano*, à quibus huiuſmodi oſcula ex arrogantià forsàn exacta. Non ſic apud Suetonium *in Othone*: vbi *Milites manus & pedes iacentis Othonis oſculati ſunt.* Omitto Traianum apud Zonaram *lib. 2.* Beliſarium, qui Gelimerium Regem victum ad oſculandos hortatur Iuſtiniani pedes. *Quod moris (inquit) eſſet, ita adorari Imperatorem Romanorum.* Quam conſuetudinem vt facto firmaret Beliſarius ipſe procubuit. Ciuilis vſquè modò hæc adoratio, de quà in Aquila noſtrà *l. 29. c. 3. Reges adorandi.* Religioſam ſi exigas, Eutropium conſulas *lib. 9.* Ioſephum *l. 11. c. 8.* quo teſte Alexander ille Magnus Iaddum ſummum Iudæorum ſacerdotem adorauit Danielem. *Daniel 2.* Natham Dauid, Angelos Abraham *Geneſ. 19.* Iuxta ergo votum adorantis vel *ciuilis* eſt adoratio, vel religioſa. Apud Reges ſeruitutis eſt iugum, & ſubiectionis confeſſio. Apud ſacerdotes teſtimonium amoris, & Religionis profeſſio. Stupuerunt milites Alexandri, *corruptamque Regis mentem putauerunt*, teſte Ioſepho vnde cum eum non auderent interrogare; *Parmenio eum ſolus interrogauit: Cur omnibus eum adorantibus, ipſe adoraſſet Principem ſacerdotum gentis Iudeæ?* Cui ille, *Non hunc* (inquit) *adoraui ſed Deum, cuius principatu ſacerdotis functus eſt.* Quod ſi Alexander ſacerdotem adorat illius religionis, quam ipſe ritu imbutus diuerſo abhorrebat; cur nos Redemptoris vicarium in teſtimonium religionis, & deuotionis non adorabimus? Abhorruit forſan Ieſus Saluator in pedibus oſculа? *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, et oſculabatur pedes eius Lucæ 7.* Attende, quòd Ieſus non ſolum mulierem laudauit, ſed Phariſæum damnauit qui oſculum non obtulerat. *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos.* Hiſce exemplis in eccleſiam Dei adoratio per oſculum pedis manauit ad poſteros, iuxta illud Eſaiæ cap. 49. *Erunt Reges nutritii tui, et Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, et puluerem pedum tuorum lingent.* Et illud Pſalm. 71. *Inimici eius terram lingent.* Alibi: *Et adorabunt eum omnes pingues terræ.* & c. 60. Eſaiæ. *Venient ad te curui filii eorum, qui humiliauerunt te, et adorabunt veſtigia pedum tuorum.* Hęc de Regibus inimicis, & alienis poſtea ad fidem conuerſis interpretari, magiſtri docent Cyrillus *l. 5. in Eſaiam.* Hieronymus *l. 14. in Eſaiam.* Auguſtinus, Proſper. Adiunge c. 26. Prophetæ. *Ciuitatem ſublimem humiliabit: Humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem. Conculcabit eam pes: Pes pauperis, greſſus egenorum.* Quis iſte pes pauperum? *Reges Meſſiæ* (reſpondet Galatinus l. 4. de arcanis cathol. ver. c. 27.) *qui Romam, atque Italiam humiliauit, cum ſublimitas Romani imperii Cœlum penè tangens, iugo Chriſtianæ fidei humiliter collum ſubmiſit, vſq; ad pauperum, & humilium Chriſti Vices gerentium pedum oſcula.* Accedat cum Auguſtino *tom. 2. ep. 42.* Chryſoſtomus Græcus, Patriarcha Conſtantinopol. *tom. 2. orat. contra Gentes. Roma, quæ urbium eſt regaliſſima, relictis omnibus ad ſepulchra Piſcatoris, et Pellionis currunt Reges, et Præſides, et milites.* Mortuorum ſi dicas adorata ſepulchra, cur viuentem Chriſti vicarium renuis adorare? Oſcula ſi fas cineres tractare defuncti ob vitæ honeſtatem; cur viuentes non honorabimus ob excellentiam ſacerdotii? & Dei maieſtatem, cuius vices gerunt? *Non hunc adoraui* (aiebat Alexander) *Sed Deum, cuius principatu ſacerdotii functus eſt?* Si hunc ritum adorationis per pedum oſcula Romana ſeruauit Eccleſia (teſte Sozomeno l. 7. c. 16.) erga omnes publicos Pænitentiarios; cur non Pontifici Maximo, qui Pænitentiariorum ſummus eſt, vt per oſcula pedum, auctoritatem ſupremam, &

au-

auctoritatem ſummam confiteamur, quæ nobis Deum veluti in corpore ſtantem demonſtrant. Nec aliquis offendatur *adorationis vocabulo, ſi quidem & Deum, & homines, & Angelos ſanctos adoramus* (teſte Anaſtaſio Epiſcopo Theopoleos ep. ſuper quibuſdam quæſtion.) *non omnibus tamen Latriam, hoc eſt cultum diuinum exhibemus. Dicit enim Scriptura. Deum tuum adorabis, et illi ſoli Latriam præſtabis. Quo in loco diligenter obſeruandum eſt, poſteriori voci dictionem,* ſoli, *adiunctam fuiſſe, quæ tamen erat in adoratione omiſſa. Quare licet nobis adorare homines, cum nihil aliud ſit adoratio, quàm honoris alicuius exhibitio, quaſi emphaſis et excellentia. Latria verò nequaquàm deferri debet, quia nulla ratione licet eos diuino honore afficere, quòd propriè eſt precibus, votis, et ſacrificiis colere.* Reddimus ergo Deo, Sanctis, Pontificibus, Sacerdotibus, Regibus, Magiſtratibus honorem ſuum. Suum cuiquè tribuimus. *Reddimus quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: quæ Dei Deo.* Theologica & religioſa eſt adoratio noſtra, quà Papam humiles proſequimur & fideles, non eam cum Ciuili confundimus, nec Diuinà. Huic aliquid detrahimus, illi adiicimus; vt infra diuinam ſit, & ſupra ciuilem. Ingeniculationem retinemus, tunſionem pectoris excludimus; Libamine etiam abſtineo, & ſacrificio, quæ ſoli Deo reſeruantur. Addimus oſculum pedum, quod hominibus infra Papam denegamus, vt Pontificia vel Religioſa & Theologica adoratio mediet, & interiaceat inter ciuilem, & Diuinã. Veluti *Nouitiam* hanc adorationẽ Græcus quàm inſulsè inſimulauerit Patriarcha; *Ordo* oſtendit *Romanus*, ideſt *Cæremoniale* ſcriptum & editum ante Gelaſium, in quo ſic legitur. *Diaconus oſculans pedes Pontificis*, quæ verba ibi ſæpè repetuntur. Huius religionis vis tanta, vt in legem vſus tranſierit. Vnde lib. 3. Sacrorum Rituum. Sect. 1. cap. 3. *Omnes mortales, & præſertim Chriſti fideles cuiuſcumq. ſint dignitatis, cum primum in conſpectum Pontificis aduenerint, diſtantibus ſpatiis debent ter ante illum genuflectere, & in honorem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, cuius vices in terris gerit, eius pedes oſculari.* Quare Gregorius VII. cum ornamenta Sedis Apoſtolicæ in literas retuliſſet, nono loco pedum oſculationem collocauit. *l. 2. Regeſt.* Accedat Innocentius III. *l. 2. myſter. Miſſæ cap. 37.* qui ſæculo vixit XII. Diaconus, & Subdiaconus *non manum, ſed pedes Romani Pontificis oſculantur, vt Summo Pontifici ſummam exhibeant reuerentiam, & eum illius oſtendant eſſe vicarium, cuius pedes oſculatur mulier illa, quæ erat in ciuitate peccatrix. Adorandum eſt enim ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt, cuius pedes tenentes mulieres reſurgentem à mortuis adorauerunt.* Quòd ſi Innocentium, quia Papam vt teſtẽ reiicias non idoneum: Philippus accedat Imperator, qui Anno 250. ante pedes Fabiani ſe proſtrauit Pontificis, teſte *Nicephoro l. 5. c. 25.* Iuſtinus ſenior, quùm pedes Ioannem Pontificem à Rege miſſum Theodorico, Anno Sal. 523. oſculo venerabundus excepit. Iuſtinianus II. qui Anno 710. Conſtantinum Papam oſculi pio officio coli iuſſit à filio, & ipſe poſteà coluit. *Carolus* ille *Magnus*, quum domita Europà ad genua Adriani prouolutus Pontificis, oſculis ſacros fatigauit pedes. Ludouicus Pius, qui Stephani V. pedes ter oſculis ſigillauit. Omitto ſequentes Lotharios, Carolos, Othones, ac ſucceſſores, quorum ſcribendi formula vſquè in hanc diẽ, *Pedum Oſcula Beatorum.* Quot enim in Orbe Catholico coronæ eminent Catholicæ; tot ſigna extant erumpentis in pedum oſcula pietatis. Fuit huius religionis theatrum Veneta ciuitas, in quà Alexander III. teſte Senatu Deorum, debitum ſibi à Friderico Ænobarbo exegit religionis tributum; cuius triumphi ne excideret memoria, cum aliò poſſet Pontifex conuenire, & confugere, in Galliam præcipuè, quò antea ſe receperat, locum Piſcatori ſolummodo putauit idoneum; mare; & Petro congruam Apoſtolorum Principi, domum Marci Euãgeliſtæ. Pium morem cum aliquando carperent legati Henrici VIII. Anglorum Regis, qui Maſſiliæ fortè aderant, cum Franciſcus I. Rex Gallorum Clementi VII. Pontifici Max. ex inſtituto maiorum, procumbens, & geniculatus pedibus oſculum impreſſit ſolemniter, verbis acerbis correpti ſunt. *Ite, et renunciate Regi veſtro Henrico, ſi ob hanc rem fœdus velit abrumpere initum, paratum me eſſe, et bellum ſuſcipere, et libenter in eo vitam profundere.* Ita ex *Paulo Æmilio*.

De Oſculatione pedũ Pontificis.

Si tam religioſa eſt oſculatio pedum (obiiciunt Heterodoxi) cur Petrus Cornelium Centurionem procidentem ad pedes eius, vt adoraret, eleuauit dicens: *Surge, et ego ipſe homo ſum?* Soluit Hieronymus, repulſum Cornelium à Petro, quia vellet Centurio cultum præbere diuinum. Hoc cognoſcitur ex Petri admonitione, *Nam et ego homo ſum.* Cogitabat ergo Cornelius quid altius de Petro. Quod cum aduertiſſet Petrus, honore monuit reiecto; *Surge: Nam et ego homo ſum.* Reſpondet ſecundo Chryſoſtomus, adorationem à Petro fuiſſe ob modeſtiam recuſatam, quòd nollet initio naſcentis Eccleſiæ, eos admittere honores, quos Gentiles diis ſuis tribuere ſolebant, ne Idololatriam foueret. Centurio namquè relictis Idolis, ad Chriſtum veniens, eodem Petrum proſequebatur cultu, quo Deos fuerat proſequutus. Vndè religioſa non fuiſſe adoratio, ſed diuina ſemper apparet. Humilitatis porrò exemplum, quod Petrus tranſmiſit in poſteros, Romani æmulati Pontifices, qui non magis dignitatis vindices, quàm modeſtiæ fuere aſſertores, inter quos Gregorius I. auctore Sophronio in *Prato Spirit. c. 151.* Abbatem Ioannem Perſam Romæ procumbere more volentem Catholico, præoccupauit ſe ſe ad illius pedes proſternendo, eumquè ſuppliciter adorando. Sic Leo. 3. Carolum Magnum, teſte *Aimoino l. 4. c. 90.* Gregorius V. Abbatem Nilum ab adoratione prohibuit, immò colentis manum eſt oſculatus. Hac humilitate cum ſæpè abuterentur impii, dum eà vterentur Pontifices, opus fuit vtrorumq. ſtudia coerceri. Hæc quòd anſam ſuperbiæ miniſtrarent: illa quòd ſuperba. Sancitum propterea *7. Synodo c. 14. Non debere Epiſcopos ante genua Principum ſæcularium ad eos adorandos procumbere; quamuis cum omni modeſtià illos debeant honorare.* Modeſtiam tamen ne obliuiſcerentur Pontifices, Deum præ oculis habentes, propter quem eis honorem impartimur; Crucem ſanctam affixere ſandaliis, vt eà excitarentur ad religionis obſequium: illi autem ad modeſtiam, & humilitatem. Conſuetudini tandem cuius initii non

eſt memoria, plaudat Photius homo Græcus, HetErodoxus Patriarcha Conſtantinopolitanus, hoſtis acerrimus Pontificum Romanorum. *ep. 1. ad Nicolaum. Oportet à veſtrâ omnibus quàm gratiſſimâ ſanctitate optimum ordinem eccleſiaſticum vbiquè ſeruari et Canonum rectitudinem cuſtodire, ne aliqui hinc ſinè literis commendatitiis ad eccleſiam Romanam accedentes familiariter ſuſcipiantur, ne ſub hoſpitalitatis ſpecie inimicitiarum ſemina diffundant. Quod ſi quilibet noſtrum ad tuam paternam Beatitudinem profectus, et tuis venerabilium pedum veſtigiis frui voluerit, mihi quàm maximè iucundum erit.* Hæc ſi canebat Photius cum diſſidia parabat, & cornua erigebat contra eccleſiam Romanam, cur diuerſus cum vnionem meditatur, & reconciliationem?

Redeamus modò ad Baſileenſes, qui inuidiâ frementes aduersùs Eugenium Ferrarienſis auctorem Concilij, adminiſtratione rei ſacræ priuarunt atque ciuilis. Septemuiri Alemanni ſacra faſtidientes diſſidia non Eugenio, non Baſileenſibus parebant. Carolus Rex Francorum Eugenium rogabat, acta in Baſileenſes intermittere iudiciaria, lataſq. in Baſileenſes reuocare ſententias. Reſpondente Pontifice, geſta abrogari inconſulto non debere Concilio; offenſus Gallus præſules ſuos Ferrariam vetuit accedere: indictoq. apud Bituriges comitio, ſanctionem tulit, quam *Pragmaticam* dicunt, quâ Concilium approbatum Baſileenſe in iis tamen, quę Gallis grata & opportuna: cætera omiſere. *Pragmaticam* hanc Romani non ſecus ac pernicioſam hæreſim execrati, adprobauere nunquàm. Immò Ludouicus XI. Rex Galliæ in Concilio conuulſit atq. damnauit Lateranenſi. Interim Ferrariæ ſpreto Gallorum, ac Baſileenſium fremitu, die 8. Aprilis apertum Concilium, & declaratum Æcumenicum à patribus Latinis, qui mithris redimiti conſidebāt numero 160. vltra Græcos; Nè vltra procederent; peſtis obſtitit, quâ ſeuiente

Gallorū Pragmatica

Concilium Ferrarienſe.

Florentiam transfertur.

12. *Florentiam* Anno 1439. declinarunt, commeatu Græcis erogato, pro quorum expenſis, 40. nummorum millia Eugenius mutuo acceperat à Florentinis mithrâ ſuâ in pignus oblatâ, teſte *Gennadio in literas Marci Epheſini*. Ibi poſt longas diſputationes, concluſum tandem

Spiritus Proceſſio.

13. *Spiritum Sanctum procedere à Patre, Filioq.* Quæ particula *Filioque* addita fuit ſymbolo *grammaticè*, non *Theologicè*, ideſt non tanquàm additamentum, vel fidei antiquæ & aduerſa catholicæ, ſed *declaratiua* priorum. Hoc non eſſe prohibitum & inſolitum, ſed conſuetum etiam primordio naſcentis eccleſiæ, Concilium oſtendit Epheſinum, in quo Cyrillum accuſabat Neſtorius, fidem corrupiſſe Nicænam, quia *Chriſtum* dixiſſet *Deum, et hominem ex duabus naturis, ſed in unâ perſonâ, natum ex Virgine, et hanc Dei genitricem appellabat*. De quibus cum in Concilio Nicæno nec verbum eſſet; hinc ex additione Cyrilli corruptam fidem inſimulabat Neſtorius. Contra hoc tamen declaratum ab Epheſino Concilio per additamenta Cyrilli, fidem non eſſe corruptam, quia Cyrilli additamenta non erant diſſona & à veritate aliena, ſed harmonica, & declaratoria ſynodi Nicænæ: vndè ſapere cum fide, & Nicæno ſymbolo Cyrillus eſt declaratus. *Concil. Epheſ. Act. 6.* Ita ſymbolo Apoſtolico per ſymbolū Conſtantinopolitanum additæ voces, *Deſcendit ad inferos*; quia nil addiderunt veritatis ſymbolum non dicitur auctum Apoſtolicum; ex aduerſo Neſtorium Papa Cæleſtinus reprehendit, quòd ex ſymbolo Apoſtolico detraxiſſet verbum Θεοτόκος, ideſt *Dei genetrix*, non quòd explicitè verbum contineretur in ſymbolo Apoſtolico, ſed implicitè. Cum itaquè maiori declaratione fidem explanare liceat; cur *Filioquè* non licebit ſcribere, cum Græci Latinis concordes ab vtroquè Patre, & Filio procedere Spiritum Sanctum non negauerint. Videatur Chryſoſtomus *homil. 38. in Io:* vbi iuxta illud *Io: 16. Omnia quæcumquè habet Pater, mea ſunt*. Dicit, omnia quæ habet Pater, habet etiam Filius, exceptâ *Paternitate*, per quam filius diſtinguitur à Patre. Si ergo pater eſt principium Spiritus Sancti, etiam filius neceſſariò debet eſſe principium Spiritus Sācti. Obiicienti Marco Epheſino additionem *Filioq.* fuiſſe cauſam ſchiſmatis; negarunt Latini, quia ex epiſtolis Hormiſdę Papæ ad Iuſtinum Imperatorem, qui fuit tempore quinti Concilii ſymbolum canebat eccleſia Romana cum illâ voce *Filioquè*. Item Toletana Concilia celebrata præſidente legato Leonis concordant: nec tamen ſchiſma erat. Item in Concilio VII. addens Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus *per Filium*, non ſuſcitauit ſchiſma. Videatur Maximus *ep. ad Marinum presbyt. Cypri*, etiam ante ſynodos æcumenicas ſeptimam, & quartam erat in ſymbolo vox *Filioquè*. His victi Græci, conuenientes cum Latinis declararunt *Spiritum Sanctum æternaliter procedere à Patre, & Filio tanquàm ab uno principio, et vnicâ ſpiratione*. Tantę vnioni cum vnus diſſentiret Marcus Ep. Epheſinus, tentauit eum Deus confutare.

14. *Vetera renouando miracula*. Primum, cum obiiceret omnes Græcorum patres à Latinis fuiſſe corruptos, *Calumniam* vt probaret ſeruum ſuum miſit ad Metropolitam Nicomediæ, vt codicem afferret ſancti Baſilii antiquum, in quo aſſerebat auctoritatem extare; Metropolita Nicomediæ per literas perſuaſus, *volens veritatem occultare, accepto præmonibus libro, cum veniſſet ad feneſtram cogitauit auctoritatem delere; et inuentò paginà in quò erat auctoritas, abyt, vt ferrum caperet, et illam deleret. Sed Spiritus veritatis noluit hoc fieri. Cum enim aer inſufflaſſet, et paginam vertiſſet, in quà erat auctoritas, ille præ celeritate aliam pro aliâ paginam ſecat; ſic accepto libro, et feſtinanter ad ſynodum allato, veniebat magnâ cum audaciâ Latinos victurus. Sed cum Dominus eius librum aperuiſſet, et auctoritatem integrā vidiſſet, obtorto oculo in famulum oſtendit illi, qui non ſine timore exclamauit. Sic me tuo preces adiuuent, Domine et ego paginam abſcidi; quomodo verò iterum integra ſit, neſcio. Hoc pacto auctoritate integrà repertà, pudore confuſi receſſiſtis, et nunc non te pudet dicere, quòd arguiſtis abſurditatem dogmatis Latinorum? oportebat procaldubiò te pudere talia dicere*. Ita Gennadius Patriarcha Conſtantinopol. *aduerſ. Marcum Epheſ.* Beſſarion etiam Cardinalis *t. 1. de ſucceſſu Synod. Florent.* Cum auctoritas S. Baſilij omnem dirimeret controuerſiam, eamq. à Latinis corruptam obiicerent Græci, poſtquam Byzantium rediit, diligentiâ accuratiſſimâ, codices peruetuſtos S. Baſilii perquiſiuit, in quibus integram cum inueniſſet, vt

Græci miraculo confutati.

aſſe.

aſſerebant Latini; recentiores verò codices à Græcis proditoribus corruptos; veritatem euulgare, opus credidit viri catholici, & eccleſiaſtici. Tantum Theſaurum Beſſarion cum obiit, religioſiſſimæ Reipublicæ Venetæ tradidit cuſtodiendum, vt in eo Latini legerent & Græci fidem primæuam, ac Sanctorum elucubrationes incorruptas. Patent legenti diebus hodiernis in Bibliothecà publicà S. Marci. *Quam ni Dominus cuſtodierit, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*. Non ceſſauit tamen Marcus (vt ad eum redeamus) aduersùs ſacram ſynodum blaſphemare; hinc non ſolum Gennadio teſte, ſed etiam Sguropolo heterodoxo, vocatus ad ſynodum, ſe excuſabat, quia à Dæmonibus in ſomniis verberatus, flagellis iaceret penè confoſſus. Sordidè auarus homo iſte, cum imaginem S. Eugenii pinxiſſet, & cum elogio obtuliſſet Eugenio Pontifici, vt aurum expiſcaretur, voto fruſtratus, blaſphemias (teſte *Gregorio Hieromonacho* p. 698.) effutire non deſiitit, donec præ triſtitià abſorptus animam cum ſtercore per os efflauit. Gennadius *p. 51. pro Conc. Flor*. S. Antoninus *3. p. tit. 22. c. 51.*

Alio miraculo voluit Deus monſtrare, & ipſum adfuiſſe Concilio. S. Bernardinus cum magno cru-

S.Antonini miraculum.

ciaretur dolore, quòd Græcum non calleret idioma, rogauit Deus, vt Græcis reuelaret ad intelligendum ea, quæ dicturus erat. Mox feruenti ſpiritu ſuggeſtum aſcendens, cœpit Græcè concionari tantà eloquentià, ac ſi in Græcià natus eſſet. Sed Deus loquebatur per eum. Nam à ſuggeſtu deſcendens, inexpers iterum Græci idiomatis, intelligebatur ſolumodò à Latinis.

Illud tandem non prætermittendum; cum antè promulgationem decreti de proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & Filio; morbo implicitus mortali Ioſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus agnoſceret diem ſibi extremam inſtare, petito calamo verbis ſubſcripſit ſequentibus. *Quoniam ad finem*

Græcus Patriarcha cum Latinis concordat.

vitæ meæ perueni, ſoluturus iam commune debitum, Dei gratià ſcribo, et ſubſcribo ſententiam meam apertè vniuerſitati filiorum meorum. Omnia igitur, quæ ſentit et quæ dogmatizat catholica, et apoſtolica eccleſia D. N. I. C. ſenioris Romæ, ipſe quoquè ſentio, et iis me acquieſcens do; et dico. Profiteor quoquè beatiſſimum patrem patrum, et maximum Pontificem, et vicarium D. N. I. C. antiquæ Romę Papam ad certam omnium fidem, nec non purgatorium animarum: in horum quippè fidem ſcriptum eſt die menſis Iunii nono, An. 1439. Ind. 9. Ioſeph miſeratione diuinà Archiepiſcopus Conſtantinopolis, nouæ Romę, & œcumenicus Patriarcha. Inanis hic titulus *Œcumenici*, & ab anteceſſoribus perperam vſurpatus, à Ioſepho conſuetudine retentus, ab Eugenio prudenter toleratus, ne Græcos offenderet, cum & abuſiuè ſumptum vocabulum alias patiatur interpretationes quàm *Vniuerſalis*, quo ſenſu vſurparunt Græci, ſed non plauſere Latini. Ioſephi teſtamentum habes apud *Andream S.Crucis*, & Heterodoxum *Sguropolum*.

15. *Syri, Arabes, Armeni, Indi* ad ſedem miſere Romanam, regnante Eugenio IV. De *Armenis* lege Concilium Florentinum: cum quo concordat nummiſma in quo ab vnà ſedet Eugenius ornamentis redimitus Pontificalibus. Ex alterà coram imagine S. Petri Imperator procumbit Paleologus à dextris, Græcorum nomine, fidem vouens, & obſequium. Idem præſtat Armenorum legatus à ſiniſtris, vt ex inſcriptione. *Sub Eugenio P. P. IV. An. C. 1439. vniti ſunt Græci Armeni in Synodo Florentinà cum ſanctà ſede Apoſtolicà.* De *Dardanes* vulgo *Boſnes* lege literas Eugenii *p. 77. l. 23.* Conſonat Memoria in Baſilica Vaticanà

Schiſmatici pœnitētes.



Eugenio IV. Pontifice Græci Armeni Æthiopes ad fidei vnitatem redeunt.

De Indis vltra Eugenii epitaphium ſepulchrale, in portis æneis Vaticanæ Baſilicæ carmina lege ſequentia.

Vt Græci, Armeni, Æthiopes hic aſpice, vt ipſam
Romana amplexa eſt gens Iacobina fidem:
Sunt hæc Eugenii monumenta illuſtria Quarti
Excelſi hæc animi ſunt monumenta ſui.

Pro Iacobitis lege *Vvadingum tom. 5. p. 360.* & Ethiopibus.

16. *Felicem etc.* Annum tertium agebat Florentina ſynodus; nec adhuc impietas quieuerat Baſileenſium, *Alberto* torpente Cæſare, & comitia non prohibente. Eo namq. furore perciti, vt Anno 1439. dum Moguntiæ conueniſſent Cæſar, Electores Imperii, Oratores Regum Galliæ, Caſtellæ, Ducis Mediol. ipſius Conciliabuli Baſileenſis, legatus Patriarcha Aquileienſis; Nicolaus Cuſanus Eugenii legatus (quo inuito decreta Baſileenſium ſuſcepere Germani teſte Syluio *hiſtor. Concil. Baſil.*) eodem tempore minoris ordinis ſacerdotes Baſileæ ſtantes, auctore *Nicolao pſeudoDominicano*, patrià Burgundo, velut rabidi canes non ſolùm Concilium eſſe ſupra Papam, & ab eo diſſolui non poſſe, ſed *hoc credere* de fide eſſe, cui cum monitus adhuc repugnaret Eugenius ne officio deeſſet Apoſtolico: eũ verò *hæreticũ & prolapsũ* declarare conarētur; *Abbas Panormitanus, qui antea aduersùs Eugenium pro auctoritate orauerat Conciliorum, rei indignitate commotus, de nullitate proteſtatur, ſe non agnoſcere clamabat Eugenii peccatum, qui ex Cardinalium conſilio eccleſiam repræſentantium Romana in cuius tanta eſt auctoritas, vt eius iudicium toti Orbi præponatur; Diſſolutionem tentaſſet Concilii. Nec inuenire vnquàm ſacrum Concilium aduersùs Eugenium tanquàm hæreticum proceſſiſſe. Et licet in eum minorum ſacerdotum turba clamaret, maior tamen præſulum Baſileenſium pars tantum facinus exhorrebat, in quibus totius poteſtatis Concilii reſidebat. Vndè non ferendum, vt ipſis ſpretis, quòd maiori inferiorum parti placebat, concluderetur. Apoſtolis namq. & eorum ſucceſſoribus, qui Epiſcopi ſunt, datæ ſunt à Domino claues. Tria cum ſint ſynodorum genera, Epiſcopalis, Prouincialis, & Generalis, nullaq. ſine Epiſcopis ſynodus fieri poſſit; indignus planè mos iſte Concilii, in quo non quiſq. dignitate polleret, ſed quàm multas habere ſe-* cum

Decreta Baſileēſium in Papam.

enim voces penſtrueretur ut tam Epiſcopi iuxta famoſam Clementis epiſtolam ſint columnæ & Cæli claues. Inferiores verò cum eis non deciſiuam, ſed conſultiuam vocem habeant. Vndè futurum ſit hac vire ſcandalum, ſi ſinè Epiſcopis res fidei terminetur. Quàm iniurioſum etiam oratoribus Principum Moguntia exiſtentibus non expectari; cùm non ſuas ob commoditates, ſed Reipublicæ tantùm causà, & pro bono pacis abeſſent, nec oblitum ſe fore, quòd ipſis abeuntibus nomine omnium ſupplicaſſent, nè quid in eorum abſentià in rebus Eugenium concernentibus innouaretur. Subiecit etiam Ludouicus Romanus protonotarius ſolos Epiſcopos habere ſententiam decretoriam in Conciliis; ac ſi inferioris gradus eſſent admiſſi, id non valere, vbi alij repugnarent. *Adducebatq.* (Æneà teſte) *virum maximæ auctoritatis Conchenſem Epiſcopum in teſtem, qui nullam incorporationem populi æquo animo ſuſtinuit.* Cum verò Cardinalis Arelatenſis nefarios errores moliretur impetu promulgare præcipiti; contradixit ei Epiſcoporum ordo, excepto Archiep. Turonenſi, & paucis Epiſcopis Titularibus, nouarum rerum cupidis. *Erat vbiq. clamor* (teſte Æneà) *vbiq. ſtrepitus, vbiq. iurgia eff undebantur; nunc Ludouico ſermo erat, nulli tamen ſinè feſtinantià loqui licebat, Epiſcopi cum Epiſcopis, inferiores cum inferioribus rixas habebant verbales, omniaq. contentionibus & probris reſonabant. Quæ cum vidiſſet Ludouicus Patriarcha Aquileienſis verſus ad Panormitanum, & Ludouicum Protonotarium: Nec credite (inquit) rem ſic abire. Germanorum neſcitis mores, namq. ſi ſic proceditur, nequaquàm fas erit integris capitibus hanc exire prouinciam. Quo verbo veluti cæleſti fulmine tacti* Panormitanus, *Ludouicus, & Mediolanenſis vno impetu aſſurgentes: Libertas* (*inquiunt*) *nobis eripitur? Et quid eſt, quòd frangenda capita nobis Patriarcha minatur? Verſiq. ad Ioannem comitem de Tierſtein, qui tunc locum protectoris tenebat, ſciſcitati ab eo ſunt, an protegere concilium vellet, omneſq. in libertate tutari?* Nonnulliſq. interiectis verbis: *Cum obiectum Ludouico protonotario eſſet, ipſum Louanij & Colonia eas veritates prædicaſſe, quas modo promulgari nollet, aſſurgens ille (verum eſt ait) illas me apportaſſe veritates, vos tamen eas fidei veritates nuncupatis: quæ adiectio mihi ſubdubia eſt. Cumq. hæc dixiſſet; quærebatur Arelatenſis, vt concordatum virorum duodecim legeretur, pluresq. ſibi in aures ſibillabant, ne ſententia flecteretur. Panormitanus verò, vt captum eſt legi concordatum, aſſurgentibus ſecum collegis & aliis Aragonenſibus altiſſimè clamans, quòd niſi planè & moratè loquens, exaudiebatur nemo. Vos (ait) Patres, noſtras contemnitis preces, Reges & Principes contemnitis, Prælatos contemnitis, at cauete nedum omnes deſpicitis, ab omnibus deſpiciamini. Vultis concludere, ſed veſtrum non eſt concludere. Nos prælatorum maior pars ſumus, concilium facimus, ad nos concludere ſpectat, egoq. nomine prælatorum ſuperſedendum eſſe concludo. Quo verbo tantus exortus eſt clamor, quantus ſolet in prælijs tubarum clangor, & equorum fremitus audiri, cum ſignis collatis duo inuicè concurrunt exercitus. Alij quod Panormitanus effeciſſet, execrantur. Alij probant, fiuntq. diuerſa ſtudia, diuerſæ contentiones.* Sedato paululùm tumultu, perorauit Io: Segobienſis in fauorem Arelatenſis, ſermonem concludens ſophiſmate illo, quod in cauernis elaboratum hæreticorum. *Quid hic aut prælatos expectemus? aut principes? quærenda non eſt alia poteſtas, vbi præſens eſt diuina maieſtas?* Protinus tamen iteratæ ſunt turbæ. Suis prælati non inſidebāt ſubſelliis; ſed vt quemq. trahebat affectio alii Arelatenſem, alii Panormitanum adibant quaſi principem quiſquè ſuum; aut exercitus Imperatorem adhortabantur. Hos inter clamores Oratores Principum ex Moguntino rediere conuentu, habitiſq. inter ſe conciliis, decretum impedire ſtatuerant. Sed eos Arelatenſis inſigni proditione deluſit. Die namq. ſeſſionis, quæ admodum frequens fuit, mandauit per Lubecenſem Epiſcopum, & Conradum de Vvinſperg protectorem Concilii ad chorum eccleſiæ vocari, ibique ſpecie pacis verbis detineri, donec ipſe inter ſacerdotes minores concordata legeret, in quibus etiam illud erat, vt ad placitum Arelatenſis indiceretur ſeſſio. Ita factum. Oratores Principum vt rem geſtam intellexerunt, turbati admodum dimiſere colloquia, Lubecenſi omnia imputantes, qui eos dolosè detinuiſſet in choro, ingreſſiq. concionem, totum templum querimoniis impleuerunt. Turonenſis tunc Archiepiſcopus vt Oratores Principum placaret reſpondit: vſquè ad futuram ſeſſionem, in quà lex promolganda erat, & animam receptura, liberam omnibus eſſe dicendi facultatem. Ante eamq. ſeſſionem lex adprobata non erat. Sentiebat Turonenſis aduerſùs Eugenium pro conciliabuli auctoritate; ferocientis tamen diſplicebat tyrannis Cardin. Arelatenſis, qui palam ab omnibus ferè Epiſcopis & Oratoribus principum fuit redargutus, in eccleſià Dei, cum coniuratis ſuis, ſacerdotibus infimis, Catilinam agere. *Conchenſis* (teſte Æneà) *Epiſcopus, Orator Regis Caſtellæ, qui & ipſe nuper ex Moguntià venerat, vir plura intelligens, quàm explicare ſciat, grauiter queſtus eſt contemni omnes prælatos. Nec fuiſſe rem magnam (ait) ſi expectati fuiſſent, qui Moguntiam non voluptatis ſed neceſſitatis causà, & cum grauibus ſumptibus & periculis petiiſſent. Poſt quaſi ſubridens, Ah demens (inquit) ego quid expectari prælatos ex Moguntià volo, cum nec etiam ex choro huius eccleſiæ expectati ſint. Facito ergo, vt libet. Si quid hinc ſcandali, ſi quid mali euenerit, neq. nos & Oratores Caſtellæ inculpandi ſumus, neq. Rex noſter. Mediolanenſis quoquè Archiepiſcopus, quòd eius rei exitum periculoſiſſimum iudicabat, in auctorem Arelatenſem acerbiſſimè conuitiatus eſt, ipſum eſſe, qui copiſtarum, pedagogorumq. gregem nutriret, remq. cum eis fidei concluderet, aliumq. Catilinam vocitans, ad quem deſperati & perditi omnes confugerent, illorumq. ipſum eſſe Principem, et cum illis eccleſiā regere nec in re omniam maximè magis prælatos et magnorum principum oratoribus auſcultare.* Eadem reſonarunt cæteri Epiſcopi, & Principum Oratores. Ludouicus ipſe protonotarius (Æneà teſte) qui cum Panormitano conciliarem auctoritatem prætulerat Pontificiæ, modò ambo tyrannidem re, verbis abhorrebant Arelatenſis. His omnibus fraudolosà Oratione donatus occurrere Arelatenſis, cum impium decretum pronunciare incæpiſſ, repugnarunt palam Oratores Principum cum maxima Epiſcoporum parte, vt auerterent ſchiſma. *Obtinuit tamen Arelatenſis* (Æneà teſte) *lectā q. forma decreti vſq. adaerbum decernimus*

aſſer-

Turbæ inter Baſileēſes.

aſſurgens Panormitanus nihil paſſus eſt vlterius audiri. Indecorumq. eſſe clamabat Epiſcopus Cathanienſis, ſolum Arelatenſem cum paucis & titularibus Epiſcopis rem concludere. Clamabant et omnes qui Panormitano fauebant. Cardinalis quoq. Terraconenſis, qui vſq. ad eam horam ſiluerat, grauiter ſuos caſtigabat, qui velut dormientes proteſtationem non legerant, familiaribusq. illico vni ex ſuis, vt proteſtationem legeret, mandauit. At ſicut antea lecturam concordatorum aduerſarij perturbabant, ſic nunc patres Concilij aduerſariorum proteſtationi locum non dimittebant. Mathaus tamen legit Albinganuenſis Epiſcopus, at cum ſtrepitu audiri non poſſet, legit ſibi. Quo finiente, Longobardi, & Caſtelani proteſtationi adhaſerunt. Cardinalis quoquè Terraconenſis, et omnes ferè Aragonenſes, Longobardiq. et Caſtellani diſceſſerunt. Arelatenſis verò cum paucis Epiſcopis & ſeditioſis decretum promulgauit iniquum *Concilium eſſe ſupra Papam, nec à Papa transferri poſſe nec diſſolui, veritatem eſſe fidei catholicæ, cui repugnare hæreſim eſſe. Seſſ.* 33. Die poſtea XVII. Kal. Iun. ſeſſionem iterum coniuratorum habuit Arelatenſis Pontificem exauctoraturus, obnitentibus iterum maiore parte præſulum, & Oratoribus Principum. *Nullus enim (* Æneà teſte *) Aragonenſium prælatorum interfuit, nulluſq. omnino ex totà Hiſpaniâ, ex Italiâ ſoli Croſſotanus Epiſcopus et Abbas de Donà. Ex duabus aliis nationibus mitrati fuerunt ſolùm viginti* qui ab Epiſcopatus honore ob flagitia deiecti, vel titulos gerentes inanes, quibus perperam à ſchiſmaticis decorati, vel ex ſchiſmatis flagitio ſpem turpis lucri conceperant. Arelatenſis verò pſeudoCardinalis à maximâ Epiſcoporum parte deſertus impiâ vſus fraude (cum Epiſcopi abeſſent) Sanctorum reliquias per manus ſacerdotum minorum in locum intulit pſeudoſynodi, vt earum religione & timore adducti crederentur in Eugenium tuliſſe ſententiam qui locum tenebant Epiſcoporum. Poſt latam à Baſileenſibus nefariam de abrogato Pontificatu ſententiam, quem Orbis colebat vniuerſus: peſtis Baſileam inuaſit, quà pars abſumpta ſchiſmaticorum. In his fuere *Lodouicus Pronotarius*, qui ſcriptis ſuis auctoritatem Conciliabuli propugnabat. *Ludouicus* Aquileienſis Patriarcha adeò ferus hoſtis Eugenii, vt inuitis Epiſcopis capitalem tulerit in Eugenium ſententiam. Antipapam iſte, quem meditabatur cum videre non potuiſſet, in eo conſolatus receſſit, quod *Eugenium depoſitum vidit, latuſq. nuntium aliam portauit in orbem.* L. 2. De Geſtis Baſil. Æneas. Fuit eorum obitus amariſſimus ſchiſmaticis, *duas Concilij columnas proſtratas* dicentibus. Exceſſere etiam ſchiſmatis ſignifer Epiſcopus Lubecenſis, qui Principum Oratores circumuenerat, ne impiæ ſynagogæ decreta diſturbarent. Deniquè Ænea teſte, *Omnis ordo Patrum confuſus fuit. Ex doctoribus magnus numerus defecit.* Tantis ſchiſmaticis amiſſis Arelatenſis deſerere tamen Baſileam abnuit, ne reliquiæ imperfecto diſſoluerentur facinore. Ineunte itaq. Octobri ſanxit ſchiſmaticorum turba, vt triginta duo cum Arelatenſi conuenirent: in quibus deligendis, poſtquam variè certatum, Thomam Abbatem è Dunduno, Ioannem è Segobia Metenſem Archidiaconum, ac Thomam è Corcellis Canonicum Ambianenſem electores deſignarunt, qui latis inter ſe ſuffragiis eligerent viginti nouem collegas. Eò quippe audacia creuerat, vt ſchiſmatici ſacerdotes non ſe æquarent Epiſcopis, ſed præferrent. Ad tantum flagitium Orbis licet horreret vniuerſus; ipſi obdurati perfidiâ, cum dies aduenïſſet publicandi electores futuri pſeudoPontificis, *Arelatenſis (* teſte Æneà Syluio *) in tantà re anxius et pluribus occupatus negotiis aliquantò tardiùs venit, quàm tempus exegit, expectationemquè ſui non ſinè admiratione omnibus præbuit, qui tamen vt ad ſubſellia reſedit, morà ſuà primitùs excuſatà: Hodiè (inquit) magna res agitur, in nominatione, qua ſtatim aperietur, pēdet Status Eccleſiæ. Si tres viri, quibus rem commiſiſtis, benè egerint, fateor quippè tardiuſculè veniſſe, ſi autem malè; nimis cito adſum. Quæ verba et ore pallido, atq. ex abundantià cordis pronuntiauit; qui ſi locutus aſpectu triſtis, animo turbatus et oculis minax cũctis terrori erat, tantumq. mentis mærorem oſtendit, vt plurimi collacrymati ſint, qui eius in fronte ſtatum ſuum condiſcunt; verebatur namq. ne tres viri, ſpretis maioribus Prælatis, plures ex inferioribus accepiſſent; quæ res eò erat ſuſpectior, quoniam ſcire aliquid nunquàm de mente triumnirorum potuerat, qui vt corrugatam nunc Cardinalis frontem inſpexerunt, quaſi poſt coruſcantem aerē ad ſuſtinendam procellam ſe parauerant. Timor tamen omnibus fuit, ne illo iterum die ſcinderetur Eccleſia.* Ne autem in electorum numero omiſſiſe ſpretos crederent, *præfatiunculam præmiſere triumuiri, cogitatam ſe maximè habuiſſe, quos viros intra conclaue reciperent, quoſq. extra dimitterent, opuſq. ſibi viſum fuiſſe, non minus extrà, quàm intus viros habere ſenſatos, qui & conclaue tuerentur, & fieri nouitates in ſynodo prohiberent; idquè ex Platonis ſummi Philoſophi præceptis ſe didiciſſe, qui rectores ciuitatum ſic curare totum Reipublicæ corpus iubet, ne dum partem aliquam tueantur, reliquas deſerant, quæ res eos etiam commonuerit electores quoque ſic per Prouincias nominare, ne honorata alia, neglecta alia viderentur. In electis vero magnam curam habuiſſe, nec vel Epiſcopum ſine plebe, vel Abbatem ſine monaſterio ſumerent. In omnibus autem per ſe nominatis aut bonitatem ſingularem, aut nobilitatem cum bonitate, aut ſummam ſcientiam cum bonitate, & nobilitate ſe inueniſſe; & in Epiſcopis quidem cum Cardinali, qui Epiſcopus eſſet, numerum eſſe Apoſtolis æquatum; Abbates ſeptem, Theologos quinque, Doctores & Luminatos nouem, omnes autem in Presbyteratus ordine conſtitutos &c. His dictis aliquantiſper multitudinem placauerant, facto miro inter omnes ſilentio, aperta ſunt nominationis tabulæ, quas Io. Segouius legit, fuitq. omiſſus in illis nationum ordo: oneroſum enim Triumuiris putatum eſt nationem rationi præferre. Ideoq. vt quiſquè prior aut prælaturâ, aut dignitate fuit, ſic priùs eſt nominatus.* Horum Doctorum, qui ſordidi omnes pædagogi dicuntur fuiſſe; tantus ambitus, vt Epiſcopis cedere noluerint; vndè cellulas ſorte diuidere coactis Epiſcopis; primum locum Decanus tenuit Baſileenſis, poſtremum Epiſcopus Dertuſenſis. Pro conclaui locus delectus in medio ciuitatis, qui ad vſum chorearum fuerat extructus. Dignum quippè laſciuiæ theatrum, in quo tripudiantes dæmones conflato ſchiſmate triumpharent. *Confecto primo ſcrutinio, compertum eſt plurimos eſſe in Papam nominatos, nul-*

Decretum iniquum contra Papam.

lum tamen habere voces ſufficientes, ſeptemque, & decem eo ipſo die ex diverſis nationibus ad Pontificatum fuiſſe vocatos conſtat, unus tamen omnes ſuperavit Amedæus Dux Sabaudiæ, decanus militum S. Mauritii de Riparià Gebennenſis diœceſis, &c. Et quia proximior aliis Amedæus Romano Pontificio videbatur, habiti ſunt in communi ſermones multi de vitâ, & moribus eius, & alii non eſſe homini laico citò imponendas manus dicebant, quod videbatur omnibus monſtri ſimile, principem ſæculi ad Romanum Pontificium acerſiri, quæ res nimium eccleſiaſticis derogat viris, quaſi nullum haberent tanta idoneum dignitati. Pluribus porro interiectis, ſurrexit ex electoribus unus, qui in laudem Amedæi plura congeſſit. Obiicientibus Amedæum fuiſſe uxoratum, ita reſpondit: *Quod de uxore dicitur, nihili pendo; cum non ſolùm qui uxorem habuit, ſed uxorem adhuc habens queat aſſumi. Cur enim diſputant doctores, an uxoratus electus in Papam uxori debitum ſolvere teneatur? niſi quoniam etiam coniugatus recipi poſſit? Fueruntque ut ſcitis, etiam in matrimonio Pontifices, nec Petrus Apoſtolorum Princeps uxore caruit. Quid iſta modo obiicimus? Fortaſſe non eſſet peius Sacerdotes, quàm plures uxoratos; quoniam multi ſalvarentur in ſacerdotio coniugato, qui ſteriles in preſbyteratu damnantur.* Æneas Sylvius. Eodem argumento uſus eſt Lutherus, cum monachos ab aſceterio, & laſcivos ſacerdotes ad lupanar traduxit. Adiecit orator: *Conſiderate (oro) pauliſper quibus in terminis ſimus, quibus anguſtiis premimur, quibus periculis agitamur. Quis principum eſt huic ſacro Concilio obediens? alii nec Concilium hic eſſe fatentur; nec mandata noſtra ſuſcipiunt; alii verbo Concilium hic eſſe dicunt, facto apud Florentiam eſſe oſtendunt. Quamvis verbis, & literis eccleſiam hic eſſe non negent, promotiones tamen apud Gabrielem depoſitum procurant. Hic eſt ſtatus eccleſiæ, his procellis novis illiditur: ſurrexerunt filii impii adverſus matrem, qui non ſuſcepti lactis, nec materni laboris memores eam ſpernunt, eam lacerant, eam colaphizant. Quid hic faciendum? nudum ne hominem eligemus, qui noſtris Principibus magis deriſui, quàm venerationi habeatur? non ſunt hodie ſæcula, quæ virtutem reſpiciant.* Infra: *Ridiculoſa eſt ſine potentià virtus: nec aliud eſt Romanus Pontifex ſine patrimonio eccleſiæ quàm Regum, & principum ſervus. Quod prævidens divina maieſtas Romanam eccleſiam dotari per Conſtantinum, & locupletari voluit, ut qui ſpreto ſpirituali gladio adverſus fidem, & bonos mores tumultuarentur, potenti brachio poſſent compeſci. At cum hodie terræ eccleſiæ partim per Gabrielem, partim per alios occupentur tyrannos, providendum nobis eſt, ut virum talem eligamus, qui & recuperare patrimonium queat eccleſiæ, & in quo Chriſti vicariatus non contemnatur, cuiuſque potentiæ clypeo eorum contumacia conteratur, qui rationem contemnunt, & veritatem. Ad quas res nemo (ut mihi videtur) aptior eſt* Amedæo Duce Sabaudiæ, *qui alterum in Italià, alterum verò in Gallià pedem habet: cui omnes ferè Chriſtianorum principes aut ſanguine attinent, aut amicitià favent, cuiuſque quanta ſit virtus, iam ſupra retulimus. Quid igitur hunc horreamus eligere? nemo eſt, quem magis ſibi adverſum dari Gabriel, quàm iſtum timeat. Pereat igitur eo gladio, quo peccavit. Nemo eſt qui magis pacare eccleſiam, quàm iſte poſſit. Quæritis in Pontifice devotionem? nemo devotior. Quæritis prudentiam? ex anteactà vità intelligitis, quis ſit. Quæritis iuſtitiam? populus eius eſt teſtimonio. Potentiam, ſive virtutem efflagitatis? hic omnia ſunt. Quid moramini, &c.* Ita de Amedæo Sabaudiæ Duce ſuo, pleno ore reſonabat magnalia unus ex electoribus natione Sabaudus; inter namquè triginta tres electores, duodeviginti fuere Sabaudi; quos *Amedæus* intruſerat in conclave, ut Papatum uſurparet, cuius gratià hypocrità triſtis in eremum ſeceſſerat eremitæ habitu, ut ſimulatæ religionis fructu raperet tunicam Petri. Et quia plura Æneas Sylvius in libris *De Geſtis Baſil. Concilii*, quos poſtea *Pius* retractavit, in laudem *Amedæi* conſarcinat, audiamus etiam reliquos, & veraces eius temporis hiſtoricos, inter quos Flavium Blondum, *Dec. 3. l. 10. Cum Albertus Auſter Cæſar declaratus arcendis Pannoniæ finibus Turcis intentus diem obiiſſet; congregata apud Baſileam factio conciliaris, illius liberata metu in facinus, quod tàm perditè, diu conceperat prorupit, Amedæo Sabaudiæ Duce in Romanum Pontificem declarato;* iuxta vaticinium S. Malachiæ. *Amator Crucis*: quia *Amedæus* nomine *Crucem* ferret in ſtemate. Huius in electione certavit *ſimul obcæcata paucorum, & quidem abiectiſſimorum hominum Eccleſiam ſcindere quærentium rabies cum inauditâ aliàs principis viri affectata in rem Eccleſiaſticam tyrannidis levitate: is enim, quod ante proximum decennium multis narraſſe novimus, prædictam ſibi à pythonibus futurum, ut Pontificatu Romano decoraretur, ducatus dominiiq; quod poſſideret, & ingentis curam natis ſpecie reliquit, & anachoritæ vita ſolo habitu inſtitato, etſi remoto ab urbibus vico cum paucis nobilibus ſimile operis pallio degeret; omnia ut erat ſolitus ducis atque domini provinciarum munera exercebat. Concilio autem Baſileenſi intereà, quandiu Romani Pontificis Eugenii conſenſu celebratum fuit, paucos præſtitit favores, ſed poſteaquam Pontificem, & urbis Chriſtiani principes illud tanquàm pernicioſum deteſtari vidit, omnes eo augendo manuque tenendo adhibuit vires: adeo ut quibus temporibus proximo ſuperiore exacto biennio ſuſpenſionis ab adminiſtratione primum, deinde privationis machinationes in Pontificem ſunt intentata, impulſi à Duce Sabaudiæ clerici aliorum, qui apud Baſileam ei interfuerunt impietati numerum æquaverint; quibus in rebus adeo contraria ſenſit Philippus Mediolanenſium Dux, ut licet illi gener eſſet; & multa ſibi olim cum Eugenio Pontifice interceſſiſſent odiorum atque inimicitiarum cauſæ, magnam ſuorum partem ab eo conciliabulo revocaverit; paucos verò, qui manſerunt nedum illis actionibus intereſſe voluerit, ſed contra ſimul cum aliis principum oratoribus proteſtari curaverit: quare cum ad idoli erectionem eſt ventum, ex quinque nationibus, quæ concilia conſtituere conſueverant, ſelecti ſunt (quibus ſuffragium fere conceſſum eſt, tres, & triginta) quorum duodeviginti ex Ducis Sabaudiæ dominio fuere, cum tamen cæteros homines ſordidos; & maiori ex parte ob admiſſa apud ſuos flagitia ſedibus propriis pulſos illius largitione corruptos fuiſſe conſtiterit.* Conſentiunt Langius in *Chron. Citiz.* Gobelin. *in Comment.*

An coniugatus poſſit eſſe Papa;

Aſtus Amedæi Sabaudi.

Eligitur Antipapa.



EVG.PP.IV.MONVMENTV.AD.CENOB.IN.LAVRO.
TRANSLATV.

ment. Poggius Florentinus invectivâ in Antipapam p. 56. cuius verba. *Adverte quaſo animum ad illam tuam in Sathanæ thronum deflendam aſſumptionem, & cunctis gentibus deteſtandam. Inſpiciamus à quibus hominibus tua præſumptio facta eſt, quàm bonis, quàm ſanctis, quàm religioſis. Qui ergo tui ſolii artifices extiterunt, ut ex eo Felicis nomine fueris expiſcatus? Homines certè ſummæ authoritatis, ſummæ virtutis: apoſtatæ perfidi, homines fraudolenti, corde improbi, animo facinoroſi, deteſtandi, ſacrilegi, infames ex turpitudine omnium gentium à te collecti, qui ne infimam quidem ullam dignitatem, nedum ſummam aut oculis aſpicere, aut mente concipere potuiſſent, perditi ſathanæ alumni viri ſceleſti, omnium ignominiâ noti, nati ad paſtum, ad farciendum ventrem creati. Sed eefferamus hanc veluti prætoriam cohortem præclariſſimorum militum ad crucifigendum verum Chriſtum in Pilati atrio congregatam. Italici, ut aiunt, quatuor. At ex quâ Italiâ? explica illam paululum, ex Galliâ Ciſalpinâ, ex his gentibus, quibus Italia noverca eſt, omnes tibi ſervi adſcriptiti, tibi ſubditi, quibus imperare poſſes, de induſtriâ à te in perfidâ arce collocati, homines, qui corpus & animam pro te perdere eſſent parati. O Italiam mendicam, ne dicam inopem excellentibus viris: Siquidem ex omni ornamento Italia non reperiuntur niſi ciſalpini homines ruſtici, ignobiles, contempti, abiecti ora cutecis, qui ad electionem, ut volunt, Pontifices deputentur. Sed ſummo conſilio, atque adeo egregiâ conſcientiâ à te factum fuit; noluiſti enim reliquam Italiam eſſe tanti ſceleris participem, tantâ notâ turpitudinis infamem*. Sic B. Ioannes Capiſtranus p. 3. de auct. Papæ & Cōcil. *Novatianus per ſchiſmaticos volebat eligi, quem Cyprianus reprobans inter adverſarios & Antichriſtos computat, ſubdens: Eccleſia una eſt, quæ una, & intus, & foris eſſe non poteſt, &c. Paria de* Amedæo *dici poſſunt, nam regnum non capit duos, &c.* Et infra. *Iam videmus abominationem deſolationis* Amedæum Sabaudienſem *non in loco Sancto, Romano throno, Domino prohibente; ſed in loco profano, excommunicato; & interdicto Baſiliſcorum ſpeluncâ, dæmonumque catervâ ſedentem in fano Coſrhoe Perſarum olim peditiſſimi Regis*. Anno itaque Sal. 1439. nonis Novemb. *Amedeus* eligitur vel profanatur in pſeudoPapam vocibus 26. Vbi primum tanti flagitii ad aures pervenit *Eugenii*, illicò Reges hortatus eſt, ne eccleſiam ſcindi paterentur ab impiis. In Galliâ tamen beneficio uſi Canonici Andegavenſes Baſileenſis diſſidii, vigore Pragmaticæ Sanctionis, quam cum eſſent acephali ab antipapâ acceperant Petro de Lunâ, Epiſcopum ſibi præfecere, excluſo eo quem *Eugenius* elegerat. Queſtus eſt Pontifex datis literis ad *Carolum Galliæ Regem*, monens ne Eccleſiæ perturbatoribus aures præberet. Similibus hortatus eſt *Carolum comitem Cenomaniæ*, fratrem Renati Regis Siciliæ, ac *Iolandam* reginam Renati coniugem, ne Apoſtolicæ ſedi pro acceptis beneficiis referret iniurias. *Eugenius* namque ob *Renati* patrocinium in *Alfonſi* Regis Aragonum incurrerat odia, ut in Baſileenſi Concilio oratores *Alfonſi* ſe ... experiretur adverſos. Anno vergente XVI. Cardinalium electione ſenatum auxit Apo- A ſtolicum magno Orbis plauſu, meritis conſideratis electorum, atque nationum, quibus mirâ æquitate conſuluit. Ad eius emulationem etiam Antipapa quatuor creavit; licet nec coronatus adhuc ut anguſtiori pompâ Baſileam pergeret. Inſuper Arelatenſem legatum dixit, ſuoque nomine Baſileenſi iuſſit conventiculo præſidere. Eugenius verò ob tanta ab Arelatenſi patrata flagitia, Cardinalatu privavit ceteriſque officiis, & dignitatibus 5. Kal. Iunii Anno 1440. Pari pœnâ præter alios affectus eſt *Ludovicus Ep. Viſenſis*, in cuius locum ſubrogatus eſt Ludovicus Coutinius, ut in Arelatenſis gradum Rogerius Aquenſis præpoſitus. Ad hoc legatos ſuos Eugenius miſit ad Carolum Francorum Regem, *qui inter cætera* (teſte Nicolao de Clemang. p. 106.) *quatuor petierunt, Primo ut Rex reprobaret Concilium Baſileenſe à tempore translationis in Ferrariam, Concilium approbaret* B *Ferrarienſe, & in eo acta. 2. ut nullo modo depoſitioni Eugenii conſentiret in electionem per Baſileenſe Concilium factam de Duce Sabaudiæ, immò eam reprobaret. 3. quòd in illam civitatem Moguntiam* (ubi Germanorum erant indicta comitia) *nullo modo mitteret Papâ inconſulto. 4. ut Pragmaticam Sanctionem vellet ſuſpendi & tolli. In Craſtinum auditi ſunt ambaſciatores Felicis, & locutus fuit ſolemniſſimè, & cum gratitudine omnium dominus Thomas de Corcellis, qui per duas horas tenuit, & valdè Regi placuit. Prælati & alii per ſex dies deliberaverunt, & finaliter fuit reſponſum, ad primum: quod Rex tenuerat Concilium Baſileenſe pro Concilio, ad ipſum ambaſciatores miſerat, multa bona pro fide, & moribus conſtituerat, quæ Rex approbabat, nec unquàm congregatum Ferrarienſe pro Concilio habuerat, aut habebat. Quod depoſitionem Eugenii, et electionem* C *Felicis, nunquàm eas approbaverat, aut approbat, immò tenuerat dominum Eugenium pro Papâ, et adhuc tenebat, et volebat in regno ſuo, niſi aliud in Concilio generali intra annum celebrando in aliquo loco Galliarum fuiſſet ordinatum: et quod requirebat Papam, ut dictum Concilium convocaret. Quoad pragmaticam ſanctionem, eam inviolabiliter volebat obſervari et cuſtodiri: etſi aliqua videntur nimis rigida, in illo generali Concilio poſſent moderari.* Vtrumquè tamen correctum. Nam Florentinum & Ferrarienſe Concilium Galli poſtea venerati, Pragmaticam Sanctionem abiurarunt. In cauſâ Eugenii cum Gallis conſpirarunt Angli, Caſtellani, Poloni, Mediolanenſes, teſte Philelpho *l. 4. ep.* 20. nec *Philippus Maria* quamvis Amedæi gener adduci potuit, ut benemerenti ſocero obſequeretur, dicens primam ſibi neceſſitudinem eſſe cum Deo. Soli Septemviri ſpecie pacis ſe acephalos conſti- D tuerunt, non Eugenio, neq. Felici adhærentes, non Florentino, nec Baſileenſi Concilio, tertium quaſi conſtituentes tribunal velut horribile monſtrum. Tertium Concilium meditabantur Galli, Germani; hac de cauſâ Anno Sal. 1445 *Fridericus* Romanorum Cæſar, qui *Alberto Auſtrio* ſucceſſerat, *Æneam Sylvium* oratorem miſit ad *Eugenium*, qui cum Senas veniſſet patriam ſuam; Ne ulterius progrederetur, ſuadebant propinqui, quòd ob Baſileæ geſta, Eugenii iras in ſe concitaſſet. Sed in caſſum preces. Romam progreſſus ibi à duobus

Car-

Amedæus Pſeudopapa.

Cardinales eligit.

Legationes Eugenii ad Gallum.

A Nationibus reprobatur.

Philippus Mediolanenſis dividitur ab Amedeo.

Æneas Sylvius legatus ad Eugenium.

Cardinalibus, cenſurâ abſolutus, brevem eoram Eugenio orationem habuit ſequentem Gobelino teſte l. 1. *Prius Sanctiſsimè Præſul, quàm Cæſaris mandata referam, de me ipſo pauca dicam. Scio multa de me tuis auribus inculcata eſſe, neque bona, neque digna relata: ſed neque mentiti ſunt, qui me tibi detulerunt. Plurima egodum Baſileæ fui, dixi, ſcripſi, feci, nihil inficior. At non tam tibi nocere, quàm Dei eccleſiæ prodeſſe mens mea fuit. Erravi; quis neget? ſed neque cum paucis, neque cum parvis hominibus: Iulianum S. Angeli Cardinalem, Nicolaum Archiep. Panormitanum, Ludovicum Pontanum tuæ ſedis notarium ſum ſecutus, qui iuris oculi, & veritatis magiſtri credebantur. Quid univerſitates, & alia Orbis gymnaſia referam, quorum pleraque adverſum te ſentiebant. Quis cum tantis hominibus non erraverit? verum ego ubi errorem deprehendi Baſileenſium, fateor, non tantum ad te convolavi, quod plerique fecerunt; ſed veritus ne ab errore in errorem prolaberer, ut ſæpè in Scyllam incidunt cupientes vitare Charybdim, ad eos me contuli, qui neutrales habebantur, ut ab altero extremorum ad alterum non ſine conſultatione tranſirem. Manſi apud Cæſarem tribus annis; ubi dum magis, ac magis contentiones audio, quæ inter Baſileenſes, & tuos legatos ſunt, nihil mihi dubii relictum eſt, quin te penes ſit veritas. Hinc factum, ut cupienti Cæſari ad tuam me clementiam viam facere, non invitus paruerim. Sic enim me in tuam gratiam redire poſſe ſum ratus. Nunc apud te ſum, & quia ignorans peccavi, mihi ut ignoſcas, oro. Deinde cauſam Cæſaris explicabo.* Eodem Anno *Odonem Epiſcopum Dertuſenſem* ab Antipapâ inter pſeudoCardinales adſcriptum, falſæ dignitatis poſitis inſignibus, interprete Alphonſo Rege Aragoniæ in gratiam Eugenius recepit. Baſileenſes verò magis peruicaces Auenionē cum Comitatu Venuſino Antipapæ tradidiſſent duce *Hugolino Alamanno*, ni irruentem ciues Aueniononenſes fortiter propulſaſſent. Nouiſſima Eugenii cum Septemuiris fuere diſſidia: gradu deiectis *Theodorico Archiep. Colonienſi*, & *Iacobo Sirik Treuirenſi* huius in locum ſuffectus Ioan: Ep. Cameracenſis, in illius Adolphus Cliuenſiū Principū genere natus. Valdè tunc commoti cæteri Electores Imperii Francofurti conuenere, eo pacto, vt ni Eugenius latam in Archiepiſcopos ſententiam reſcinderet, onera tolleret nationis Alemannæ, auctoritatem Conciliorum prout in Conſtantienſi expoſitam profiteretur, ad Amedeum deſciſceretur. Huius fœderis Fridericum rogauere ſocium, Romamq. Oratores mitteret. Legationi non abnuit: fœdus tamen damnauit, impium dicens; ni Eugenius poſtulata admitteret, à vero deficere Chriſti vicario. Concordiæ itaq. voto Æneam Syluium Romam ſecundò legauit, vt Eugenio ſuaderet, *ne Principes contemneret Electores, maximè verò ut depoſitis Archiepiſcopis priſtinam redderet dignitatem: ſic enim futurum, ut Germani omnes depoſitâ neutralitate, ad eius gremium redirent, quòd ſi durior in ſententiâ perſeveraret, timendum eſſe, ne ſcandalum perpetuæ diviſionis orietur, quidquid autem Electores inter ſe concluſerant, iniuratus Cæſar aperuit Æneæ, atquè ut Papæ referret, imperavit.* Gobelin. *in Comment. Pii* 2. *l.* 2. Reſpondit Eugenius legatione miſsâ honorificâ Thomæ Lucani (Nicolaus iſte V. futurus) Io: Carvaialis; Epiſcopi Leodienſis, & Nicolai Cuſani, promittens in Germaniâ conſilium indicere, ſi Reges cæteri conſentirent. Conciliorum auctoritatem, quæ vera, & canonica in dubium non revocandam: nationis onera levatum iri: in Archiepiſcopos, ſi eos ſchiſmatis pœniteret præteriti, ſe uſurum clementiâ: quibus exaſperatos lenivit Germanos. Magnam prudentiæ laudem in procurandâ concordiâ collegere legati Pontificii Thomas Ep. Bonon., ac Io: Carvaialis, quibus ob rem feliciter geſtam Eugenius redeuntibus pileum miſit Cardinalitium uſquè ad portam Flaminiam. *S. Anton.* 3. *p. tit.* 22. *c.* 11. §. 17. Anno tandem 1447. Legatis Cæſareis (Pontifice ex morbo decumbente lethali) Romam iterum advenientibus familia occurrit Pontificis uſquè ad primum lapidem. Peroravit Æneas Sylvius, teſte Cochlæo. *l. 9. Hiſtor. Huſsit. Non habet me dubium Sanctiſsime pater, quin apud te ſit illa domus, quam Dominus in Evangelio ſupra firmam petram laudat ædificatam, ad quam recurrendum eſt regnante diluvio, nam extra eam non eſt ſalus, & eius decorem diligere ſe Propheta teſtatur.* Infra. *Quæris forſitam ex nobis, pater Sanctiſsime, an amici venimus, quid quærimus, quid offerimus, dum nos nomino, non nos ipſos, qui adſumus, nuntios, ſed dominum Cæſarem Fridericum tuum devotiſſimum filium, ac præclariſsimos principes, & reverendiſſ. patres ſacri imperii electores, tum proceres, & prælatos tibi deditiſsimos quorum hic oratores vides, intelligi volo. Sumus igitur non ſolum amici, ſed etiam adiutores. Pacem offerimus, pacem quærimus, atque idcirco cum filiis Beniamin, et Iuda dicimus. Pax pax tibi, pax adiutoribus tuis, te enim adiuvat Deus tuus, plena pacis petitio eſt, plena pacis oblatio.* Infra.

Afferunt pacem Germaniæ principes, ſed etiam pacem expetunt, cupiunt aliqua, quæ niſi obtineant, nec curari vulnera poſſunt, nec pax nationis haberi. Quatuor ſunt principalia. Primum eſt, ut generale Concilium *in tempore, locoque deſignando convocetur. Alterum, ut profeſſio poteſtatis, auctoritatis, et præeminentiæ Conciliorum generalium catholicam militantem eccleſiam repræſentantium, per ſuos oratores facta tuis literis approbetur. Tertium, ut nationi Germanicæ ſuper gravaminia opportunè provideatur. Quarto, ut quæ in iudicium duorum principum electorum acta ſunt, ex tua ſanctitatis clementiâ revocentur.* Et infra. *Hæc ſunt Sancte Pater, quæ noſtri Principes ex te petunt, magna ſanè, ſed rationi conſona. In primâ petitione communis verſatur utilitas, in ſecundâ humilitas tua, in tertiâ æquitas, in quartâ benignitas, et tua deſideratur humanitas. Tuum eſt, quod iuſtè petitur, libenter annuere. In tuâ manu nunc eſt radicem ſchiſmatis omnem Devellere, pacem orbi concedere, conſolari nationem, et eius obedientiam recipere.* His aſſentienti Eugenio. *Debitam reverentiam, et obedientiam exhibentes, ipſum profitentes verum, unicum, et indubitatum eccleſiæ paſtorem, Romanæ Petri ſucceſſorem, et vicarium I. C. ſolemnis Miſſa eſt decantata in eccleſiâ Lateranenſi,* teſte S. Antonino qui interfuit, pulſatæ campanæ, ignes accenſi, pulſata organa, ac publicæ ſupplicationes decretæ pro gratiarum actione. *Gobelin. l. 8. in Comment. Pii* 2. Porrò morbo implicitus Eugenius, quo etiam conceſsit, dubius ne quæ ad-

Eugenius duos deponit Electores Imperii.

Æneæ ſecunda legatio.

Legatio Pontificia.

Germanorum legatio.

Petitio Germanorum.

adverſa Romanis iuribus conceſsiſſet in gratiam Germanæ nationis, publicis edixit literis, conceſſionibus ſuis nullo modo eccleſiæ velle præiudicare Romanæ *l. 26. p. 49.*

Eugenii IV. obitus.

17. *Quievit in Lauro*, quia ad eccleſiam Canonicorum S. Saluatoris (cui in *Lauro* nomen) inter quos religioſà excultus fuerat diſciplinà, antequàm fieret Cardinalis, translatum eſt. *Obyt die* VII. *Kal. Mar. poſt* XVI. *annum ſui Pontificatus, ætatis ſuæ, ut ferebatur ſexageſimum ſextum*, dicunt alij, *ſexageſimum quartum integra ſenſu atquè aſpectu in domino obdormiuit Anno* 1447. Ita Sanctus Antoninus 3. *p. tit.* 22. *c.* 11. §. 17. Hunc Eugenius eum ad Archiepiſcopatum Florentinum extuliſſet inuitum, Florentià ad vrbem exciuerat, non modò vt familiari eius conſuetudine recreari poſſet vberiùs, verùm vt in ampliori dignitatis gradu virum Sanctum collocaret, qui ſibi morienti ſemper adeſſet, ac ſacramenta miniſtraret: vt in *vità S. Antonini apud Surium to. 3. die* 2. *Maii.*

Prædicit mortem ſuã.

Mortem ſibi præuidens imminentem, quadam nocte Anno XVI. ſui Pontificatus cum ad preces ſurrexiſſet matutinas, ingens è pectore ducens ſuſpirium, cauſam exponere rogatus, ſignificauit vltimam vitæ ſuæ metam impendere, quàndoquidem eremita, qui ipſi agenti in monaſterio S. Georgij in Algà Cardinalatum, & Pontificatum prædixerat, adiunxiſſet: labente XVI. Pontificatus Anno moriturum. Propterea ab ipſo ſi quidpiam expeterent, poſcerent, antequam vità migraret. Proximà luce clauſis foribus baſilicæ S. Petri, deſcendit in eam cum ſuis, ac locum delegit ſepulchri ad latus Eugenij III. Reuerſus in cubiculum omnibus ſacramenti ſe communiuit. Cumq. à religioſis viris cinctus eſſet, interpunctà ſuſpirijs voce, verſoq. ad eos vultu dixiſſe fertur. *O Gabriel, quanto magis conduxiſſet animæ tuæ ſaluti, vt nunquàm Cardinalatum, nec Pontificatum obtinuiſſes: ſed in tuo monaſterio religioſam diſciplinam coluiſſes.* Deinde effuſus in preces animam Deo reddidit: Auctor vitæ M.S. apud *Rainal. n.* 13. *An.* 1447. Referunt alij Eugenium diu luctaſſe aduersùs mortem; vndè Archiep. Florentino extremam Vnctionem paranti ait Eugenius, *quid eſt: Sum adhuc fortis, cum aderit hora, monitum te faciam: ſiſte modo.* Hoc cum accepiſſet Alphonſus Rex Aragonum, *Quid mirum* (inquit) *ſi comitem Franciſcum, ſi Columnenſes, ſi me, ſi totam Italiam bello impetiit Eugenius, qui auſus eſt cum morte pugnare, nec facile ſuccubuit.* Cum autem multi inſtarent, vt ab exilio reuocaret Cardinalem Capuanum, nec obtinerent, ſiniſtrè interpretantes, accuſabant eum etiam in extremis laborantem odii tenacem. Sed ipſe ſapienter reſpondit: *Neſcitis quod vobis deſiderium eius, & illi exilium magis conuenit?* Eius exequiæ *ſolemnes celebratæ ſunt in eccleſià S. Petri per octo dies, vt moris eſt, vbi & defunctus ſepultus eſt in pauimento, ſed poſtea mauſoleum marmoreum honorifice ſuper eum* (teſte S. Antonino) *conſtructum eſt* à Franciſco Condulmerio Cardinali nepote ſuo, amori ſuo magis quàm patrui modeſtiæ conueniens, teſte *Platinà*. Illud ſupra habes *pag.* 532.

Epitaphium

Eugenius iacet hic quartus, cor nobile cuius
Teſtantur vitæ ſplendida facta ſuæ.
Iſtius ante ſacros ſe præbuit alter ab ortu,
Alter ab occaſu Cæſar vterque pedes;
Alter vt accipiat fidei documenta Latinæ;
Alter vt aurato cingat honore caput.
Quo duce & Armeni Graiorum exempla ſecuti
Romanam agnorunt Aethiopesquè fidem.
Inde Syri atquè Arabes, mundiquè è finibus Indi;
Magna, ſed hæc animo cuncta minora ſuo.
Nam valida rurſum Teucros iam claſſe petebat,
Dum petit aſt illum ſuſtulit atra dies.
Qui ſemper vanos tumuli contempſit honores,
Atquè hac impreſſa condite, dixit, humo,
Sed non quem rubro decorauerat ille galero,
Non hoc Franciſcus ſtirps ſua clara tulit;
Suſceptiquè memor meriti tam nobilem, quod nunc
Cernis; tam præſtans ſurgere iuſſit opus.

Monumentũ.

In hoc monumento duo habes numiſmata, In primo ſedet Papa ſupra duos Leones, ſignum conſtantiæ, fortitudinis, & vigilantiæ iſtius Pontificis. Vigilantiæ quia Leo oculis dormit apertis, teſte *Plinio*. Ex alterà eiuſdem nummiſmatis ſtemma gentilitium clauditur inter inſignia Apoſtolica. *Roma* (inſcribitur) *Caput Mundi. S. P. Q. R.* argumentum à Romano populo percuſsum fuiſſe numiſma; forſan cum Romam rediens reconciliatus Anno 1443. vectigal vini ſuſtulit.

Vectigalia tollit.

Ad Sanctum Petrum namq. cum ſupplicatione Eugenio pergẽte ſolemni, cæpit populus inclamare; *Viuat Eugenius; moriantur noua vectigalia, eorumq. inuentores.* Quo audito Pontifex exactionem illam vt minùs liberalem ſuſtulit.

In altero *manus è nubibus menſurã* ſuſtinet & *bilancem* inſignia Iuſtitiæ, ſub titulo *Redde cuiq. ſuum*, quod eſt naturæ præceptum. Quod tamen cum homo niſi Deo adiuuante adimplere valeat, propter paſſiones humanas; manus exercens iuſtitiam è nubibus deſcendere pingitur.

In reedificatione nouæ Baſilicæ Vaticanæ, quum dirueretur ſepulchrum Eugenii Papæ 4. Canonici S. Saluatoris in Alga miſerati memoriam tanti Pontificis obrui, marmora, quibus erat conſtructũ, emerunt (teſte *Ciaconio*) & monumentum in clauſtro repoſuerunt, elogio affixo ſequenti.

Vrbs Venetum dedit ortum, quid Roma? Vrbis & Orbis
Iura dat optanti cælicã regna Deus.

Memoria Eugenij IV.

Summi atq. Optimi Pontificis.

Hic in pace grauis, in bellis pro Chriſti eccleſià impiger, in iniuriis patiẽs, Religioſorum amator, ac in eruditos viros munificus, Concilii Baſileenſis inſolentiam aduersùs Pontificiam Romanam Poteſtatem Concilio Florentino celebrato refrænauit, ac fregit, in quo Ioannes Palæologus Græcorũ Imperator Romanũ caput agnoſcens, eius pedibus ſe multasq. externas & remotas nationes humillimè ſubſtrauit.

Congregatio Canonicorum S. Georgii, in Alga Venet. Religioſiſſimo fundatori pietatis causa. P. C.

Species Eugenii 4.

18. *In Apolline*, &c. Eugenii ſanctimoniam auctor eius vitæ M.S. apud Raynaldum *loco cit.* deſcribens, tradit primo ipſum aſpectu grauiſſimum, & macie confectum eà tamen maieſtate, vt cum diebus feſtiuis in populi ſe daret conſpectum, ſpectantes ſenſu deliburi pietatis, vix lacrymas continerẽt, ſeq. adfuiſſe ſæpius cum Eugenio verſiculum inchoan.

choante, *Abiatonū noſtrū in nomine Domini*, eſſi gemitus exaudirentur opem inclamantium diuinā. Diuinis officiis eà intererat pietate, vt quaſi diuinitatis ſimulachrum cum Cardinalibus ſapientiā præclariſſimis, hierarchiam referret cæleſtem. Hanc in victu morem ſeruauit, vt rarò vinum biberet, ſed aquam ſacchato et cinnamomo conditam exiguo: vnico contentus ferculo, ſame vrgente nulla ſtatā horā comedebat. Auri contemptor nobiles Neapolitanos profugos aluit: nepotes laicos in aula paſſus eo voluit contentos ſtipendio, quod cæteris dabatur domeſticis. Liberalis in omnes, maximè in literatos, quorum familiaritate delectatus, *Leonardum Aretinum*, *Carolum Poggium*, *Auriſpam*, *Trapezuntium*, & *Blondum* viros doctiſſimos à ſecretis habuit nec Cardinales creauit, quam viros virtute ac natalibus claros, quorum operā in grauioribus eccleſiæ negotijs vti poſſet, quoſq. tanquam ſuæ modeſtiæ teſtes in cubiculum ſecretioris admittebat, *quid in vrbe fieret?* quid *de ſuo Pontificatu homines ſentirent*, vt errata ſua vel ſuorum, ſi quid perperam factum eſſet, emendaret. Plura geſsit bella, aduerſus Mediolanenſem Ducem, Columnenſes, Regem Aragonum, ſed pro eccleſiæ immunitate & Imperio. Plurimas exornauit eccleſias, vt ex Capella Pontificiā, valuis æneis S. Petri, Baſilicis S. Petri & Pauli S. Io: Lateranenſis; Spiritus Sancti, S. Mariæ Maioris, S. Mariæ Rotundæ, S. Sebaſtiani, S. Suſannæ, quas reparauit. Palatium Apoſtolicum ruinoſum refecit; Seminarium Florentiæ inſtituit: plures eleemoſinas pauperibus elargitus, liberalis in elocādis virginibus, Petri patrimonium ampliauit erogando nō cognatis, ſed pauperibus & benemeritis. Mille aureos florenos pro fabrica Eccleſiæ Sancti *Georgij in Algà*, Epiſcopo executione Caſtellano commiſsà.

Literatos amat.

Eius liberalitas.

19. *Vnicus Turca triumphis omnes Eugenii proſtrauit victorias*. Imminentibus Europæ Turcis, aggerem Deus obiecerat *Georgium Caſtriotum Scanderbergum* in Epiro, & *Io: Hunniadem in Vngariā*, poſt prælia à Chriſtianis feliciter geſta, cum audiret Amurathes fœdus initum inter Sultanum Caramaniæ, Vngaros, Græcos, Burgundos magno naualium & terreſtrium copiarum apparatu, vt eū Europā propulſarent, territus pacem honeſtis redemerat conditionibus quibus in Vngariā acceptis atq. iuratis An. 1444. literę ſuperuenerunt *Franciſci Cardinalis Florentini*, qui in Helleſponto Latinę claſſis præfectus erat, ſignificantes Amurathem, exinanita ferè Europa, cum omnibus copiis in Aſiā aduerſus Caramanum traiecisse. Se ad Helleſponti fauces tempeſtiue adſuiſse, vt fœderis promiſsa ſolueret. Aduenere quoq. Gręcorum tabellarij, orantes feſtinandā expeditionē, vt abſentibus Turcis vindicaretur Europa, quę occaſione elapsà pręſenti, iugo barbarorū gemebunda foret ſempiterno. His acceptis *Iulianus Cardinalis* legatus Eugenii, vir facūdus Vngaros ſuā ita oratione commouit, vt pacti cum Turca fœderis puderet. Summa conſilii erat: quòd contra Initum antea cum Chriſtianis fœdus, nefas fuiſſet Vngaris nouum fœdus percutere Latinis inſciis & inuitis. Eo itaq. ſuadente, mouetur in Turcas, cum Amurathes deluſus abiiſſet in Caramaniam ſed mox in Europam recurrens: traiectoq. Aperfidā, & auarā Ianuenſium claſſe Boſphoro Chriſtianis occurrit ad Varnam 4. Id. Nouemb. 1444. Pugnatur vtrimq. acerrimè, & diu anceps fluctuauit victoria. Cum Amurathes (*Bonfinio* teſte) depromptum è ſinu codicem initi fœderis, intentis in Cælum oculis: *Hæc ſunt* (inquit ingeminans) *Ieſu Chriſte fœdera, quæ Chriſtiani tui: per numen tuum mecum ſanctè iurarunt. Nunc Chriſte ſi Deus es, tuas meaſquè iniurias quæſo vleiſcere.* Vix hęc dixerat, qui vltimum in ſe impetum expectabat, conuerſà rotà, *Vladiſlaus*, qui martio furore prouectus ad caſtra peruenerat Ianizerorum, fortiſſimè pugnans occiditur. Eius reſectum caput pilo impoſitum, Turcarum erexit animos, Chriſtianorum abiecit. Fugit *Hunniades*, vt ſupereſſet qui ignominiam non inuito Numine vindicaret. Cæſus *Iulianus Cardinalis* legatus à nauiculario, vt eius auro frueretur. Quieuit *Amurathes*, faſſus gladio uiciſſe diuino. Fœderati re infectā domum abiere.

Vitam claudat Eugenii Canonizatio S. Nicolai à Tolentino ordinis Eremitarum S. Auguſtini, vt ex numiſmate, in quo lemma, *Sic triumphant electi*.

Canonizatio S. Nicolai de Tolentino.



Plura elogia, quæ Auctores Eugenio contemporanei, conſcripſerunt, tranſcribere poſſem, inter quos Æneas Sylluius futurus Pius II. in ſuā Europā. *Summum* (inquit) *Pontificatum adeptus magis enituit, qui & ſi oriente ſchiſmate in principio ſui pontificatus vſque ad obitum cum Baſileenſibus contenderit, coronato tamen Sigiſmundo Cæſare Græcorum & Armenorum pactà cum Eccleſiā Latinā vnione, ciuitatibus Eccleſiæ quas amiſerat recuperatis, tyrannis per circuitum deletis, contumaciā Romanorum edomitā, victor inclytus veterem hominem exuit. Hic me, quamuis aliquando aduerſus eum exiſtimans Deo ſacrificium facere, cum Baſilenſibus ſenſiſſem (nam meo tempore tota nutabat eccleſia) venientē ad ſe benignè recepit, inter ſecretarios collocauit, & apoſtolici ſubdiaconatus honore donauit*: Vide eius bullam Retractatoriam. Adiungit Raphael Volateranus l. 22. Antropol. *Fuit ſtudiorum amantiſſimus, quotidie ſe in ſecretum aliquot horas recipiendo, vultu alioqui decoro ac venerabili: oculos in publico nunquam attollebat, vt à parente meo, qui eum ſequebatur, accepi*. Conſonat Laurentius Valla *orat. ad Euge. extat in fine collect. Donzel.* Funebrem de eo laudationē habuit Thomas Cardinalis eiuſdem ſucceſſor, teſte Ianpoz. Manett. *l. 1. in vità Nicolai V.* Calumnias Villelmi Paradini confutare ſuperuacaneum. Satis ſit adnotare hiſtoriā ſcripſiſſe Sabaudicam in gratiā *Amedæi* Antipapæ. Synodus Baſileenſis licet Eugenium deponere conata fuerit, Lauſanæ continuata acta ſua retractauit. Nicolaus V. Eugenii ſucceſſor eum vt verum Pontificem eſt veneratus.

De Cardinalium numero, & qualitate, quos creauit Eugenio, ſuo loco dicam in libro ſingulari.

NICO-

NICOLAUS QUINTUS
PONTIFEX ROMANVS CCX·



QUi extra hortum cum lupis vagatur concluſum, *Felix* eſt Antipapa, antea Amedæus Sabaudus. Qui intra hortum oves paſcitur, *Nicolaus* eſt Pontifex Romanus, ſub quo feliciter extinctum eſt *Amedai* ſchiſma. Eccleſia namquè catholica hortus eſt concluſus, fons ſignatus, paradiſus cum pomorum fructu, Domus ſuper petram ædificata. Extra hanc domum qui agnum comederit, profanus eſt, 24. q. 1. c. *omnibus*.

Parentucellæ familiæ, quæ modo Sarzanæ vivit, hic apponimus inſignia, ex quà ortum Nicolaum volunt, cum alii obſcuro natum genere dicant ex familià, cui nullum nomen.

Eligitur An. Sal. 1447. prid. Non. Mar. Obiit An. Sal. 1455. die 20. vel 25. Martii. Cum ſediſſet Annos 8. dies 18. vel 20. vel 25. Vacat ſedes uſquè ad diem 8. Aprilis.

E L O G I V M.

Anni Sal. IN. 1447. 1 — LUdit Sarzanæ Deus
Gallorum propolam faciens ſine Gallo Petrũ.
Nicolaus is Quintus
Ex Thomà Sarzano Pontifex Romanus.
Intra Annum Epiſcopus, Cardinalis, Papa
Novit infulam, purpuram, chlamydem:

A *Quibus vix luſtra ſufficiunt.*
Huic Cardinalis Albergatus 3 debẽt, & Græci 2 Anni Sal. IN. 1447. 1
Iſti agnoviſſe, ille monſtraſſe Spiritũ Sanctũ.
Ab Eugenio contra Baſileenſes 4 legatus,
Neutrales Patres, Romanos fecit.
Redeunti occurrit Roma cum pileo,

Sic


Anni Sal.INi. 1457.l3 *Sic ſolent occurrere Liberti patrono ſuo.*
Ad infulas pluri evocatus [5] vaticinio,
Ne reſpueret, cogi debuit à Spiritu Sancto.
Sedit *Friderico* regnãte *Pacifico*, ſed ſine pace.
Sub Felice [6] adhuc Baſilea infelix
Quæ Deo ſubſtituerat Amedæum,
Palpabat Cęſarem, ut ab eo emeret Põtificatũ,
Oblatà in uxorem filià Pſeudopapæ
Cuius dos foret Romæ ſpolium.
Venalis urbs quõdã quærebat ẽptorẽ, nũc vẽditorẽ.
Vt veniret Sabaudus: ſuaſit pietas.
Ne rediret; impietas.
Utrumquę cõpoſuit timor vel amor [7] Cæſaris
A quo coactus iterũ ex Felice Amedęus redire
Et in ſolitudinem mutare ſolicitudinem, B
Ripalliam venit, ut Deõ, ſibique vacaret;
Depoſito Pontificatu ſanctior, quàm recepto.
Paci Reges contulere omnes,
Sed fortior omnibus Ludovicus Felicis filius,
Quum *Bolomerium* pacem diſſuadentem,
Lapide alligatũ præcipitavit in lacũ Lemanũ,
Vt hic diſcordiæ, qua flagrabat, ſitim extingueret.
Venit [8] Romam Cæſar, & quia ſolũ cũ oleà,
Italiæ ſprevit Diadema ferreum;
Ne pollueretur Pacifici *titulus*,
Primus iſte Auſtriadum,
Qui vicarià Dei manu Romæ coronaretur;
Iani templum cum obſeraſſet Cæſar; C
1450.l4 Anno ſæculari [9] Cælorũ ianuas Põtif. reſeravit,
Q io Roma opulẽtior, etiãſi diſſipet Cæli opes.
Iubilæi bucinis Europam excitabat in Aſiam
1453.l7 Quæ, Duce Alexandro [10] occupato Byzantio

[A] Poſt An. MC. novã Romã fecerat Auguſtale Anni Sal.INi. 1457.l3
In *Conſtantino* deſiit Imperium *Helenæ* filio
Qui iãrũ ab alio fortitudine, & felicitate diſtãs,
Quãtũ Añi 1120. primo, & ultimo diſtinguũ-
In eo plerumque res deſinũt, undè cæperunt. (tur.
Hoc ei indulſere Fata, pro patrià occumbere:
Ne Rex regno ſupereſſet extincto.
Urbi ſuperfuit *Conſtantini* nomen,
Ad infamiam Chriſtianorum.
Lugeat nũc Græcia Athenas barbaras, & idoctas:
Sed magis lugeat:
Schiſmate ſuo cauſam dediſse pudori.
Oriẽtis ruina Nicolaũ oppreſſit in Occidente
Typographiã [11] querebatur ſuo tẽpore invẽtã
Per quam facile poſteris innoteſceret.
Eo regnante Barbaros uſurpaſse Byzantium.
Huic arti ut facile materiam daret,
Literarum ac Literatorum Mæcenas
Græcos hiſtoricos Latinos [12] fecit;
Ne mors aut Mars tolleret, vel oblivio.
Mortuo iuſta ſolverunt homines, & elementa.
Arx [13] Arces, Artes, Marmora, Mœnia
Quæ ab eo reformata, deformata iacent,
Squalido vultu plangẽt adhuc parẽtẽ amiſſũ.
Altaria reſtituiſſe non contentus,
Altaribus inter plures *Bernardinum* impoſuit:
Quem ut invitaret ad aſtra
Scalas Ieſus è Cælo demiſit in eremum.
Hos ſibi invicem manus dediſſe:
Bernardinum credimus & *Nicolaum*
Scalas unus, claves commodavit alter:
Quib⁹ iſte Cælũ aſcẽderet, ille ĩ altaria deſcẽderet.

ADNOTATIONES IN NICOLAO V. PONT. ROM. CCX.

Natalia Nicolai 1. NIcolaus V. antea *Thomas Sarzanenſis* ex oppido, vel ciuitate *Sarzana* in Hetruriæ, & Ligurum finibus tenui genere ortus, patre medico, *Bartholomęo*, matre *Andreolà* Gallinarum, ouorumquè propolà, familià adeò obſcurus, vt nec familiæ cognomen eſſet. Hinc ab Eugenio IV. Eccleſiæ prępoſitus Bononienſi, in literis eiuſdem Eugenii *à Sigonio relatis l. 4. de Ep. Bonon.* ità inſcribitur. *Eugenius &c. dilecto filio Thomæ de Sarzanà*. Nomẽ ei ſi fuiſſet familiæ, non mutaſſet in nomen patrię. Bononiæ apud *Albergatos* pueros inſtituit, deinde Epiſcopo *Albergato* inſcribendis epiſtolis ſeruiuit, poſteà ab eodem comes ſuæ peregrinationis; & legationum aſſumptus, curiæ notus Romanæ, per gradus dignitatis aſcẽdit. *Panuinius S. Antoni. 3. p. tit. 22. c. 12.*

I.



3 C

Nulla cum ei inſignia eſſent gẽtilitia, Petri Claues prò ſtemmate erexit, vt ex numiſmate hic po- D ſito. Alii ex nobili eum iuxta conditionem regionis diuite *Parentucellà* familià natum volunt, cuius inſignia habes infra *pag. 545.* ad pedes Nicolai. Sixtus IV. Antonio Mariæ Parentucello Lunenſi Epiſcopo plura donauit ex ſpoliis *Philippi* Epiſcopi Portuenſis, vt ex diplomate Romæ dato An. 1477. die 4. Idus Iul. *Ioannes Manettus l. 1. in vità Nicolai. V.* Piſis natum ſcribit, ſed poſt mortem patris Bartholomæi Peregri (en alia familia) Serezanæ educatum, vbi & conceptum. *Multis laboribus* (inquit S. Antoninus) *à pueritià literis deditus ad magnum apicem perfectũ ſcientiæ peruenit philoſophia, & Theologia, doctoratus in eà. Hunc in ſtudiis enutriuit D. Cardinalis Carthuſienſis propter probitatem eius, poſtmodum in ſocium & ſecretarium ſuum, & in legationibus, & in curià aſſumpſit; facundiſſimus, et eloquentiſſimus fuit etc.* Infra. *Honeſta ſemper fuit conuerſationis etiam in muneribus, acutus in agibilibus, et circumſpectus, vt ſingula per ſe etiam temporalium adminiſtrationem intelligere, et diſcutere vellet etc.* Quanto enim aliis ſobole inferior, tanto Philoſophiæ & Theologię cognitione, virtuteq. maior eſt habitus

(reſte

NICOLAI PP.V. MONVMENTV. QVOD OLIM EXTABAT IN VETE. PETRI BASILICA.



(teſte *Cardinali Egidio*) docuit non maiorum ſtemmate, ſed animorum inſtitutione veram nobilitatem contineri: præcipuè in Florentino Concilio, in quo *Cardinali Albergato* in Græcos diſputanti ſemper præſto fuit.

Omnes dignitates Nicolao accedunt intra Annum.

2. *Intra Annum*, &c. Primum munus quod Thomæ Eugenius IV. detulit, fuit in *numero ſcriptorum referre Pœnitentiariæ: deinde* Subdiaconatum Pontificium, poſteà legationem in Germaniam, indè purpuram Cardinal. & Epiſcopatum Bononienſem; *Vt uno eodemque anno Thomas, & Epiſcopatum Bononienſem, & Cardinalis dignitatem, & Pontificatum adeptus ſit, maximà totius Cleri, populique Romani lætitià.* Platina. Volaterranus *lib.* 22. *Sabellicus.*

Gratitudo erga Albergatum.

3. *Albergatus* Cardinalis cum opem Nicolao contuliſſet, ut pauper gymnaſia frequentaret, & Orbi innoteſceret; gratus iſte rependens quod acceperat, eidem Cardinali licèt apprimè literato, non minimè profuit in diſputationibus Græcorum Florentini Concilii, cui ſemper fidelis adfuit, antiquorum Patrum libros perlegendo, inquirendo, privatim conferendo, & diſputando. *Propter quæ Eugenius cognità hominis doctrinà, & integritate in illis potiſſimum diſputationibus, quæ Florentiæ, & Ferrariæ habita ſunt cum Græcis, eum Cardinalem deſtinaverat. Verum ut id honeſtiùs fieri poſſet*, ita Platina, *hominem cum Ioanne Carvagiallo, qui poſtea Cardin. S. Angeli, in Germaniam mittit*

Cardinalis dictus.

4. *Contra Baſileenſes*, & Neutrales Germanos, qui nec Eugenio, nec Felici parebant. Ibi in principum comitiis, poſt longas diſſertationes, arcana pacis promovente *Æneà Sylvio*, tandem magnà legatorum laude, in obſequium Eugenii rediere Germani. *Redeuntes cum hac opinione legati, ſueclamantibus omnibus, Cardinales decernuntur, eiſquè Eugenius ad portam Flaminiam galeros obviam mittit, ut urbem inſigniores ingrederentur, teſte* Platinà. Monimentum hoc ſingulare exiſtimationis, eum Pontifices raró galeros mittere ſoleant; ſed expectati abſentes, ut propriis manibus recipiant à Pontifice, teſte Gregorio XI. in *ep. ad Bertrandam Cardinalem*, & *lib.* 1. *Rituum ſectione* 8. *c.* 15.

Vaticinia de Nicolai V. Papatu.

5. *Multiplici vaticinio* vocatum fuiſſe ad infulas Pontificias Nicolaum V. refert Ianozius Manettus *l.* 1. *M. S. vita Nicol.* 1. *in Vatic.* Anno ætatis decimo cum lethaliter decumberet Thomas; anxia mater nocturnis circa filium excubijs peractis, cum ſe ad ſomnum compoſuiſſet, proprio nomine *Andreolam* ſe vocari audiit à venerabili ſacerdote veſtibus albis induto, & diademate fulgentiſſimo coronato, qui ei ſalutē filii prędicens, ſacramentum exegit ab eà, daturā operam, vt tempore opportuno filius ſacris initiaretur, quod ad magnos, & celſiſſimos dignitatis gradus eſſet deſtinatus. Eidem poſteà Thomæ obitum plangenti patroni ſui B. Nicolai Albergati, nouam refert viſionem Philelphus *orat. ad Iacobum Marcellum. Nicolaus* V. (inquit) *optimus ille, ac erudiſſimus planè vir in cuius munificentiſſimi patris obitu docti omnes, ingenioq. præſtantes extremum naufragium paſſi ſunt, cum Nicolas Albergati ſapientis cum primis, & ſancti viri obitum moleſtiùs ferret, hunc tandem per ſomnum ad ſe venire exiſtimavit, & anxium appellare: Thoma fili, quid diutiùs gemis? pone lacrymas nobis eſt benè, benignitate Ieſu. Surge, accingere, ad breue enim tempus graue tibi ſubeundum eſt munus Petri gubernandæ naucula. Viſionē hanc haud ille diſſimulanter præ ſe tulit, nam cum aliis nonnullis familiaribus, tum etiam mihi, cum hac iter faceret Germaniam petens ab Eugenio legatus, cum inter loquendum in ſermonem incidiſſemus de manſuetudine, & grauitate Nicolai Cardinalis, id omne ſomnium coram veluti iocabundus retulit, ſubdidit enim. Cum hoc euenerit, Philephe mi, fructum recipies veteris noſtræ conſuetudinis*, Sigonius *l.* 4. *de Epiſcop. Bonon.* Cum autem in conclaue ingreſſus, dormientibus Patribus, Thomas plura ſecum mente reuolueret, *Eugenius opulentiſſimo pallio indutus, ac mithrà redimitus Pontificali in ſomnis apparuit, ac primo ſemetipſum Pontificalibus exuens eum admonebat, ut illa ſumeret Pontificalia. Recuſanti vim intulit. Quo facto, ſomno experrectus ridere cœpit. Interrogatus à familiaribus, cur ita cachinaretur? ridens totum recitauit. Quod poſtridie cum ad Pontificatum ſublimaretur, potiùs diuinum oraculum, quàm ſomnium humanum credidere.* Manettus *vbi ſupra*. Hinc Iuſtis Eugenio ſolutis, pridie Non. Mar. comitia apud S. Mariā ſuper Mineruam ingreſſi Cardinales XIIX. An. 1447. paribus animis, Thomam Sarzanum Cardin. presbyterum S. Suſannæ dixere Pontificem.

Impletum in eo vaticinium Sancti Malachiæ Prophetæ.

De Medicitate Lunæ.

Quod in pago natus *Lunenſi* in Thuſcià, & natalibus ignotus: undè meritò ei apponitur, *De Medicitate Lunæ.*

Papa creatur.

Obſtupuit ad rem maximè nouam Dominicus Cardin. Firmanus, vt ſuffragia bis inſpicere voluerit, *miraculi enim locum dabat, hominem nouū, qui anno, & ſemis antea priuatus ſacerdos, & egens fuerat, repentè Pontificem creatum.* S. Anton. 3. *p. tit.* 22. *c.* 11. §. 18. Raphael Volateran. *Antrop. l.* 22. Ex ſingulari ſuo in B. Nicolaum Albergatum ſtudio *Nicolai* nomen ſibi impoſuit: *Manetto* teſte. Coronatus eſt XIX. Martij, ſecundum Panuinium; vel die 22. ſecundum alios. Occupato Pontificatu mox Cardinalem Firmanum ad Regem miſit Alphonſum, vt illum à nouandis rebus abduceret, teſte *Poggio in vità Firmani*. Is cum ad Regem veniſſet, effecit, vt Pontifici fidelis omnia reſtitueret, & hoſtibus ditionem purgaret eccleſiaſticam. *Viſitatur poſtea* (teſte S. Antonino) *à Principibus per oratores congratulantibus de eius exaltatione in ſede Apoſtolicà, ac venerantibus vt vnicum, & legitimum, & indubitatum Apoſtolicum Vicarium S. C. & Petri ſucceſſorē, & primo à Rege Aragonum vt magis vicino.*

6. *Sub Felice.* Eugenio defuncto, elatus *Amedeus* ſpe ſtabiliendi antipapatus legatos decreuit ad Reges, pſeudoCardinales creauit, vt promiſſis ſubornarent ad diſturbandam creationem noui Pontificis. *Victoriam* (inquit Poggius Florentinus inuect. in Antipapam) *ex interitu Eugenii plures alienis veſtibus perſonatos rubicundo pileo, tanquàm mimos ridi-*

*culos exornaſti in euerſionem eccleſia, tua ignominia memoriam ſempiternam, nam fuere hæc ſatis ampla tua voluntatis indicia, aliud non inferius opus addere voluiſti. Miſiſti è veſtigio, qui aduolarent ad Orbis principes, vt te velut alterā Deo dedicatam ſtatuam Moloch adorarent, vt veram abnegarent fidem, hæreſim ſequerentur. Deniq. non ad vnitatem peruestigandam, ſed ad ferenda ſcandala verboſos, ac loquaces homines deſtinaſti. Sed quantus omnium gentium non riſus, ſed deriſio tua vanitatis, & ſtultitia habita eſt? reiecti omnes, abdicati, repulſi à ſermone, à congreſſu hominum ſemoti, & omnes tuas promiſſiones, quas plurimas, & varias obtulerunt, tuam tuorumq. contagionem, vt ſerpentis veneficas abhorrebant: oblata quibus ad corrumpendos animos vtebaris, vt rem nefariam ſpernebant. Nonnulli, quos noui, viri modeſtiſſimi pecuniam vltro promiſſam, caſtra, & dominia contempſere. Omnes à te artes, omnes ma-*B*chinæ adhibita ſunt ad animos recta ſentientes expugnandos. O mirum ſanctitatis genus, & cunctis ſaculis inauditum, quod boni & Sancti viri efficere ſolent, tu huius ſaculi dedecus pecuniâ tentas.* Illuſit Antipapæ expectationem

Felix Antipapa abiurat ſchiſma.

7. *Cæſar* Fridericus cognomento *Pacificus*. Ad hunc Nicolaus legauerat *Ioannem Cardinalem S. Angeli* (teſte Æneâ Syluio apol. ad Mar. Papam) loco apud Hiſpanos natum, ſcientia iuris, & munditia vitæ ſingularem, *ad quem cum Friderico Cæſare morantem legati ex omni ferme Germaniâ properarunt. Diſceptatum eſt quonam pacto Pontifici Nicolao parendum eſſet. Erant qui decreta Baſileenſis Concilij omnia ſuſcipienda contenderent, illiſq. ſaluis Papa obediendum. Contra legatus Apoſtolicus eius Concilij legibus, quod Romana ſedes refutaſſet, nullā meſſe vim aiebat.* C *Alij, quibus media ſententia placebat, verum Baſilea concilium aliquando eſſe affirmabant, eiuſq. temporis conſtitutiones haud quaquàm reſcindendas eſſe putabant. Poſtremò eo modo concordia locus fuit, vt ſententia quorundam decretorum Baſileenſis Concilij reciperetur; reliqua verò eius ſtatuta reiecta viderentur.* Fridericus itaq. maximâ ſui nominis gloriâ, patrocinio ſuſcepto eccleſiæ Romanæ, abiectâ *Neutralium* factione, Eugenium honorari, Felicem deſeri iuſſit, licet nonnihil *Amedæus* omiſiſſet, vt in ſuas partes Cæſarem aſſumeret. Ad hoc filiam formâ, & moribus præſtantem obtulit in matrimonium, ſimulq. dotis nomine, auri minimum ducenta millia, ſi eum Petri ſucceſſorem appellaret. Horruit Cęſar Eccleſiam ſuo fædare Sacramento; vndè ad ſuos con-*D*uerſus, *Vendere* (inquit) *alij Pontificalia ſolent; hic libenter emet, ſi venditorem reperiat*. Percuſſa hoc fulmine Baſileenſis hydra, elanguit: nam ciues Baſileenſes Cęſari obſequentes pepulere ſchiſmaticos. Felix autem Concilium ad ſe euocauit teſte Gobellino. Sic finibus Sabaudiæ clauſum ſchiſma cum adhuc moueret lacertos; Sabaudiam, ac ſectatorum terras armis ſibi ſubiicere mandauit Carolo 7. Francorum Regi, datâ tamen ei liberâ poteſtate ad concordiam ineundam, ſi pacificè poſſet. Officio Gallus non deſuit, miſſis hic inde Oratoribus, quorum operà Anno 1449. in conciliabulo Lauſanenſi Sabaudus *Ipſe cū ſe omnibus contemptui eſſe cerneret, nec ſpes vlla eſſet obedientia naneiſcenda, Apoſtolatui renunciauit, et Nicolao reconciliatus, quem verum eſſe Pōtificem profeſſus eſt, Cardinalatum ab eo accepit, et legationem quandiu viueret in partibus Sabaudiæ* Gobel, *l. 7. in Comment. Pij. 2.* Ne quis autem ſchiſma iterum ſuſcitare auderet: Præſules in Lauſanenſi Conciliabulo congregati, fictione iuris eccleſiam vacuam repræſentantes, in Nicolaum V. tulere ſuffragia; & declarantes ſynodum Baſileenſem Lauſanam translatam ab ipſis fuiſſe ſolutam (licèt eorum mentio in pactis nulla fuiſſet) teſte Stephano Infiſſura in M. S. Vaticano omnes ex Nicolai clementiâ, Cardinalium collegio cooptati fuere. Ita pro extincto ſchiſmate funeſto, & occidentaliū ſub vno Pontifice reintegratâ concordiâ, Nicolaus acturus Deo gratias, ſupplicationē inſtruxit ſolemnem, à Baſilica S. Petri ad molem Adrianam. *Amedæus* benè vſus abdicatione, Ripaliam reuerſus, cœleſtium contemplationi addictus vſque ad Annum 1452. non ſine opinione ſanctitatis deceſſit, ibidem ſepultus. *Mænertus*, & *Pingon*. Paulò antè deceſſerat Ludouicus Arelatenſis Cardin. S. Cæciliæ, auctor ſchiſmatis nefarij in Baſileenſi Concilio, tantâ pœnitentiâ clarus, vt poſt obitum *magna miraculorū opinio orta ſit, et inualidorum frequens vndiq. concurſus ſpe ſanitatis factus*, teſte Æneâ Syluio *c. 42. Europ.* Aegrotauit interim Nicolaus, qui Fabrianū ſe contulerat, ad euitandum peſtem Romæ graſſantē *Razadiarum* morbo (ac febri laboranti *Eugenius* IV. prædeceſſor eius apparuit *Mannetto* teſte) ipſum conualiturum prædicens, ſed octauo Pontificatus anno moriturum, vt ipſe Medico retulit Nicolaus Nec vanum præludium.

Amedæi obitus

Nicolai mors prædicitur.

8. *Romam Fridericum* Imperatorem aduenientem Anno 1451. cum minimè probaret Pontifex, ob Romanorū causā ad ſeditionem ſemper in procliuium; Æneâ Syluio fidejubente Fridericum nomine, & geſtis fore pacificum quieuit, permiſſo itinere ad arbitrium Cæſaris. Fide itaque acceptâ Romam venis, ſed mœnibus excluſus in ſuburbio eſt pernoctare coactus. Æneas interim ad Pontificem lecto cubantem vocatus, *admirari ſe* (ait) *tanti Principis fidem in dubium venire potuiſſe*. Cui Pontifex, *Minus timentis error, quam fidentis nocet*. Poſterà die formulâ ingreſſus præſcriptâ, decretum; Vt ſola Aquila explicaretur Imperij; nec ſine indignatione comitis *Furſtembergij*, & Argentoratenſium, qui etiam ſub Rodulpho cum in Bohemum militarunt, vexillum ſuum explicaſſe ſtrepebant.

Fridericus Romam venit.

Primi omnium ingreſſi ſunt Sueui: Sequebantur Principes Populi Romani obuiam miſſi, omnes induti ſagulis purpureis. Dein Cęſar cum Rege Vngariæ Ladiſlao, & Alberto fratre, cui Aquila cū miſſa erat imperij, cum Principibus, & aulico comitatu. Proximus ab eo locus Eleonoræ datus, ciuitatibus inſequentibus Imperialibus. Obuij ad portam Caſtelli venere tredecim purpurati Senatus cum Epiſcopis, Abbatibus, & clero, inter quos Spoletinus præſul vice Pontificis. Ipſe Pontifex ad D. Petri ſella eburneâ in gradibus collocatâ ſedens aduenientes expectabat, cuius manum, ac dexterum pedem Cęſar, Rex Ladiſlaus, Albertus, Eleonora poſtquàm deoſculati ſunt, aſſurgens omnes ordine excepit. XVI. Kal. April. Papa in D. Petri æde ſacris peractis, Fridericum, & Eleonoram ritu coronauit ſolemni, ac matrimonio iunxit. Tertio poſt die (quam *Dominicam Lætare* vocant) Cęſar de more vnctus,

&


& in Rom. Imper. conſecratus corona n cu n inſi-A gnibus accepit Imperii. Inde in ponte Tyberino antè palatium S. Angeli, fratrem primò, inde alios dignitate inſigniuit equeſtri. *Ferreâ* priùs non eſt Mediolani redimitus coronâ, vt de more, ne tyranno Sfortiæ plauderet in præiudicium principatus ad ſe deuoluti ob Philippi Mariæ obitum. Defectum coronæ ferreę ſuppleuit Pontifex ex plenitudine poteſtatis. *Naucleras.* Abeuntē Imper. duo comitati sũt Cardinales ad 50. millia paſsuũ. *Platina.*

Coronat Imperatorem.


9. Annus is ſecularis 1450. quo *celebratum Iubilaũ ſub Nicolao Pontifice vrbis, ad quem conſequendũ conuenerunt ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt fidelium plurimi mares, & fœminæ. S. Anton. 3. par. tit.* 22. c. 12. §. 3. Conſentit Platina tantam multitudinem confluxiſſe Romam, quantam nunquàm ætas viderat anteacta. *Vndè cum ſemel è Vaticano viſâ Saluatoris imagine ad vrbem redirent, obuiam facta mola Petri Barbi Cardinalis, cum neque venientes, neq. redeuntes ob inſequentem multitudinem cedere poſſent, ad ducenta hominum corpora in ponte Adriani ſuffocantur. Multi etiam à lateribus pontis in flumen cadentes in vndis periere. Hinc Nicolaus caſulas quaſdã anguſtiorem viam ad pontem facientes omninò ſuſtulit: totumq. ferè annum illum in celebritatibus conſumpſit, ſtationes ipſemet quotidiè inuiſens cum Cardinalium catu. Cauit etiam ne abundante tantâ multitudine, commeatus & omnia ad victum neceſſaria in orbe deeſſent. Curavit item exercitationibus & ſatellitibus, ne graſſatores in peregrinos ad vrbem accedentes ſævirent.* Platina. Inter viros conſpicuos, qui religioſam iniere peregrinationem, Iacobus fuit Trevirenſis Archiep. & Iacobus Ep. Metenſis. Acceſſit & Cliviæ Dux, & *Albertus* frater Imperatoris Friderici. *Gobelino* teſte. *Didacus*, qui miraculis floruit; ut in C diplomate Sixti V. Sæcularis ſolemnitatis teſtimonium numiſma eſt, in quo *Porta Sancta*, quæ Anno Iubilæi à Pontifice reſeratur, & clauditur.

Iubilæū.

II



III



10. *Conſtantinopolim.* Extincto Amurathe Turcarum Rege, ſpes fallaces Vngaria, Græcia concepit, Regis viciſſitudine fortunam quoq. immutan-D dam. Hæres namquè non defuit cruentior. Græci metu exonerari Amurathis, in pertinaciâ duriores, Patriarcham ſuum cum Romanâ ſentientem ecclesiâ abiecerũt. Adfuit verò nouus carnifex, àquo flectente triennio, excindendam Cõſtantinopolim, & Græcos in ſeruitutem adducendos Nicolaus Pontifex prænuntiauit literis ſuis, quæ extant inter *opusc. aurea Romæ cuſa An.* 1630. Cum enim duritiem Græcorum exprobraſſet, ita ſubiungit. *Intelligunt, ſed tolerant, intuentes dominum Ieſum Chriſtum æternum Pontificem, qui ficulneam infructuosã arborem vſquè in tertium annum ſeruari iuſſit, cum*

Nicolaus prænuntiat Græcorum ſeruitutem.

alter illam propter ſterilitatem cuperet amputari. Super quibus ita exclamat Gennadius Patriarcha Cõſtantinopol. *O magnam calamitatem.* Anno 1451. *hanc Nicolaus conſcripſit Epiſtolam: & Anno* 1453. *capta eſt Conſtantinopolis. Nam poteſtis dicere hæc vera non eſſe è minimè gentium, cum id ſit manifeſtum, & res ipſa loquatur: Tres (inquit) annos expectabimus ſi vos fortè à ſchiſmate & ſeparatione conuerteritis, & vos verè decreto adiunxeritis ſecundum Saluatoris de ficu præceptum. Si vero, non, excindemini, ne terram otioſam & inutilem reddatis. Hoc miraculorũ miraculũ maximũ, quod (vt in epiſtolà ſcribit Nicolaus Papa) Græcorũ gẽs illa maxima & formidabilis, ſapiens, & clara, fortis, terrarum domina ob divinam vltionem ita in barbarorum ſeruitutem abducta ſit. Hæc enarranti mihi ſubit lamẽtari et deplorare excidium gentis noſtræ, quamquàm vos non intuemini*: ita in c. 5. pro Conc. Flor. ſect. 14. B Eadem prædixerat Beſſarion *orat. habitâ Florẽt. c. 9.* Non defuit tamen ſuo muneri Nicolaus, miſſis ad Principes legatis, Cyprium Regem præcipuè, in quem Mahometus arma parabat, vt in communem hoſtem arma converteret. Dimidiam ipſe auri vim ex collatitiâ luctantium in Gallias indulgentias ſtipe redigendam Pontifex offerebat. Annuebat Fridericus, qui hac de re, dum Romæ eſſet, in Senatu orauerat Apoſtolico, teſte Eneâ Syluio *l. 1. ep.* 299. Sed breui ſacra illa ſenuere conſilia ob Friderici cum Vngaris diſſidia Ladiſlaum repoſcentibus Regem ſuum à Friderico Imperatore, qui impuberem adhuc obiiciebat Ladiſlai ætatem. Mahometus verò II. occaſione captatâ diſsidii, vt proauum gloriam ſuperaret, Conſtantinopolim adoriebatur, ut ſuper Græcorum ruinâ Turcicum ſtabiliret imperiũ. Hinc arcem munitiſsimam iuxta Aſomatum, in anguſtiis Boſphori Thraciæ extruxit, ut naues è Põto Euxino Cõſtantinopolim deſcendentes interciperet, & vſq; ad mœnia incurſionibus vexaret repentinis; Turciſq; ex Aſiâ in Europã aditus pateret. Græci verò tam vecordes fuere, vt operas pro eâ extruendâ præbuerint. Prę uiderunt Ianuenſes exitium imminens: ideo claſſe inſtructâ ſubſidiariâ, Alphonſum Regem Aragonum, & vtriuſq. Siciliæ in Turcas excitarũt. Is autem Mediolanenſi incubans principatui Oriẽtem neglexit. Cæteri Reges non diſsimiles preces omnes ſpreuere Pontificis. Certabant in Aquitaniâ Angli cum Franciſ, in Angliâ Scoti cum Anglis, in Belgio cum Gandavenſibus Burgundus, tanto cruore vt vno in prælio ſupra viginti millia Gandauenſiũ cæſa ſint Anno 1453. teſte *Monſtreleto. vol.* 3. ut Anno ſuperiori, viginti quatuor Anglorum millia à Scotis ſint trucidata. Nullas porrò Occidens ſuppetias miſit, in odium violati fœderis à Græcis, quod in Florentinâ ſynodo percuſſerant cum Latinis. *Auctor Turcogræc. l.* 1. Græci ipſi auaritiâ victi theſauros recondentes in ſepulchris maluerunt cum eis ſepeliri, quàm ſine eis viuere; vt poſt victoriam ipſe exprobrauit Muſulmanus. *Phrantzes l.* 3. *c.* 18. S. Antoninus. 3. *p. tit.* 22. c. 13. §. 14. Parauerat Pontifex claſſem viginti nauiũ & nouem triremium, teſte *Monſtreleto*; ſed ſerò, nam altero tantum diè poſt captam vrbem claſsis Eubœam appulit. Prædixerat iam ante centũ annos Christus B. Brigittæ Hieroſolymis agenti, ob crimẽ ſchiſmatis Græcos perituros; Cyprios verò ob ſu-

Friderici Imper. cũ Vngaris diſſidia.

Græcorum ignavie.

Chriſtianorũ diſſidia.

Byzantium occupãt Turcæ.

Quà diè capitur Byzantium.

perbiam, luxuriem, & auaritiam *l. 7. Revel. c. 19.* Iſidoro namq. Cardinali Rutheno legato Apoſtolico (qui Bizantium venerat pro publicando vnionis decreto) manus dedere Græci cum ad mœnia ſenſere Mahumetum vallatum tercentis millibus militum; ac claſſe inſtructâ nauibus 228. triremibus 18. biremibus 50. Vrbem obſedit die ſecundâ Aprilis An. 1453. Capta eſt die 29. Maij, ſacrâ Spiritui Sancto, quē procedere ex Patre, Filioq. profiteri detrectauerant. Conſtantinus Imperator vulneratus, abreptus à multitudine ſæpè cadens, ſæpè reſurgens, conculcatus tandem interijt; cui reſectū caput Turcę circumtulere ad terrorem Chriſtianonorum. Monimenta crudelitatis facilius eſt lugere, quàm ſcribere. Quadraginta hominum millia trucidata. Sexaginta millia capta, ac vēdita. Ianuēſes eodem die, etiam non rogati Peram Mahometo reddiderunt, meritò ab eo omnibus bonis exuti; qui ſi Græcis vires ſuas coniunxiſſent, ſanè Turcas repuliſſent magnâ gloriâ, quam tamen cum pecuniâ cuius erant auidiores, ignauiter, & flagitioſè perdiderunt, milites nomine, rę turpiſſimi, ac ſordidiſſimi mercatores.

11. *Typographiam* ſub Eugenio IV. Pontifice Moguntiæ inuentam An. 1434. auctor eſt Setarius *hiſtor. Mogun.* Veruntamen Veneti hiſtorici ſub Paſchali Maripetro Venetorum Duce Venetiis inventam; Romam ſub Nicolao IV. Rom. Pontifice, uel ſub Callixto, 3. latam ſcribit Polydorus Virgil. & Genebrardus.

Typographię inventio.

12. *Græcos hiſtoricos* in Latinum tranſlatos Nicolai V. opera, habes apud Ianozium Manettum *l. 2. vita Nicolai V.* Ea enim liberalitas ergà literatos, vt pecuniâ, beneficijs, ſtipendiis, dignitatibus ſemper excitaret. Literæ Grecæ, & Latinæ cum annis ſexcētis in tenebris obrutæ iacuiſſent, eū ſunt nactæ ſplēdorem, ut toto Orbe viri percurrerent literati ad congerendos libros, qui maiorum negligentiâ, vel barbarorum rapinis perierant, præcipuè ſub Græcorum ruinis, & Byzanti ſpolio, cuius è flamma Nicolai ſtudio per exploratores Romam ſubducti præcipuè S. Dionyſius Areopagita, Gregorius Nazianzenus, Baſilius Magnus, Cyrillus, ac linguâ donati Latinâ, præter ingentem aliorum librorum congeriem Philoſophorum, Artium Medicinæ, Teologiæ, Iuriſquè Cæſarei, ac Pontificii, ut *quiſque altiùs ſui Pontificatus anni longè plura, ad hæc præſertim humanitatis ſtudia, quorum amantiſſimus erat, pertinentia, quàm quinque ſæculis anteà eius centum prædeceſſorū ſuorum temporibus compoſita, ac traducta fuiſſe videantur,* teſte *Manetto*. Poggius Florentinus Quintilianum invenit, Deodorum Siculum vertit: Enoch Æſculanus Marcum Cęlium Apicium, & Porphyrionem in opera Horatii. Laurentius Valla è Græco latinè vertit Herodotum, & Thucididem; Nicolaus Perottus Polybium, illuſtravit Martialem, Cardinalis Nicæni vitam conſcripſit. Publius Candidus vertit Appianum Alexandrinum, Theodorus Gaza libros Ariſtotelis de Animalibus, Theophraſtum de Plantis: Guarinus Veronenſis geographiam Strabonis. His adiunge Georgium Trapezuntinum, Petrum Candi[illegible]m, Demetrium Græcum, quorum operâ in verſio[illegible]e Græcorum, & libris conquirendis utebatur, teſte Sylvio *c. 58. Europa.* Franciſco Philelpho *l. 12. ep. ad Nicolaum Arcimboldum*, & ep. ad Calixtum III.

Librorum avidus Nicol. V.

Poetas amat.

Nicolao cum nuntiaretur quoſdam Romę inveniri, qui dulcia pāgerēt carmina, negavit. *Cur enim* (inquit) *ad me non veniunt, qui Poetis etiā malis patere ſoleo.* Eccleſia cum vacaſſet Regienſis, ei Matthæum Reginum Minoritam, prædicatione inſignem præficere cogitans, rogari mandavit per Capranicam Cardinalem Firmanum, an civitatis ſuæ curam ſuſciperet Paſtoralem? Firmanus paruit, interrogavitque: Matthæus nil reſpondens, cubiculo ad fratres egreſſus in aula ſtantes, eiulans, ac lacrymans, *Accurrite* (inquit) *adeſtote, opem afferte*. Admirantibus, & percontantibus fratribus, quid eſſet? *Heu* (inquit) *miſero mihi; ætatem in religione conſumpſi, vixi pauper, & obediens, præcepta B. Franciſci nunquàm violavi, verbum Dei prædicavi populis, in cellulà meâ prædilectam ego paupertatem, nunc ad Epiſcopatum vocor, ad negotium, ad labores, ad honores, quos optavi nunquàm. O immaculata religio, ò ſacri penuates clauſtri, ò dulcia cellarum ſilentia, ò amantiſſimi fratres, ò conſolationum mearum ſocii, ergo vos tandem relinquam? non faciam, accurrite, me defendite, ne me vobis Firmanus eripiat.* Cuncta Cardinalis audiverat è cubiculo proximo, è quo egreſſus, *Tace* (inquit) *Matthæe, libero te, non urgeberis à Pontifice altrà quàm velis.* Poſt dies octo ad Firmanum Matthæus rediens, conſilium cœpiſſe cum amicis, ait, ut Pontifici ſatisfaciat. Tantum Pontifici Firmanus retulit, dicens; *Matthæus mutatus eſt; Epiſcopatum, ſi voles, accipiet.* Cui Pontifex: *Et ego mutatus ſum: volui, cum noluit; nolo, cum vult.* Teſte Sylvio.

Hiſtoria lepida de Mattheo Minoritâ.

13. *Mortuo*. Bello Turcico intentus Nicolaus, febre ex doloribus arthriridis correptus, mortem agnoſcens præ foribus iuxta Eugenij IV. vaticinium, qui ſpecie obiectâ cœleſti, Anno octavo Pōtificatus obitum ei prædixerat, Cardinales convocavit, ac prolixâ oratione (cuius meminit S. Antoninus. 3. p. tit. 22. c. 14.) geſtorum ſuorum cauſas expoſuit. *Audite, audite inquam* (ita refert Ianozius Manettus. l. 3. in M. S. vitâ Nicolai) *venerabiles fratres rationes, cauſaſque, quas venerationes veſtras ſcire, atque intelligere volumus. Romanæ namque eccleſiæ auctoritatem ſummam, & maximam ii ſolum intelligunt, qui originem, & incrementa ſua ex literarum cognitione perceperunt, cæterorum populorum turba literarum ignara quamvis doctis aſſentire videantur, niſi tamen viſis moveantur egregiis, profectò illa omnis eorum aſſenſio debilibus innixa fundamentis, diuturnitate temporis ita paulatim elabitur, ut plerumque ad nihilum recidat. At cum illa vulgaris opinio relationibus doctorum hominum fundata magnis ædificiis perpetuis, quodammodo, monumentis, ac teſtimoniis penè ſempiternis quaſi à Deo fabricatis in dies uſquè adeò corroboratur, ut in poſteros illarum admirabilium conſtructionum conſpectores continuò traducatur, atque per hunc modum conſervatur, & augetur, atque ſic conſervata, & aucta admirabili quadam devotione colitur. Ad hanc Chriſtianorum ergà Romanam eccleſiam devotionem tuta quadam habitatoribus ipſis, ac terribiles inimicis opi-*

pidorum, urbiumque munitiones accedunt, quæ per has magnorum ædificiorum conſtructiones adverſus externos hoſtes, ac domeſticos novarum rerum cupidos quotidiè diripiendi gratiâ conſpirantes, et in grave eccleſiaſticorum, et eccleſiarum damnum inſurgentes munitiores reddantur. Quo circa nos, et Gualdi, ut à nobis incipiamus, et Aſſiſi, et Fabriani, et in utraque civitate Caſtellanâ, et Narniæ, et Urbeveteri, Spoleti, et Viterbii, et multis aliis eccleſiæ noſtræ locis plurâ peregregia ad certum quemdam, et expreſſum utriuſque devotionis, munitioniſque effectum ædificia condidimus, ac eiſdem cauſis in hac urbe multa, et ſingularia ædificia inchoavimus: quantò enim hæc alma urbs cæteris omnibus maior, et dignior habetur, quantoque ampliori cunctorum Chriſtianorum populorum devotione magis celebratur, et colitur, tantò profectò cum aliis omnibus ornatiorem, atque munitiorem fore oportere cenſebamus, præſertim cum in perpetuam ſummorum Pontificum ſedem, atque æternam Pontificiæ ſanctitatis habitaculum ab omnipotenti Deo conſtitutam fuiſſe non ignoraremus, proinde, ut urbis mœnia pluribus hinc inde locis collapſa, & confragoſa reparavimus, multiſque turribus circumquaquè munivimus, ac nova inſuper cum crebris propugnaculis abſolvimus. Quadraginta præterea ſanctarum ſtationum baſilicas à Gregorio Magno prædeceſſore noſtro ab origine inſtitutas penè ad ultimam abſolutionem reformavimus, atque ad extremum hoc palatium, in quo nunc ſumus, idoneum ſummorum Pontificum domicilium, & hoc ſacroſanctum Petri Apoſtolorum Principis templum huic noſtræ Domui contiguum cum magno, ac novo vice adiacente pro dignâ quadam, & ſecurâ cùm capitis, tùm omnium membrorum, & totius curiæ habitatione iampridem ædificare, & reformare inchoavimus, quæ quidem opera, ut antea videtis incepta, niſi mors à tergo inopinata pervenisset, omnipotentis Dei gratiâ, & S. S. Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate, et poteſtate adiuti, quando ea boni gratia agebamus, uſque perduxiſſemus, quæ quidem ſi, ut cupiebamus, expleta fuiſſent, aut ſi ut inſtitueramus ullo unquam tempore in poſterum abſolverentur, profectò ſucceſſores noſtri maiori quadam Chriſtianorum omnium populorum veneratione adorarentur, atquè tutè, et ſecurè intra Urbem commorantes impias, et conſuetas, et externorum hoſtium, et domeſticorum quoque inimicorum perſecutiones facilius evitarent. Quibus quidem nos cauſis non ambitione, non pompâ, non inani gloriâ, nō famâ, nec diuturniori nominis noſtri propagatione, ſed maiori quadam Romanæ Eccleſiæ auctoritate, et ampliore ſedis Apoſtolicæ apud cunctos Chriſtianos populos dignitate, ac certiori uſitatarum perſecutionum evitatione, talia tantaquè ædificia mente, et animo conceperamus, etc. Expetendæ namquè Pontificis vitæ inſidiatores nō defuerunt (teſte *Ænea Sylvio, C. 58. Europa*) Stephanus Romanus familiâ Porcariâ tenui cenſu eques res novas ſemper in urbe molitus, ac propterea Bononiam relegatus, clàm inde excedens magnis itineribus Romam rediit An. 1453. convocatiſque amicis mentem expoſuit, turpe dicens, eam urbem, quæ ſibi ſubiecerit orbem, nunc Sacerdotum imperio ſubiacere, quos rectiùs fœminas, quàm viros quiſque appellaverit, veniſſe paratum patriæ iugum excutere, rem factu facilem, ſi viri fuerint; Nicolaum Pontificem celebri Epiphaniarum die in æde B. Pauli Sacra facturum, haud magno negotio comprehendi poſſe, populum libertatis amore, quam proclamari audierit, mox opem audentibus daturum. Ad colligandum autem præſulem catenam auream ſecum attulit, quā congregatis oſtendit, nequè enim mox occidendum præſulem ex uſu eſſe dicebat, ſed obſervandum, donec arcem S. Angeli per eum recuperarent. Atque ut erat homo facundus facilè congregatos traxit in ſententiam, eoquè faciliùs, quòd inopes ære alieno gravatos & ob patrata ſcelera iudicium formidantes collegerat, quibus nihil erat in pace ſperandum. Sed inſidias Nicolaus præſenſit, miſſiſquè militibus hominem comprehendi iuſſit. Illi eum iam animo fractum, & apud ſororem in arcâ latentem invenerunt, complices ejus in domo, quà convenerant, expugnati, capti ſunt, è quibus unus *Baptiſta Sciarra* manu promptus, & animo
B intrepido per medias Pontificis cohortes viam ſibi gladio aperiens, effugit, *Stephanus* in arce S. Angeli, alii in Capitolio ſuſpenſi vitam finiere: ita Pontifex ingenti periculo liberatus Romanæ ſedis dignitatem, imperiumquè ſervavit iuxta id quod Numen prædixerat ſupernum Anno ſexto Pōtificatus eiuſdem Nicolai. *Sue enim cubiculo dormitanti Stephanus Porcarius civis Romanus, qui cum aliis ſceleriis in caput Pontificis conſpiraverat, baculum quendam dextrâ manu tenens apparuit, atquè eo baculo brachium ſuū ita percutere videbatur, ut nullatenùs læderet, quod id ipſum quale foret detectā paulo poſt coniuratione, & conſpiratoribus captis, ultimo ſupplicio affectis in lucem venit* teſte Manetto *l. 1. in Vitâ Nicolai. Has itaque et veteres* (Nicolaus proſequitur ad Cardinales teſte Manetto) *et recentes perſecutiones Romani Pontifices nullo unquam exiſtimamus, et credimus*
C *tempore pertuliſſent, ſi novis, et inexpugnabilibus munitionibus ſeſe præſertim intra urbem, protexiſſent, nunquàm enim nequè interni hoſtes, neque domeſtici inimici, quamquàm novarum rerum cupidi, uſquè adeò temerarii, inſanique fuiſſent, ut ea cum periculo capitis ſui aggrederentur, quæ optatos, deſignatoſque effectus nequaquam ſortiri poſſe videbantur. At verò ſi temerariâ audaciâ allecti, et cæcâ cupiditate rapti fuiſſent profectò conatus ſui ad nihilum recidiſſent, ac per hunc modum tuti, quieti, ac ſecuri in continuâ ſedis Apoſtolicæ tranquillitate cum maximâ auctoritate, cum ſummâ poteſtate, cum immensâ denique dignitate ſemper reſediſſent. Quocirca, ut de hac ædificatione à principali propoſito paruniper digredientes aliquem certum, & ſolidum fructum capiamus, venerationes veſtras in Domino exhortamur, quatenùs prædicta conſtructionum noſtrarum opera inchoata proſequi, ac perficere velint, ut ſucceſſores noſtri externorum tumul-*
D *tuum, domeſticarumquè perſecutionum penitùs, omninoquè expertes gregem dominicum ſibi ab omnipotenti Deo commiſſum tanquàm veri animarum paſtores diligentiùs, atque liberiùs, ſalubribus cibariis alere, ac per hunc modum alitum in viam ſalutis æternæ traducere valeant. Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, quam mutilatam* (ob Amedæi ſchiſma) *frequentibus bellis aliquot oppidis apprimè diminutam, atque ære inſuper alieno admodum oppreſſam ſuſcepimus, divinâ omnipotentis Dei gratiâ ita reſarcivimus, ita reformavimus, ita denique corroboravimus, ut & ſchiſmata*

Ædificia Nicolai V.

Conſpiratio in ipſum.

ta

ta penitùs, & omnino abſolveremus, et oppida, urbeſquè ſuas antea bellicis fremitibus amiſſas, ac deperditas per pacem, et tranquillitatem recuperaremus, et ſedatis hinc indè bellis, atque ita deletis, ut nullum prorsùs veſtigium nequè in agro Eccleſiaſtico, nequè in totà Italià uſquè appareret, non modo à ſuo ære alieno liberaremus, ſed pluribus etiam pretioſarũ rerũ formis tũ margaritis, gemmis, & aliis huiuſmodi nobilibus lapillis, tum quoq; ædificiis, et libris, et aulæis inſuper, ac tapetibus, et pleriſque præterea vaſis partim argenteis, partim aureis, et demum omnibus eccleſiaſticorum indumentorum generibus ad cultum divinum vel maxime pertinentibus ditiſſimam, ac opulentiſſimam redderemus, atquè hæc omnia, pluraquè alia divitiarum, et gazarum genera non ex avaritià, non ex Simonià, non ex largitionibus, non ex parſimonià, cum nulla liberalitatis, nulla magnificentiæ genera partim crebris plurium munitionum ædificationibus, partim frequentibus multorum librorum emptionibus, continuiſque codicum Latinorum, et Græcorum tranſcriptionibus, partim pleriſquè erga eruditos, et doctos viros aſſiduis donationibus, intentata, inexpertaque reliquerimus, ſed ex divinà dumtaxat benigniſſimi Creatoris gratià, ac ex pace Eccleſiaſticà perpetuaquè pontificatus noſtri tranquillitate proveniſſe non dubitamus. In hoc itaque *extremo adveniente mortis articulo, & paulò poſt Creatori noſtro animam reddituri, hanc ipſam Omnipotentis Dei immaculatam ſponſam iam non amplius noſtram, ſed potiùs veſtram Romanam Eccleſiam, quantùm poſſumus fraternitatibus veſtris unicè commendamus. Hæc enim illa Chriſti ſponſa, quam ipſe proprio peperit ſanguine, partamquè humano generi fruendi gratià reliquit. Hæc tunica illa inconſutilis, quam milites nefarii partiri non potuerunt. Hæc illa Apoſtolorum Principis navicula, variis agitata fluctibus; hanc totis mentis affectibus accendite, viribus corporis ſervate, cordibus diligite, operibus amate, viſceribus amplificate, hanc deniquè mente, & corpore retinete, quæ profecta conſequemini, ſi eam cunctis humanis tam ſæcularibus, quàm eccleſiaſticis rebus præponere volueritis, & ſi fraternam charitatem invicem ſervaveritis.* Indè in Cœlum elevatis oculis, & manibus cœpit orare. *Domine Deus Omnipotens concede propitius his Eccleſiæ tuæ patribus, ut eam conſervare, & amplificare valeant, atque eis gratiam largire quæſumus, ut ipſa intercedente de bono, & idoneo paſtore gregi præficiendo dominico faciliùs, maturiùs, & meliùs providere poſſint. Valete dilectiſſimi fratres in domino, pro ſalute animæ noſtræ ingibus orationibus veſtris ſemper memores.* Inde dextero brachio ad eos parumper converſo. *Benedicat* (inquit) *vos Omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.*

Conſonat Sylvius. C. 58. *Europæ. Hic Vrbem Romam multis, ac maximis ædificiis mirum in modum exornavit, cuius opera ſi compleri potuiſſent, nulli veterum Imperatorum magnificentia ceſſura videbantur, ſed iacent ædificia ſicut ruina murorum ingentes.* Fuſiùs Platina: *Ædificavit* (inquit) *magnificè, & ſplendidè tùm in Vrbe, tùm in Vaticano; in urbe ædes Pontificias apud Sanctam Mariam ad Præſepe. Reſtituit & templum Sancti Stephani in Cœlio monte; à fundamentis verò erexit Sancti Theodori templum inter Palatinum, & Capitolinum montem in plano ſitum. Pantheon quoque in medio urbis poſitum templum vetuſtiſſimum M. Agrippæ opus plumbeo tecto veſtituit: in Vaticano autem, & Pontificias ædes ſumptuoſis operibus in hanc formam, quam nunc cernimus, redegit, & muros Vaticani prealtos, et latos incoavit, iactis ingentis fundamentis ad turres, et maiorem molem ſuperædificandam, quibus coerceri hoſtes poſſent, ne ædes Pontificis, et Beati Petri templum, ut antea ſæpe factum eſt, diriperentur. Inchoavit præterea ad caput templi, Beati Petri amplam teſtudinem, quam vulgo tribunam vocant, quò templum ipſum auguſtius, et hominum magis capax eſſet. Pontem quoque Milvium reſtituit, et ædes egregias ad balnea Viterbiana ædificavit. Iuvit et multos pecunià, qui in urbe ædificabant. Eius etiam mandato viæ urbis ferè omnes ſtrati ſunt. Eleemoſynas quoque multas in pauperes erogavit, maximè verò in nobiles ad inopiam ob varios rerum humanarum caſus redactos. Virgines inopes ſuà pecunià, et munificentià maritis collocavit. Legatos aliundè venientes munificè ſemper ſuſcepit, nullo non genere honoris, et liberalitatis adhibita. Facilis ad iram fuit, ne mentiar, quippe qui bilioſus erat, facilis etiam reditu ad benevolentiam. hoc eſt, quod anſam malevolis dabit ad carpendum hominem de Deo omnibus optimè meritum. Avaritiæ autem adeò expers fuit, ut nequè officium ullum vendiderit unquam, nequè beneficium Simoniacà pravitate ductus, ulli collocaverit.*

Auctis poſtea doloribus accinxit ſe ad extremam luctam, ſeque ille munivit ſacramentis adſtantibus Epiſcopis, qui ipſum conſolarentur inter quos Manetto teſte, *cum Ioannes Epiſcopus Atrebatenſis lecticæ, in quà Pontifex moribundus iacebat, genibus flexis adſtaret, & paucis verbis ipſum iam penè morientem, & ſi altera conſolatione non indigeret, pro virili tamen conſolari cuperet, inter loquendum lacrymas iam oculis per totum vultum emanantes continere non potuit, quod cum ipſe ficcis luminibus intueretur, planè, & apertè conſpexit, ac ſtatim conſolationi orationis ſuæ, iam lacrymis refectæ curſum his ſuavibus verbis generosè admodum, ac magnanimiter impedivit. O Atrebatenſis* (inquit) *ne fleas quæſo, quinimò has tuas lacrymulas in devotas deprecationes converte, & pro me paulò poſt morituro ad Omnipotentem Deum dominum noſtrum humiliter deprecare.* Denique maximo omnium dolore, horà quintà noctis, die 24. Aprilis. An. 1455. ſecundum Stephanum Infeſſuram, Bartholomæum è Turcià. Iuxta verò S. Antoninum diem obiit extremum 25. Martii. Cui conſonat numiſma ab artifice *Andrea Guagalota*, cuius nomen ibi inſcribitur. Poſt obitum Nicolai cuſum fuiſſe oſtenduot verba, quæ diem mortis exprimunt. Sepultus eſt in eccleſià S. Petri, cuius ſepulchri hic habes exemplar. cum epitaphio, quod inſculpſit *Æneas Sylvius*. Extat & aliud Vegei hiſce notis expreſſum.

Nicolai V. in morte conſtantia

Pontificis ſummi Nicolai hic condita Quinti
Oſſa cubant, liber ſpiritus aſtra colit.
Æmulus ille Numæ, pacem ſibi prætulit armis,
Prætulit, & divis cantica Sancta tubis.
Mira idem ſtudio ritus, cultuſque ſacrorum
Curavit; mira denique ſacra fide.
Alter & Auguſtus arctus, doctiſſimus ipſo.
Excoluit ſumma ſemper, & auxit ope.

Ex-

Extulit atque alta renovavit mœnia Romæ,
Extulit ingentes, et renovavit opes.
Sæcula qui magni Iubilæi læta ſacravit;
Cæſareum rutilo cinxit et Orbe caput,
Qui ſciſſum eccleſiæ Paſtor compegit ovile,
Ad ſuaquè errantes clauſtra reduxit oves,

Habes in eodem ſepulchro ex Ægidio Sadelerio ſymbolum Nicolai V. in quo Crux Chriſti Redemptoris palmis interciſa, & olivis, quòd in eà pacem habere ſolùm liceat, atquè triumphos.

SIGNVM NICOLAI V.

Paratum cor meum Deus.

NICOLAI V. SCRIPTA,

Oratio funebris in obitu Eugenii IV.

Epiſtola doctiſſimæ, quæ aſſervantur M. S. in Vaticano, & apud Vvadingum, Inter quas eam, quã ſcripſit ad Cõſtantinum Imperatorẽ cognomento *Dragaſem*, quà excidium, & internecionem Græcorum prædixit infelicium. Servatur hæc M. S. in bibliothecà Ducis Bavariæ, & Viennæ cum verſione Theodoris Gazæ.

Regula Cancellariæ ab eo in ordinem digeſtæ.

Diploma de conceptione B. Virginis Mariæ, teſte *Petro de Oiedà*,

Diploma pro B. V. Allenſi teſte *Lipſio*, hiſtor, Virg. Hallenſis.

Oratio ad Cardinales in extremo vitæ teſte *Manetto*.

Eius pietatem, ac devotionem erga S. Franciſcũ Aoſtendit, Aſſiſium petens tribus tantùm comitantibus ſociis, cum quibus loca ingreſſus ſubterranea ſub horam quintam noctis, ibi ad beati pedes non ſinè lacrymis diù procubuit, teſte *Andreà Victorello*.

Cardinales bis ab eo creatos, ſuo loco recenſebo. Patriarchatum Venetias tranſtulit Gradenſem, quà dignitate primo ornavit *B. Laurentium Iuſtinianum*, inſcio Senatu ne dicam invito. Nam etiam Eugenius. IV. ſæpè hoc tentaverat, ſed fruſtrà: verente Republicà, ne dignitas ſpiritualis opibus aucta, & auctoritate veteres renovaret diſcordias Beatiſſimi tamen Patris manſuetudo facilè dubitationem diremit. Adiit enim continuò Ducem, & Collegium, dicens ſe ſe ab hinc duodeviginti annis invitum Epiſcopum factum, & à quiete ſuà in hos turbines iniectum, deſiderare nunc quietem, & minui magis pondus præſulatus, quàm augeri, ſibi eſſe in animo hoc oneris, quibuſcumquè poſſet modis deprecari, niſi ipſe dux, ad quem civitatis ſuæ dignitas pertineret, fortè aliud ſentiret, pro Ccuius honore, quoniam ita de ſe merita civitas eſſet, nullum laborem recuſare deberet. Movit omnium lacrymas ſanctiſſimi patris mixta charitati humilitas. Dux, qui rem hanc ægerrimè tulerat, & ab Eugenio tentatam impugnaverat, ſtatim ex ſuà, totiuſque Collegii ſententià enixè eum rogare cæpit, ut libenti animo id muneris ſuſciperet. Sic quod invidioſum *fuerat in dignitate*, *ex manſuetiſſimis S. viri moribus gratiſſimum factum eſt*. Petrus Iuſtinianus. *c. 8. in vità B. Laur.*

CAL-

CALLIXTUS TERTIUS
PONTIFEX ROMANVS CCXI.



CCXI

SOllicitatus Callixtus Eccleſiaſticis dignitatibus ſuæ providere familiæ; reſpondebat: quòd Ieſum parvulum cum in Hieruſalem amiſiſſent Maria, & Ioſeph, donec quæſierunt eum inter cognatos,& notos,non invenerunt (2. *Lucæ n.44.*) Vndè in Templo ſolummodò repertus Ieſus, templo providere, non familiæ, paſtores inſtruit.

Eligitur An. Sal. 1455. die 8. April. Coronatur die 1. Maii. Obiit Anno 1458. die 8. Idus Aug. Cum ſediſſet Annos 3. Menſes 4. minus duobus diebus. Vacat ſedes dies. XIII.

E L O G I V M.

Anni Sal. ICa. 1455li. ÆTernitati,nõ tepori,Hiſpaniã ſcribere, A
Longævo noſcas à partu.
Quindecim ſęculis tres tantũ enixa Pontifices,
Damaſum, Ioannem, Callixtum.
Cõceptione oſtentar Deos çogitare,nõ homines.
Anno creatur Callixtus,¹quo mori incipiebat,
Ætatis ſcilicet ſeptuageſimo 9
Nec citius,nec tardius vocandi ſunt Præſules
Vt valeant docere alios, benè vivere;
Ipſi autem diſcere, benè mori.

Prolem cum iuvet, ex bono ſemine naſci, Anni Sal. ICa. 1455li.
Et tranſeat in liberos imago Patris:
Ex Borgiis naſcitur:
Quorum vita, fama
Gymnaſii Ilerdenſis alumnus tantũ profecit,
Ut maior factus Magiſtris
Maximus à Maximis ſalutaretur Iuriſperitis,
Ac vivus ſua ubiquè legeret elogia.
Canonicus creatus Ilerdenſis,
Ac Rege Siciliæ à ſecretis,

Duo-


CALLIS'I. TERTII P. M. SEPVLCRV̄ IN VETERI D. PETRI BAS. ERECTV̄
Cuius in Cryptis nunc Fragmenta repe riuntur.
CALLISTVS TERTIVS
PONTIFEX

Anni Sal. ICa 1455.12 Duobus ſe diviſit officiis, nec officia confudit. A

Senator in templo, in Senatu ſacerdos,

Senatum mutavit in templum.

Utrobiquè iudex, & arbiter Regem coegit

Clementem [3] abdicare pſeudoPontificem.

Pietate, ac ſolertia, amorem ſubiit,

Etiam ubi odium vitari non poteſt.

Auguſto īgenio, āguſtā Siciliā, Aragoniā venit.

Et conſtans etiam nutante fortunà,

Fidem probavit, Regē [4] ſequens minùs fęlicē.

Oblatam à Martino V. Maioricensē [5] Eccleſiā

Hiſpano renuens ſupercilio,

Negavit, uni viro convenire geminā ſponſam,

Vel Maioricēſę recuſavit, Valētinā expectans,

Nam plura de ſeipſo pręluſit more [8] Prophetę, B

Sic Cōmēdas priuatus nō admiſit, Papa damnauit.

Sęviēte bello inter Aragonū, & Caſtellę Reges;

Caduceator miſſus ad opus deſperatum,

Iuit, & fidem probavit iacturà purpuræ;

Galerum namquè ab Eugenio oblatū [5] reſpuit,

Volens pacem donare, non vendere,

Et Regi adhærere ſuo,

Cum ſolam ſperare poſſet periculi ſocietatem.

Pace tandem è Cœlo delapsà:

SS. Quatuor Coronatorū [6] Cardinalis dictus eſt,

Quòd labori ſeptenni haud una corona ſatis.

Quantus fuerit Callixtus [7] dicat Beſſarion,

Qui Græcos conciliavit Latinis.

1455.13 Is unà nocte Pontifex, manè Cardinalis rediit C

Solius iniectà mentione Callixti.

Tàm grave ei Infulæ pondus,

Ut bis in coronatione [10] quaſi mortuus defecerit,

A iuramento [11] in Turcas exorſus;

Quod ſcripto cōceperat, priuſquā Pōtifex eſſet,

Quaſi de clamyde certus,

Etiam vivo Nicolao, ſcriberet, & ſubſcriberet Anni Sal. ICa 1455.12

Cladem barbarorum.

Nec ambitu poſtulari poterat,

Quia Deum tenebat in pactis per Sanctos ſuos.

His tantùm fidit:

Ut ex Vincentii [9] Ferrerii vaticinio,

Non erubeſceret, ſe prædicere Papam futurū.

Coronà ſuſceptà, movit

Precib[9] [12] Cęlū, legatis [13] Terras, claſſibus Maria, 1456.12

Ipſa Acheronta pulſavit,

Tartaris concitatis, & Perſis,

Ut Mehemetem armaret in Mehemetem,

Et Inferos diſcordià premeret, & perimeret

Uſuncaſſanus [15] Perſa, ſuperſtitione Turca:

Oratione falsus viciſſe Callixti,

Deum adoravit, cui non credidit.

Moyſem ſuum etiam Chriſtiani habent,

Qui hoſtem deiicit, dum manus erigit.

Nova machina belli oratio eſt: Iaculatur in diſtās,

Et ſine pulvere tormentario mœnia ſoluit Inferorū.

Duos ſibi commilitones centuriavit Callixtus

Vincentium Ferrerium, & *Edmundum* [17] *Anglū*;

Gemellos hos fęcūda Callixti religio peperit, & ſacrauit.

Ferrerius ſi cum homo eſſet,

Iudæorum XXV. millia;

Totidem Sarracenorum conciliavit Chriſto

Chriſtianorum 120. millia reconciliavit,

Flagitioſos 40. mille innocentiæ reſtituit:

Quantos credimus expugnaſſe Sanctum?

Tanti Pontificis ſolum nomen ſupereſt;

Et hoc in pulvere culpà ſuorum.

Obiit [18] more cycni canendo. 1458.14

Si mei [19] non fuerint dominati,

Tunc immaculatus ero.

ADNOTATIONES IN CALLIXTO III. PONT. ROM. CCXI.

Callixti natalia. 1. C*Allixtus* hujus nominis *Tertius*, anteà Alphonſus Borgia, natione *Hiſpanus*, patrià *Setabenſis*, vel *Squinenſis* diæceſis *Valentia*, filius *Ioānnis Borgia* Catalani, ac matris *Franciſcę*, generoſis parentibus, ac liberè educatus iuxtà decorem familiæ, quæ apud Hiſpanos nobiliſſima erat, *annum agens* (teſte *Platinà*) *decimum quartum, poſt prima literarum rudimenta, ad Ilerdenſe gymnaſium miſſus, tantùm ſtudio, & diligentià profecit, ut brevi doctor in utroque iure factus, acutè ipſe aliis, ac perdoctè deinceps legerit. Hanc obrem Petrus Luna* (*quem Benedictum XIII. appellarunt*) *proprio motu, nemine rogante, canonicatum Ilerdenſis Eccleſia ei contulit.* Contonat S. Antoninus. *Vir* (inquit) *aſtimatus magna iuſtitię, et aquitatis, et bona, et laudabilis fama, magnus iuriſta.* 3. *p. tit.* 22. *c.* 14. Verùm (proſequitur Platina) *cum iam eius doctrina omnibus nota eſſet, ad Alphonſum Aragonum Regem profectus, eius conſilio, &*

2. *Secretis* ſtatim adhibetur.

3. *Clemente VIII.* Mortuo Petro de Lunà pſeudo-Pōt. ſici cū *Ægidiū Manionē* ſuffeciſſēt nomine *Clementis VII.* ac in munitiſſimo Paniſcholæ oppido cōmuniſſent; Alphonſus Rex Aragonū iam Martino reconciliatus Pontifici, eò ſtatim Borgiā miſit, *ubi locus ille Paniſchola tyrannicè cuſtodiebatur ab his potiſſimū, quorum maximè intererat diſcordias alere.* Iuit Borgia *non ſine magno ſui, ac comitum diſcrimine, et rationibus, et auctoritate Ægidium ipſum ad ſanitatem deduxit, ut poſteà ſuperveniente Petro Fuxo Martini le*D*gato nomine Pontificio, ſe abdicaverit, et in poteſtatem devenerit Pontificis. Hanc ob rem Martinus, et Ægidium Maioricenſem, et Alphonſum Borgiam Valentinum Epiſcopum creavit,* Platina. Officia.

4. *Regem ſequens minus fœlicem.* Nam teſte Platinà, *orto bello inter Alphonſum Aragonia, et Ioannem Caſtella Reges, ſolus Alphonſus Borgia delectus eſt, qui ad pacem, et concordiam Reges adhortaretur, quam ſeptennio poſt bellum inchoatum tantà cum diligentià compoſuit contractà etiam inter eos affinitate, ut hodie quoquè aliquot illius fœderis pacta ſerventur. Verùm cum poſteà invaleſcente Baſileenſi Concilio Rex Alphonſus, qui in regno Neapolitano bellum gerebat,*

bat, cogitetur ut aliquem ex ſuis eò mitteret, Alphonſo Borgia ad negotium demandavit, qui ægrè ferens rem tam pernicioſi exempli ſibi comitti; cum Reginà egit Alphonſi uxore, ut in Italiam ad regem proficiſceretur cum Ferdinando Regis filio, eumquè adhortaretur, ut tandem poſt multos labores, & tot pericula adita, in quibus etiam verſabatur, in patriam rediret. Rex autem ſe id facturum abnuens, hominem ad Eugenium miſit, qui tum Florentiæ erat, ut cum eo de pace ageret. Viteleſius enim Eugenii nomine regnum Neapolitanum armato milite ingreſſus longè ac latè omnia populabatur, prohibiturus quo minùs Rex Neapolim, quam tunc oppugnabat, potiretur. Cum autem in longum res protraheretur, Eugenioquè in mentem veniſſet, viginti Cardinales creare, Valentinum Epiſcopum horum in numerum retulerat.

Cardinalatū reſpuit.

5. Reſpuit tamen *conſtantiſſimè dignitatem, dicens id ſibi nequaquàm integrum eſſe, re præſertim, ob quam venerat infectà. Redeunte deinde Romam Eugenio, cum Patriarcha Aquileienſis Tarracinam ad Regem miſſus, pacem inter Pontificem, & regem compoſuiſſet, fœderaquè iniiſſet; quibus Valentinus Epiſcopus ſemper interfuit, & ſuam interpoſuit auctoritatem, & diligentiam adeò à Pontifice diligi captus eſt, ut eum brevi Cardinalem creaverit, Titulo*

Cardinalis.

6. SS. Quatuor coronatorum, *Romamquè ad ſe accerſierit, non minore modeſtià in Cardinalatu utens quàm anteà in Epiſcopatu fecerat ab omni pompà, & inani glorià ſemper alienus.* In dicendis ità gravis *in Senatu ſententiis habebatur, ut nihil unquàm per adulationem, & gratiam locutus ſit.* Platina.

Vnà contentus Eccleſià.

7. *Maioricenſem Eccleſiam* oblatam Callixto, tunc *Alphonſo Borgiæ*, à Martino V. reſpuiſſe, teſtis eſt Platina, Simoneta: quia cum Valentinam expectaret Eccleſiam, eiquè pro religione eſſet unum admittere beneficium iuxta Canones, quibus mandatur Presbiteros *unà, & quidem virgine contentos eſſe Eccleſià*, Maioricenſem repudiavit, quæ impedimento eſſe poterat, ne Valentinam reciperet.

Prædictiones Callixti 3

8. *Prophetæ* more plura prædixit Callixtus 3. Primo cum repudiavit Eccleſiam Maioricenſem, quia expectare dicebat Valentinam: impletum eſt vaticinium. 2. Cum prædixit Pontificem ſe futurum Romanum: credebatur delirare, teſte Gobellino lib. 1. & *Platina*. 3. cum victoriam prædixit in Turcas, ut ex *ep. ad Io: Solerium*. 4. cum Mathiæ Vngaro carcerē prædixit mutandum in ſolium. *Ep. ad Cardin. S. Angeli*.

Papa non eligitur Beſſarion Alano contradicente.

9. *Beſſarion.* Mortuo Nicolao V. *Cardinales, peracto funere, de Succeſſore ſoliciti, conclave ut moris eſt* (Ita Gobellinus in Coment. Pii 2. l. 2.) *ingreſſi, variis conſultationibus agitati ſunt, eratquè admodùm difficile duas collegii partes in unum convenire, ſcrutinioque ſemel atquè iterum in caſſum peracto, collocuti ſunt inter ſe aliqui extra locum ſcrutinii, Beſſarionemquè Cardinalem Nicænum eligere decreverunt, quòd is omnium aptior ad Rempublicā gubernandam videretur, conveniebatq. in eum numerus ſufficiens nec dubium videbatur, quin ſequenti ſcrutinio Pontifex à duabus partibus eligeretur, iamq. ad eum ſupplicationes deferebantur, quòd ubi ad alios alterius partis delatū eſt; Alanus Cardinalis Avenionenſis nunc iſtum, nunc illum circumiens: Ergo (inquit) eccleſia Latina Græcum Pontificem dabimus, & in capite libri neophitum collocabimus? nondum barbam raſit Beſſarion, & noſtrum caput erit? En paupertas eccleſiæ Latinæ, quæ virum non reperit Summo Apoſtolatu dignum, niſi ad Græcos recurrat. Sed agite Patres quòd libet:* Ego & *qui mihi credent in Græcum præſulem non conſentiemus. Moverunt ea verba nonnullos, adeò ut duæ partes Collegii nullo pacto ad Beſſarionem accederent, qui cum unà nocte* Pontifex *conſtanti omnium opinione habitus eſſet, adveniente luce Cardinalem ſe ſe reperit aliquanto minoris famæ, quàm antea fuerat, ut accidere his ſolet, qui magna è ſpe ceciderunt:* Immò ſcribit Platina *in panegyr. ad Beſſarionem*, iam calculis initis, atquè ſuffragiis renuntiatum Beſſarionem fuiſſe Pontificem. *Conclave ingreſſus* (inquit Platina) *quorundam patrum & optimorum ſuffragio Pontifex deſignatur: quantum verò obſit maximis imperiis, provinciis, & civitatibus livor atquè invidia, comprehendi certè hoc loco poteſt: quidam enim ſtatim ſuborti ſunt leves, & voluptuoſi, qui Beſſarionis integritatem, & modeſtiam veriti, dicerent ſuffragia vitio inita denuò repetenda eſſe. Non obſtitit vir optimus, quo minùs id fieret, exiſtimans quod verum eſt, Pontificatum ſuà perſonà plus indigere, quàm ſe Pontificatu* &c. conventum itaquè (Gobellino teſte) *denuò ad ſcrutinium, & vià, quæ per acceſſum vocatur, tentatà: in eum duæ partes conſenſere, de quo minor erat expectatio populi. Is fuit Alphonſus Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum natione Hiſpanus ex civitate Valentià nobili loco natus, ſcientià iuris eminentiſſimus, et multarum rerum experientià præditus, verùm ſenio gravis, ac propemodum decrepitus, nam ſeptuageſimum annum tranſcenderat, qui etſi ante aliquot annos, et vacante tunc ſede Apoſtolicà ſuā aſſumptionem omnibus ferè prædixiſſet, ſequè proculdubio futurum* Pontificem *maximum affirmaſſet, nullius tamen opinionem ad ſe traxerat, et delirare potius more ſenum exiſtimabatur. Sed fuit eius vaticinium verax, quod à B. Vincentio ſe habuiſſe narrabat ſuæ nationis homine iam defuncto, quem poſtea inter ſanctos Chriſti confeſſores retulit. Alphonſo in Petri cathedrà conſtituto, Callixti tertii nomen eſt inditum.* Conſonat Æneas Sylvius. *c.* 58. *Europæ. Vnus omnium, qui ſuo tempore ſcientiam iuris profiterentur, eminentiſſimus, et qui conſilium Regis Alphonſi, in quo multis annis præſederat, illiuſque artes et cautiones præſeferret.* Impletum in eo vaticinium S. Malachiæ, *Bos paſcens* quòd *Bovem in paſcuis* in ſtemmate pingeret.

Electio Callixti in Papam.

10. *Bis in coronatione defecerit* teſte Ciaconio, *et ferè mortuus crederetur.*

Callixti votum in Turcas.

11. *Iuramentum in Turcas* quod Callixtus conceperat ante Pontificatum (teſte *Platina*) mox implevit. *Bellum* (inquit) ſtatim Turcis indixit, id ſe ante Pontificatum voviſſe oſtendens ſuo chirographo his verbis ſcripto, quod in libro ſuo quodam extabat. *Ego Callixtus Pontifex Deo Omnipotenti voveo, et S. individuæ Trinitati me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, et demum quibuſcumquè rebus potero Turcas Chriſtiani nominis hoſtes ſeviſſimos perſequuturum. Admirati ſunt omnes, qui aderant, quòd Pontificatus nomen ſibi deſumpſiſſet antè adeptam dignitatem, quodquè homo ſenex atquè decrepitus tantum animi haberet.* Ampliorē huius iuramenti formulam affert Ioannes Cochleus *l.* 11. *hiſtor.*

na vi cecidiſſe reputabantur. *Capiſtranus & Corvinus* (inquit Bonfinius) *inſignio victoriâ potiti, per ſe uterquè ad Callixtum Pontificē de hoc bello ſcripſere, ſuis uterquè literis tam clari facinoris gloriam ſibi vendicare nititur, quum alter mentionem alterius minimè fecerit. Præſtantes nimirùm viri potiùs ſe regnis, quàm debitâ laude defraudari patiuntur.* Soli tamen Deo Capiſtranus victoriam referens, in omnibus eius epiſtolis ad Callixtum illud legitur: *Exultet veſtra ſanctitas in Domino, et offerre illi iubeat laudem, gloriam, et honorem, quia fecit mirabilia magna ſolus.* Solus ſanè, & in vindictam perfidè blaſphemantium nomen ſanctum eius Cum enim in die Nativitatis Virginis Mariæ cœpiſſet Callixtus ad exaltationem S. Crucis milites cruceſignare; infidelis ille Mahumetes cœpit & ipſe in deriſum, crucem ad modum ſtolæ ab humero ad pedes deferre, & ſuis deferri mandans, dicens: *ſi parva crux Chriſtianis iuvat impreſſa; fortiùs ampla et magna iuvabit nos*; ut ex ep. Callixti ad Io: Solerium. Ipſo tamen in triumpho verſa eſt in luctum cithara noſtra. Hunniades ex nimio labore in febrim incidit ardentem, ex quâ ſanctiſſimè obiit, ab eo nunquàm Capiſtrano revulſo. Vir ſanè magnus, non Rex, ſed Rege maior. Hunniadem paulo poſt ſequitur Capiſtranus ſeptuagenario maior, à morte commilitonis nunquàm ridere viſus, ſed ſenſim contabeſcere. Laborum comitem *Iacobum* habuit *Picenum*, in vità & poſt obitum miraculis clarum: qui cum Capiſtrano reiectus à nauclero, deficiente naulo, ſuper undam expanſo pallio, cum comitibus traiecit Eridanum, ſtupente ſordido portitore, & avaritiam ſuam condemnante.

Mors Hunniadis, & Capiſtrani.

Alphonſus interim Rex Aragoniæ Neapoli Lucretiæ amoribus irretitus inſaniebat, ac monita ſpernēs Callixti Rom. Pōtificis, poſt iuratā expēditionē in Turcas, coactiſque decumis Eccleſiaſticis non in barbaros, ſed in Ianuenſes bello nō indicto, claſſem immiſit, quā ære ſacro comparaverat ad vaſtanda ora Liguriæ. Aliam diſcordiarum cauſam inter Pontificem, & Alphonſum *Gobelinus* affert l. 1. contrà eos, qui notā ingratitudinis affecere Pontificem, quòd Alphonſi beneficio emenſus honores, inſtante Rege purpuram etiam obtinuiſſet Cardinalitiam, nunc regiis poſtulatis ſemper abnueret. Regnum ſcilicet poſtulaſſe Neapolitanū Ferdinando filio ſed ex adulterà ſuſcepto, ac Picænum cum aliis Eccleſiæ locis. Renuit oppidò Callixtus poſtulatis iniquis, ne iura proderet Eccleſiaſtica. Conſonat Platina, qui Callixto, & Alphonſo convixit. *Hanc ob rem cum Alphonſo ſimultates exercuit, quòd is peteret Epiſcopatus interdum his dari, quibus vel propter ætatem, vel ignorantiam committi non debebant.* Hinc ſubiratus Pontifici, *Iacobo Picinino*, qui more latronum agrum populabatur Senenſem, (teſte *Gobelino l.* 1. ac Malavol. *l.* 3. *p.* 3. *hiſt. Senen.*) ac claſſem Pontificiam, quæ in Turcas inſtruebatur, ſuccendere tentaverat, propter quæ die ſacro Cœnæ Dominicæ fuerat Piccininus à Callixto excommunicatus (Idem *l.* 6. *p.* 305.) cœpit apertè favere. Secundus qui ſacram turbavit expeditionem, Gallus fuit, literarum Apoſtolicarum de Cruciatâ in regno ſuo promulgatione prohibitâ; ne ad retundendos Anglorum impetus, ſi irruerent,

Diſſidia Alphonſi cum Callixto.

debilitarentur præſidia. Eodem prætextu Gallorum Præſules decimas ſolvere recuſabant: fortiter ac graviter querente Callixto, ut ex *l.* 10. *Brev. p.* 38. 39. Cuius clamoribus excitatus tandem Carolus Rex Gallorum An. 1456. aſſenſit, ut pro tuendâ Fidei cauſà Clerus decumas conſerret ſubſidiarias, non tamen militibus extrahendis. Promiſſa hæc in ſpeciem, nam anno ſequenti, iterum Callixtus legitur in *l.* 1. *Brev. p.* 71. graviſſimè queſtus apud Alanū Cardinalem legatum in Galliis, Carolum Regem ſacræ expeditionis obieciſſe curas, ut ex decimis nec unum denarium fuiſſe collectum. Tentavit Pontifex Regem excitare, miſsâ Roſâ aureâ, ac precibus humillimis eflagitare ſubſidia, quibus victus Carolus triginta triremes promiſit inſtruere ex decumano auro in Galliis colligendo, quæ poſtea non in Turcas ſed in Anglos immiſſæ, teſte *S. Antonino* B 3. *p. tit.* 22. *c* 16. Præſules verò cum decumas pendere iuberentur, pernicioſo diffugio à Pontifice ad futurum appellarunt Concilium. Iram tamen Dei Rex non effugit; ut Callixtus prædixerat (*l.* 1. *Brev. p.* 104) nam fame necatus eſt voluntariâ. Torpente itaque Chriſtianorum cœtu in unum Alphonſum Luſitaniæ Regem oculos Callixtus direxerat. Miſit Rex quindecim triremes egregiè inſtructas (teſte *Mariana, l.* 22 *c.* 17.) Sed cum Italiam bello implicatam Senenſi reperiſſent, Duces moræ impatientes, in Luſitaniam rediere. Vngari cum ſoli ſuſtinere poteſſent mortali obiecti diſcrimini, ab omnibus derelicti iure clamabant, *Vbi eſt Deus noſter, ubi eſt populus Chriſtianus? occidamus legatū, pacificemus nos cum Turcis, et permittamus perditionem cæteri populi Chriſtiani, qui ſic nos deſerunt.* *l. Brev. p.* 6. Animum foC ſus non abiecit Callixtus, ſed diſtractis iocalibus, ac mithræ pretioſis ornamentis ad inſtruendam novā claſſem, eam ſub imperio Ludovici Cardin. S. Laur. Patriarchæ Aquileienſis, & Petri Ludovici Borgiæ nepotis ſuis (ſecunda hæc expeditio Callixti Anno facta 1456. cum Albam Græcam præmerent Turcæ) immiſit ad infeſtandas Turcarum oras maritimas, tres inſulas Aegei Maris barbaris eripuere Mitilenum, Stalimnum, Naxum *ib p.* 42. Alia maiora navigia Avenione conflata armamentis omnibus, pecuniā, armis inſtructa Rhodum miſit pro inſulæ in barbaros defenſione *p.* 52. Inteſtini Vngarorum motus Mehemetē iterum excitabant ad arma. Ladiſlaus namque Rex Vngariæ annorum 17. Ludovicum filium Hunniadis annorum 24. formoſiſſimum ac fortiſſimum iuvenem, Budæ captum publicè interfici iuſſerat, tanta ipſius commiſeratione tortoris, ut, vix ei quarto ictu caput ſecuerit, D Ann. 1457. Cauſa necis fuit, quòd Vlricum Ciliæ comitem Hunniadarum hoſtem Albæ interimendū curaſſet. Mathias Ludovici frater à Rege Viennam adductus eſt, eique vitam tenera magis ætas, quàm Regis ſopitus furor induſſit. *Bonfinius.* Hinc legati ad Mahumetem miſſi, ut graſſante ciuili Vngarorum diſcordiā à novā averterent irruptione. Minitantibus his Turciā à Chriſtianis ipſi eripiendā, ſi Vngariam affectare pergeret, reſpondit *Turciam ſibi curæ non eſſe, modo poteretur Vngariā. Lib.* 1. *Brev. p.* 80. Arma interim Mahumetes gerebat in *Georgiū Caſtriotum Scanderbergum* dictum, hoc eſt Alexandrū, qui divinitùs proviſus cum Hunniade Vngaro

ad.

adverſùs Turcas, rem Chriſtianam ab imminente peſte ſervabant. Scanderbergum ſuo quidem malo aluit Amurathes, quem à patre cum duobus fratribus vi circumciſum cum ſtudioſè ad munera belli applicaſſet, in ſe eximium armavit Imperatorem; quippe Georgius pertæſus tirannidis, Chriſto, & regno receptis paterno, irruentem Amurathem celeberrimis fregit victoriis. Deum in Georgio pugnaſſe, opus eſt dicere, quòd ſemper victor fortunam nunquàm ſit expertus humanam. Adſuit ei Callixtus auxiliis oportunis, qui victoriis inflamatus claſſis victricis, omnem movebat lapidem ut Turcas Europà depelleret. Petrum Ludovicum Borgiam nepotem anno cruceſignaverat ſuperiori; Anno præſenti Sal. 1457. *Gabrielem Borgiam* alterum nepotem tribus præfectum triremibus miſit in ſubſidium Cardinali Legato Aquileienſi, à quo ambo in vincula traditi, quod Cyprum latronũ moré iniuſtè eſſent populati. Iudicium non tam Cardinales quàm Pontifex adprobarunt, de iuſtitia, atque integritate dubitare non auſi. Nepotũ culpà fama laboravit Callixti, atque anſam Germanis præbuit Pontificem inſimulandi, quaſi ſacrum aurum in uſum ſuum non in ſacram inſumeret expeditionem. Ab hac labe quàm purus eſset Callixtus in literis lege S. Antonino datis p. 98. *Non ignorare debes, quantis affligimur expenſis ſuſtentando armatam, & eam fortificando cum legato noſtro in partibus Orientalibus, & in Albanià, Vngarià, & alibi, ita quòd vix ſuperſunt nobis neſſaria vitæ.* Idem legitur in literis ad Fridericum datis, apud Æneam Sylvium, *ep.* 371. *Innumerabiles ſunt, & intolerabiles nobis, quas in dies ſubimus, expenſæ, nunc in orientem legato claſsis noſtra, nunc in Albaniam Scanderbercho fortiſsimo Chriſti athleta, nunc legatis, & oratoribus in diverſas mundi partes emiſsis, nunc iſtis nunc illis per Græciam & Aſiam laborantibus, ne deſtituti periclitarentur, pecunias mittimus.* Infra: *Nunc quoque claſsis noſtra Rhodum tuetur, Cyprum, Mytilenem, Chium, & omnes in Oriente Chriſtiani nominis inſulas, quæ ſinè tali præſidio haud quaquàm Turcarum navibus in dies incurſantibus reſiſtere potuiſſet. Quodquè laudabilius eſt, ac divino nobis munere conceſſum, non tantùm quas diximus inſulas legatus noſter ſuà prudentià et armorum robore tutatus eſt, ſed alias pleraſquè Turcarum dominio ſervientes ad Apoſtolicæ ſedis devotionem, et obedientiam redegit, noviſsimequè non pauca eorumdem Turcarum navigia ad oppugnandas Chriſtianorum inſulas exeuntia potenter invaſit, in poteſtatem recepit. Nec Albania ingruentes barbarorum impetus proximis diebus inclinare potuiſset, niſi noſtrarum intervenifſent pecuniarum auxilia, quæ Scanderbechio miſimus. In his nos rebus pecuniam conſumimus: in his profundimus quidquid undecumquè corradere poſsimus auri vel argenti: honorem Dei, non noſtrum quærimus; pro ſalute populi nobis commiſſi laboramus, non pro privatà utilitate noſtrà curamus, ne noſtro tempore Chriſtianum nomen ſpurciſsimi Turcarum pedes conculcare poſsint &c.* Hiſce criminationibus nonnulli Electores Imperii clam coeuntes adverſùs Apoſtolicam auctoritatem, inſcio tamen Friderico Imperatore, n·eum ſubornarent; Callixtus B. Iacobo Picenri vigilare mandavit teſte Vuadingo Anno 1457. *Caveant (inquit) ab irà Dei, nos enim officium noſtrum exercere non ceſſabimus opportunè, eſtque officium noſtrum, ut loquamur cum B. Ambroſio, nulli nocere, omnibus velle prodeſse; poſſe, ſolius Dei eſt.* Adversùs huiuſmodi (quæ dixere *Gravamina*) ſcripſit Æneas Sylvius Cardinalis libellum apologeticum, quem habes *ep.* 338.

Quanta fecerit in Turcas.

Ob nepotes malè audit.

Moritur interim Ladiſdalaus Boemię & Vngariæ Rex, Callixti operà Cæſari reconciliatus, cum nuptias celebraturus eſſet cum Magdalenà Franciæ Regis filià, veneno ſublatus, ipſi propinato à Georgio Podiebraccio tyrãno Bohemię. Sceptrum Bohemiæ Podiebraccius uſurpavit vir fortis, ſed Huſſita. Vngariam tenuit Matthias Hunniadis filius mirabili fortunæ ludo in duobus fratribus, quæ unum propè ex thalamo nuptiali ad ſupplicium; alterum ex carcere rapuit ad ſolium. Gratulatus eſt ei Callixtus, quem patri ſimilem, fidei propugnatorem agnoverat. Mandavit anxius legato ſuo, ne Matthias inducias cum Turcis percuteret, quas maximè expoſcebant, ut Chriſtianorum curà ſoluti, adverſus

Rex Vngarorum Matthias.

15. *Vſumcaſſanum* vires intenderent univerſas, Spe ſacræ expeditionis à Chriſtianis in Aſiam conficiendæ excitatus Perſarum Rex à Callixto, acri bello premebat Mahumetem. *Nam uno prælio triginta millia Turcarum* (teſte Io. Fiſchero Cardinale Roffenſi, & martire *ar.* 34.) *et altero quadraginta millia cæſa ſunt. Poſt victorias ad Pontificem ſcripſit, ſe tantum de Turcis reportaſse ſucceſsum ob preces à Chriſtianis ad Deum habitas.* Conſentiunt Platina, Bizar. Sollicitavit etiam per legatum Ludovicum Bononienſem Minoritam, *Conſtantinum, Zaracob* Regem Æthiopiæ, Regem Tartarorum, Georgianos, Francos, qui in Oriente degebant. Rem Chriſtianam iuvabat Scanderbechus curſu victoriæ perenni. Aſiaticà expeditione occupatus Mahumetes, operà ducum, qui limites cuſtodiebant Macedoniæ, *Ameſam* Scanderbechi nepotem, promiſſo diademate Epirotico concitavit in patriam, adiuncto ei Iſaaco Romaniæ præfecto, qui expeditionem dirigeret. Pontifex certior factus præſto miſit in ſuppetias Michaelem Borgiam nepotem ſuum. Georgius collocatis ſuorum undecim millibus inter inſidias, eà ferocià hoſtem excepit irruentem, ut triginta Turcarum millia cæſa, capta 1500. ex noſtris ſexaginta ſolumodò deſiderati ſint. *Barletius l.* 9. Vtinam bellatori invicto, ac religioſo Pontifici Reges vigiles adſuiſſent. Sed eorum inertià fatigatus Patriarca Aquileienſis in Oriente legatus quod arduum quid in hoſtes gerere non valeret, cœpit de receſſu cogitare, cũ novo à Callixto ſex navium confirmatus auxilio (ut ex *l.* 1. *Brev. p.* 172. An. 1458) iterum vela fecit in hoſtes.

Turcæ victi.

16. *Vincentium Ferrerium* nobili ex familià in Hiſpanià natum Sanctorum numero adſcripſit Callixtus, teſte Pio II. qui literas promulgavit Callixti. Quantos ad pœnitentiam ſub Chriſti imperio revocaverit? lege publica monumenta, quæ in ædibus Dominicanorum ad Minervam aſſervantur, ut publicè ab omnibus legi poſſint, ex decreto Callixti.

S. Vincent. Ferrer.

17. *Edmundum* Regem Anglię, martyrio coronatum inter Sanctos Callixtus retulit, teſte *Platinà*.

18.

18. *Obiit* Callixtus III. ſenio, & ægritudine 40. dierum confectus nam octogenario maior, die *Transfigurationis* Chriſti, octavo 8. Id. Aug. cuius officium à Callixto compoſitum ipſe ob Turcas divino prodigio victos celebrari iuſſerat in Eccleſiâ, cū indulgentiis, quibus celebritas Corporis Chriſti. *Platina*. Sepultus eſt in Vaticano ad ſiniſtram baſilicæ S. Petri, in templo rotundo, quod olim à Gentilibus Apollini poſitum, poſtea S. Mariæ in febribus dicatum eſt, Platina, qui *tunc Romæ agebat*, *Callixtum ſequenti exornat elogio*. Callixtus in *omni vitâ vir integerrimus eſt habitus: ſed hæc eius præcipua laus eſt, quòd dum Epiſcopus eſſet aut Cardinalis, beneficium aliquod in commendatione nunquàm voluit, dicens ſe unâ ſponſâ, & quidem virgine contentum eſſe hoc eſt Eccleſiâ Valētinâ. Eleemoſinas pauperibus Chriſti frequentes dabat tum publicè tum privatim: virgines pauperes collatâ dote maritis collocabat: nobiles ad inopiam redactos ſuâ impenſâ in vita retinebat. Vtebatur & munificentiâ ergà Principes, quando opus erat, maximè verò* erga eos, qui nomen Chriſtianum auctoritate & opibus ſuis iuvare *poterant*. Infra: *In ædificiis autem parvos ſumptus fecit, quod ei parum vivere licuit: quodque pecunias in uſum tanti, & tam periculoſi belli colligebat. Reſtituit ſolum S. Priſcæ in Aventino templum, & mœnia urbis dirupta ac ferè ſolo æquata*. Huius inſtaurationis nummū habes cum inſcriptione, *Ne multorum obruatur ſecuritas*. In medio



mœnium ſunt aliqua ornamenta quæ nemo obſervavit; forſan flammulę ſunt, quæ Borgiæ uſurpat familia, teſte *Petrâ Sanctâ*. *Aulæa tamen quædam auro intertexta ab eo empta cernuntur. In victu ſuo parcus eſt habitus, in ſermone modeſtiſſimus. Facilis aditu quantum ei per ætatem licebat: iam enim octogeſimum attigerat annum, nec tamen de ſtudiis ſuis quicquam remiſerat. Legebat ipſe, aut legentes audiebat, ſi quid in tanto rerum faſtidio ei temporis ſupererat, etc. Moriens centum & quindecim millia nummū aureorum reliquit, quos in uſus bellicos contra Turcas comparaverat.* Calumniantur ęmuli quòd pecunia hæc (teſte S. Antonino) fuerit reperta *in ſcrinio ſub cubiculo eius*. Et hoc providè, ut forſan nepotibus occuleret, quod ſacrę reſervaret expeditioni. Memorat Ægidius Cardinalis Viterbienſis in *vitâ Callixti*, ipſum inſignes ſolitum uſurpare ſententias, *Ignavorum eſſe pericula formidari: illa eſſe agrum, ex quo meſſis, & fructus* glorię *colliguntur: ſe naturâ liberum eſſe, adulandi ſtudio, ſervum non futurum: falſa affingentes, hominibus ſervire; vera referentes imperare; principes ſuas laudes amare; falſos laudatores irridere*.

Monumentum hoc iam dirutum (oſsibus tranſlatis ſub pavimento Vaticanæ Baſilicæ An. 1606. & indè cum oſsibus Alex. VI. in Eccleſiam S. Mariæ Montis Serati, opera Io. Bapt. Vives) in non nullis ornamētis vivit adhuc, quæ videntur in cryptis Vaticanis. Inter quæ S.S. Apoſtol. Bartholomęi & Iacobi ſimulachra marmorea cū notis ſequētibus.

S. Bartholomæi ſtatua ad Sepulchrum exiſtens olim P. P. Callixti III.


S. Iacobi Statua ad ſepulchrum Callixti. III. P. P.

Sunt etiam Eccleſiæ Doctorum imagines, & Chriſti effigies marmorea cum lemmate,

Imago hæc marmorea Chriſti pietatem excitantis, erat ad ſepulchrum Callixti. III. P. P.

Duo alia hic habes numiſmata; quorum alterum ex libro Ægidii Sadelerii in baſe ſepulchri affixum exibet *thiaram Pontificiam*, *Crucem* cū inſcriptione *Omnes Gentes ſervient ei*: Cruciatam alludens in barbaros, quam ipſe indixerat. Vel obſequium annuit Pontifici debitum, ſed propter crucem, quam geſſerat uti Chriſti vicarius.

Alterum eſt gentilitium, in quo Vacca non taurus, ſtemma familiæ nobiliſſimæ in Hiſpaniâ, quam ipſe virtute ac dignitate ampliavit, undè lemma, *Alphonſus Borgia Gloria Hiſpaniæ*.



19 *Suorum* Conſanguineorum culpâ famam laboraſſe Callixti tradit *Poggius Florentinus* in vitâ M.S. Cardinalis Firmani. Vnâ die duos ſororum filios ſacro Purpuratorum cętui aggregavit, nimirum *Ioannem Ludovicum Milam*, & *Rodericum Lenzuoliū* cui ac Petro Roderici fratri inſignia contulit gentilitia, ac nomen familię. Vanitatis hominem, ac luxus ſtudioſum Rodericum Cardinalis Papienſis *ep. ad Franc. Decanum Toletanum* delineavit Petrum eius fratrem virum & ipſum vitiis inquinatum, Spoleti Ducem creavit Callixtus, ac urbi & copiis pręfecit Pontificiis, apertè contradicente Dominico Capranicâ Cardinale, teſte *Poggio Florent.* Defūcto avunculo Petrus arcem S. Angeli Cardinalibus tradere recuſavit, niſi ei viginti millia aureorum ſolverentur: quibus acceptis in Veterem civitatem ſeceſsit, ut Vrſinę familię odia declinaret. Addunt Surita. c. 48. Iovianus Pontanus *de Bello Neapolitano* litem intendiſſe Ferdinando filio notho Alphonſi Regis Aragonum Sicilię, ut regnum Neapolitanum pararet nepotibus ſuis. Mens Callixti quidem occulta. Cauſa verò iuſta, Religioſa, honeſta. Cū enim Alphōſus regnū ab Eugenio IV. accepit, iuravit teſte S. Antonino 3. p. tit. 22. c. 16. §. ult. *In regno & terra prædictis nullus ſuccedat, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus*. Ferdinādus verò cum ex duplici adulterio ortus eſſet, cur regnum ad ſedē devolutū Apoſtolicā ſibi aſſerere nō debebat Callixtus, vel in eos derivare, qui iura aſſerebant legitima, quales erant Ioānes Rex Navarræ frater Alphōſi defuncti Io: Andegavenſis filius Renati, qui ab Alphonſo violenter expulſus fuerat à regni poſſeſsione?

Amat nepotes.

PIVS


PII PAPAE II MONVMENT
PIVS II PP
PIVS SECVNDVS PONT. MAX
NATIONE TVSCVS PATRIA SENEN
GENTE PICOLOMINEA
SEDIT ANNOS SEX.
PONTIFICATVS ANNO II.
PRIMO PRINCIPI.
VT GERMINET

PIUS SECUNDUS
PONTIFEX ROMANVS CCXII.



AUreæ lunulæ in Cruce cyaneà expictæ, ſupra parmulam argento illuſam, Piccolomineorum ſunt ſtemmata.

Si in ſolà fractione panis totum & integrum ſe cognoſcendum & adorandum diſcipulis Ieſus præbuit in Emaus; cur tumidi Bohemi expoſcere calicem? Qui ultra panem laicus (ita arguebat Pius contra Georgium Podiebratium Bohemorum Regem poſtulantem uſum calicis pro hæreticis ſuis) uſurpat calicem, de vero, integro Chriſti corpore in pane dubitat.

Eligitur An Sal. 1458. die 14. Kal Septemb. Coronatur 3. Non. Septemb. Obiit An Sal. 1464. in perviglio aſſumptæ in Cælum Virginis, hora tertià noctis. Cum ſediſſet Annos ſex, minus quatuor dies. Vacat ſedes.

E L O G I V M.

Anni Sal. I Pii 1458. I.

HIc Pius [a] Æneas
Gente Piccolomineus, natione Hetruſcus
Eodem die Pontifex creatus & Cardinalis
In exilio natus, nactus pro patrià Mundum,
Aeneas Sylvius eſt dictus
Ut à nomine officium diſceret erga pattem:

Anni Sal. I Pii 1458. I.

[a] A cognomine onera recordaretur paterna:
Infulas ne patriæ deberet, vel patris
Vidit puerpera mithratū puerū, ātequā pareret.
Et in ſomnis Pontificem prænuntiatū futurum.
Aliter mortalibus loqui nō ſuſtinet Deitatis maieſtas.
Undecim luſtris genitricem fatigavit oraculū,

Anni Sal. Pii 1458.14

Quod illa pandere erubuit;
Donec coronatum vidit ab homine,
Quem Deus in utero coronaverat.
Quo magiſtro profecerit? ipſe forsàn ignorat
Artes didicit naturà duce.
Prima ſtudiorum tyrocinia
De pane lucrando.
Indè abecedarium exorſus undè Adam:
Arando terram,
Plenam pubertatem cum excoluiſſet in agro,
Senas venit Æneas Æneadũ princeps futurus,
Natu Sylvius, moribus urbanus
Quievit, ut inſtitores ſolent in mari.
Iterum exulare coactus, ne ſolus iret:
Secum virtutem abducens,
Fortunam invenit in vià,
Quam magni viri raro invenire ſolent in patrià.
B Primi greſsus ad Baſileenſe Concilium;
In quo cũ Apoſtolos diſsẽtire inveniſſet à Petro:
Suſpicatus ibi Concilium eſse ſine conſilio,
Ad Neutrales divertit. (rarent,
Qui cũ nõ Papã adoratẽt, nec Antipapã hono-
Ad Iulianum Cardinalem rediit,
Ut iam errantem, ſequeretur nunc pœnitentem.
A ſecretis indè Friderici Imperatoris,
Cum variis legationibus luſtraſset Europam,
Ænea dignior [2] nõ eſt ĩvẽtus in cognatione Cæſaris
Cui uxorem ſuam crederet paranympho.
Natum præludens Cæſar ad Orbis imperium
Pacem pactam voluit futuram,
Antequam Æneas Pontifex eſset.
Sæpè Affinia [3] Prophetis ſunt verba Regum.
Novem [4] Cardinales cum creaſſet Callixtus;
C In unũ Æneã ſuſpiciẽtes Romani, prophetarũt
Succeſſorem ſibi creaſse Callixtum,
Eius in electione, ſe decoratã credẽs Germania
1458.1 Literis, legationibus pedes acceſſit univerſa.
Cõgeſtos cũ obtuliſſent ei à Callixto theſauros
Nec videre ſuſtinens, inquit:
Auferte: citius expendemus, quàm alii cõgeſſerunt,
Iura ſua exorſus à Regibus,
Pacem imperans, non impetrans,
Verba ſemel prolata correxit nunquàm.
Talia eſſe debent verba Principum.
Siciliã *Alphõſi* notho eà lege tradidit, & ſervavit
Ut Petrum agnoſceret.
D Regno Ferdinandus [7] à Callixto prohibitus
Sprevit Petrum, non Gallum
Qui Leonem fugavit Hiſpanum,
1461.14 Gallum ipſum, qui ſæpè cucullas in Petrum
Sublatà Pragmaticà harmonicũ revocavit ad cantũ
Fœtus hæc abortivi Concilii
Conſtantiæ incõſtãriã exciverat cõtra Põtificẽ.
Concilium hoc capitaliter odit Pius,

A Cuius tamen vindex fuerat ipſe Æneas.
Sed Pium potius ſuſcipe, ſuſpice quàm Æneam. Anni Sal. Pii 1458.13 1459.13
In Turcas [9] Primæ Pii curæ Secundi:
Mantuæ Orbe coacto Univerſo.
Auditus hic Æneas
Facundià ſuà Reges excitavit ad fletum.
Primi omnium Veneti, [10] qui nomen darent,
Claſſicum canenti Pontifici.
Tanti belli ducem ſeipſum voluit:
Ne oves abirent ſinè paſtore
Chriſtophorũ [11] Maurũ Venetorũ Ducẽ aſcivit
Et nè ſenectam obiiceret; appellari voluit
Expeditionem Senium.
Quid enim vires iuvenum ſine ſenũ conſiliis?
Vocavit etiam Philippum Ducem Burgundiæ
Ut tres eſsent in bello ſenes:
Et Trinitatẽ humanã Trinitas adiuvaret Aeterna.
Anconam licet Venetus navigaret, volaret
Etiam ſuper pennas ventorum;
Vix morientis Pontificis animam exeuntem
Excipere valuit in oſculo pacis.
Obiit [12] oblitus ſui, non Eccleſiæ,
Quam Venetæ commendavit Reipublicæ:
Cui ſoli datũ in Syriã remulcare navẽ Piſcatoris.
Impletum tunc M. Coſmi vaticinium:
Senex Pius opus aggreditur iuvenile.
Mortis cauſa [13] Burgundus,
Qui loco ſui natos miſit, ſed nothos.
Conſtantiam tamen nec moriens remiſit,
Etiam poſt cineres bello nollens abeſse.
More excellit militari, cũ Theologis diſputãdo;
[14] Extremam Unctionem an iterare liceret,
Qui olim Baſileæ perunctus?
Militia ſanè Æneæ vita ſuper terram fuit:
Decẽ luſtris cũ Orbẽ ſuis impleviſset ærumnis,
Igne, aquà, ferro, fuſtibus agitatus
Famæ famelicus obiit, cũ fame [15] abirẽt milites,
Quibus annona deerat ad alimoniam.
Non ſatis bello pietas ſinè prudentià.
Moriẽs Symbolũ [1] altà voce recitavit *Athanaſii*:
Ut quis, quò, quà abiret: Mundus agnoſceret.
Sine hac teſſerà nemo è caſtris honeſtè dimittitur.
Chriſtianus more vixit Iudaico, in [16] peregrinatione;
Aulam ipſam per ſexennium circumducens:
Ut ſemper eſset in procinctu.
Novum fatum;
Inter arma occumbere literis enutritum.
Aris, armis, literis ter Maximus & ter Pius
Advectum è Peloponneſo D. Andreæ [17] caput
Eà pompà excepit, quà Aſtra Solem,
XXX. mille facibus obvians, in Vaticanũ retulit.
Dignius Petro munus non erat germani capite.
Aras etiã Senẽſi [18] Virgini poſuit Senẽſis Põtifex.
Ex Chriſti latere cũ Catherina [18] ſãguinẽ exugiſſet.

Ex

Anni Sal. Pii 1464. 16

Ex hac ambroſià ebria,
Cor ſuum commutavit cum corde Chtiſti.
Sic amantium vota explevere communia;
Qui alternis vocibus *cor ſuum* ſolent appellare.
Hæc à Pio ſtylo tranſcripta Tulliano
Cum maiorem partem vetuſtas abraſerit,
Librorum ,, nudi ſuperſunt tituli.
Plura cum fecerit, minora ſcripſit,
De aliis pauca, de ſe nihil.
Sic ſolent modeſti, non moleſti ſcriptores
A *Aliena faſtis, ſua ſcribere factis.*
Scripſit & ſua Pius, ſed Gobelinus corrupit,
Incerta certis intercludens.
Grandi viro breve contraham epitaphium,
Ex Piccolomineis
Microcoſmos venit, Macrocoſmos abiit
Aeneas natus, Pius denatus,
Literis inſumpſit vitam, armis vittam
Contra 20 *Hæreticos, vel* Inſideles.
Non aliter vivit Deus, nec ſolet arma tractare.

ADNOTATIONES IN PIO II. PONT. ROM. CCXII.

Pii natalia. 1 PIus Rom. Pontiſex, anteà *Æneas Sylvius Bartholomaus* (tritoni:nus enim fuit) natione *Senenſis*, gente *Piccolominea* inter vetuſtiores, & nobiliores Reipub. quæ literis elaruit, & armis.



1 2 G

Sed à noibilibus in plebem derivato regimine, familia *Piccolominea* humiliata eſt, ſicut & cæteræ nobilium. Avum habuit Æneam Sylvium, cui ex uxore Mõtaninà natus eſt *Sylvius* poſthumus. Vindicata is tenui portione matrimonij, uxorem duxit *Victoriā* ex domo *Forteguera* virginem nobilem, ſed pauperem & fæcundam, ut ſæpe gemellos pepererit. Ex eà Sylvius duodeviginti liberos ſuſtulit, non tamen ultra decem aggregavit; quos urgente inopià *Corſiniani* (oppidum eſt Vallis Vrciæ; quod in civitatem erexit Põtifex factus, & *Pientiam* dixit, ac dignitate ornavit Epiſcopali, teſte *Gobelino l. 8.*) nutrivit: Sed omnes iniqua lues extinxit, duabus tantum ſororibus *Laudomià, & Catherinà* cum Aeneà ſuperſtitibus.

Æneæ natus. Natus Aeneas An. 1405. die ſacrà S. Lucæ Evang. 14. Kal. Novemb. Trium Annorum puer dum luderet inter æquales, muro lapſus alto, & in ſaxum alliſus, ingens capiti vulnus accepit; quòd prætter ſpem Nicolaus Monticulanus medicus ſine literis, empiricus qui puerum de ſacro fonte levarat, brevì curavit. Exinde, cum diu apud patrem civili exercitatione quævis ruris officia, animi levādi causà, prout à nobilibus fieri ſolet, obiiſſet, annos iam quòd duodeviginti natus in urbem migravit, exceptus apud neceſſarios (qui bonæ frugis adoleſcentem minimè relinquēdum exiſtimabāt) audire Grammaticos cæpit, deinde Poetas, & oratores avidè ſectatus, poſtremò ad ius civile ſe contulit; cuius profeſſores cum aliquot annos audiviſset, exorto inter Senenſes ac Florentinos gravi bello, & literarum ſtudia intermittere, & patriæ dulce ſolum relinquere coactus, *Dominicum Capranicam* (Hunc Martinus V. Cardinalem deſignaverat, Eugenius IV. repudiarat) Baſileam comitatus, ubi apud Concilium cauſam agens obtinuit, ut dominus ſuus purpurà frueretur deſtinatà. Verùm cum Capranicam paupertas præmeret; Æneas ad Nicodemum Scaligerum Ep. Friſingenſem, cuius pater Veronæ tyrannidem obtinuerat, & illo recedente, ad Bartholomæū Vicecomitem Ep. Novarienſem ſe

Officia.

B recepit, ab utroque dictandi, atque ſignandi epiſtolas officio præpoſitus. Cum Nicodemo ad Principes Electores, qui Francofurti convenerant, profectus eſt: cum Bartholomæo in Italiam rediit: diuquè apud Philippum Ducem Mediolanenſem, cui Bartholomæus ſerviebat, verſatus eſt. In eius ſenatu cum duo de Rectoratu Scolæ Papienſis contenderēt, alter Mediolanenſis genere clarus ex domo *Crottiadum*, alter Novarienſis, humili familià natus; & Mediolanenſi pars maior faveret, qui iam Magiſtratus inſignia aſſumpſerat, ac duos patruos in conſilio Principis admodùm potentes habebat, Aloyſium, & Lanzellotum: Aeneas Novarienſis partes accepit tantumquè ſuà oratione contendit, ut erepta Mediolanenſi dignitas Novarienſi traderetur.

Interiecto deinde tempore ad Eugenium, qui Florentiæ ſedebat cum Bartholomæo perrexit: indè ad Nicolaum Preininum in balneis Senenſibus lavantē

C divertit, neceſſarios revidens, & amicos. Poſt dies quinque, Florentiam rediit, ubi cum comperiſſet Bartholomæum apud Papam de crimine læſæ maieſtatis accuſatum; ipſe ad Nicolaum Cardinalem S. Crucis, patrem laudatiſſimum confugit, qui ipſum in ſecretariam accepit, & Bartholomæum liberavit. In Gallias autē legato abeunte Cardinali S. Crucis cū eo Aeneas tertiò Mediolanū vidit, indè ad Amedæū Sabaudiæ Ducē, qui ſupra lacum Lemanū magis voluptuoſā, quàm pænitentialē vitā degebat. Eo ſalutato in Attrebates deſcendit Cardinalis ad totius Galliæ, & Angliæ cõventus. Vbi cū Philippū Burgūdiæ ducem Gallorum Regī reconciliaſſet: Æneas epiſtolam de bono pacis ad Philippum verſu conſcripſit. Priùs autem quàm Philippus ab Anglis deficeret; Cardinalis Æneam in Scotiam miſit, ut quendam prælatum Regi reconciliaret. In itinere pericula quàm gravia, & maris procellas ſuſtinuerit;

D arduum eſt ſcribere. Per ignem & aquam irrepſit potiùs, quàm evaſit in Scotiam Anglis ſuſpectus, ubi cum nonnihil impetraſſet, quæ petitum venerat, muneribus plenus & honoribus (*Gobellino* teſte *l. 1. In Comment. Pii II.*) Baſileam rediit, quò ſe contulerat Cardinalis S. Crucis. Agebatur tunc de tranſlatione Concilii in alium locum, ad quem venturi Græci putabantur. Quatuor in electionem loca dabantur, quæ pecuniam ad alimoniam Græcorum offerebant, Florentia, Vtinum, Papia, & Avennion, Cumquè in laudem cuiuſquè loci copioſè fuiſſet

Baſileā venit.

peroratum, ſoliq. Papiæ commendationes defuiſſent, (quòd Iſidorus Roſarenſis, quem Philippus Maria Dux Mediolan. ad eam rem miſerat, inſulsè verba faciens, quieſcere juſſus erat) Motus Æneas & urbis egregiæ, & principis ejus contemptu, conſcriptam nocte orationem, ſequenti die in Concilio duabus horis cum omnium admiratione recitavit, ejuſquè exemplar ſibi edi curaverunt adſtantes. Ab hinc Æneæ & Concilium gratius, & Dux Mediol. faventiſſimus fuit. Nam quamvis ſolummodò pſalmiſta eſſet, ſcriptoris & abbreviatoris officium aſſecutus, in duodecimviratu poſtea ſepe fuit, quod munus quamvis trimeſtre, magni ponderis erat, nihil enim deputatores deliberare poterant, niſi materiam à duodecim viris accepiſſent; neque ad Concilium quiſquam admittebatur abſquè horum decreto. In deputatione ſuâ, cui *Fidei* nomen erat, ſæpè præſedit. *Claves plumbi*, quo ſynodales literæ obſignabantur, frequenter in ejus cuſtodiâ fuerunt. Inter ſcriptores nemo ad Reſcribendariatum ſæpius electus eſt. Quoties à nationibus aliqui ad res ſingulares delecti ſunt, is ferè ſemper incluſus. Legationes ſynodales ad Argentinam tres, ad Conſtantiam duas, ad Frankfordiam unam, ad Sabaudum unam feliciter ſemper obivit. Hinc mortuo præpoſito S. Laurentii Mediol. Baſilicæ, Archiepiſcopus cum Aeneam adprobante Concilio ſuffeciſſet; ſpretis objectionibus Iſidori opponentis extero homini dignitatem conferri non poſſe Concilii repugnante decreto, & inſcio Principe benemerito; Mediolanum Aeneas profectus cum nobilem quemdam ex magnâ Landrianorum domo in poſſeſſionem inveniſſet adductum, eâ prævaluit apud Principem gratiâ, ut eum mox cedere compulerit. Lætitiam porrò ægritudo corripuit, quâ per dies ſeptuaginta quinque ſæviente, Philippus Dux Mediolanenſis curari voluit à medico ſuo. Incantatores, qui in Piccinini caſtris duo millia virorum febribus liberaſſe dicebantur, cum ad eum acceſſiſſent, nunquàm adduci potuit, ut ſanari vellet adverſo Deo. Baſileam reverſus in ſolemnitate D. Ambroſii ſermonem habuit de laudibus S. patris, quamvis obſtarent Theologi, qui ſibi id muneris expetebant. Mortuo interim Sigiſmundo Imperatore, eiquè ſubrogato Alberto, cum Bartholomeo Ep. Novarienſi Aeneas in Auſtriam venit, ubi Vngari adverſabantur, ne Albertus coronam ſuſciperet imperii. Oratores Principum in conſilium adſciti, auctore Aeneâ reſponderunt, & imperium acceptandum, & Vngaros ad conſenſum inducendos. Aeneas interim Auſtriæ moribus offenſus, Baſileam rediit, ubi lue laboravit acerbâ, ut mortuus crederetur. Fama vulgata Mediolanenſem ei abſtulit præpoſituram, altero in poſſeſſionem recepto, qui propter diviſionem Eccleſiæ repelli non potuit. Ita *Gobellinus l. 1.* Veritas eſt, Philippum Ducem Mediolanenſem licet Eugenii inimicum, PſeudoPontifici fuiſſe ſemper adverſum. Exin vacantibus (*Gobelinus* ita proſequitur) Canonicatu, & præbenda Eccleſiæ Tridentinæ, Concilium ea Æneæ ſummo favore contulit. Temerè poſteà dejecto è ſede Eugenio Apoſtolicâ, cum de eligendo ſucceſſore ſolliciti, 38. viros ex nationibus aſſumpſiſſent, quibus Pontificem eligendi poteſtas eſſet, Itali Æneam vocarunt; & quia nondum Sacris initiatus incapax videbatur officii; literas ei, B dederunt, quarum vigore unà die extra tempora Subdiaconatum, & Diaconatum cum minoribus ordinibus aſſumere poſſet. Noluit tamen Æneas eam ob cauſam Sacris ſe imbuere: Conclave tamen velut cæremoniarum clericus intravit, & adſtitit Amedæi electioni, quem dixere *Felicem V.* ad quem Aeneas adhuc eremum colentē perrexit, & ab eo in ſcriniarium receptus tandiu ei ſervivit, donec cum legatis Amedei miſſus ad Fridericum III. Imperatorem, & in gratiam receptus docti viri Silveſtri Chiemenſis Epiſcopi, indè in familiaritatem Iacobi Archiep. Treverenſis, ab his in gratiam Cæſaris adductus, ac laureæ coronâ, poetarumquè privilegiis donatus, ei ut ſerviret, ſuamquè curiam ſequi velle rogatus, ſe libenter facturum reſpondit, ſi Felicis voluntas accederet, cuius erat ſecretarius. Ad quem rediens, magnâ cum dificultate, licet intercedentibus B amicis ægrè dimiſſus, locum protonotarii in Cancellariâ Romanâ apud Cæſarem obtinuit, & Briſinæ Cæſari præſtitit juſjurandum. Ibidem *Gaſpar Slichius* Cancellariam accepit, ſed Nurembergum miſſus à Cæſare, cum Cancellariæ præpoſuiſſet *Vuilhelmum* Fez Bavarum, hoſtem nominis Italici, acerbè ab eo Aeneas habitus, & ferè in deſperationem adductus, donec Gaſpar rediens Aeneam cum inveniſſet ingenioſum, induſtrium ac laboris patientem, cæpit eum humaniùs tractare, præferre, ac magniſacere. Ad hæc acceſſit, quia cum ſeris Gaſpar ageret cum Friderico Imperatore apud Nicolaum Lollium ſpectatum virum, ejuſquè conjugem nobilē matronam, Bartholomæam Ptolemæā, Aeneæ amitam, ac nepotem ejus ex Margaritâ natum ſacro de fonte levavit, quem ſuo ex nomine Gaſparem dixit. Hinc Aeneas carior Gaſpari factus, cum iterum ille in legationem abiiſſet, Cancellariæ Aeneas eſt præpoC ſitus (quouſquè Gaſpar abſuit) ad majora ſemper adſcitus, donec in conſilium receptus ſecretius, legatus ad Tergeſtinos, ab his juſjurandum recepit Cæſaris nomine, eoque mandante unà cum tribus aliis Oratores audivit Eugenii, atquè Felicis, pro concordia ineundâ. Parochialem interim Sarantanæ vallis, Cæſaris beneficio, aſſequutus Eccleſiam, quæ aureos ſexaginta quotannis reddebat, brevi dimiſit, quòd uberiorem aſſecutus S. Mariæ Aſpacenſis in Bavariâ beneficio Leonardi Ep. Pataviénſis, literis ei ſine pretio miſſis in Stiriam. Poſt hæc rejectis per Baſileenſes conditionibus pacis; ad Eugenium miſſus, cum Senas veniſſet, unanimi propinquorum voce prohibitus Romam petere, quòd Baſileæ Eugenio fuiſſet infenſus, reſpondit: *Oratorem Cæſaris etiam inter hoſtes tutum eſſe debere: proinde aut moriendum, aut legationem abſolvendam.* D Sic invitis conſanguineis Romam profectus, à Gerardo Landriano Cardinale Cumano, cum quo ſibi vetus familiaritas erat, cenſuris abſolutus, quas Baſileenſibus favendo incurrerat, in conſpectu cum veniſſent Eugenii, ad oſculum pedis, manus, & oris receptus, literis reſtitutis, dixit. *Prius Sanctiſſime Præſul, quàm Cæſaris mandata referam, de me ipſo pauca dicam. Scio multa de me tuis auribus inculcata eſſe neque bona, neque digna relatu. Sed neque mentita ſunt quæ me tibi detulerunt. Plurima ego dum Baſileæ fui, dixi, ſcripſi, & feci: nihil inficior: at non tam tibi nocere, quàm Dei Eccleſiæ prodeſſe mens mea fuit. Erravi:*

quis

Munera illi collata.

Legationes eius.

Dignitates ei collatæ.

Religio ejus.

Itinera.

Laureâ donatur Poetarũ.

Cancellarius Cæſaris

Romã venit Cæſaris legatus.

quis negetˀ ſed neque cum paucis, neque cum parvis hominibus: Iulianum S. Angeli Cardinalem, Nicolaum Archiep. Panormitanum, Ludovicum Pontanum tuæ ſedis notarium ſum ſecutus, qui iuris oculi, et veritatis magiſtri credebantur. Quid univerſitates ut alia Orbis gymnaſia referam, quorum pleraquè adverſum te ſentiebantˀ quis cum tantis hominibus non erraveritˀ verum ego ubi errorem deprehendi Baſileenſium, fateor, non ſtatim ad te convolavi, quòd plerique fecerunt: ſed veritus ne ab errore in errorem prolaberer, ut ſæpè in Scyllam incidunt cupientes vitare Carybdim, ad eos me contuli, qui Neutrales habebantur, ut ab altero duorum extremorum ad alterum non ſine conſultatione, ac morâ tranſirem. Manſi ergo apud Cæſarem tribus annis: ubi dum magis, ac magis contentiones audio, quæ inter Baſileenſes et tuos legatos fiunt, nihil mihi dubii relictum eſt, quin te penès ſit veritas. Hinc factum, ut cupienti Cæſari ad tuam me clementiam, viam facere, non invitus paruerim. Sic enim me tuam in gratiam redire poſſe ſum ratus. Nunc apud te ſum & quia ignorans peccavi, mihi ut ignoſcas, oro: deinde cauſam Cæſaris explicabo. Cui Eugenius. *Scimus te cum multis deliquiſſe: ſed erratum fatenti non poſſumus, non ignoſcere. Veritatem cum teneas, cave, ne relinquas.* His dictis ad legationis arcana deſcendit: ſuper quibus tempus deliberandi Eugenius accepit. Medio tempore Thomã Sarzanum Ep. Bononienſem fortè obuium habuit, quem cum pro veteri benevolentiâ ſalutandum adiret, horrentem ac ſe fugientem offendit, ut qui Æneam Concilio adhuc faventem Baſileenſi coniectaretur. Miratus Aeneas, ac paululùm indignatus, ſubſtitit, nec ultra illius quæſivit alloquium. Veruntamen ægrotanti Aeneæ, miſeratus Thomas familiarem miſit, qui conſularetur ægrotum, atquè in medicos pecuniam offerret. Io: Carvaiales, qui ſæpè apud Imperatorem legatus fuerat, ac poſtea Cardinalarum obtinuit, nullà non die viſitavit Aeneam. Cardinales ad eum mittebant. Summus Pontifex quoq. Ioannem miſit Papienſem ſpectatum virum, qui Aeneæ cuncta polliceretur ad ſanitatem neceſſaria. Ingens illa ægritudo fuit, tantaquè vis doloris, ut duodecim diebus, quibus Aeneas decubuit, nullà non horà mortem optaverit. Reſtitutus tandem Senas repetiit, & patrem pro ultimà vice conſolatus, in Alemanniam rediit. In vià apud S. Caſſianum, Thomæ Epiſcopo Bononienſi qui Romam ibat, obviam datus; gratias egit, quòd ſui ægrotantis memor Romæ fuiſſet, atq. ibi combibentes priſtinam benevolentiam integrarunt. Thomas cum ad Cæſarẽ poſtea venit, literas Eugenii ad Aeneam detulit, quibus munus Secretariatus Apoſtolici ei demãdabat; Cuius iuramentum Romæ præbuit ſingulari Aeneæ præconio, quòd apud duos Pontifices Romanos *Eugenium*, & *Nicolaum*, unum Imperatorem, & unum Antipapã Secretariatu potiri potuiſſet. Plures alias legationes Cæſaris nomine Aeneas obivit, ad Eugenium pro reſtitutione Colonienſis, & Trevirenſis quos depoſuerat. Indè Frankfordiam, ubi viam aperuit, quà Pontifici Electores reconciliaret. Iterum Romam, ut abiuratà Neutralitate, obſequium præſtaret ſummo Pontifici nomine Cæſaris. Dum hæc agerentur, rumor increbuit obiiſse Epiſcopum Tergeſtinum, ita vulgãte Decano Aquileienſi, qui opem imploraverat Thomæ Ep. Bonon. Aut dignitatem aſſequeretur. Verùm Cardinalis parvà cedulà certiorem fecit Cardinalẽ S. Angeli (apud quem forte cænabat Aeneas) tempus advenisse Aeneam promovendi. Cardinalis S. Angeli acceptam Schedulam legendam obtulit Aeneæ, quid ſibi videreturˀ interrogans. Ad quem Aeneas, *dignitatem imparem meis meritis non petam, ultro datam non recuſabo*. Sequenti die cum Ludovicus Cardinalis Aquileienſis Eccleſiam Tergeſtinam Decano ſuo, alii aliis peterẽt, omnes ab Eugenio repulſi ſunt, qui Põtificatũ Aeneæ ſeſe commiſſurũ conſtanter affirmabat. Vanus autẽ cũ rumor fuiſſet mortui Tergeſtini Aeneas tamen in Subdiaconũ Apoſtolicũ aſſumptus eſt: Eugenius verò ſexdecim poſt dies reconciliatæ Germaniæ, naturæ conceſſit An. 1447. Succeſſit ei Nicolaus V. qui protinùs Æneæ ſubdiaconatu, atq. ſecretariatu confirmato, Crucem etiam in diè coronationis antè ſe deferendam commiſit. Poſtquàm autem ex urbe Æneas receſſiſſet; Nicolaus cognità morte Epiſcopi Tergeſtini inſciis Cardinalibus Aeneam præſulem pronuntiavit Tergeſtinum, gratis literis expeditis. Fridericus quoquè Cæſar, ut eccleſiæ vacationem agnovit, *Hanc* (inquit) *Æneæ impetrabimus*; literaſquè Pontifici eà in re iam ſe ignaro peractà conſcripſit. Sic neſcius Aeneas cum rediſſet ad Cæſarem, ad Epiſcopatum ſe Papæ ac Cæſaris voto vocatum invenit. Tergeſtini licet exteris infeſti, cum primarium civem decanum ſuum Canonici elegiſſent, ſilere iuſſerunt. Alia Aeneæ legatio ad Principes Imperii fuit nomine Cæſaris, ut in obedientià Nicolai eos confirmaret. Aſciaburgii celebravere comitia, in quibus, licet Palatinus Felicis filiam uxorem haberet; omnia Aeneæ ceſſere felicia. Hinc ad Mediolanenſes miſſus ob mortem Philippi Mariæ cum aliis viris nobilibus, ut principatum imperio devolutum vindicarent, quem eodem tempore Cæſar, Alphonſus Aragonum, Carolus Aurelianenſis expetebant. Audito Aeneà Mediolanenſes Imperatorem quidem dominum ſuum faſſi, ſed virtute privilegiorum, ſe civitatis rectores aſſerentes, Fridericum non niſi certis legibus dominantem admiſſuri dicebant. Reſponſio licet tumida, tempori tamen non incongrua cum Aeneæ videretur, nec reſpuenda: collegæ ſui Theutones plura exigentes, omnia perdiderunt. Hinc Viennam reverſus, adſtante Io: Cardinale S. Angeli, legato Apoſtolico, munus accepit conſecrationis: indè Tergeſtum profectus à civibus cupidè ſuſceptus, rem primò divinam fecit. Nec diu moratus, in Hiſtriam miſſus, de Finibus inter Cæſarem, & Venetos litem compoſuit. Laboris præmium fuit Eccleſia parochialis in caſtro Vindelico inſignis admodum, quam ei Imperator commendavit. Per idem tempus Frãciſcus Sfortia Mediolanum obſidebat: cives exanimati Cæſarem implorabant. Eò rurſus Aeneas proficiſci iuſſus cum Artongo I. C. ut obſeſſis offerret auxilia, ſi Cæſari ſe ſubderent. Eo in itinere multa adverſa fuere; viis omnibus per hoſtem obſeſſis, ut legatos comprehenderet, Mediolanum tamen irrepſere. Sed quia ad pompam eloquentia cedit inermis, cum vana eſſent auxilia promiſſa, Sfortiæ hoſti ſuo ſe ſubdere coacti ſunt ingruenti.

a *Æneà digmor*, &c. Alia Aeneæ legatio fuit ad Alphonſum Regem Aragonum, ut Cæſaris nomine ma-

Euge[nius] re[concilia]tur.

[In]ſpec[tus] Car[dina]li Sar[za]no.

Morbo [la]borat.

Secreta[rius] Apoſto[lic]us.

Nova dignitates.

Epiſcopus Tergeſtinus.

Aliæ legationes.

Legatus ad Regem Aragoniæ.

A matrimonium peteret cum Leonorà ſorore Regis Portugalliæ. In curià novi caſtri Neapolitani datà arrhà coram Rege, Cardinali Moriuenſi legato Apoſtolico, Clivenſi, Calabriȩ ducibus ac magnà prȩlatorum Comitumque multitudine, de nobilitate, & virtute contrahentium orationē habuit, quȩ poſtmodum à multis conſcripta eſt. Hinc ad ſummum Pontificem reverſus Anno Iubilȩi 1450. Coniugium publicavit in conſiſtorio: ſequenti anno Cȩſarem ad coronationem venturum dixit. Concilium quod Galli petebant in Francià, diſſuaſit. Moritur interim Nerius Ep. Senēſis: Cardinales alii alios provehebāt, Cives Senenſes Abbatem S. Galgani concivem ſuum ſummis precibus commendabant. Solus Pontifex Aeneæ memor abſentis, eum ſacro nominavit collegio. Senenſes ubi nominatum Aeneam agnoverunt, gratias reddidere Pontifici, quia nobilem, doctumquè virum, concivem ſuum eis dediſſet Epiſcopum, qui obvio clero, & populi proceſſione, aureà ſub umbellà receptus tanto in urbem civium plauſu, tantoquè honore, quantus antea nulli delatus Epiſcoporum. B In Auſtriam reverſus, non ſolùm nuptias Imperatori gratas retulit, ſed omnia pro futurà coronatione pacifica. Interea Bohemi cum puerum Ladiſlanm Regem ſuum ſæpè repetitum non obtinuiſsent, Pragȩ comitia indixerāt, ut Regem ſibi crearent. Ad eos igitur Aeneas cum aliis proceribus miſſus, ut mentes leniret feroces, brevi Regem promittens multa illic cum *Georgio Podiebraccio* regni gubernatore de bono pacis, & Eccleſiæ unione locutus, hominem magis dominandi cupiditate, quàm hæreſis errore deceptum exiſtimavit. In hac legatione bis Thaboritas adiit hæreticos, & cum his accerimè de fide diſſervis; quorum mores, errores, omnemquè ſuam diſputationem Cardinali S. Angeli Aeneas ſcripſit epiſtolà, quam habes inter epiſtolas eiuſdem Æneæ. Indè in Italiam iterum revocatus ad portum Thalamonis, ut Leonoram ſuſciperet imperatricem, magnà Theutonum, immò C ſuorum Senenſium invidià, quaſi novarum rerum cupidus dominatum ambiret in patrià, quȩ in Hetrurià prima poſt Florentiam latè dominatur. Riſit Æneas fortunæ mutationem; accedenſquè ſenatum, Cæſaris legatione abſolutà, magiſtrum rogauit, *ne quid de ſe malè ſentiret; cum tot fideiuſſores offerre paratus eſſet, quot conſanguinei ſibi eſſent in patrià. Cæſarem Italiam non regnaturum, ſed coronandum petere: comites habere nobiliſſimos principes, amicos omnes non hoſtes: nihil ab eis timendum eſſe, qui ſolo tranſitu contenti eſſent.* Inde ut invidiæ cederet, Thalamonem declinavit, ubi acceptis literis Apoſtolicis de procraſtinando Cȩſaris adventu, ſe excuſavit, *omnia iuxta Pontificis placitum in procinctu eſſe, & Imperatricem propediem littus appulſuram Italicum. Accepiſſe ſe, maximo Pontifici metum iniectum, timeri Romæ Cæſarem, ſed vanum timorem, ſcire Cæſarem iuſtum, Nicolai amantem nil æquè odiſſe quàm turbas, moriturum prius quàm fidem fallere.* Hiſce motus Nicolaus ſcripſit ad Cæſarem, ſuo ex arbitrio iter faceret: literaſquè ad Aeneam primò direxit, ut ſi ſibi videretur, illas ad Cæſarem mitteret. Aeneæ placuit ſcriptum Apoſtolicum, & Cȩſari tranſmiſit. In Italiam itaquè cum deſcendiſſet Imperator, divino quodam flatu factum eſt, quo is die Florentiam intravit, eodem

Legatio in Vngariam

Senenſibus ſuſpectus.

A imperatrix Liburni portum applicuit. Præmiſerat Cæſar Io: Ep. Ratiſbonenſem, Vanconem Sileſiæ Ducem conſanguineum ſuum, Michaelem comitem Magdeburgenſem, alioſquè nobiles viros ad recipiendam Imperatricem. Ibi cum diu de conſignandà, mittendaquè Cæſari ſponsà tractatum, Marchio tandem Portugalenſis, qui Leonoram à fratre receperat coram legatis Cæſaris, ad manus conſignavit Aeneæ, ut ad Cæſarem transduceret. Res hæc Vanconi Duci admodùm moleſta fuit, qui ſibi hoc honoris iure ſanguinis, quo Cȩſari iunctus erat ſibi debitum credebat. Inter ſecundam & tertiam Senarum portam in loco ſpatioſo obuiauerunt ſibi Fridericus, & Eleonora. Verba nomine Cæſaris fecit Henricus Leubin; Imperatricis vice loquutus eſt Aeneas. Senenſes qui extra urbem relegauerant Aeneæ cognatos Piccolomineos: ubi Cȩſarem intellexere pacificum, reuocatis exulibus, patriȩ patrem dixere Aeneam, ac ad ſummum Pontificem deſignauere legatum. *Gobelinus l.* 1.

Spōſam ducit ad Cæſarē.

B 3. *Affinia prophetis ſunt verba Regum.* Cimini montis iugum, qui Viturnio imminet, cum aſcendiſſet Imperator, accerſito Aeneà, *Ecce* (inquit) *Romam petimus, videre videor te Cardinalem futurum, neq. hic tua fortuna conquieſcet, altiùs evehetis, B. Petri te cathedra manet, cave ne me contempſeris, ubi hoc honoris ſis aſſecutus.* Cui Aeneas: *Nec Pontificatum mihi arrogo, nequè Cardinalatum.* At ego (ſubintulit Cæſar) hoc ita futurum video. Idem præluſit Thomas Sarzanus, qui fuit Nicolaus V. (teſte *Philelpho; orat. ad Iacobum Anton. Marcellum*) cum intra alpes unà divertiſſent in cauponam, & Æneas ſumptus pariùs faceret, ad Aeneam conuerſus Thomas inquit: *Reverendiſſime Pater; quid opus eſt tantà utamur parſimonià, cum uterquè in eccleſià Romanà Pontifices maximi futuri ſimus?* Et ita fuit. Aeneas tamen tanquam iocantis utriuſquè verba ſuſcepit. Nec defue C runt alia præludia. Septennes in puerili ludo, pueri dato ſtrato pedibus eius Pontificem ſalutarunt. Alphonſus Rex Siciliæ eum ad ſe conſpicatus ad ſe digito amicis indicans, dixit. *En tibi Pontifex Maximus.* Campanus Romam itaquè Aeneas cum Cæſare profectus primus inter prȩlatos eius fuit, ſalutātibus Cardinalibus, & urbis primoribus, qui obuiarunt; pro Cæſare reſponſa dedit. Duas Cȩſaris nomine orationes in publico auditorio recitauit: in alterà gratias egit ſummo ſacerdoti, ac Cardinalibus, pro maximis quæ præſtiterat, beneficiis: in alterà expeditionē in Turcas, conatus eſt inſtillare. Poſtremò ab urbe recedens, orator ſedis Apoſtolicȩ cum poteſtate legati de latere per Bohemiam, Sileſiam, Auſtriam, Morauiam, Stiriam, D Carinthiam, Carniolam miſſus eſt, inſtante Cæſare, etiam in Vngariam ampliarà legatione. Ferrariam cum veniſſet, ubi Borſium Ducem creavit Imperator: de Cȩſaris beneficentià, de laudibus domus Eſtenſis, de virtute Borſii, de eminentià dignitatis, dicendi partes ad Aenꝗam delatȩ ſunt. Sic Venetiis ſolus Aeneas ad Senatum nomine Cæſaris loquendi prouinciam accepit. In patriam tandem cum Cæſar ſe recepiſſet, cumquè Auſtrii apud Novam Civitatem obſediſſent, bombardis quatientes muros, intrepidus Cæſari Aeneas comes adhæſit,

Papa prædictus.

Novæ legationia pericula

ſit,donec pactis inducijs emiſſus eſt Ladiſlaus,& Cæſar ſolutus. Viennæ poſtea conventu indicto, apud quem totius adfuere Germaniæ legati, primus omnium Æneas qui ex Cæſaris legatis ſalutaretur. Bis illic apud primates Vngariæ, qui ex toto aderant regno, ſemel apud Bohemos, nomine Cæſaris verba fecit. Ladiſlaum iam regnantem bis ſalutatum adiit. Grave autem cum immineret iudicium in curiâ Cæſaris inter Albertum Marchionem Brandeburgenſem, & ciuitatem Naremburgenſem à Principibus exarandum, quos amicitia vel affinitate ſibi deuinxerat Marchio, eò res erat, vt Cæſar ad iniquam cogeretur inclinare ſententiam, niſi interceſſiſſet Æneas,qui iam inter principes imperii aſſumptus fuerat. Hic enim cunctando, & frequentibus comitiis opus eſſe affirmans, vt rem tantam dirimerent,Cæſarem turpi notâ liberavit. Poſt hæc cum legati Ladislai Regis ad tractandam pacem,de quâ Viennæ deſperatum erat,ad Cæſarem veniſsent; Aeneas his publicè reſpondit: Inde tractatu durante,cum aula Cęſarea fere tota reclamaret,Aeneas vocato Vlrico Sonnembergio Cæſarem adit, pacem honeſtam oſtendit,quæ die concluſa ſequenti.

Principes imperii.

Eius iuſtitia.

Dum hæc aguntur, expugnari Byzantii à Turcis triſte nuntium ſuperuenit, maximo dolore Nicolai Summi Pontificis, ac Friderici Imperatoris, quod eorum tempore tãtum Chriſtianis accidiſſet opprobrium. Hinc per Cæſarē Ratiſponā coactis comitiis, quibus omnes Germaniæ Principes adfuere ac Philippus Dux Burgundiæ;cum legatus Apoſtolicus,ac plures alii verba feciſſent, audito Aeneâ, *Quid opus* (inquit Philippus) *multis verbis? Satis oſtendit Æneas, quæ nobis incumbunt*. Hinc in verba Aeneæ in Turcas expeditione iuratâ, alius deſignatus ad Frankfordiam conuentus, vt ibi delectus fierent militares. Solutis comitiis,ad Imperatorem Aeneas reuerſus, Italiam reviſere ſtatuit, & in patriâ ſuperuiuere, ſed à Cæſare non impetrauit, legatus iterum ad Frankfordienſe Concilium, vbi mutatis Germanorum conſiliis, Pontificis, ac Cæſaris nomina odioſa, & irriſa,quaſi belli ſpetie aurum vellent corrodere, deſperata iam rei bene gerendæ videbatur occaſio; cum perorante Aeneâ, omnium repentè animi in priorem belli ardorem rediere. Orauit ille duabus fermè horis tam gratus, vt nemo ab orantis vultu oculos auerterit. Fuerunt & alii quamplures auditi,ſed tædio & irriſione. Orationem Aeneæ ab omnibus laudatam multi tranſcripſere, & ſecundùm eam Ratiſponenſe decretum de bello gerendo innouatum eſt; ſed mors Nicolai V. cuncta ſubuertit. Succeſſit ei Callixtus III. quo audito cęperunt nonnulli Cæſari ſuadere, tempus aduenisse coercendi ſedem Apoſtolicam, ac Germaniæ libertatem reſtituendi. Hoc ipſum obnixè requirebat Iacobus Archiep. Treuirenſis,ex lite lucrum expectans. Cõtra Aeneas *non eſſe ex re Cæſaris*(aiebat)*Romani Pontificis auctoritatē reprimere,vt populi gratia iniretur qui ſui natura inconſtantiſſimus eſt: vel multitudini relinquendas habenas, quam noſset principatibus inimicam. Inter principes aliquando amicitiam inueniri: inter plebem,& regem odium immortale. Papam Imperatoris, & Imperatorem Papæ auxilio indigere; ſtultum eſſe illi nocere, cuius expectes opem. Cum Pontificatus nouus initur:tunc Romani præſulis gratiam beneficiis emerendā. Quod ſi ab iniuriis incipias, difficile in beneuolentiam patere aditum:mittendam more maiorum obedientiam, fœduſquè cum nouo præſule honeſtam ineundum*. Vicit Aeneæ ſententia, ipſeque miſſus eſt, vt peragerer quæ ſuaſerat. In itinere in Forum Iulii declinaret, vt de finibus litem componeret inter Auſtrios & Venetos. Eâ de causâ cum diebus plurimis apud Naonis portum moram feciſſet nec cum legatis Venetorum potuiſſet tranſigere, Venetias venit,eiuſquè verbis perſuaſi patres decretum reuocarunt, quo Naonenſes cum Venetorum ſubditis communicare prohibebantur. Exin Romam venrum cum collegis; vbi tanto maioribus exceptus honoribus, quanto diutiùs expectatus. Coacto in eorum aduentu, Conſiſtorio, Aeneas præſtitâ pro veteri more obedientiâ, Orationem habuit de Imperatoris, & imperii laudibus, ſimulquè de bello in Turcas gerendo, quæ poſtea reſcripta in multorum manus peruenit, ſcamquè famam conciliavit Aeneæ, vt falſo cum inter Cardinales diceretur aſſumptus unà cum Io: Ep. Zamorenſi,plures domum eorum venerint gratulatū. Aeneas nullâ in parte mutato vultu,ſedatoquè proſus animo, *Si verum eſt* (inquit) *quod fertur,antè duas horas innoteſcet. Interim in vtramquè partem accinctus, neque metu frangar, neque ſpe ludar inani*. Zamorenſis pariter ſalutatus, *Iam tandem* (inquit) *aſſecutus ſum, quòd annis uno de quadraginta expectavi anxius*: & donato nuncio ante B. Virginis effigiem genua flectens ei gratias egit. Tam diſpar hominum natura eſt, alii quod cupiunt, facile credunt; alii quod metuunt. *Gobelinus l.* 1. Reditum itaque meditanti Aeneę nova ſuperuenit legatio pro Senenſi patriâ obeundâ, quę fouente Alphonſo Aragonum & Sicilię Rege præmebatur à Iacobo Picinino, qui vrbis tyrannidi inhiabat. Redierat iam Senas in Germaniam prolectutus Aeneas: vocant eum Magiſtratus vrbis, ac precibus orant, ne grauetur pro patriâ iter agere ad Alphonſum, ut pacem peteret. Annuit Aeneas, ne patriæ in tanto diſcrimine deeſſet; Romam rediit, Pontificem non ſinè magno labore in ſententiam traxit, vt pacem peteret ab Alphonſo. Miſit Pontifex cum Aeneâ Ioannem Sclerium: Senenſes duos addidere viros præſtantes. Cum eſſet eundum; podagra Aeneam corripuit, octoquè diebus Romæ detinuit. Præceſſerunt collegæ, ſed eos duriſſimâ oratione excepit Alphonſus. Superuenit & Aeneas hillari vultu, & honeſto ſermone receptus:quem vt primùm Rex intuitus eſt: *Nunc* (inquit) *libet de pace loqui quando mediator acceſſit, quem diligimus*: moxquè tractatum iniit,quem poſt duos menſes eâ lege finivit, ut Picininus acceptâ pecuniâ Vrbetellum Senenſibus redderet uſurpatum, Tuſciâquè excedens in Aprutiis hiemaret. His abſolutis vollebat Aeneas in Germaniam proficiſci,ſed à Callixto

Byzantium capitur à Turcis.

Novæ legationes.

Papa in Germania defendit.

Nova legatio Romā.

Obediētiam ſolvit Papæ nomine Cęſaris.

Conſtās magnanimus

Legatio ad Alphonsū Regem.

4. *Inter nouem Cardinales* quos creavit, adſcitus, Romæ ſubſtitit, Aeneam, (quem omnes Germaniæ Principes poſtulabant) ubi donatum purpurâ populus audiuit Romanus, mox fama exorta eſt, *Succeſſorem ſibi creaſſe Callixtum*, & ingens totâ urbe lætitia. *Gobelinus l.* 1. Sena quoquè & Cæſar dies celebrauere feſtiuos. Alphonſus & Germaniæ Principes Aeneæ per epiſtolas gratulati ſunt, tanquàm in eo Germania ipſa decorata fuiſſet. Nec de-

Creatus Cardinalis.

ecp-

cepti defenſor eorum, etiam Pontifex aſſumptus: eumquè in rebus Germanicis Callixtus prę cęteris audiebat. Defuncto Ep. Varuienſi, diviſi Canonici cum magna pars Aeneam ſibi Pręſulem poſtulaſſent, pars altera bifariam diviſa: Callixtus Canonicis annuens, Eccleſiam Aeneę commendavit, qui Pontifex dictus Paulum Leghendorſium ei præfecit eccleſiæ. Ea fuit in conſiſtorio Aeneę auctoritas, ut eius ſententia cęteris prępolleret. Primus ſi diceret, reliquos ad ſe traheret; ſi ſecundus primos ſemper ferè mutaret. De Epiſcopio Culmenſi cum Poloni & Theutones contenderent coram collegio Cardinalium, Cardioalis Firmanus Polonos defenderet; Theutones Aeneas; Callixtus, qui in ſententiam Firmani deſcenderat, audito Aeneà *Placebat* (inquit) *nobis Firmani ſententia, ſed tu Aeneas mutaſti animum noſtrum: decretumquè pro tuo conſilio facimus.*

Æneæ auctoritas in dicendo.

Sic cum Eccleſiam Ratiſponenſem Rupertus peteret Bauarus ex Imperatorum ſanguine natus: ex adverſo Canonici prępoſitum eligiſſent: horumquè cauſam tueretur Papienſis, Aeneas facundià ſuà Cardinalium mutauit animum, qui ob deficientiam ætatis in Ruperto, huic videbantur adverſari. *Gobel. l.* 1.

5. *Eius in electione, &c.* Mortem Callixti cum Aeneas Viterbii accepiſſet; unà cum Philippo Cardinale Bononienſi Romam veniens, curiam inuenit univerſam, ac maiorem populi partem extra mænia occurrentem, ac de futuro ei plaudentem pontificatu. Duodeviginti Cardinales adfuerunt in Conclavi, quod ad S. Petrum in palatio Apoſtolico paratum erat. In primo Scrutinio Cardinalis Bononienſis & Aeneas paribus votis certarunt, vterquè enim quinque ſuffragia retulit, ex reliquis nemo tres ſuperauit. Rhotomagenſis nullum habuit, quamuis omnibus artibus prenſaret Pontificatum. Poſt prandium aſcitis amicis in Aeneam, qui arcanum ſeruabat altà mente repoſtum, ita declamare cepit: Quid vobis *Æneas, quem Pontificem deſignatis? pauperem, & infirmum* (podagrà namquè laborabat) *proficietis Eccleſiæ, ut in Germaniam ſedem transferat, undè mercenarias alimenta quæſiuit? Poetam dicetis Pontificem, qui Gentilium more regat Eccleſiam? Quid dicam de Philippo Cardinali Bononienſi, Homo iſte cervicoſus, qui non ſolum deeſt conſilium, ſed conſiliaris, quos audire recuſat. Ego cæteris ſenior, non imprudens, nec illiteratus regali natus progenie, amicitià, ſtemmate, clarus, Eccleſiæ paupertati divitiis ſubveniam, beneficiis* (*quæ poſſideo*) *electores rependam faventes. Simonia* (*quam obiiciunt adverſarii*) *iureiurando occurro, liberalitate, iuſtitià, religione me ſcelera omnia purgaturum præterita.* Fauebant Rhotomagenſi Cardinalis Auenionenſis, nationis ſympathià, ac Rhotomagenſis Eccleſiæ ambitu, & Vice Cancellariæ Romanæ. Plures alii promiſſionum illecebris irretiti nõ diſſentiebant. Conuenere iſti cum Rothomagenſi in latrinà (non alibi convenire poterant pro re tam ſordidà) à quo pactis, ſcripturis deuincti Cardinalis Gulielmus, duo Græci, Papienſis, Auenionenſis, Ianuenſis, S. Sixti, Papienſis, Columna, eius promotionem decreuere. Ita Christi tunica vendebatur ſinè Chriſto. Bononienſis, Vrſinus, & Cardinalis S. Anaſtaſiæ cum ſpem darent acceſſuris undecim Rhotomagenſis numerabat ſuffragia. Vnum tantum deerat. Interim medià nocte ad Aeneam venit Cardinalis Bononienſis, dicens: *Papam habemus. Plures ex fratribus in latrinà coniurarunt pro electione Rhotomagenſis. Surge frater ad eum accedas, ne electum poſtea patiaris inimicum.* Cui Aeneas; *Amice tecum ſit conſilium tuum. Abſit à me, vt dicam Chriſti vicarium, hominem Simoniacum, & impudicum. Si alii elegerint; innocens ego ero. Non propterea occidet me. Quod pauper ſim moriturus, non tædet, nàm in hoc natus ſum. Muſæ mihi ſuperextabunt, dulce inopiæ refrigerium. Ego autem minimè credo, quòd in domo Sanctorum, & in habitatione Sanctà permittat Deus miniſtrare hominem ſimoniacum, eiuſquè domum fieri lupanar, & latronum ſpeluncam. Dat Deus non homines Pontificatum. Cras videbis.* Mane facto, declinauit Aeneas in cellulam Roderici V. cancellarii, ſciſcitans, an & ipſe eorum abiiſſet in partes, qui Rhotomagenſem volebant eligere Papam? cui Rodericus. *Cum maiori parte convenio: electioni iam factæ non adverſor, ne eludar & officio ſpolier Cancellariæ: quam mihi ſcriptis confirmavit.* Oh inſane (repoſuit Aeneas) *hoſtem itaquè nationis tuæ Pontificem dices, eiquè fides, qui fidem non habet. Cancellariam etiam Auenionenſi promiſit; eius ergo ſtabit, indigenæ ſuo vel aduenæ, & extraneo? Gallus Gallo, vel Gallus Hiſpano. Si Deus, Religio non movet; vtilitas moveat.* Aequo animo Rodericus verba tulit Aeneę, qui inde ad Papienſem digreſſus ſimiliter interrogauit. Reſpondit Papienſis: ſanè *meum promiſi adiicere calculum*; ſinè quò etiam Rhotomagenſis *eſt Papa futurus.* Obſtupuit Aeneas dicens. *Ita penſabit gloriam proauum ſuorum? nonne nepos illius Martini Brandi Cardinalis, qui tempore Concilii Conſtantienſis non quieuit, donec electione Martini V. Romæ ſedes reſtitueretur Apoſtolica, quam in Germaniam tranſtulerat Io. XXIII. Patruus tuus ex Germanià ſedem reduxit in Italiam, tu ex Italià reduces in Galliam? nobilemquè nationem tuam iterum repones ſub iugo Gallorum, ut iterum Siciliam uſurpent, & ſedem transferant, vel ipſi ex Gallià commigrent in Italiam. De Perſonà, te ipſum appello, qui toties mortem praelegiſti, quàm electioni aſſentiri Rothomagenſis. Si Papam dicimus, nonnè in faucibus lupi ovem ponimus? Forsàn ex dæmone eſt mutatus in Angelũ; vel tu ex Angelo es mutatus in dæmonẽ? Ibi amor patriæ, ubi deſideriũ recti, & religionis, qui non eſt in homine ſimoniaco, & impudico?* Obmutuit, erubuit non ſinè lacrymis Papienſis: tandem in hæc verba prorupit. *Fidem dedico Æneas, quam ſi violauero, proditor efficiar.* Æneas repoſuit: *Oppidò in hoc diſcrimine exiſtimat in tua eſt, ut Rhotomagenſem prodas, vel Eccleſiam.* Victus tunc Papienſis elegit Rhothomagenſem prodere, quàm Eccleſiam. Interim Cardinalis S. Mariæ Novæ cognità coniuratione Gallorum, conuocatis Cardinalibus Italis apud Ianuenſem uno excepto Columnà, excitauit eos vt poſitis ſimultatibus, Eccleſiam reſpicerent, & Italiam labantem; cui non aliter ſubueniri poſſe, quàm Æneæ electione. Septem, qui ibi adſtabant, Cardinalibus, viſus eſt iuſta ſentire, Aeneà excepto, qui tanto muneri imparem ſe credebat. Scrutinium ingreſſi; cuſtodes ſacri Calicis fuere Ruthenus, Rhutomagenſis, Columna, ne fraus in-

Eligitur Papa.

Cardinalium ambitus.

Intercederet. Accedebat quiſquè cum ſchedulâ, quã ponebat in calice, in quà ita ſcriptum erat manu propria. *Ego .... in Romanum Pontificem eligo Æneam Cardinalẽ Senenſem, & Iacobum Vlixbonenſem:* nam & unum, & duos, & plures eligere permiſſum eſt, tacitâ cooditiooe, vt prior oominatus præferatur. Accedenti Aneæ, vt ſchedulam in Calice poneret, dixit Rothomagenſis timore, & furore bachatus, *Me tibi commendo*: verba tumida, & intempeſtiua; eò enim res erat, vt ſchedulam ſuam Aeneas murare non poſſet. Reſpondit tamen *Quid te commendas*. Publicato ſcrutinio, compertum eſt, nouem Cardinales elegiſſe Aeneam, Ianuenſem, Vrſinum Ilerdenſem, Bononienſem, S. Marci, S. Quatuor Coronatorum, Zamorenſem, Papienſem, & Portugallenſem. Rhotomagenſi ſex fuere vota, reliquis minora. Cardinales omnes admirati ſunt: non erat namquè memoria, in tam paruo numero Cardinalium cuiquam obtigiſſe novem voces per Scrutinium. Cum autem ocmo ſatis votorum haberet, placuit conſedere, & viam *per acceſſum* experiri. Sedebant omnes ſuis in locis taciti, pallidiquè tanquàm à Spiritu Sancto rapti eſſent, præter oculos nullam mouebant corporis partem. Ita cum aliquantiſper manſiſſent, expectantibus inferioribus, vt ſuperiores acceſſum inchoarent. Rodericus Vice Cancellarius aſſurgens, inquit: *Ad Senenſem Cardinalem accedo.* Facto ſilentio, alter alterum intuebatur. Iam prope erat, vt Aeneas Pontifex adoraretur; quod verentes Cardinales Ruthenus, & S. Sixti, loco abierunt, vt illà die creationem eluderent. Sed cum nulli eos ſequerentur, mox rediere. Iacobus verò Cardinalis S. Anaſtaſiæ: *Et ego* (inquit) *Senenſi accedo.* Vna jam Aeneæ tantum vox deerat; quod animadvertens Proſper Columna, eam C ſibi gloriam acquirendam ratus, *Et ego* (inquit) *Senenſi accedo, eumquè Papam facio*. Quo audito Cardinales vniuerſi nihil morati ad pedes Æneæ ſeſe proiecerunt, Pontificem ſalutantes, & rurſus in ſuis locis conſideotes, electionem adprobarunt nullo aduerſante. Impletum in eo vaticiniũ eſt S. Malachiæ, *de Caprà, & Albergo*, quia Cardinalium *Capranici*, & *Albergati* ſecretarius Æneas fuiſſet. Tunc *Beſſarion* Cardin. Nicęnos ſuo & eorum nomine, qui Rhotomagenſi faverant. *Laudamus* (inquit) *Pontifex Max. aſſumptionem tuam, quam ex Deo eſſe non dubitamus: & ſanè dignum te hoc munere & cenſuimus anteà, & nunc cenſemus. Quod autem te non elegimus, adfecit ægritudo tua: nam cum pedibus ægrotares, hoc tantum ſufficientiæ tuæ deeſſe putavimus. Eget enim Eccleſia viro, qui poſſit itineribus corpus exercere, & periculis occurrere, quæ à Turcis formidamus. Tu contra quietis eges.* D *Hoc nos ad Rhotomagenſem traxit: quòd ſi fuiſſes corpore vallidus, nullum tibi præferendum exiſtimaremus. At cum Deo placuerit, & nobis placet. Nos te Pontificem veneramur, & denuò quantum in nobis eſt, eligimus, tibiquè fideliter ſerviemus.* Ad hæc Aeneas; *Exiſtimaſti, ô Nicæne, quantum animadvertimus, de nobis longè meliùs quàm nos ipſi, qui nobis pedum defectum tantummodò attribuiſti. Nos imperfectionem noſtram latiùs vagari non ignoramus: defectuſquè noſtros penè innumerabiles eſſe cognoſcimus, quibus à ſummo reiiciemur pontificio. Merita quæ nos eveherent, nulla ſcimus: hinc delatum non amplecteremur honorem, niſi vocantis iudicium timeremus. Quod enim duæ Collegii partes efficiunt, id profectò à Spiritu Sancto eſt, cui non licet adverſari. Vocationi itaquè obedimus divinæ: ac te Nicæne & reliquos cum quibus ſenſiſti, laudamus. Si conſcientiæ iudicium ſecuti, nos tanquàm inſufficientes, non cenſuiſtis eligendos, eritis omnes accepti nobis, qui vocationem noſtram non iſti, non illi attribuimus, ſed Deo; à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectũ.* Poſitis tunc indumentis albam accepit Chriſti tunicam, ac Pii nomine ſumpto, iuratis quibuſdem capitulis nudiuſtertiùs in collegio editis, in altari poſitus, rurſus à Cardinalibus eſt adoratus, pedes eius, manus, & ora oſculantibus. Publicatâ electione, miniſtri eius cellulam ſpoliauere: eius domum in vrbe plebs non expilauit, diſrupit, marmoribus etiam aſportatis. Vidiſſes non homines tantùm, ſed vrbis ædificia geſtire, vbiquè riſus vbiquè gaudium. Armata ciuitas cum in ſolo ferro videre- B tur habere fiduciam, certior facta de Aeneæ pontificatu, arma depoſuit; adeoquè mutata vrbis facies, vt quæ paulò antè Martis, è veſtigio Pacis ciuitas facta ſit. Corſiniani (opidum eſt octuaginta millibus paſſuum ab vrbe diſtans) quà horà Pontifex electus eſt; oppidani populariter redeuntes ex agris, *Laudomiam Pii* ſororem ſalutatum iere. Vniuerſi Orbis principes miſſis legatis gaudium oſtẽderunt, exceptis Scoto, Dano, Polono, Gallo, Vngaro, Cyprio, qui Imperatoris amicum non libenter audierunt Chriſti vicarium. Bohemus indoluit, vt qui noſceret ſe hæreticum notum eſſe Pontifici. *Gobelinus l. 1; Platina.* Pontifici iam creato ſequens diſtichon miſit Franc. Philelphus.

Populi lætitia.

Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium.

Huius diſtichi ſenſum obſeruans ambiguum (ſola C enim virgula de loco ad locum tranſpoſita laudat vel vituperat) reſcripſit, teſte *Opmeer. Chronogr.*

Quę miſiſti mihi, accepi carmina Vates
Carmina ſi dederis, carmina reddidero.

Philelphi carmina.

Pontifex coronatus ſigillo adſcripſit Pontificio, *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.* Legationis Florentinæ princeps S. Antoninus Pii electionem uerbis deſcripſit ſequentibus. *Dominum Petri vacante ſede, deliberatione maturà, proviſione non ſerà, vocatione divinà, et electione canonicà ad ſummum Pontificii apicem aſſumptus exiſtis.* Quà oratione chronicis ſuis finem impoſuit nec longè ſupervixit: Nam anno obiit 1459. eà ſanctitatis famà, ut Pius ſeptem annos, ſeptemquè quadragenas Indulgentiæ conceſſerit omnibus, qui defuncti manus oſcularentur, antequàm tumulo corpus daretur. *Franc. Caſtellion. apud Leand. lib. 3.*

Symbolũ Pii. Legatio S. Antonini ad Piũ.

D 6. *Theſauros* à Callixto III. congeſtos cum Pio II. aulici oſtentarent, quaſi magnum quippiam, & viſu pulcherrimum, videre noluit dicens: *Auferte hæc: citiùs enim expendemus, quàm alii congeſſerunt.* ut ex Oratione Veneti Legati ad Sixtum IV. Scribit Platina eum *numquàm intereſſe voluiſſe, dum pecunia numeraretur, vel reponeretur.*

Aurum ſpernit.

7. *Ferdinandus* &c. Mortuo Callixto (teſte *Gobelino l. 2.*) Iacobus Piccininus inter duces equitum non ignobilis, qui *Alphonſo*, & *Ferdinando* adversùs *Sigiſmundum Malateſtam* militaverat, hoſtè dimiſſo, Aſſiſium occupat. Arcem hanc uſurpaverat Borgia Cal-

Piccinini tyrannis.

Callixti III. nepos, qui avunculo favente, Spoletino inhiabat ducatui; Pontifice mortuo, cum provincià ad Eccleſiam ſpectante, iure pelleretur, eam parvo auro corruptus Piccinino tradidit, teſte *Simoneta*. Gualdenſes, Nucerini exemplum ſequuti ad *Piccininum* deſecere. Vmbria vix in officio conſtitit; donec electo Pio, intra paucos dies ad officium rediere. Legatis autem *Ferdinandi* nothi Alphonſi Regis Siciliæ (in quem Callixtus poſt mortem Alphonſi, arma parauerat, vt regnum vindicaret Eccleſię deuolutum, & quaſi de triumpho ſecurus Prophetę verbis, *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus*, mortem illudebat Alphonſi) orantibus, ne filium ſperneret amici, nevè ei regnum negaret paternum, reſpondit Pius. *Alphonſum pro ſuà prestanti virtute & dileximus, & admirati ſumus, idquè Ferdinandi rebus admodum conducet, ſi erga Romanam eccleſiam quod ſuum eſt, fecerit.* Interrogatus quid ei faciendum eſſet: *Cenſum* (ait) *Apoſtolica camera debitum à Reginà Ioannà in hunc vſquè diem non ſolutam quotannis exoluet. Pontifici Romano, quotiès auxilium petierit, libenter offeret: Eccleſiarum iura non attinget. Piccininum ex agro Eccleſiæ iubebit excedere, niſi paruerit, armis coget. Sigiſmundo Malateſta eam pacem largietur, quam Pontifex dixerit. Beneuentum eccleſia reſtituet: Terracinam in annos decem ſub cenſu tenebit, exin Romano Præſuli tradet.* Duræ leges Ferdinando viſæ, ſæpequè oratores miſſi, ac remiſſi ſunt qui mētem Pontificis ad pauciora deflecterent. Quibus reſponſum eſt: *Pium mercatorem non eſſe, qui multa petat, vt vel pauca repetat: dixiſſe in primo colloquio, quod in vltimo dicendum erat. Nec Regi conditionem ſperandam fore meliorem, quamuis Pontifex Romà ſit abiturus: aut his legibus regnum obtinendum, aut eo carendum eſſe.* Acquieuit Ferdinandus, cum vna ſemper ſententia Pontificis eſſet. Cardinales (exceptis Gallis) qui licet decretum rationabile crederent, ne ſubſcriberent, impetrauit, Pontifici auſcultarunt. Decanus Carnotenſis Francorum legatus, qui ad Callixtum de rebus Turcarum acturus venerat magnoperè inſtabat, ne regnum Ferdinando concederetur, ducturum id ęgrè Regem ſuum. Advenerat & Maſſilienſis Epiſcopus, homo loquax à *Rhenato* miſſus, qui regnum Domino ſuo aſſeruari petens, ingentibus promiſſis curiam replebat. Audiuit eum ſæpè Pius, & multa promittentem interrogavit: *poſſitnè Rhenatus. Piccininum eccleſię ceruicibus imminentem repellere?* illo negante: *Et quid ergo* (inquit) *expectemus ab eo, ſi nobis petentibus opem nullam valet afferre? nobis in regno neceſſarius eſt, qui & ſua poſſit & noſtra tueri. Vos regno iampridem caruiſtis ac tamdiu carebitis, donec vires adſint, quibus hoſtem nobis indulgentibus, poſſitis eiicere.* Diſſidia augebat noua inter *Pium, & Carolum* Regem Francorum de eccleſià Tornacēſi controuerſia. Petierat *Carolus*, cui Tornacum parebat, Cardinalem præfici Conſtantienſē; ipſius autē precibus poſthabitis Epiſcopum Tullenſem Pius prætulerat, ita rogante *Philippo Duce Burgundiæ*, cuius ditioni maxima pars diœceſis obnoxia erat. Ioannes interim *Rhenati* Regis filius, pellectis in ſuas partes Principe Tarentino, Io: duce Soræ, Nicolao comite Campi Baſſi, Hercule Atestino, ac P[illegible]cemino multarum copiarū duce, occupatis nauibus, quæ in Turcas Auctione ſacro auro armatæ

Defendit contra Gallos.

Contentio cum Gallis pro eccleſià Tornacenſi.

Afuerant viuente Callixto, in Aprutium irrumpere meditabatur. *Pius* cum audiſſet apparatum, renouato fædere cum *Franciſco* Mediolani Duce, Florentiam venit ad *Coſmum Mediceum*. In tenebris factum colloquium: Miranti Coſmo *Ferdinandi* cauſà bellum à Pio in Gallos ſuſceptum Pontifex *haud ferendum* (aiebat) *regem à ſe conſtitutum armis eiici, neque id Italię libertati conducere; Gallos, ſi regnum obtinuiſſent, Senas haud dubiè ſubacturos: Florentinos aduerſùs Lilia nihil acturos: Borſiam Mutinę Ducem Gallis Galliorem videri: Flaminia regulos ad Francos inclinare: Ianuam Francis ſubeſſe, & ciuitatem Aſtenſem; ſi Pontifex Romanus aliquando Francorum amicus aſſumatur, nihil reliqui in Italià remanere, quod nomen effugiat Gallorum: tueri ſe Italiam, dum Ferdinandum tuetur, atque id honeſtatem expoſcere per fœdera, quæ cum Alphonſo inita fuiſſent; non licere ſibi fidem abrumpere ſicut aliis, qui facta pro vtilitate me-* B *tiuntur.* Laudauit Coſmus Pontificis animum. Actum de decimis ac trigeſimis, ne cū tempus adeſſet apparandæ claſſis, pecunia deficeret. Delecti cives cum ad Pontificem veniſſent, negarunt conſenſum populi in hac re eſſe ſperādū; licet Florentini Legati eas Mantuæ promiſiſſent; quia eorū mandata adprobata non fuerant in plenis ciuitatis comitiis. Demiratus Pontifex tantam varietatem, reſpondit: turpe eſſe inualida mittere mādata, turpius illis uti. Fruſtra aurem ne tempus inſumeret, accipiens oblata Senas rediit maximà Senenſium gratulatione, vbi in die Purificationis manu ſuà candelas diſtribuit: & mortuo Archiep. *Franciſcum* ex ſorore nepotem annos natum XXIII. adminiſtratorem ſuffecit. *Federicum Vrbinatem* Guidonis Vrbinatis reguli filium, hominem ingenioſum, ſed vno captum occulo in Piccininum pecunià armauit, & milite. Conuenientibus ergo fœderatis, Alexander Sfortiæ filius ducales copias, Federicus Regias, Ioannes Malauolta Eccleſiaſ- C ticas in Piccininum duxit. In caſtris eccleſiæ octo millia ſtabant pugnatorum. Piccininum vix tria millia ſequebantur. Inter Picenum, Vmbriam, Tuſciam poſitis eccleſiaſticis, iter omne præcludebatur. Omnes tamen Piccininus eluſit, nocte conſcenſis nauibus cum cibariis fluuium tranſmiſit. Sigiſmundus Malateſta, qui in partibus ſe adfuturum eccleſiæ Pontifici ſcripſerat, cum quadringentis armatis viam fecit. Vrbinas cunctando hoſti iter præbuit expeditum, ut bellum procul à domo repelleret. Tanti ducis tranſitus amicos terruit Ferdinandi, præter Pontificem, qui illicò in ſuppetias Ferdinandi, conductis nouis turmis Duce *Simonetto*, qui diu ſtipendia meruerat Florentinorū, iuſſit ipſum & *Malauoltam* in Campaniam traiicere; exercitumquè in Aprutios miſſum ſuis & Mediolanenſium nouis auxit ſupplementis. His audacior factus *Ferdinandus* Rex Siciliæ educto milite, pugnandi copiam hoſti- D bus facit, detrectantibus acrius inſtat, loco pellit, nec vrgere ceſſat, donec omnes intra oppidum Sarni fugientes cōcludit. Id paſſuū triginta millibus Neapoli diſtat. Huc *Rhenatus*, & *Tarentinus* Princeps cū toto exercitu ſeſe receperāt fugiētes; nec dubiū erat, breui vrgente fame, aut ſeſe dederent, aut fugerent. Querulus & importunus Ferdinandi miles ob negata ſtipendia victoriam ſurripuit. Declinātibus turmis, placuit oppidum repentè aggredi, ut

Bellum in Renatum.

Libertatis Italę cupidus

Candelas diſtribuit.

Nepotē creat Archiep Senenſem.

Armat in Piccininū.

eo

eo expugnato, ex hoſtium manubiis exercitui ſatis- fieret. Solus *Simonettus* contradixit, qui hoſtem loco munito non facile dimouendum putabat, meliuſquè fame, quàm ferro vinci. Turrim potiùs oppido propinquam inuaderent, quà captà, impoſſible eſſet hoſti pabulatum exire. Itum eſt in ſententiam *Simonetti*: expugnatà primo impetu turri, creſcentibus animis, victor furenſquè miles, hoſtem inſequutus fugientem portas intrauit; pugnatum eſt intra mænia ſummà contentione, ſed ſtrage Eccleſiaſticà, factà à ducentis Scloppetariis, qui aufugerant à Ferdinãdo; *Simonettus* ſuorũ fugã retinere coactus pilulà percuſſus tormentali, nec locutus è vità deceſſit. Corpus eius ab hoſtibus inuentum *Ioannes Rhenatus* cum omni nobilitate duxit ad tumulum. Cæteri Duces, vel ſaucii vel cæſi. Rex fugà Neapolim ſe proripuit, amiſſis impedimentis. Princeps Salerni defecit ad Gallos, ac Domus S. Seuerini. Neapolim ne irrumperet Rhenatus; Princeps obſtitit Tarenti, qui Marte dubio, regni arbiter habebatur, finito bello victori pariturus. Hęc in Cãpanià. In Aprutiis *Piccininus* victorià cognità, mouit in Ducales, & Apoſtolicos, quibus Sfortia pręerant & Vrbinas. Pugnà ad horam ſecundam noctis productà, Lunà præſtãte lumẽ. Seceſſerunt ambo victores, & victi. Senis auditá victorià, Galli, qui frequentes erant in curià, cæperunt Aragonenſibus inſultare, familiam irridere Pontificis, Italos contumelià, ferro laceſſere. Pręteriit omnia æquo animo Pontifex, tacitè murmurans. *Quid agent, ſi regnum obtinerent Italia? ob chara Italia, non te deſerã, nec derelinquam: licet Veneti ac Florentini æternum tibi præparent iugum diſſidiis ſuis.*

Terracinam recuperat.

Terracinenſes auditá clade Narnienſi, miſſis ad Pontificem legatis opem flagitabant. Terracinam Alphonſus Eugenio IV. ſurripuerat. Pius approbato Ferdinandi regno ita dimiſit, vt poſt duo luſtra, ad eccleſiam rediret; at cum ſnopiè ingenio à Ferdinando deficeret, recuſandam non cenſuit, moxquè ſui corporis cuſtodes (quibus præerat *Pazaglia*) tranſmittens, vt ſe dedentem reciperent ciuitatem. Iam *Balthaſtar Marconis Comes* defectione Terracinæ cognità, collectis repentè copiis montem, qui vrbi ſupereminet, mœnia inuaſurus conſcenderat, exeuntes ad pugnam ciues in fugam conuerterat, cum ſubitò accurrens *Pazaglia* victoriam hoſti præripuit, fugatoquè *Marconio*, Eccleſiæ ciuitatem, civibus vitam, ac fortunas ſeruauit. Id ægrè Ferdinando fuit; nec Mediolanenſium Dux æquo tulit animo, veritus nè regni rebus officeret, maluit tamẽ Pontificis ciuitatem eſſe quàm Gallorum; nequè iniquum putauit Pius deſciſcẽtes à Ferdinando Terracinenſes recipere, cuius pater ab eccleſià deficientes recepiſſet. *Gobelin. l. 4.* Ex horum defectione arguentes Andegauenſes Ferdinãdo Pontificia ſubducenda auxilia, legationem ad Pium Senis ſtantem decreuere, ne ipſis pro iure recuperando vetuſto, aduerſaretur. Reſpondit Pontifex ſe nil aliud bello quęrere, quàm vt violentià ſublatà lis ordine dirimeretur iudiciario: id ſi Rhenatus annueret, ab armis ceſſari poſſe. Tunc vnus ex oratoribus Ioannes Coſſa. *Si Chriſtus nobiſcum eſt, non curamus quò ſe vertat Vicarius eius: vicimus apud Sarnum auctore Chriſto.* Cui Pontifex: *Quamuis vno prælio ſuperiores fuiſtis, non tamen affirmare poteſtis Chriſtum auxilio vobis eſſe, cuius occulta iudicia ſunt. At Chriſti Vicariũ veſtris aduerſari conatibus, & ſenſiſtis hactenùs, & ſentietis deinceps magis. Ita Legati infectis rebus abierunt.*

Conuiuium petitur à Gallis.

Tumultus Romani.

Romæ interim alia calamitas, quia raro ſola. Rectoribus (abſente Pontifice) cum ad corripienda facinora non ſatis animi eſſet, iuuenes feroces tercẽti circiter, cædibus, rapinis, Virginum raptu ciuitatem miſcebant. Eò creuit audacia, vt fractis valuis monaſterii S. Agnetis ad portam Salariam, poſt vim illatã virginibus Sacris, etiam diripuerint ſuppellectilem. Pontifex vt vrbẽ ſeruaret, reditum intra dies indixit viginti. Quod vbi Romæ auditum, tanta exultatio facta eſt, ac ſi vrbs hoſte liberata fuiſſet acerrimo. Reditum etiam urgebat coniuratio Principis Tarentini, cum Columnenſibus, Sabello, & Piccinino aduerſùs Pontificem, vt vrbem diriperent, Cardinales mulctarẽt, nepotes Pontificis occiderent, & in premium facinoris, vrbis ſpolia militi diſtribuerent.

Coniuratio in Papam

Pius itaquè accepto à *Ferdinando* in Etrurià Leonis caſtro, quod Lyeitanus natione Hiſpanus vendiderat Plumbini tyranno, quarto Idus Septemb. An. 1459. Senis diſcedens, Vrbem Veterem venit, ubi de finibus ferro certantes Vulſinenſes & Vrbevetani, cum mænibus appropinquare vidère Pontificem, miſſis legatis dixerunt: *Ex hoc loco Romanus olim præſul urbe noſtrà pulſus populo noſtro maledixit; ex tunc ſeditionibus agitati nunquàm reſpiravimus: Divina hęc ultio in hanc urbem, quæ nulli per Thuſciam invidebat. Apoſtolicam ſententiæ anathema, benedic ciuitati, & aufer indignationem, redibit cum benedictione tuà favor divinus.* Annuit *Pius*, & ſigno crucis ſuper ciuitatem facto, magnà populi alacritate urbem ingreſſus, triduò pernoctavit; inde Vituruium progreſſus nuncium accepit, *Piccininum cum infeſtis exercitibus, occupato comitatu Tagliacotii, urbi appropinquare,* Columnenſes, Sabellos, Euerſum *et fœderatos; Romanam iuventutem nova moliri; eccleſia militem nondùm aduentaſſe; Rheatinos, Tibertes, & in Campanià plures ciuitates cum Piccinino ſentire, nec dubiam quin breui Romà potiatur.* His auditis, Cardinalium una vox fuit; *ad urbẽ minimè feſtinandam Viturnii, aut Vrbeueteri, donec adſit exercitus, qui Piccininum propulſet; Iſte ſi Latiũ occupet et Sabinos; Euerſus Trãſtyberina poſſideat, Pontificẽ Roma clauſũ iri: Romanos amiſſis pecoribus in eũ conſpiraturos, undiq. fuga præcluſà. In mole Hadriani quærenda ſalus, et ibi tandem facienda deditio, quæ morte deterior. Quod ſi rerum exitus apud Viturnium expectetur, aut cum victorià reditus patebit in urbem, aut ſi vicerit hoſtis, ſaluari apud Senenſes curia poterit.* Afferebant Eugenii exemplum, quem ob animalia perdita, Romani in cuſtodiam recepiſſent: & Nicolao paratas inſidias; Romanos in aduerſis apertè rebellare, in ſecundis inſoleſcere; Pontificem armis nõ ſtipatum apud eos non eſſe ſecurum. Ad hæc Pius. *Omnes (inquit) in hoc loco manendũ ſuadetis, nos eundũ putamus: niſi priùs urbem, quàm Piccininus ingredimur, debellatum eſt regnum, nec ſcimus, an diebus noſtris Roma recuperari poſſit. Eugenius, qui eam perdidit, novem annis per aliena erravit hoſpitia: & quę gloria Pontifici Max. perditâ Romà, eſſe poteſt? At Piccininus circumiacentes occupat agros, & Tranſtyberina Everſus: fatemur. Sed nos eius fines evitabimus, nec ſuas vereri oportet inſidias. Poſſumus in urbe claudi, & occidi, non negamus: ſed ubi honeſtiùs, quàm Romæ*

Pontifex moritur Romanus? ubi dignius quàm in Vaticano ſepelitur? Nos Deum adiutorem piæ cauſæ futurum confidimus. Quod ſi occulto iudicio decretum eſt, nos in manus hoſtiles incidere, aut impio cadere ferro, non recuſamus. Prò Romà, et Roma mori glorioſum eſt, effugere miſerum: Eamus. Exhinc horam circiter vigeſimam, Pius mediam per urbem iter facit, quamuis occultam extra mœnia viam tenendam nonnulli cenſerent. Per montem Cimini Nepeſum venit, inde Romam per Formellum. Et quia cæna præterita ſterilior fuerat, iuſſit medià in vià prandium parari apud fontem. Occurrere interim Gubernator, Senator Vrbis cum nobilibus, qui omnes menſà excepti Pontificis. Ad ſextum lapidem occurrerunt Conſervatores primoribus aſſociati civibus cum pedeſtri iuuentute, quæ humeris lecticam ſubiret Pōtificis. Erant ii iuuenes, magna eorum pars, qui novis rebus ſtuduerant, furentis comites Tiburtii. Hinc ſuadebant amici, ne ſceleratæ ſe crederet iuuentuti, portandum potiùs ſuæ cohorti committeret. Riſit conſilium Pontifex, iubenſq. Romanos accedere, ac ſellam ſubire. *Super aſpidem* (inquit) *et baſiliſcum ambulabis, et conculcabis leonem, et draconem.* Nec ſeſellit opinio Pontificem: ſubiere cupidiſſimi iuuenes ſellā eius uſquè ad portam Flaminiam. In monaſterio B. Mariæ intra pernoctauit, die ſequenti (ideſt Nonis Octobris) quaſi triumphans per mediam vrbem, miro populi plauſu, ornatis viis ad S. Petrum peruenit, vbi laniatum eſt pallium, quod ferebatur ſupra caput Pontificis. *Piccininus*, qui in agrum Rheatinum infeſtus irruperat, Monte Leonis ideſt Vrſinorum oppido occupato, miſſis peditum equitumquè turmis ad *Iacobum Sabellum* Duce *Sylveſtro Placentino, & Deiphebo Everſi* filio cum genero *Antonello*, Monticellum vrbi incoluere vicinū. Cardinalem *Theanenſem*, *Sfortiā*, *Vrbinatem*, ex Aprutio *Piccinini* inſequentes veſtigia, cum *Piccininus* adeſſe intellexit vltrò progredi non eſt auſus. *Sabello* mandauit Pontifex Braccianos dimitere. Verba is cum daret, & ſemper falleret, hoſtis eſt declaratus Eccleſiæ. Tiburtius qui ſe cum Bonano, & coniuratis in vrbem proripuerat, vt ferocem iuuētutem excitaret, detectus & captus laqueo vitam finiit. Oppidum Donidei, quod *Piccininus* occupauerat, *Antoninus Piccolomineus* nepos Pontificis poſt longam oppugnationem in deditionem accepit. Sfortia & Vrbinas in Die Dominicæ Natiuitatis Romam venere, ac Pontifici cum Cardinalibus combibenti miniſtrarunt. Paucos poſt dies in Conſiſtorio *Andreas Bentius* aduocatus Fiſci longà declamatione *Sigiſmundi Malateſta* ſcelera deteſtatus iſterit, vt in vindictam Pontifex aſſurgeret, audiretquè ſupplicum voces, qui acerbiſſimum tyranni iugum ultra ſuſtinere haud poſſent. Andreæ verba cum omnes probarent; dies dictus eſt *Sigiſmundo*. Antonius verò nepos Pontificis 1500. inſtructus equitibus, peditibus 800. miſſus in ſuppetias Ferdinandi, arces ferè omnes expugnauit, quas occupauerant Galli, Beneventum *Ferdinandus* Pio reſtituit inuitus, cum alter regni conceſſionem obtinere non poſſet. Vrgebant interim æſtatis caumata; Tybur ſecedere meditanti Pontifici obſtabant Cardinales, quòd Tyburtini cum *Piccinino* conſpirarent. *Pius* verè volens mutat ſic vulgus iuſtitià, &

Anathema in Malateſtam.

Beneventum recuperat. Sal. An. 1460.

clementià conciliare hoſtibus ſe credere minimè dubitauit. In itinere plura cum *Federico Vrbinate* diſſeruit de Bello Tenſano. De Aſiæ finibus, cum diſcreparent, Pontifex apud Tybures ociū nactus, Aſiā ex veteribus deſcripſit auctoribus. Tyburtini ad ſecundum milliarium cum ramis excepère oliuarum. Factionum capita lecticam ſubiere; Audaciores exilium; quorum bona proſcripta ſunt, reliquis omnibus venià datà. Exin concione vocatà civium, errata populi, ſtulta conſilia, & quo in diſcrimine fuiſſet civitas aperuit. Poſtremò vt arcem conſerui æquo animo paterentur, ſuaſit, quòd facile obtinuit, cum viri boni ad compeſcendos temerarios arcem agnoſcerent neceſſariam. De hac arce accipe Campani epigramma.

Eius labores literarii.

Tyburtum domat.

De Tyburtinà, quam nunc Pius erigit arce,
Quid vulgus tota ſentiat urbe, rogas?
Eſſe per Pium mitem, nec tam puniſſe nocentes,
Quàm nè quid noceat conſuluiſſe ferunt.
Cumque ſit ingenio princeps mitiſſimus, aiunt,
Argolici gratam Tyburis eſſe fidem.
Nil igitur doleas Tybur, ſi clauderis arce,
Non Pius hoc, ſed tu ſurgere cœpit opus.
At tu ſi quæreris, ſcimus qua cauſa querela
Aeneas Phryx eſt, Tybur es Argolicum.

Portam etiam adornauit marmoream, in quà carmina inſcripſit ſequentia:

Grata bonis, inuiſa malis, inimica ſuperbis
Sum tibi, Tybur enim ſic Pius inſtituit.

Opus quamuis multi laboris, & magni ſumptus, vno anno abſolutum eſt. Nec minoris vtilitatis iudicata eſt arx Pia in Tybure, quàm moles Hadriani in vrbe, quando & Tibur alterum cenſetur Romæ munimentum. Ferdinandus interim in Apuliam profectus vaſtatis Troiæ, ac Luceriæ agris in montana S. Angeli duxit exercitum, & expugnavit. Stat ibi ditiſſimum templum Archangelo Michaeli dicatum, quod ſuo magno malo compilauit. Non ſunt impunita Sacrilegia: odère Superi rerum ſuarum raptores. Tranſit ad poſteros Diuinitatis pœna contemptæ. Pius cum accepiſſet nobile templum direptum, Ferdinandum gravioribus increpavit edictis. Invitū ille ſe recepiſſe Sacra dona reſpondit; legem cedere neceſſitati: exercitum propter inopiam rebellaturū non niſi Sacro ſpolio potuiſſe placari; verùm non abſtuliſſe ſe aurum Deo, mutuum accepiſſe, redditurum cum uſuris, ſi regni victor evaſerit. Hoc voto minimè placatos Superos cædes oſtendit per Malateſtam copiis illata Pontificiis, in Piceno, Cornetano caſtris expulſo, impedimentis amiſſis, exercitum cæſus eſt vel fugatus. Animo tamen non defecit Pius; reparato militi *Neapolionem* Vrſinæ gentis principem cum *Iacobo* Ep. Vintimilienſi præpoſuit, quem ubi adeſſe cognovit *Malateſta*, qui exercitum ſinè Duce ſpernebat, retroceſſit. *Pius* cum rediſſet in vrbem *Mariam* Regis Ferdinandi filiam *Antonio Piccolomineo* nepoti ſuo vxorem conciliauit, dotiſq. nomine Ducatum accepit Amalphitanum, cum Iuſtitiæ magiſterio, quod inter ſeptem regni officia præcipuum cenſent. Poſt hæc acceſſito Conſiſtorio, Cardinalem S. Petri ad vincula, quæ de *Sigiſmundo Malateſta* invenerit, referre iubet. Is cauſæ documētis inſpectis conſtare aſſerit. *Sigiſmundum hæreticum eſſe, qui mortuorum inficietur reſurrectionem, nec de*

Rædificat.

Ferdinandum increpat ob ſpoliata templa.

Neptem regis, Ferdinandi dat nepoti.

tre-

Malateſtæ damnatio, exuſtio.

regno quicquam ſperet futuro. Homicidia deinde ſtupra adulteria, ſacrilegia, proditiones, atrociſſima ſcelera eſſe probata. Interrogati Cardinales cuncti damnandum cenſent. Fit publicè iudicium, privatur reus, dignitate, pænisque ſubiicitur, quas in hæreticos leges ſtatuunt humanæ. Eius imago pro gradibus Baſilicæ S. Petri ſub inſciptione (*Sigiſmundus hic ego ſum Malateſta, filius Pandulphi, Rex proditorum, Deo atque hominibus infeſtus, ſacri cenſurâ ſenatus igni damnatus*) crematur. His breui ſperabatur pax; cum Atrebantenſis Epiſcopus (quem inter Cardinales Pontifex aſſumpſerat) expoſito Regis Francorum *Ludovici* animo de regno Siculo *Andegavenſi* aſſerendo, cui Rex filiam deſponderat, denuò cuncta turbavit. Afferebantur & Interamnenſis Epiſcopi literæ, qui ex Angliâ in Galliam ſe ad novum Regem contulerat, quibus *Pium* certiorem faciebat, non aliter poſſe Regi ſatisfieri, *Pragmaticam* aboleret, auxilia revocando, quæ miſſa erant *Ferdinando*. B

Pii conſtantia.

Huic à Tarentino Principe poſſeſſa relinqui poſſe, & ne regni titulum amitteret, Sardiniam a duci: *Antonio* Pontificis nepoti Calabriæ partem donari. Sic Pragmaticam morituram: alioquin Regem cum Venetis initurum fœdera; per Sabaudiam in Mediolanenſem ingentes miſſurum copias; *Pium* ſolum ſub tanto pondere moriturum. Hæc cum audiſſet Franciſcus Dux Mediol. nutabat incõſtans. *Pius* ex adverſo contemnendum Interamnenſẽ Epiſcopum cenſens, qui ſe ultrò ingeſiſſet ad res ſibi non commiſſas, expectandos duxit Ludovici legatos, neque fugiendum hoſte non viſo. *Ludovicus* paulò poſt Oratores ad pontificem ire juſſit *Conſtantienſem, & Atrebatenſem* Cardinales, ipſos ſequẽtibus Epiſcopis *Andegauenſi*, & *Sanctonenſi* cum Abbatibus, & Proceribus, quorum princeps fuit Petrus Comes Caluimontis.

Legatio Gallica.

Pontificis poſtquam exoſculati ſunt pedes literas reddidere, à tergo Cardinalium è regione Pontificis ſortiti locum, atquè ibi ſtantes iuſſi, quę dicere vellent. C Atrebatenſis de regni gloriâ, de Gallorum viribus, de Ludovici virtute, de Sanctione pragmaticâ longam habuit orationem, publicaq. exhibuit documenta, quibus conſtabat Pragmaticam abrogaſſe, ac obedientiam *Pio* tanquàm Chriſti vicario integram reſtituiſſe. Turcarum congeſtâ memoriâ obtulit equitum 40. millia, peditum triginta ad redimendam Syriam, ſi Sicilia Andegavenſi pareat, & Ianua Gallicum ſubeat imperium. Multa circa hæc magnificè locutus ampulloſa miſcens verba, & veris aperta miſcens mendacia. Laudauit *Pius* Regis pium animum, regni Franci originem expoſuit, & Regum glorioſa geſta. Multa de *Ludouici* virtute, & de pragmaticâ Sanctione loquutus, quæ inter eius orationes ſcripta leguntur. Hac finitâ, *Atrebatenſem* ad ſe accedere iuſſit, eiuſquè capiti pileum rubrum impoſuit, & inter D Cardinales ſedere mandauit. Factâ poſtea per Gallos de Siciliâ longâ querelâ, eam olim à Pontificibus propter obſequia recepta, domui Franciæ datam, multo ſanguine quęſitam: Aragonenſes violenter intraſſe: Apoſtolicam ſedem, nõ tam Hiſpanis quàm Gallis obnoxiam, indignè agere ſi illos præferat: auxilia Ferdinando iniuſtè miſſa, revocanda. Ludovicum non indigna petere, qui Pragmaticam abſtulerit, & adversùs Turcas exercitum obtulerit tàm validum. *Pontifex enim de meritis Francorum erga Romanam eccleſiam nihil ſe demere proteſtatus eſſet, nec de regni iure velle differere, cuius eſſet certiſſimus iudex, ſubiecit: Ferdinandum hæredem patris ex decreto ſenatus fuiſſe in poſſeſſione confirmatum, cum Mantuæ conuentus ageretur, tuenda religionis causâ. Andegauenſem inconſulto Pontifice ſacram claſſem in Turcas paratam ære collectitio Chriſtianorum, in Campaniam eduxiſſe, Ferdinandum magnâ ex regni deieciſſe parte: decuiſſe Pium ſuppetias mittere, ne oppreſſus causâ expelleretur incognitâ. Non ſe Francis Aragonenſes, ſed æquitatem præferre. Subtracturum non rogatum auxilia de regno, ſi ceſſantibus armis, res ad iudicium redigatur. Sed cum tantoperè parua præſulis auxilia de regno auocari petantur, ſi armatorum ſeptuaginta millia facile Regi eſt in Turcas educere? Inſtruantur copiæ, omnes cedimus ei.* Multa in hunc modum hinc indè iactata. Tandem ſuper inducijs, ita conceptum: ut illis durantibus, aut iudicio, aut amicabili tractatu lis ſopiretur. B Andegauenſis & Sanctonenſis Epiſcopi ſimulatâ eſratorum pœnitentiâ etiam cum lacrymis, gratiis onuſti in patriam redicre, ſed ingrati Regi renuntiantes *Pium* bellum Siculum ardentiùs inſtruere, cum abrogatam accepiſſet Pragmaticam. Hinc *Ludouicus* ſuccenſus ſequentem Pio dictauit epiſtolam:

Simultas Pii cũ Gallo.

Ludovicus Rex Franciæ Pio Pontifici ſalutem. Exiſtimaui pietatem tuam Maxime Pontifex beneficiis vincere: abrogaui Pragmaticam ſanctionem, obedientiam liberam ad te miſi, auxilia in Turcas obtuli, concilium & res nouas aduerſus ſedem Apoſtolicam petentibus darè negaui. His officiis perſuaſum erat, ſi non fieres mitior, at certè duriorem minimè fieri: contra euenit: Andegauenſem, qui ſanguis meus eſt, nunc potiſſimum regno conaris eiicere. Quid agam, ſi nequeo benefaciẽdo inquietum ſpiritum mitigare? experiar ne vicem contrariam? non faciam, non fert animus Chriſti vicarium perſequi, tenebo C *captum iter & ſi nemo meorũ eſt, qui non aliter conſulat: fortaſſe pœnitebit te aliquando ſuſcepti odii, & noſtro generi fies amicus, & aſſiduo tandem vinceris obſequio. Vale.* Tolerabilia hæc. Duriora legatus attulit Mareſcallus Toloſanus, qui Cardinalium Gallorum etiam receſſum intimauit. Cui *Pius cum omnia facile* confutaſſet, de Cardinalium receſſu ita reſpondit: *Gallis libertas eſto cum velint ex curiâ recedere, nulli claudentur porta. Nos ſortem, quam Deus tulerit, expectabimus.* Ea cum accepiſſet *Atrebatenſis*, ſuperſedendum ait, uſquè ad noua Regis mandata. *Ludouicus* enim etſi publicè Mareſcallo de reuocandis curialibus mandatum dederat: clam tamen, ne id fieret, imperauerat: terrifica verba voluerat, non facta. Hoc An. (qui fuit Sal. 1462.) *Andegauenſis* gemina clade percuſſus toto ferè excidit regno Neapolitano; unde & *Tarentinus* Princeps cum multis proceribus ab eo ad *Ferdinandum* defecerunt. Idem præſtitit D *Piccininus* bellator optimus. Hinc Ludouicus amarioribus literis agens, quaſi ſacerdote ſuperior improperabat. *Vexare illum Siciliam bello, ſuis conſanguineis hoſtem eſſe, nec pacem velle, nec inducias, Eccleſiam Moguntinam diris ſubieciſſe calamitatibus Comitem Rheni Palatinum, Ducem Auſtriæ Sigiſmundum edictis urgere durioribus, regem Bohemiæ hæreticum compellare, nullum ſinere quiete frui: facturum meliùs, ſi paci Chriſtianorum ſtudens, in Turcas conſilia verteret, peteret ut Cardinales de mente Pon-*

Andegauenſis regno pellitur.

ti-

teſtis ſibi quomyrimum reſponderent. Recitatæ ſunt literæ in conſiſtorio ſecreto. Cardinales ſcripta Regis magnoperè admirati, aut parum ei ineſſe conſilii, aut aliter ſcriptum eſſe, quàm ipſe præcepiſſet. Solus autem nè error eſſet; tria edidit decreta. I. quo ſe iudicem declaravit omnium litium, quę ſuper Regaliis oriri contingeret. *Regaliam* vocant Galli *ius quoddam à Francorum Regibus uſurpatum oripiendi redditus eccleſiarum cathedralium vacantium, ac beneficia conferendi, donec nouus Epiſcopus inueſtituram acceperit*. II. Sanciuit *præſides Parlamenti, ſuoſquè miniſtros in cauſis etiam beneficialibus gaudere illis priuilegiis, quæ Schola Pariſienſi donaſſe Pontifex perhibetur*. III. *Iudicium ſuper poſſeſſorio cuiuſquè beneficii eccleſiaſtici ſuum eſſe conſtituit, nec cuiquam licere in regno ſuo præter ſe ad id manus extendere*. Religioſus ſi quis Pragmaticà ſublatà vſus; huiuſcemodi nunc decretorum editione ſacrilegus. *Pius* irrato Regi literis reſpondere ducens inutile, duos miſit legatos Rotæ iudicio claros, Epiſcopum Feltrenſem, & Archid. Bononienſem, datà facultate paciſcendi quinquennales inducias, ſi in Turcas arma ſumere animus Regi eſſet. Omnia hęc ſupervacua; ad rebellionem inclinatus Rex Io: Cęſarinum legatum Apoſtolicum in Britannià proficiſcentem comprehendere, & Scripturas auferre auſu præſumpſit temerario: neque his contentus *Alanno* Cardinali Auinionenſi (qui cauſa fuerat legationis) fructus beneficiorum omnium ademit; duos eius nepotes Epiſcopali dignitate præditos quamuis innocentes pari pęnà coercuit. Crimini dabat Cęſarini miſsionem, quoniam de Feudo iudicaturus iret in Britanniam inter Epiſcopum Nanetenſem, & gentis Ducem, quos ſuos eſſe ſubditos aiebat, ſibiquè iudicium feudi pertinere, non Papę. Vox tyrannica & mendax. Neque dux, neque Epiſcopus regis Francię ſe ſubditum confitetur, quamuis vtrerquè potentiam magni Regis vereatur. Sicut *Ludouicus* in regno ſuo Imperatorem ſe dicit: ita ſe regem Dux in ſuo principatu. Epiſcopus verò Nanetenſis priùs fundatam ſuam dicit Eccleſiam cum regalibus ſuis, ideſt temporali dominio, quàm regnum Franciæ conſtitueretur, in quo regnat Ludouicus. Quis itaque Papam iudicem negabit legitimum? Sed quis iſta Regi ſuadeat, cui pro lege cupiditas? Quę omnia ex *Gobellino in Commentar. Pii II.*

Regalia quid?

Gallus iura uſurpat eccleſię.

8. *Pragmatico Gallorum Sanctio*, ideſt lex de cauſis Eccleſiaſticis. *Pragma* enim gręcè, latinè cauſam ſonat. Eius origo ex Concilio Baſileenſi, in quo auctoritate Epiſcopali non Abbatibus tantùm ſed prępoſitis, prioribus, canonicis, ſimplicibus Preſbyteris & monachis communicatà, multa illic decreta præter bonum & æquum ad eneruandam eminentiam ſedis Romanę, ſicut in multitudine conſueuit, quæ ſemper inimica principi popularem aſſerit libertatem. Aderant ex Gallià, Germanià multi inferioris gradus Eccleſiaſtici, qui cum non potuiſſent culpà ſuà creſcere in curià Romanà, eò ſe contulerant. Aderant Epiſcopi propter ſcelera eiecti ſedibus ſuis. Tunc de conciliis per decennium celebrandis ſtatutum, quibus Pręſul eſſet ſubiectus Romanus. De numero Cardinalium, de Annatis, Appellationibus ſinè recurſu ad ſedem Apoſtolicam: in quibus decretum appoſitum *irritans*, ſi quid aduersùs ea Pontifex attentaret. Ea cum acceplſſent Galli, apud Bituriges conuenere, ea colligentes quæ vel Conſtantiæ, vel Baſileæ in Apoſtolicam ſedem fuere ſancita, addentes, diminuentes, declarantes quę ambitus exoptabat, vel odium exigebat. Anno 1438. Codicem ſuum Regi Carolo obtulere adprobandum, *qui gratia oblitus diuinæ conſtitutiones oprobauit iniquas*, & Pragmaticam *dixit. Ad hanc abrogandam plures in Franciam ab Eugenio, Nicolao, Callixto miſſi legati, ſed nihil profecerunt. Ob hanc legem Galliarum Prælati, qui liberos ſe arbitrabantur futuros, in ſeruitutem maximam redacti, & quaſi laicorum mancipia facti, coacti ſunt in Parlamento Franciæ de ſingulis cauſis reſpondere: beneficia regis, vel potentum arbitrio conferre, minores annis, indoctos, monſtruoſos, inceſtuoſos ad ſacerdotia promouere. Si quos pro malefactis damnaſſent, his pœnam remittere, excommunicatos abſquè ſatisfactione abſoluere: nullà cenſurarum apud eos facultate remanente. De cauſis Epiſcopalibus, metropoliticis Eccleſiis, de matrimonio, de hæreſi in parlamento cognouerunt, adeoquè debachata eſt laicorum temeritas in Gallià, ut ſacratiſſimum Chriſti corpus in pompà, ut ſæpè accidit pro veneratione plebium, aut ad ægrotos pro viatico delatum, ſub potenti manu regià ſiſtere iuberetur; Epiſcopi, Prælati ad publicos carceres raperentur. Eccleſiaſtica prædia, bonoquè omnia clericorum leuibus de cauſis, ex decreto iudicis ſęcularis arreſtata paterent laicis, & plures impietates, ſacrilegia, hæreſes, & ineptias pragmatica ſanctio peperit, quæ ab ingrato rege aut iuſſa fuerunt, aut permiſſa.* Gobelinus *l. 6. in Comentar. Pii 2.* Correcta hæc tandem & extirpata ſub *Ludouico* Anno 1461. intercedente *Pio. II.* quorum cum nuntium accepit, non potuit præ gaudio lacrymas continere. Creauerat Pius vt gratiam Regis mereretur, duos Cardinales Gallos *Atrebatenſem*, & *Lebretum*, vt integrum eſſet Regi gaudium, qui pro religione ſuà duos obtinuiſſet Cardinales. Miſit etiam ei enſem ſacrà Dominicæ Natiuitatis nocte ſacratum, vaginà incluſum ornatà gemmis & auro, his verſibus inſcriptum.

Pragmatica Gallorũ abrogatur.

Gallum Regem Pacis beneficiis cumulat.

Exerat in Turcas me Ludouice furentes
Dextera: Graiorum Sanguinis vltor ero.
Corruet imperium Maumethis, & inclito rurſus
Gallorum virtus, te petet aſtra Duce.

Gobellinus. *l. 7. Comment. Pii. 2.*

9. *In Turcas, &c.* Aſia, & Africa iam tota erroribus inquinata Maumethis, cum Turcis ſeruiret, qui Germaniæ ingruentes, Italiam ipſam terrore miſcebant; Pius eos vincere, non huius, aut illius regni, ſed totius Chriſtianæ Reipublicę opus credens *concilium Principum conuocare decreuit, in quo de communi ſalute ageret: ſed vbi concilium habendum eſſet* (teſte Gobelino l. 2.) *in conſultationem venit. Alii Romæ, alii trans Alpes: Pio nil horum placuit: nequè enim ex honeſtate arbitrabatur, Reges tranſalpinos Romam vocare; nequè trans alpes vtile putabat, ob valetudinem eò pergere Pontifex prohiberetur. Antiquius viſum eſt locum eligere mediũ inter Papã & Reges. Duo nominata ſunt Vtinum Venetis ſubiectum in Foro Iulii, & Mantua in Gallià Ciſalpinà, vt ſi alter negaretur, alter præſto eſſet. Verebatur, ne Veneti Turcarum arma timentes Vtinum clauderent: hac de cauſa Mantua electa eſt. Diu res agitata cum Cardinalibus, quorum*

Bellum decernit in Turcas

rum etſi multi adverſarentur, quibus otium placebat in urbe: vicit tamen Præſulis conſtantia. Vocatis in Sacrarium palatii Epiſcopis, oratoribus Regum, ac omnibus quibus curia creditur, Pontifex propoſitum publicavit. Durum ſibi eſſe Romam relinquere; ſed durius ſe Pontifice ſanctum expugnari Evangelium, pro cuius tutelâ non urbem ſolùm, & Petri patrimonium, ſed corpus & vitam ponere ſtatuerit: idcircò quamvis ſenex & ægrotus, tamen Apennini iuga & Padi fluenta tranſire præoptaverit, ut cum potentatibus Chriſtianis de ſalute conſulat religionis. Laudauerunt omnes animum eius. Romani audito decreto, cum ſe priuandos curiæ fructibus aduerterunt, murmurabant Mantuanum fingi conuentum, vt in itinere Senis moraretur, ad ditandam patriam Pontificis. Deſperavere omnes de reditu, Pontificem morbis, & ætate gravem reſpicientes. Hinc clamor in vrbe, blaſphemabant pueri, viri maledicebant, ſenes Pontificem adibant iter renuntiantes difficile, periculoſum, nondùm Siciliæ rebus compoſitis. Pontifex ſpreto clamore populi, XIII. Kal. Feb. ex Vaticano intempeſtâ nocte ad S. Mariam Maiorem, inde ſequenti die lacrymanti populo benedixit, poſtridie per portam Flaminiam ad pontem Miluium deſcendit, ſequentibus Cardinalibus, ac optimatibus Vrbis, & plebe. Dimiſſo populo, ſex Cardinales delecti, qui Pontifici ſervirent iter agenti. *Gobelinus l. 2.* Florentiâ tranſiens, ubique honorificentiſſimè acceptus, Mantuam venit VI. Kal. Iunii. Populi frequentes aderant: & Blanca Mediolanenſium princeps adſuit, Philippi Mariæ quondam Ducis filia, tunc Franciſci Sfortiæ coniux magni animi, & ſingularis prudentiæ mulier, & cum eâ nobiliſſima proles, mares quatuor, & deſponſata filio Siciliæ Regis puella *Hyppolyta* nomine, vultu moribuſquè præſtans, multæ inſuper virgines & matronæ nobiles & illuſtrium virorum comitatus. *Blanca* in ſuggeſtu Eccleſiæ maioris & Barbara ſimul Pontificis aduentum expectauere. Ingredienti Pontifici præceſſerunt ſeruitia curiæ, & Cardinalium miniſtri tum minoris ordinis curiales: exin equi candidi abſquè ſeſſoribus duodecim frenis, ſelliſquè aureis ornati: tum vexilla tria, in primo ſignum crucis reſplenduit, in altero clauium Eccleſiæ, in tertio quinque lunarum, quod eſt Piccolomineorum inſigne: eaquè viri nobiles armis tecti, & phaleratis inſedentes equis portauere: mox vmbella ſecuta eſt rubro, & croceo colore diſtincta; proximi ſacerdotes vrbis diuiti apparatu ſacra ferebant: poſt hos Regum, & Principum legati: tum crucem auream commitantes Subdiaconi Apoſtolici, Auditores palatii, Scriniarii, & aduocati; his arcula iungebatur aurea equo albo vecta, & multis luminaribus circundata, in qua condita ſacrata Saluatoris hoſtia, & ſiriceum deſuper vmbraculum: huic proximi Galeatius Mediolanenſis, & Ludouicus Marchio. Poſt eos Cardinales, tum ipſe Pontifex ſellâ ſedens ſublimi, ſacerdotali paludamento, & onuſtâ diuitibus gemmis mitrâ fulgens, nobiliũ procerũ portatus humeris, populo incedebat benedicẽs. Iuxta eum cubicularii, & corporis cuſtodes, Epiſcopi, Notarii, Abbates & ingens prælatorum turba Pontificem ſequebantur. A portâ urbis uſquè ad Eccleſiam cathedralem nihil non tectum pannis fuit, parietes undiquè & floribus & aulæis ornati. Mulieres, puellæ tecti, feneſtras compleverant: nec tamen preſſura defuit, cunctis aditibus populo occupatis. Altaria incenſo, thure fumabant: ubiquè vox *Pio vita et victoria*. In Eccleſiâ ſupplicationibus Deo ſactis, hymno decantato, annuntiatâ adſtantibus peccatorum remiſſione palatium petiit. Poſtridiè Blanca & Barbara Pontificem viſitarunt, exoſculatiſquè ſacris pedibus ſpirituales impetravere gratias. *Hippolyta* Blancæ filia latinè coram Pontifice oravit eâ elegantiâ, ut omnes admirarentur adſtantes. *Gobelin. l.* 2. Kalendis Iuniis, re peractâ diuinâ initium dedit conuentui. Tum Coronenſis Epiſcopus vir doctrinâ & honeſtate inſignis cauſam expoſuit. Pius ex ſolio & ipſe ita fatus.

Mantuā Pius venit.

Ordo ingreſſus.

Speravimus fratres ac filii hanc vrbem adeuntes frequentes qui præceſſiſſent, regum invenire legatos: pauci adeunt, ut videmus, decepti ſumus. Non eſt religionis cura apud Chriſtianos, quantam credidimus: Conventionis diem longiſſimam ſtatuimus: nemo temporis breuitatem, vel viarum incomoda accuſet. Nos ægritudine laborantes, & affecti ſenio Apenninum & hiemem contempſimus: nec nos alma Roma remorari potuit, quamuis medios inter latrones conſtituta noſtram præſentiam magnoperè deſideraret: reliquimus Eccleſiæ patrimonium non ſinè periculo, ne Turcarum augeatur potentia qui iam Græciam, & Illyricum obtinent, in Pannoniâ graſſantur & Vngarorum fidelem gentem multis cladibus afficiunt. Verebamur, quod futurum eſt, niſi ſapimus devictis Vngaris, et Germanos et Italos et omnem prorsùs Europam ſubactam iri. Cogitavimus hoc malum avertere: indicto conventu: vocavimus principes, vt communi conſilio rem Chriſtianam tueremur; venimus ſpe pleni, quam vanam fuiſſe dolemus. Pudet nos tantam eſſe Chriſtianorum negligentiam; alii deliciis indulgent; alios avaritia retinet. Turca pro ſuâ damnatiſſimâ ſectâ mortem non recuſant: nos pro ſancto Chriſti Evangelio nec ſumptus ſubire, nec labores perferre vel minimos poſſumus: ſi ſic pergimus, actum de nobis: peribimus breui, niſi ſpiritus alios aſſumimus. Hortamur vos viri religioſi, ut orationibus aſſiduis Deum precemini, aliam mentem præbeat regibus Chriſtianis corda fidelium incendant: Vigilate fratres, orate, ieiunate, eleemoſinis peccata veſtra redimite; ſic enim placatus Deus miſerebitur noſtri, & audentibus nobis hoſtes tradet in manus noſtras. Nos hic tandiu manebimus, donec animos principum exploremus. Nobis durum non erit, pro ovibus noſtris animam ponere. Chriſtianos de ſuo Mantuam adventu certiores factos hortatus, ut Mantuam venirent, ne occaſione recuperatæ Peloponeſi Chriſtiani abuterentur oblatâ. Thomas & Demetrius fratres Paleologi interfecti Imperatoris Conſtantinopolitani huc ſe receperant. Exin orto diſſidio, *Demetrius* Turcarum partes ſecutus, filiam ſuam *Mehemeti* deſpondit. Thomas auxilio Albanorum, qui Peloponneſum frequentes incolunt, & fratrem magnâ regni parte mulctavit, & Turcas qui arma in ſe verterant, prælio fudit, captiuoſquè multos cæpit: ex quibus ſexdecim per legatos Pontifici dono miſit, auxilium ſecundis rebus eflagitans: nec magno exercitu opus eſſe dicebat: Italorum paruam manum ſufficere ad eiiciendos Peninſulâ Turcas. Re in ſenatu diſcuſsâ, placuit trecentos pedites mittere. *Blanca* Mediolanenſis centum ſuo ære conduxit; Pius reliquos, quamuis non

Demetrius Paleologus filiam Turcæ deſpondet.

pio-

probaret cæptis ingentibus tam debile apponi fundamentum. Nec feſellit oppinio. Virtutis æmulatione, ſeu prædæ cupiditate inter ſe diſſidentes, in diuerſa cum dedecore abiere: infauſtum rebus gerendis omen. Eodem itaque argumento ad Gallum, miſſæ literæ & ad Fridericum Imperatorem, Venetos, Burgundos, cæteroſque duces. Adiecit enſem *Pius*, quem Imperator excepit, ſed ferrum non in Turcas, ſed in Vngaros diſtrixit. Ex hiſce Occidentalium comitiis tantam conceperant expectationem Reges Orientis, Trapezuntinus, Vſumcaſſanus maioris Armeniæ princeps, Georgius Perſarum Rex (ut cum *Philippum* Burgundię Ducem ſolemni iamdiu voto ad crucesſignata vexilla in Turcas attollenda aſtrictum fama eſſet) Trapezuntinus Imperator illum de ſociorum principum orientalium aduersùs Mahometem conſiliis certiorem fecerit: Ipſe ſcilicet cum triginta biremibus, & viginti millibus hominum, *Georgius* Rex Perſarum cum ſexagiota millibus bellatorum, *Gorgora* dux Georgianæ cum viginti millibus hominum, *Bendia* Rex Mingreliæ cum ſexaginta millibus, *Rabia* cum triginta millibus, Githi Arani militare promittebant cum Perſis, *Dardeberch* dominus Armeoię minoris cum decem millibus, *Aſambech* cum quinquaginta millibus, *Caramanus & Dominus Sinoppi* vindictam quærebant adversùs Turcas. Extant literę inter *Ep. Pii* a. *n.* 377. & apud Meyerum *l.* 16. *hiſtor. Fland*. His conſona ſcripſit *Gorgora Georgiana* Dux (Meyero teſte) proteſtatus; aduerterent Latini, quòd ſi fœdus præterirent Orientalium, & occaſione abuterentur præſenti ad protereodum Turcam, tantas illum collecturum vires, vt poſtea eius conatibus impares futuri. Burgundus decretis Mantuam legatis Io: Duce Cliuenſi filio ſororis ſuæ, & Io: Croio cum Io: Epiſcopo Atrebatenſi (quorum ſplendore excitati Galli etiam ipſi legationem adornarunt) cum in ſenatu quæſitum eſſet, intranti quis honor impendendus? Pontifex duos Cardinales è Collegio mittendos cenſuit. Hi ſuæ dignitatis amantes *indignum* aiebant *atquè inſolitum minori dignitati maiorem occurrere. Cardinales pares Regibus haberi; vileſcere ſi Duci obuiam mitterentur*. Adiecit Pontifex de dignitate Cardinalium nihil adverſari, quę Pontificali proxima eſſet: nihil tamen ei deperire, ſi Ducem venientem paulo extra Vrbem exciperent. Vidiſſe ſe Cæſarem, qui non eſſet Cardinalibus minor, ſępè Ducibus ac Marchionibus ad ſe venientibus occurriſſe. Cliuenſem ex vltimis Galliarum finibus, atquè ab Oceani littore Mantuam petere: non parem eſſe cauſam eorum, qui priuata, & eorum qui publica curant negotia, Romanum adeunt Pontificem: tribuendum plus aliquid honoris his, qui dicto parentes fidem accedunt defenſuri catholicam. Vicit Pontificis ſententia duobus Cardinalibus electis, qui Duci occurrerent; quod reliquum fuit curiæ ad honorandam legationem his adiunctum. Die ſequenti conſiſtorium ingreſſo Duce; Peroranti Attrebatenſi reſpondit *Pius* in laudem Philippi. Concione ſolutà Cardinalis Eduenſis Cliuenſem Ducem ſuum uſquè ad hoſpitium, honoris cauſà ſecutus eſt. Sequenti Conſiſtorio cum de publico ſædere agendum eſſet; ſi nultas intercesſit inter Colonienſem Antiſtitem, & Cliuenſem Ducem, qui Suſatenſes oppidanos in

Reges excitat in Turcas.

Dux Cliuenſis acceſsit ad Concilium.

Veſtfalià à Colonienſi deficiētes tutandos receperat. His *Pius* anathema minatus fuerat, niſi priorē redirent ad dominum. Hinc commotus Cliuenſis cum de arcanis legationis ſuæ agere detrectaret, ni priùs monitorium revocaretur, ne conventum diſſolueret; nam retrocedente Burgundo, nec Veneti ad Concilium venturi erant, coactus eſt iudicium ſuſpendere, revocaro monitorio, quod per Attrebatenſem Epiſcopum Colonienſibus clam promiſit denuò concedere, poſt fidei peracta negotia. Circa quæ inſtanti Pontifici, ut ſacro voto, quo ſe *Philippus* adſtrinxerat, ſatis faceret; reſpōdère legati Philippum ſacro quidem ſe deuouiſſe bello ſed eà tacità lege, ut Imperator, vel Rex Gallorum, vel alius præpotens princeps ſacram pariter ſuſciperet militiam. Conſecraſſe ſe pariter Luſitaniæ & Aragoniæ Reges, ſed omnium expectationem ſefelliſſe, nec vires Burgundicas Turcicis eſſe pares. Poſt varia tandem colloquia ſpoponderunt *Philippum* in Vngariam duo equitum, quatuor peditum millia conducturum ad bellum in Turcas, qui tandiù militarent, quandiù reliqui Chriſtiani in bello perſeverareot. Venit poſtea *Franciſcus Dux Mediolanenſium*, cui duo occurrerunt Cardinales, cuius ardor adversùs fidei inimicos magnà laude exceptus fuit. Adfuere legati Ducis Mutinenſis offerentes auri tercenta millia nummum. Ianuenſes clam miſere timore Regis Francorum, cuius paulò antè imperium ſubierant, promittentes ſe pro fidei tutelà non defuturos. Ferdinandi Regis Siciliæ legatus, quòd plura contra Ianuenſes miſcuiſſet, nō ſine indignatione & correctione Pontificis auditus, quòd in publico Concilio iurgia commemoraret priuata. Multo meliores fuere Regis literæ, quàm verba legati, licet Ferdinandus Tarentini Principis agitatus inſidiis vota ſua explere nequiuerit. Miſit etiam Tarentinus Pirrhū Minoritam, cui dominum ſuum extollenti obiecit Pius; *Dominus tuus proditor eſt & periurus, in Chriſtianos arma prouocans, Virtutibus aliis an praditus ſit? ignoramus*. Sequenti die opem poſcentibus Vngaris, Pius auri nummum viginti millia tranſmiſit. Adfuere etiam Polonorum legati.

Mittit Vngaris auxilia.

10. *Veneti* aduenere nouiſſimi, qui cum accepiſſent aduentaſſe Ducem Cliuenſem, oratores Francorum propediem venturos, adeſſe Mediolanenſem, ſolos ex totà Italià deſiderari, duos oratores cum delectà nobilium iuuentute Mantuam miſere, *Vrſatum Iuſtinianum*, & *Ludouicum Fuſcarenum*, I. C. clariſſimum, adiunctis equitibus circiter quingentis honoris cauſà. *Franciſcus Sfortia* ob reuerentiam Venetæ Vrbis his extra mœnia obuiam proceſſit, mediuſquè inter duos oratores introiuit. Mora Venetos diſtraxerat, quòd magnoperè verebātur, ne ſoli in bello cootra Turcas à cæteris derelicti remaneret, vt ſæpè acciderat, quod præcipuè adnotatur in bello præſenti. Plenum cum eſſet Concilium, quamuis nondùm aduenisſent Galli, Romano placuit Pontifici, priuſquàm Dux abiret Mediolani, ſimul omnes alloqui. In cathedralem accerſiti plura de ſeſſione ſuſtiouere iurgia, Veneti præcipuè, ac Sabaudi. Controuerſia cum aliter ſopiri non poſſet, & iam *Vrſatus Iuſtinianus* Venetorum orator accinctus videretur ad rixam, *Pius* Venetis in ſuo loco conſiſtere iuſſis, Sabaudos ad ſui ſolii ſcabellum col-

Veneti ad Concilium veniunt.

Sabaudis præcedere iuſſi.

lo-

Pii oratio in Turcas.

locauit ; imperatoquè ſilentio , horis citciter tribus perorauit rantà auditorum attentione , ut eius orationem poſtmodum edi voluerint. Cum finem feciſſet Pius; *Beſſarion* Cardin. Nicænus grecà facundià, quę mala inſtatent, oſtendit,niſi Turcarũ conatibus obuiaretur. Vngari cum opem petituri veniſſent, ultimi loquuti,Poutifice laudato, Imperatorẽ pluribus ſunt crĩminati, qui laborantibus Turcico bello Vngaris moleſtias addidiſſet. Fremebat his auditis aduersùs Imperatorem tota concio : nec orator eius Epiſcopus Tergeſtinus in tanro conſeſſu obiecta diluere audebat, concioni non aſſuetus . Tunc Pontifex: *Prater rem* (inquit) *& contra rem Vngari loquuti eſtis; de bello contra Turcas gerendo nunc agimus , & cauſa veſtra conſulentes Imperatorem , & Chriſtianos reliquos in auxilium veſtrum armare conamur : vos opem quaritis, & qui poſſunt opitulari, verbis laceſſitis. Non eſt hoc quod regno veſtro conducat , nequè hic locus, in quo iurgia tractare conveniat. Malè miſeria & arrogantia ſimul habitant. Nos Imperatorem amantem iuſti novimus , nec regem veſtrum ab honeſto diſcedere arbitramur, quamuis de regno diſſentiant; nemo tamen iniuſtam ſe habere cauſam arbitratur:cum veritatem noverint , obedient veritati , danda eſt opera , ut in amicitiam redeant. Miſimus ad eos legatum unum , mittemus & alios , ſi opus fuerit . Interea quod in manibus eſt , abſolvamus*. Siluere his auditis Vngari. Advenere etiam Francorum Legati, quorum unus *Decanus Carnotenſis* electus Pontiſex Eccleſiæ ſuæ,& ſecundum Pragmaticam ſanctionem à ſuo metropolitano confirmatus Mantuam præcurrit , volens tanquàm Epiſcopus uti veſte lineà ſub pallio, verùm prohibitus humilis obſequium exſoluit . Rhenatus Rex Siciliæ his ſuos oratores adiunxit.Sequebantur legati Ducis Britanniæ. Adfuit Ianuenſium legatio qui Gallis tanquàm dominis adulabantur . Inter Gallos dies aliquot diſceptatum; obedientiam prius præſtarent , an res Siculas aggrederentur : ſed cum *Pius* audientiam inobedientibus denegaret,coacti ſunt obedientiam præmittere. Verba fecit Ep. Pariſienſis ab eo exorſus , *Secundum nomen tuum , ita & laus tua in fines terra* . Orationem partitus de laude Pii , eminentià ſedis Apoſtolicæ de glorià Regis ſui , obedienriam tandem Regis nomine præſtitit,& *filialèm* appellauit , ut *ſeruilem* excluderet. De Turcis pauca libauit, & pauciora in eos auxilia promiſit. Poſt dies aliquot,præſentibus legatis Principum , *Rhotomagenſis Baſlinus* Gallorum in ſedem Apoſtolicam beneficia longà oratione narrauit:Siciliam pretio ſanguinis emptam iniurià à Gallis in Aragonenſes translatam , poſſeſſoribus reſtitueret antiquis, ſic inconſultè facta conſultè revocaret. His auditis,quaſi victores exultabant Galli , nec reſponſurum arbitrati Pontificem . Ipſe paucis pro tempore uſus. *Audiaimus* (inquit) *oratores regii, qua pro Rhenati cautà dixiſtis non ſine accuſatione noſtrà . Geſta noſtra cum Cardinalium inhareant conſilio, ſi revocari contingat,aquam eſt ut eorum conſilia exquiramus.* Poſt hęc graui ſtomachi ęgritudine, & atidà tuſſi vexatus,ut de eius vità medici dubitarent ; Cæperunt Galli morbum cauſari, quaſi ita eorum eluderentur reſponſa. Quod cum cognoviſſet Pius : *Etſi me* (inquit) *medià in concione oporteat mori,reſpondebo: animum haud dolor vincet* . Communicato itaquè cum

Vngaros obiurgat.

Galli obedientiam filialem profitentur Pio.

Cardinalibus reſponſo,accitis Principum legatis, ſolio ſedens ſublimi, imperato ſilenrio pallidus, & anxius ut vix fari poſſet; cum calor invaluit, ſuperato dolore, affluentibus verbis , tribus horis perorauit . Expletà oratione Franci regem ſuum læſum quetentes, audiri petebant: quibus *Pius*. Audiam vos quandò, & quoties placebit: & ſtatim ex aulà in cubiculum rediit,omni languore liber,ita calor orationis morbum omnem diſſoluit. Cardinales lętabundi ad eum ingreſſi pro ſeruato ſedis honore, gratias egere. Curiales qui Pontificem contemnere videbantur,in admirarionem converſi affirmabant, memorià patrum noſtrorũ nunquàm Papam verba tam feciſſe magnalia . Poſtridie audientiam rogantibus Gallis reſpondit Pius , eligerent publicè , an priuatim vellent confundi . Priuatim elegere Galli,octo tantum accerſitis Cardinalibus , horis exponentes duabus, quę minimè confutari poſſe arbitrabantur. Verùm *Pius* ex tempore obiecta adeo efficaciter diluit , ut gratiſſimum Francis fuerit coram paucis fuiſſe certamen, nec ampliùs de regno Sicilię verba fecerunt. Eorum fæcialis ſciſcitantibus Curialibus, cur nam Franci ſilerent? facetè reſpondit . *Damonio vexati ad eccleſiam dum trahuntur clamoribus omnia complent , at ubi ſacerdoti in conſpectum venere , ſacris tacti velaminibus cõquieſcunt. Idem nobis accidit audito Pio.* Rogati poſtea quid in Turcas afferrent auxilii , reſponderunt; Domi prius quęrendam pacem poſteà de bello agendum in cæteros . Legatum mitteret Apoſtolicum,qui Gallis Anglos reconciliaret . Nec recuſauit *Pius*; ſed rebus deinde mutatis, cum Galli ſedem magis perſequerentur Apoſtolicam , eſt neglecta legatio . Miſerat *Pius* priuſquàm Romà recederet Ep Interamnenſem in Augliam, ut *Henricum* Regem excitaret in Turcas. Deſignauit iſte præclaros legatos ad Mantuanum conuentum ; ſed Regis contempſere iuſſionem. Erat enim vir muliere timidior, conſilii inops, & qui uxori cuncta comittebat. Miſit itaque duos presbyteros modici nominis,quorum in literis cum teſtes nominati non eſſent , nec tabelliones ſubſcripti , adnotara erat ſequens Regis ſubſcriptio; *Henricus teſte me ipſo* : & ſigillum regni appenſum . Deriſit Pontiſex tanri Regis vilem legationem,nec ultra admiſit . Interea ſpretus in Anglià Interamnenſis , cum exercere non permitteretur legationis officium, tranſmiſſo mari Caleſium venit , quò etiam confugerat *Ioannes Varuic* Comes aduersùs Regem,cum quo in Angliam reuerſus quadraginta millia bellatorum obuia habuit. Vexilla Epiſcopus erexit eccleſię Romanę,& quaſi in infideles pugnandum eſſet,plenariam remiſſionem peccatorũ indulſit his , qui pro parte *Varuici* pugnarent aduerſus hoſtes,literis oſtenſis Apoſtolicis, quæ licet aliud continerent, anathema credebantur includere . Commiſſa pugna , Rex Angliæ captus Loudinum ductus eſt,Regina cum filio fugit in Galliam. Legati tamen providentià eſt diſcordia in hunc modũ compoſita. *Henricus quoad viueret,Rex eſto;cum obierit : Dux ſuccedito* Eboracenſis,*qui interim marcharum auri decem millia quot annis ex fiſco accipito regio : in reliquis pacem habeto.* His geſtis An. 1459. Kal. Novemb. legati toto regno nomen refulſit , in quo multum auri corraſiſſe creditus eſt. *Gobellinus l.* 3. Paulo poſt Regina nouis congregatis phalangibus Londinum duxit,

Gallos confutat Pius

Anglicum legatum contemnit Pius

xit, occurrrentem interfecit Eboracenſem. Legatus in adverſis audax, in ſecuodis cautus, relicto *Varvicio* navigavit in Flandriam. Hiſce tumultibus fidei tuendæ, cum opem ferre Galli nollent, Angli non poſſent: ad Germaoos Pontifex ſe convertit, qui poſt longas diſſertationes conſcribere promiſerunt duo, & triginta millia peditum, equitum decem millia: ad quod promovendum cum duo exigerentur conventus, miſit Pontifex Legatum à latere Beſſationem Cardinalem; ducem verò exercitus *Federicum* dixit Imperatorem, dato iure ſubſtituendi; ſed omnia in caſſum; nam *Beſtarion* Germaniam pacare impotens, verba retulit, non arma. Rogati Oratores Galli (cum hæc agerentur) intereſſe recuſarunt; vt qui aliorum gloriam ſuam exiſtimarent ignominiam. Adſuere tandem *Sigiſmundus Dux Auſtria*, *Albertus Marchio Brandeburgenſis*, nec defuere conventis. Paucos poſt dies congregatis in templo comitiis, Pontifex è ſolio dixit: *Octanam hic agimus menſem, fratres ac filii eos expectantes, qui ad conventum fuere vocati: venientes excepimus, alios venturos ſperare vanum eſt. Facienda abſoluimus; vtinam Dei benè acta ſit cauſa. Meliora factis concepimus, non tamen ſpes omnis cecidit. Acta referam, vt ſciant omnes, quid ſpei, & qui Reges et populi ad tuendam fidem prompti fuerint, vel negligentes. Vngari ſi adiuuentur, vniverſis viribus ſuis Turcus invadent. Germani exercitum pollicentur duorum et quadraginta millium bellatorum. Burgundus ſex millia. Itali (exceptis Venetis et Ianuenſibus, cleri decimas, populi trigeſimas annuorum redditaum, ac vigeſimas ſubſtantia Iudaica, ex quibus, ad alendam claſſem idem praſtabit Io: Rex Aragonum. Raguſei duas offerunt triremes. Rhodii quatuor. Hæc ſolemni ſtipulatione promiſſa. Veneti nil publicè promiſerunt ſi tamen expeditionē paratam viderint, maioribus ſuis inferiores non erunt. Idem de Francis, Caſtellanis dicimus, et Portugallenſibus. Anglia, Scotia, Noruegia, Datia, Suetia nil dabunt. Poloni Turcis per Moldauiam contermini haud deſerent cauſam Christi. Bohemi militaturi advenient, ſed ære noſtro. Claſſem pecunia parabit Italica ſi non Venetiis, Ianua, vel in Aragonia. Vngari viginti millia equitum, peditum numerum non minorem inſtruent, qui Germanis iuncti ac Burgundis duodenonaginta millia militum in caſtris habebunt. Accedet Scanderbechus cum Albanorum fortiſſimà manu: multi per Græciam ab hoſte deficient: in Aſià Caramanus, et Armenorum populi Turcas à tergo ferient. Deus tantum ipſe cœpta ſecundet. Ite narrate Dominis geſta noſtra, vt promiſſa in tēpore faciant.* Tunc cuncti confirmavere promiſſa, qui nihil obtulerant, tacoere coofuſi. Oratores Borſii, vt plus aliquid feciſſe viderentur, aureorum trecenta millia obtulere, admirantibus vniuerſis. Ita finis impoſitus Mantuano Concilio (*Gobellinus libro tertio*) in quo cum aduerterent Veneti, non niſi verba à Principibus dari, prudenter noluerunt ſingulari oblatione irritare tyrannum: ſed gladio certare, non linguà: ne ſoli poſtea belli pondere præmerentur. Protinùs tamen inſtruxere claſſem, vt primi exirent in hoſtem, ſi ſocios nanciſcerentur laboris. Tanto apparatui cum Germanorum obſtarent diſſidia; hieme ſæuiente *Beſſarion* Cardinalis valetudinarius & ſenex Norimbergam venit. Excepit Imperator venientem honorificentiſſimè, vt etiam obuiam illi factus fuerit. Norimbergæ, & Vuormatiæ ſunt celebrata comitia, ſed nihil geſtum ob grauia principum diſſidia (teſte *Platina in Panegyr. Beſſar*) præcipuè *Georgii Podiebracii*, qui Principum diſſidiis viam ſibi ad imperium ſternere meditabatur. Querentibus itaquè Germanis, ac Pii famam laceſſentibus ob decimarum exactionem; Beſſarion ne ęgros animos exulceraret, de ſoluendis decimis decretum remiſit conceptum. Ita malè comparatis Christianis ad religionis tutelam, quatiebat ſui terrore Pannoniam *Mahometes*, vt Cardinalis *Carvaial*, qui reditum in Curiam decreuerat, in Vngarià cogeretur perſiſtere. Nec minus tyrannum Rhodus horreba. Inito ille fœdere cum Sultano Ægyptio ſpolia ita diuiſerant futura, vt Ciprus Sultani foret, Rhodus Mahumetis. Egyptios excitauerat *Iacobus* nothus regis defuncti aduersùs *Carlotam* filiam legitimam. Diſsidii cauſa fœminæ ſexus, atquè crudelitas. Hac vitæ & honoribus inſidiabatur frattis; illo ſibi; cuius defectu, non tàm communi, quàm lege patrià incapax erat imperii. *Ludouico* cum nupſiſſet *Sabaudo*, ad Sultanum ſupremum regni dominum lite evocatà, regno cedere compulſa, Romam venit Anno 1461. Vexabat interim Gręcos Aſiaticos Mahumetes obſeſſa *Synope*. Prædiues hæc ciuitas propter metalla, quæ ibi effodiuntur, *Iſmaeli* parebat dynaſtæ. Miſerat iſte ad Romanum Pontificem legatos ſuos, vt auxilia congregaret Christianorum, quos cum coire, difficile ſit, armare dificilius, nil mirum ſi præualente metu, tyranno morem geſſerit. Captà Synope vniverſam ſubegit Paphlagoniam, conuertitquè in *Trapezuntem* Imperialem Comnenorum vrbem impetus ſuos. Steterat hæc à capta per Francos & Venetos Conſtantinopoli, Annis 257. Inſigni ignauià Imperator *David Comnenus* ſpe ductus incolumitatis deditionem fecit, quem poſtea confictis mendatiis; manu ſuà trucidauit Mahumetes, teſte *Phrantzes*. Reliquos toparchas Adrianopolim miſit, vbi etiam *Demetrius* Deſpota viuebat Peloponeſi. Fuit frater *Demetrio Thomas Paleologus*, qui dum ſibi partem conantur eripere principatus, totum amiſere, vſurpante *Mahomete* auxiliatore. Venienti namque *Demetrius* cum ſuà Spartà ſe dedidit, filià in coniugem oblatà tyranno, quam vt viro adduceret, cum Græcos Turcaſque miſiſſet *Monembaſcam* olim *Epidaurum* (vulgo *Maluaſia*) Monembaſiotæ (ſuadente *Manuele Paleologo* arcis præfecto) Demetrii filiam dimiſere, vrbis autem deditionem negarunt. Vno tantum aditu ſubiri poteſt arx inexpugnabilis, diu à Pontifice & Venetis ſervata, tandem communi infortunio Turcis paret, nunquàm capienda ſi defendi voluiſſet. Iurarunt Epidauri in Verbo Pontificis, interprete *Thomà Paleologo*, qui Romam cum capite S. Andreæ Apoſtoli profugit, vt ibi vitam aleret Romanis eleemoſinis. *Pius* miſertus nobiliſſimi ſanguinis, manſionem ei in ædibus S. Spiritus non procul à palatio, & in menſtruos ſumptus, tercentos aureos conſtituit, Cardinales ducentos addidere. *Gobelin. l. 5.* Tantis victoriis efferatior factus *Sultanus Egypti*, ac fidei Chriſtianæ apoſtata minaces literas, contumeliis refertas miſit ad Pontificem; in quibus de Chriſti religione deſertà turpiſſimè glorianti reſpondit Pius, ut ad tramitem reuocaret ſalutis, ſed in caſ-

Concilium claudit. Venetorum fortitudo, prudentia.

Turca occupat Trapezuntem

Moreã occupat Turca.

Sultanus Ægypti Christi fidem dalerit.

caſſum, vt ex *M. S. Vall. ſign. num.* 91. *pag.* 127. Ægyptis namquè fœderati Turcæ inſulas omnes Ægæi maris, quas Callixtus Tertius Chriſtiano reſtituerat imperio, occuparunt. *Auctor Turcogr. libro primo.* Culpæ participem voluere *Pium* Romanum Pontificem Lesbi, Mytileni, Stalimeni, Peloponenſi conquerentes ſe in Pontificum clientelam conceſſiſſe ſpe auxilii futuri: ipſe autem ambitu amplificandę familiæ Piccolomineæ, percuſſo fœdere cū *Ferdinando* Alphonſi notho, orientis oblitus ſtudia omnia contra Andegavenſem contuliſſet. Excuſat ſe *Pius*, quòd partas à Callixto inſulas non defenderit c. 88. *Hiſtor. Aſiat. Acquiſita* (inquit) *inſula ad hoſtes rediere cum nos inteſtinis Italia motibus, et ſeditionibus ſubditorum occupati, longinqua proſpicere non poſſemus: præſertim cum Roma ipſa in periculo eſſet non ſolum latronibus per circuitum, ſed aliquibus civibus Romanis res novas molientibus, & inſidiantibus.* Irruenti itaquè tyranno impotens obſtare Pius ad amplectendā Chriſti fidem epiſtolis ſuis *Mahumetem* excitavit, tunc iurè Orientis Imperatorem appellandum; nec eos audiret, qui ſuſcepto vociferarentur baptiſmo, illum à turcis deiiciendum, ac modum, quo populos facile in officio contineret, edocuit: Conſtantini & aliorum Regum, qui Chriſto nomen dederat, exemplo propoſito. Expoſitis poſtea Chriſtianæ fidei myſteriis, Mahumeticæ legis deliramēta detexit. Matre enim Macedone natus *Mahumetes*, Mahumeticam impietatem ſuſpectam habebat. Obtuſas autem cum veritati aures præberet, quòd nullam legem colere crederetur; ad frangendum eius animum armis *Pius* conſilia convertit, ſerò tamen. Implicitum namquè bello Cæſareo Turca *Mathiam* adortus eà lege de pace poſtulavit, vt Boſnam & Vualachiam Turcico imperio permitteret. Renuit conſtanter Vngarus tanto Chriſtianorum damno pacem emere. Certiorem propterea Pontificem fecit, vt opem ferret rebus extremis. His *Pius* reſpondit exhauſto licet ærario Pontificio, ſuo tamen auro mille equites conducturum: non defuturos auxilio Venetos, annoquè proximo maiores ſubmiſſurum ſupperias. Leviora hæc contra immanem hoſtem ſubſidia. Gerebat tunc Vualachiæ principatum *Bladus* vir omni ferà immanior, qui vt acceptam *Mahometis* beneficio ſibi tyrānidem aſſereret, omnes Provinciæ proceres ſibi ſuſpectos blandè vocatos cum vxoribus, filiis, famulis vſque ad viginti millia palo confixit, eorumquè opes ſuos inter diviſit ſatellites. Deinde cū *Mahometē* metueret, armorū fœdus cū Vngaris percuſſit, Turcarū legatos, qui ipſū inſidiis appetierāt, ſtipitibus trāsfodit: & quāquàm viribus impar *Mahometi*, imploratà Vngarorū ope, collectoquè decem milliū equitū exercitu, tardiora Turcarum agmina ſæpius concidit, noctu in caſtra procurrens inimicorum, uſquè ad Mahometis tentorium; vt eum neci traderet, tantumquè intulit terrorem, vt vix à fugà Turcæ cohiberi potuerint. Cum autem ab imperiali tentorio aberratum eſſet, mileſquè ad diripiendam gazam Turcicam ſe diſtraxiſſet, Aurorà ſurgente, fugere coactus plures amiſit. Mahomete autem per Vvalachiam latè graſſante, Vvalachi *Draculam* Bladi fratrem principem ſalutarunt. *Bladus* cum in Vngariam aufugiſſet collecturus auxilia, à Matthià in vincula coniectus fuit, iis innitantibus, quorum ſuſtulerat affines. Aut carceris vera cauſa, epiſtola fuit ad *Mahumetem* intercepta. Decennali ergo cuſtodià domitus, poſtea reſtitutus bello Turcico periit; cuius caput inſtar magni muneris *Mahometes* accepit. Fuit quoquè *Blado* frater, quo abuti tentantem *Mahometem*, gladiolo percuſſit in fæmore, citoquè aufugit: at non longè poſt rediit, eidemquè ſe turpiter ſubmiſit, factus ex forti adoleſcente impurus catamitus. Noſtrà ignavià elatus Turca Boſnam Occidentale imperium tentare conſtituit. Arcanum non latuit *Stephanum* Regem Boſnæ, qui pro ope implorandà, regiaquè coronà à Romanà Eccleſià obtinendà ad Pontificem oratores legavit, quorum oratio teſte *Gobelino libro undecimo* fuit. *Rex Boſnæ filius tuus Beatiſſime pater, nos ad te miſit, iuſſitquè ſuo nomine hæc dicere. Certior factus ſum Mahometem æſtate proximà contra me ſignà moturum, & iam omnia apparaſſe. Non ſum ego, qui tantum impetum ferre poſſim: oravi Vngaros, Venetos, Georgium Albanum, vt opem mihi afferant: idem ex te peto, nequè auri montes poſtulo: ſcire hoſtes ac provinciales meos cupio tuum mihi favorem haud quaquàm deeſſe; ſi norint Boſnenſes me non futurum in bello ſolum, fortiùs dimicabunt, nequè Turca terras meas ingredi audebunt, quarum ſunt aditus difficillimi, & arces inexpugnabiles. Tuus anteceſſor Eugenius patri meo coronam obtulit, & pontificales Eccleſias in Boſnà voluit erigere. Renuit pater, ne Turcarum in ſe odium provocaret, erat enim novus Chriſtianus, nec Manichæos adhuc regno expulerat: ego à puero baptizatus literas Latinas didici, & Chriſtum ſolidè complexus non timeo quæ pater timuit, coronam vt ad me mittas opto, & ſanctos Epiſcopos. Hoc ſignum erit te mihi non defuturum. Iuſſiſti vivente genitore meo arma, quæ in Dalmatià ſub Venetorum manu erant, Cruciata nomine collecta, ut ad eum mitterentur: non placuit Senatui Veneto: iubeto ad me modo mittantur, fortaßè maiaſ imperium invenies, quando mutata eſt mens Venetorum, & Turcis feruntur bellum indicturi. Hæc peto, ut legatum ad Venetos, & Vngaros mittas, qui adiuvent cauſam meam. Si enim permittentibus Chriſtianis Mahometes regno meo potitus fuerit, Italia non conquieſcet. Hæc explorata ad te defero, ne poſtea dicas non fuiſſe prædicta. Pater meus anteceſſori tuo, & Venetis futuram prædixit Conſtantinopolis calamitatem: non fuit fides adhibita, amiſit magno damno Chriſtianitas regiam urbem, & ſedem patriarchalem, & Græciæ columen. Nunc ego de me vaticinor; ſi fidem dabis & opem, ſalvabor: alioquin peribo, & ruinam meam multi ſequentur. Hæc Stephanus ad te deferri iuſſit: tu, qui pater es Chriſtianæ religionis conſilium adhibe, & auxilium.* His Pius reſpondit non defutura Chriſtianorum, & Venetorum auxilia, excitatum iri cathedrales Eccleſias, & inſtituendos Epiſcopos: coronam verò ſine indignatione Regis Vngariæ mitti unn poſſe, cuius *Boſna* ſit vectigalis. Non laceſſendum, a quo ſunt expectanda ſubſidia, Vngaro conſentiente, mox traditum iri. Omnia tamen irrita, & inania: nam Anno 1463. Stephano Rege à Mahomete capto, vel potius dedito contrà datam fidem ſagittis confixo, aut vivo exuſto, mox Boſna univerſa Turcicum iugum accepit. Clades hæc Pium iterum excitavit, ut ſub ſignis vocaret Principes exemplo ſuo. Aſcito itaquè Cardinalium collegio expoſuit velle ipſum

Inſulas Ægæi Turca occupat non ſinè culpà Pii.

Mahometem literis Pius excitat ad fidem Chriſti.

Matthię Vngarorum Regis fortitudo.

Bladus Vvalachiæ tyrannus.

Stephanus Rex Boſnæ, coronā petit à Pio.

A Turcis cæſus.

Pius decernit in bellum pergere contra Turcas

in bellum proficiſci, ut erubeſcerent Reges non ſequi vicarium Dei. Venetorum tamen priùs exploranda conſilia, ſinè quibus vana eſſet expiditio. Hæc Pontifex ad Cardinales, qui ubi verba audiere Pontificis ingenti admiratione affecti, non dubitarũt à Deo eſſe conſilia. Oſtienſis Epiſcopus, *Te ſequar* (inquit) *quocumque iuſſeris, onus quod impoſueris feram.* Portuenſis plorans: *Hominem te hactenus exiſtimavi Pontifex, nunc Angelum intueor. Lateri tuo comes ſemper ero, nec per flammas euntem deſeram; quando rectà in Cœlum vadis.* Non defuere tamen qui ſacræ expeditionis conſilia damnare haud vererentur; præcipuè *Franciſcus Philelphus*, qui ſpe mercedis, Principum gratiam aucupari ſolitus aſſentationibus ſuis, cum ſperatam à Pio ſuam doleret dicacitatem, in eum ſatyram ſcripſit: ſed non impunis audacia, carcere correpta à Franciſco Duce Mediolanenſi, teſte *Papienſi Ep.* 43. Veneti in ſocietatem vocari, coacto Rogatorum ſenatu alacres dedere manum, licet univerſam belli molem aduersùs Rẽ. publicam ſuam fore non dubitarint. Hinc ſciſcitanti Pio ab Italorum legatis: *Quid tandem offerrent pro fidei defenſione*, reſponderunt omnes, *expectare quod Pontifex onus imponeret, nullum pro ſuà virili in opere tam Sancto defuturum.* Tum Pontifex. *Quid opus eſt multis immoremur? extat Mantuanum decretum; illud ſervabimus, in quo ſecundùm vires diſtributa ſunt onera: clericis decima, laicis trigeſima, Iudæis omnium bonorum vigeſima.* Ad hæc legati probare ſe verba Pontificis dixerunt tanquàm homines priuatos; verùm ut oratores non habere poteſtatem; opus eſſe certiores facere Dominos ſuos. Solus orator Venetus,

Veneti in Turcas ſoli Pontificem comitatur

Meus (inquit) *princeps his hortamentis haud quaquàm eget, in bello eſt, Urſati Iuſtiniani fortiſſimi viri auſpiciis claſſem adverſùs hoſtes fidei, & magnam miſit & validam. Iam partem Peloponneſi à Turcis eripuit. Acceptavit decimas, vigeſimas, trigeſimas, et alia ſponte per ſeipſum conſentiente Senatu, onera adſcripſit ſubditis ſuis omnia fiunt, quæ ad victoriam neceſſaria creduntur: tibi noſtra Reſpublica nulla in parte deerit.* Gobellinus l. 12. His auditis, Pius Pontifex in hæc verba pleno conſiſtorio prorupit: *Benedicti ſint filii noſtri Veneti; Benedicta ſit eorum tàm pia, tàm ſancta intentio. Benedicat Deus Chriſtianiſſimam Rempublicam et Senatum eorum adiuvet, eiſquè honorificentiſſimè adverſùs Turcas præſtet victoriam.* Gobelin. ib.

Pius Benedicit Venetos.

Petrus Iuſtinianus *l. 8. Hiſtor. Ven.* Poſtea ad reliquos Legatos converſus, *Ite* (inquit) *& veſtris dominis renuntiate quæ diximus.* Florentinus orator (*Gobellino* teſte) nihil horum æquo animo audivit, cui ſuſpecta erant omnia, quæ Venetorum exiſtimationem augere viderentur. Propterea Pontificem clam adiẽs, *Quid agis* (inquit) *maxime Præſul adverſus Turcas bellum geres, ut Italiam Venetis ſervire cogas? Quæcumquè in Græcià exactis Turcis acquirentur, Venetorum erunt, qui ſubactà Græcià fortaſſè ad reliquam Italiam manus apponent. Noſti gentis inſatiabilem regnandi cupiditatem: ſuccedere Romanis ſe iactitant, & imperium Orbis ſibi deberi. Si eos adiuvas, ſocia iungens arma, non vides quò præcipitem trahis Italiam. Sed taceamus Italiæ damna, quid erit Eccleſia Romana illis regnantibus? putas ne ſuam dignitatem ſervabit? Tuæ prudentiæ eſt, his periculis obviam ire. Venetus in bello eſt, Turcaſquè gravi vulnere laceſſivit, Peloponneſo propemodùm adempta: non eſt quod ampliùs reconciliari Veneto Turca queat. Immortale odium natum eſt. Hoc nobis meo iudicio optandum fuit. Sine, inter ſe decertent; æqua ſunt hinc inde vires; nec Venetus Turcam, nec Turca Venetum debellabit; diù trahetur bellum, et ambo fortaſſè corruent: ut nos tandem frui quiete permittant.*

Florentini tentant Venetos prodere Turcis.

Admiratus vehementer Pontifex his acceptis, inquit. *Si eſſemus ipſi quo tu es loco, nec ſacris imbuti fortaſſe idem ſentiremus, quod ipſe ſentis: ſed non eſt principis eadem quæ privati hominis mens: nec viris eccleſiaſticis idem animus, qui ſecularibus. Multa in populo tolerantur, quæ in Clero nemo audire poteſt: quæ ſunt plebi venialia peccata, in ſacerdote mortalia ducuntur. Principes ſæculi quocumquè modo ſua tueantur imperia non curant, idcircò ſæpè ius Gentium violant, et moribus adverſantur honeſtis. Populus victorem laudat, nec turpitudini adſcribit, dolo viciſſe; ſi modò laudatus eſt qui ſtravit hoſtem. At ſi ſacerdos inſidiis inimicum perdidit, iniurius habetur, adeò iuſtiorem populus clericum vult eſſe, quàm laicum. Noli ergo mirari, ſi alia eſt noſtra, quàm Florentinorum ſententia. Illi ſi ſalvà Republicà ſuà, omnia ire perditum ſinunt, inter homines tamen locum retinent ſuum. Atſi nos vel minimà negligentià in his utimur, mox omnium Chriſtianorum vocibus laceramur. Angelum eſſe volunt non hominem. Audi ergo ex nobis verba ſi non Angeli, ſaltem cleri & hominis ſortem excedentis communem. Fatemur Venetos more hominum forſan Italiæ quærere dominatum: ſed id commune eſt vitium, cum nemo ſuà ſorte quieſcat. Eſto Italiam ſubigant; quid tu? Venetis an Turcis ſervire mavis? Iuimus Mantuam, Chriſtianos omnes adhortati ſumus, in Turcas arma ſumere, nec ſinerent in Chriſtianos ultra graſſari. Sprevere omnes hortamenta noſtra non ſinè magno Chriſtianæ religionis detrimento. Nunc mutatà ſententià, Veneti noſtro audito Legato Turcis apertum indixere bellum, & armatà ingenti claſſe hoſtem perterrere. Suaſimus Venetis bellum pro religione ſuſcipere, paruerunt, nunc auxilium denegabimus? Quis hæc audiens laudabit? Deus hanc mentem inimicis tribuat vivificæ crucis, ut ſuæ legis conſortes in bello relinquant. Nobis non licet pro ſancto Evangelio pugnantibus opem quoquo pacto ſubtrahere. Dices in bellum Venetos non fidei defendendæ cauſam, ſed imperii cupiditatem adduxiſſe. Hoc nobis ſatis: quoniam vincente Veneto Chriſtus vincet: Turcarum victoria ſubverſio eſt Evangelii. Aſſeruiſti Turcis atque Venetis contendentibus, futurum ut ambo corruant, falleris. Turcà Venetus eſt inferior, quamvis claſſe maritimà ſuperior habeatur. Inſulas, & quæ ſunt in littore maris oppida vexare poteſt: in Mediterraneis minimum eſt, quod valeant: undè ſi à Chriſti fidelibus non fuerint adiuti, cum damno noſtræ religionis citò deficient. Non ergò ſalubre conſilium tuum, quod nec Venetos ſervat, nec Turcas delet. Sipericrint Veneti, fruſtrà de ſervandà Italià cogitabis. Bellum inierunt periculoſiſſimum, in quo ſinè pernicie Chriſtianæ religionis ſuccumbere non poſſunt, ferenda ſunt laborantibus auxilia, adiicienda vires, ne hoſti cedere cogantur. Nos cum Philippo Burgundiæ Duce Venetis non deerimus, claſſes eiuſdibus adiungemus. Ex alterà partè Matthias Rex Ungariæ vicinas regiones copiis agitabit terreſtribus. Eliminabitur ab Europà Mahometes, niſi iuſtus Deus noſtris offenſus iniquitatibus aliud (quod abſit) de ſuo populo cenſuerit. Nec propterea Venetos Italiæ iugum impo-*

Confutantur à Pio.

Perditio Venetis, omnes perire Chriſtianos, neceſſe eſt.

poſituros arbitramur, quando de Turcis triumphaverint. Nec omnia, quæ Turca occupant in Europà Venetorum erunt. Peloponneſus illis cedet, & fortaſſè Bœtia, Atticà, & in Acarnaniâ, & in Epiro pleraque loca, quæ mari cohærent. In Macedoniâ Scanderbechius primas partes ſibi vendicabit. Reliqua, quæ vergunt in Danubium, ut eſt Bulgaria, Raſcia, Servia, Boſna, & ultra Danubium Valachia uſquè ad Pontum Euxinum cuncta ad Vngaros pervenient, quorum aliquando fuere poſſeſſio. Nemo victis Turcis plus locupletabitur, quàm Vngarus, qui Veneto multum potentior, inter quos poſteà de Dalmatià fortè bellum orietur. Nunc inter eos adverſus communem hoſtem, quem magis verentur, ſocietas eſt, & de lite Dalmaticà ſilentium: non eſt quod Italia tantoperè timeamus: nec Romanorum exempla vereri oportet: longè diſtant à Romanis Venetorum mores. Multas licebit videre nives, priuſquàm Veneti Italiam frænent: at niſi Turcis potenter reſiſtimus; Vngari cedent, & Veneti: nec mora fiet, quin noſtra quoque pereat libertas. Occurrendum præſenti periculo: De Venetis ſuo tempore cogitabitur, ſi opus erit, nec deerunt valentia remedia. Prudentia eſt prævidere futura; ſed monſtrum eſt, non videre propinqua, eos, qui longinqua proſpectant. Ardentibus, ædificiis non affertis aquam: crematuris conſulere properatis. Ægrè fertis in Græcià creſcere, Venetos, ſed ut magis magiſquè creſcant, operam datis, belli declinantes ſocietatem, & quæ veſtra futura erant ſpolia, Veneto relinquitis. Conſultiùs aget veſtra Reſpublica, ſi pro ſuis iuribus claſſem inſtruens nobis ſe ſe adiunxerit. Orientaliſque prædæ partem petierit, hoc pacto honeſti et utilis rationem habebit. Quòd ſi otioſus domi Florentinus remanſerit, cum Papa in bellum ierit, infame nomen orbis erit: nec ducturos in eam Venetos quiſpiam arguet, aut opem vobis afferet. Hiſce victus Florentinorum legatus, non plura locutus abiit. Pontifex autem percuſſo fœdere cum Venetis, atq. Burgundis eà lege, ut ſinè ſociis nulli liceret à bello diſcedere. Addideratquè *Pius* veniente Philippo duce ad oras Italicas, & in Græciam profecturo ſe ſimul iturum. Extant hoc argumento inſignes ad

11. *Chriſtophorum Maurum Venetorum Ducem* literę à Pontifice datæ, quas recitat Petrus Donzellinus, & Petrus Iuſtinianus.

Pii II. literę ad Maurũ Venetorum Ducem

Pius II. Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio nobili viro Chriſtophoro Mauro, Duci Venetiarum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quod iampridem occulto concepimus animo, nunc in lucem venit, & omnibus patefactum eſt. Æſtate proximà in expeditionem contra Turcos exibimus, & Apoſtolicus ſacer Senatus comes erit, nec deerunt robuſtæ militum cohortes, quæ nobis oratione pugnantibus, ferro dimicent. Decretum noſtrum publicè lectum eſt XI. *Kalendas Novembris, in auditorio noſtro: quod promiſimus, favente Altiſſimo, perficiemus; neque irrita invenientis verba noſtra, quanto per facultates licebit, tanto fortiores in bellum proficiſcemur. Comitabitur & nos Deo propitio dilectus filius Philippus, Burgundiæ Dux, ex alto Francorum genere natus, quem validas, & expertas in armis copias adducturum non dubitamus: ſpem non parvum in eius exercitu collocabimus, nec minorem in claſſe tuà, quam paulò antè in Peloponeſſum navigare iuſſiſti; cuius egregia facinora, & priſcis æquanda mirabilibus referuntur; perſeveraturam hanc in bello contra Turcos nobiſcum, et cum præfato Duce, fiduciam gerimus: quoniam cum Oratore tuo ita conventum eſt; nec dubium nos habet, quin totis conatibus hoc bellum adiuves, quod pro fide Catholicà ſuſcipitur; hæc quamvis magna ſint, proſperitatemquè haud dubiam promittere videantur; multa tamen maiora, et clariora eſſent, victoriaquè certiorem ſpem præſeferrent, ſi tu ipſe in bellum ires, te quæ nobis adiungeres, Reip. Venetæ Ductor, et Princeps multum in rebus bellicis autoritas valet et maieſtas, ac gloria Principum; terrentur què ſæpè magnis nominibus hoſtes, et fama magis, quàm re ipſa diſſipantur. Multum (crede nobis) afferet terroris inimicis noſtris magni Burgundiæ Ducis præſentia: nos quoquè propter Apoſtolicæ Sedis dignitatem hoſtilem metum non nihil augebimus, quod ſi tu pariter acceſſeris, Buccinatorià navi, et Ducalibus ſublimis inſignibus, non Græcia ſolùm, ſed Aſia quoquè, et omnis exterrebitur Oriens: nec dubium, quin ſimul iuncti pro Sancto Evangelio, proquè gloria noſtri Dei, authore ipſo, res clariſſimas gerere valeamus. Hortamur igitur nobilitatem tuã, ut noſtro in hac parte deſiderio ſatiſfacere non poſtponas, accingere huic bello, atquè res tuas ita diſponito, ut nobis mare ingredientibus præſto adſis apud Anconam, te nobis coniungere, erit Reip. Venetæ valde glorioſum, et Reip. Chriſtianæ admodum ſalutare; tu verò æternę vitæ præmia conſequeris. Scimus apud Venetos non eſſe novum, urbis Principem in claſſem deſcendere, ac bellum gerere: quod ſi unquàm licuit, nunc maximè licet, quando pro Religione certamen adeſt, & Chriſti Salvatoris cauſa geritur. Veni ergo fili, neque laborem recuſa, quem nos ſponte ſubimus; neque te ſenem dixeris, tanquàm propter ætatem debeas excuſari. Philippus quoquè ſenex eſt, et multo longiorem, quàm tu ipſe, facturus eſt viam et nos etiam ſenectus invaſit, annos duos de ſexaginta natos: accedunt morbi, qui nos, dies ac noctes urgent, nec detrectamus in bellum ire; noli tanquàm ſenem, & debilem, huic tàm ſancto, et tàm neceſſario bello te ſubtrahere: conſilium tuum, & authoritatem quærimus, non lacertorum robur, aut alias corporis vires; quod Philippus in bello præſtabit; hoc ex te deſideramus; cura, ut venias, tres erimus in bello ſenes, in trinitate Deus gaudet, trinitatem noſtram cæleſtis trinitas adiuvabit, et antè oculos noſtros conteret hoſtes, expeditio iſta ſenum appellabitur, quia ſenes bello præerimus, iuvenes tamen brachia exercebunt, et pugnam conferent, atque hoſtem conficient: verùm ductu, conſilioquè noſtro præclara res eſt, ad quam te invitamus, fac, nè deſis, nec mortem metuas, quæ vitam tribuit meliorem: moriendum eſt etiam omnibus in hoc ſæculo, nec quicquam melius eſt, quàm benè mori, nec honeſtiùs mori licet quàm in cauſâ Dei. Veni ergo, & conſolare nos, aut cum victorià revertemur, præſtante Domino: aut ſi aliter in Cœlo decretum fuerit, eam ſortem feremus, quam dabit divina pietas; nobis malè eſſe non poterit, voluntatem noſtram Cœleſti beneplacito ſubiicientibus. Dat. Romæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1463. octavo Idus Novembris.*

Pontificis ætas

Burgũdus promiſſis deficit.

Excitavit etiam *Franciſcum Sfortiam* Ducem Mediolanenſem, Hiſpanos, Epiſcopos Italos, quibus omnibus unicus præluxit *Matthias* Rex Vngarorum fidei defenſor acerrimus, iurato fœdere cum Venetis, qui cum partem occupaſſent Peloponeſi, obruti, Turcarum multitudine cladem non levem acceperant. Ex eo *Pius* maiora Venetis adducenda auxilia ad reſtituendam rem lapſam, Burgundum literis urgebat graviſſimis. Sed comodis irretitus privatis Philippus, fidem de ſacro bello gerendo, nuncupatà

Deo

Deo votà, honoris decus parviſecit, feſellitque expectationem Orientis, orbiſque ſpes. Quo autem invidiam effugeret, *Antonium* filium nothum cum aliquot navibus ſubſidio miſit, qui & ipſe paulò poſt ex medio itinere in Belgium inglorius redit. Piſis interim dum claſſis inſtrueretur Apoſtolica, per Lauretum (ubi calicem obtulit aureum cum patenà eximiæ magnitudinis, teſte *Turſellino l.1.c.26.*) Ancoam venit XV. Kal. Sextilis, trium dierum indictis ſupplicationibus, initia rerum Deo, cætera commendavit virtuti. *Campanus in vità Pii II.*

Pii II. mors. 12. *Obiit* Pius animi mærore confectus, quòd gentium multitudinem, quæ pro ardore Anconam confluxerat, alimenta deeſſent. Eodem tempore certior factus à Raguſinis Turcam ad triginta milliaria à Raguſio caſtra poſuiſſe minantē; ut vel duas triremes Pōtifici promiſſas traderēt, cum annuo vectigali, vel urbis excidium expectarent. His auditis ſui (quos contraxerat) corporis ſtipatores, navigare Raguſium, ac frumentum invehere iuſſit. Mox accerſitum Cardinalem S. Angeli, quem propoſiti ſui inter cæteros ſtudioſum habebat, conſolit: *quid agendum, ſi Raguſium obſideatur?* Ibo (inquit) *ego cum triremibus, quæ inſtructa in portu ſunt, & vel obſidionem, Deo adiuvante diſſolvam, vel territis oppidanis ſpem faciam. Ecquid* (inquit Pontifex) *tecum frater connavigare me prohibet? Conſilium certum eſt, ſi illuc adveniat Turca, cum iis, quas potero, triremibus, eodem ſine morà contendere. Civitas in litore maris ſita eſt, natura loci et manu multum munita, portu abluitur, quò ſinè periculo invehi in urbem poſſumus. Sola præſentia Pontificis opinio Turcas, Deo ita volente, ab obſidione repellet, ſi conſilium comprobaverit Deus, fama hæc in omnem partem vulgata Chriſtianorum corda ad nos ſequendos inducet; concipientes ex faliei principio reliquum victoria.* Cardinalis autem Papienſis (qui hæc ſcripſit) licet plurimis argumentis diſſuadere contenderet; evincere mentem non potuit in Deum ſperantem. Confirmatà itaquè profectione, imperat illicò *Pius* militem

Vult ipſe ſuccurrere Raguſinis. in triremes deſcendere, ut ad primum obſidionis nuntium è portu ſolveret: verùm quatriduò poſt nunciato hoſtium receſſu, ſubſtitit Pius. *Triremes indè Venetas* (ita Campanus) *in quibus Dux aderat Venetorum, ubi appropinquare intellexit, deferri ſe iuſſit ad primum litus claſſem inſpecturus, eaquè inſpectà ſubgemuit ima, nuper ſibi navigandi occaſionem defuiſſe, nunc occaſioni ſe defuturum. In cubiculum relatus ſolvi ſtatim profluvio capit, medicis ſanitatem promittētibus, ſinè periculo. Et hæc quoq. Principum miſeria eſt* (inquit) *nè in morte quidem carère aſſentatoribus; poſtulavitquè Eucharistiam, quam et triduò priùs acceperat, et paulò antè ad Lauretanum. Acciri deinde Patres iuſſit, quos hortatus eſt, ut in expeditione perſiſterent; triremes, et quæ in portu erant, et quas venire per fretum Siculum nuntiabatur, tradi Venetis iuſſit; pecunias ad quadraginta aureorum millia ex decimis exactas Matthiæ Ungarorum Regi mitti in belli ſumptus. Cum deficere vires ſentiret, reiiciens ſe in Cardinalem Papienſem.* Fili (inquit) curam meorum ipſe ſuſcipito, & huic adeſto *expeditioni. Interrogatus ab eo, an Romæ ſepeliri vellet, non tenuit lachrymas ſubdens.* Et quis id procurabit? *illo recipiente ſe curaturum, refici viſus eſt;* vocavitquè patres ordine ad oſculum, *verbis ſequentibus. Veniſſe iam horam ſuam* (ita Papienſis) *Pius agnoſcens, quà reddendus Domino ſpiritus eſſet, fratres omnes in cubiculum convocari iubet: & ſi ad loquendum iam erat invalidus, interruptis tamen nos appellans vocibus: Fratres* (inquit) *mei dilectiſſimi, videtis quò adductus ſum: hora mea iam venit; Deus hinc nos evocat: morimur in fide catholicà, in quà & viximus, nihil ſentientes à Romanà fide diverſum. Egimus uſquè in hanc diem, quod potuimus pro ovibus creditis, non pepercimus laboribus illis aut periculis: bis caput noſtrum obtulimus ad communem ſalutem, perficere quòd cæpimus poteſtas non eſt ultra. Reliqua veſtra ſunt, curate vos hoc opus Dei, & labi non ſinite per negligentiam, fidei cauſam, ad hoc enim vocati in Eccleſiam eſtis, ut illi ſuis temporibus opem feratis: mementote officii veſtri, et Redemptoris noſtri, qui contemplator eſt omnium, et retribuit cuiquè ſecundum opera ſua: crevit ab initio, et progreſſa eſt dignitas veſtra fidei miniſterio, per fidele miniſterium utique eſt retinenda: quærentes quæ veſtra ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, retinere illam diù nequaquàm poteſtis. Habete quoquè temporalium curam, videte ne quid detrimenti patrimonium commune accipiat: ſtudium hoc omne eſſe veſtrum oportet; dum licuit noſtrum fuit. Converſati vobiſcum ſumus, in Cardinalatu, & poſt in præſulatu, ad quem nos elegiſtis; converſatio noſtra ſinè peccato eſſe non potuit, ex carne enim ſumus; offenſus eſt à nobis Deus, offenſa charitas veſtra: pro his, quæ in Deum peccavimus, ipſe qui omnipotens eſt, miſereatur noſtri: pro his, quæ in vos, rogamus dilectiſſimi, ut placatis mentibus veniam morienti tribuatis: eos, qui ex carne noſtra ſunt, & qui famulati ſunt nobis, ſi dignos ſe præſtiterint, commendatos habete, valete fratres pax Dei, & cæleſtis gratia vobiſcum ſit. His ægrè & cum lachrymis enunciatis, tantus ſubito patrum, qui lectulum circumſtabant, coortus eſt fletus, ut diro præ gemitu loqui verbum nemo poſſet, atquè ora ſingulorum lachrymantia viderentur. Tandem Beſſarion Cardinalis Nicænus primum in Collegio locum tenens verba pro omnibus fecit: indoluit caſum, in quem erat adductus, non ſui tantùm cauſà, quem lachrymabile erat deficere, ſed magis Chriſtiani populi, qui tantum auctorem amitteret. Laudavit Pontificem, & præclara eius in præſulatu opera, agens cum humilitate gratias, quod etiam supremà horà mortis ſuis communem rem adiuvaret; orare ſe Deum dixit patrem miſericordiarum, ut ſalutem illi reſtitueret, ſed ſi migrandum propter peccata eſſet, habituros eos mente præceptiones patris, & daturos operam pro viribus, ut nec publica Chriſtianorum, nec privata res Romanæ Eccleſiæ in perniciem irent. Veniam, quam popoſcerat humilitati dixit eſſe, benignè enim omnes ſemper habitos atquè indulgenter, nec querelam adverſùs eum extare; poſtulare autem ſingulos, ut benedictionem ſuam, et pacem ſuper fratres relinqueret. Ad commendationem verò ſuorum etiam piè reſpondit, docens quàm charus eſſe omnibus deberet ſanguis eius, qui tantùm de Chriſtianis, & de Romanà ſede meritus eſſet. Poſt hoc reſponſum iterum ſurrexit fletus, & contriſtatio cordium multa. Pontifex manu è palliis paululùm elevatà oſculandam eam omnibus præbuit, flens ipſe, & flentes alios intuens. Nos manu apprehensà, & antè lectulum procumbentes ſingilatim veniam precabamus erratorum noſtrorum, & oſculum ſupremum patris capiebamus, quibus ille. Ignoſcat vobis pius, & miſericors Deus, ac ſimul benedicēs fratribus, eos à ſe dimiſit. Biduò antè admonitus à medicis in omnem caſum vitæ, vel obitus habendam ſupremam*

ra-

rationem animæ eſſe, Dominicum ſacramentum, quod celebribus ſemper diebus valens ſumebat, etiam tunc magnâ mentis contritione accepit, tandem pectus ad ſingula, & flens, & peccatorem ſe confitens, communicatione indignum tanti myſterii. Repetere illud mane ſequentis diei optabat in ampliorem ſalutem & in honorem intemeratæ virginis, cuius aſſumptionem ſciebat inſtare, ab adoleſcentiâ etenim ſuâ in hanc tanquàm miſericordiſſimam matrem ſemper ſperaverat, & hanc vitæ ducem actionumquè ſuarum habuerat; familiariùs aliquando nobiſcum loquens, recenſenſquè anteactam vitæ curſum, diverſoſquè fortunæ eventus, credere dicebat, quia tantum huic glorioſæ Virgini ſe devoviſſet, ab epidemiâ ſemel, à lethalibus languoribus ſæpè, nonnunquàm ex manifeſtis vitæ periculis ereptum fuiſſe, omnem deniquè ſucceſſum dignitatis, & rerum ſuarum huc referebat, propterea templum illud Pientinum mirifici operis à fundamentis extructum, & ſuis manibus illi conſecratum fuiſſe. Conſolationem ergo hanc præcipuam expectabat, ut intra cubiculum ſuum, quando in Eccleſiâ non licebat, ſolemnia Miſſarum cantari audiret, & tanquàm ſupremum vale cum fratribus ageret: optabat autem, ſicut mos erat, per Cardinalem hoc fieri, & me unum delegerat, qui ſacris huiuſmodi operatus, confectum Domini Sacramentum illi rursùm porrigerem: inſtituerat etiam, ut Patres adeſſent reliqui, ac cætera pro veteri inſtituto obſervarentur. Comparatis igitur ad peragendam hanc divinam rem omnibus, ecce inclinante iam ſole inclinare & ipſe admodum cœpit, ita ut non procul à morte videretur abeſſe. Itaquè confeſtim Sacramenta reliqua perſolvuntur, quæ morientibus debita ſunt ſenſu adhuc integriore, quàm linguâ. Voce iam conſumptâ, quæ ab admotis auribus. Ora inquit, pro me, fili, peccator etenim ſum, et ſimul ad crucem converſus, quæ collocata ante oculos erat, hoc non ſine ſuſpiriis frequentabat. Miſerere mei Deus, miſerere mei, & tu Virgo miſericors ſervum deficientem ne deſere: per miſericordiam filii tui ſuſcipe animam excedentem. *Paululùm dein intermiſſa morâ, in me dirigens oculos.* Continuationem, *inquit*, ſanctæ expeditionis memora fratribus, & adiuva tu, quoad potes; Væ vobis, væ vobis ſi opus Dei deſeritis. *Cum reſpondere tentarem multa, & præ gemitu non poſſem, dexteram manum, quæ in cubitu elevata erat, demittens ſupra collum:* Benefac, *inquit*, fili, & Deo orationem affer pro me; *hoc illi ultimum verbum fuit, loqui ultra non valuit propter rheuma continuum, quo pectus iam, et fauces erant completa. Legebantur ſine intermiſſione orationes eccleſiæ, quibus animæ decedentium commendari Deo conſueverant; ipſe ad audiendũ attentiſſimus erat, ecce horam circiter tertiam inter legendum tantâ quiete ſpiritum Domino reddidit, ut conviventem, non morientem diceres emigrare, & ſine ſenſu mortis excedere.*

Pii ętas

Obiit Pius Annum agens ętatis ſuæ quinquageſimum octauum, ut legitur in eius epitaphio, conſonantquè Commentaria Pii, teſte *Gobel. l.* 1. qui natum affirmat die 14. Kal. Novemb. Anno Sal. 1405. Georgius autem Lollius Pii conſanguineus apud Papienſem *ep.* 47. natum ſcribit Anno 1406. Vidè Io: Campanus *in vitâ Pii*, deceſſiſſe Annorum 59. aſſerit. Defunctus eſt in pervigilio Aſſumptæ in Cælum Virginis, nocturnâ hora circiter tertiâ quâ *B. Petrus Theutonicus*, ſeu *Beatus Cornelius, Calaber* dictus ſenex cænobita, Camalduli clauſtro clauſus quadraginta ſex annorum aſperitati, & rerum Cæleſtium ſtudio aſſuetus, miraculorum famâ notus, ſacerdotem magnum coronâ triplici, candidâ veſte decoratum, nubeculâ ſeptum, Virginum canentium agmine comitante in Cœlum deferri, videre exclamavit; teſte *Campano in vitâ Pii* 2. Conſonant *M.S. Vaticanum*, Auguſtinus Florentinus *in hiſtoriâ Camaldulenſium*. Die ſequenti, producto in templum cadavere, iuſta patres more perſolvere vetuſto. Viſcera in Eccleſiâ S. Cyriaci humarunt: corpus Romam retulerunt, quod conditum in ſacello baſilicæ S. Petri ſepulchro marmoreo extructo à Paſquino Politiano celebri illius ęvi artifice, ubi ipſe Caput S. Andreæ Apoſtoli depoſuerat. Impenſas funeris ſubminiſtravit Franciſcus Cardin. Sen. Pii nepos, adſcripto ſequenti Epitaphio.

Sepulchrum.

Epitaphium.

Pius II. *Pont. Max. natione Hetruſcus Patriâ Senenſis Gente Piccolomineâ ſedit Annos* VI. *Brevis Pontif. ingens fuit gloria. Conventum Chriſt. prò fide habuit. Oppugnatoribus Rom. ſedis intrà atquè extrà Italiam reſtitit. Catharinam Senenſem inter S.S. Chriſti retulit. Pragmaticam in Galliâ abrogavit. Ferdinandum Arag. in reg. Siciliæ cis fretum reſtituit. Rem eccleſiæ auxit. Fodinas inventi tum primùm aluminis apud Tolpham inſtituit. Cultor iuſtitię, & Religionis. Admirabilis eloquio. Vadens in bellum, quod Turcis indixerat, Anconæ deceſſit. Ibi & claſſem paratam, & Ducem Venetorum cum ſuo Senatu commilitones Chriſti habuit. Relatus in urbem, Patrum decreto eſt. Hic conditus, ubi caput Andreæ Apoſtoli ad ſe ex Peloponeſo advectũ collocari iuſſerat.* Vixit *Annos* 58. *Menſes* 9. *dies* 27.


Franciſcus Cardinalis Senenſis avunculo ſuo Sanctiſſimo fecit. MCDLXIV.

Sepulchrum.

Tempore poſtea ingruente, antiquo diruto monumento, corpus eius ſub novę Baſilicæ pavimentum traslatum ibi iacuit, uſquèquò Alexander Perettus Cardinalis Montalti ad D. Andreæ de Valle templum, illud deduxit, & in pernobili monumento collocavit, cuius exemplum habes ſuprà pag. 577. Repetito eodem epitaphio, paucis mutatis, & adiunctis. *Alexandri Peretti Card. Montalti pietate hic cum Pii* III. *Nepotis oſſibus, ſummo tranſlatus honore hic honorificè tumulatur. Kal. Feb.* An. MDCXIII. Aliud Pio. II. epitaphiũ inſcripſit Io: Antonius Campanus.

Eſſe hoc in tumulo Pium ſecundum
Ne tu credes Pius petiit aſtra.
Terris Gloria nominis vagatur,
Pręterquàm oſſa nihil relinquit urna.

Tumulum ornant Symbola, quorum in altero *Pelicanus* pietatis paternæ ſymbolum ergà filios, ſingularem, quam Pius erga Eccleſiam, populoſquè ſibi commiſſos, charitatem habuit, annuit. Siquidem vigiliis ac laboribus fractus vitam fudit: vndè meritò aliti comparatur, quæ *paſcit de ſanguine natos*. Numiſmatis artifex *Andreas Cremonenſis* fuit, lemmatis author *Campanus*.



In

Vrbem advenienti ſacro Aodreæ vertici occurrere: Hoc ne fieret, argenti moles impedivit, quo ſacra capita ſunt ioclusa, nam ſupra quatuor millia pondo feruntur. Decretum tamen, ut qūibus diebus ante meridiem B. Andreæ caput per urbem eveheretur; poſt meridiem Apoſtolorum capita publicè in Laterano omnibus oſteoderentur. Cardinales itaquè Narniam miſſi recognitis ſigillis, oſſa venerati Sanctiſſima, ea cum tremore, et ſummà reverentià ſuſcipientes detulerunt ad pontem Milvium die Palmarum An. 1462. & in ipsà pontis turri per noctem ſervanda collocarunt, duobus Archiepiſcopis excubias agentibus. Die ſequenti occurrit Pontifex per portam Flaminiam, palmæ ramum manu geſtans cum Cardinalibus, & legatis Principum. Plena erat omnis via populo. Cum primùm in prata ventum eſt, iuſſit Papa Cardinales ac Prælatos ab equis deſcendere, & ſacerdotalibus acceptis ornamentis ſuggeſtum conſcendere, quod paratum erat. Erant omnia Sacerdotum paludamenta alba, albæ mitrę, & in viridi prato candidiores videbantur. Erant duo aditus in ſuggeſtum per gradus: alter oppoſitus ponti Milvio, Vrbi alter. Dum Pontifex hunc cum Clero aſcendit præ gaudio, & devotione illacrimans. Beſſarion cum duobus aliis Cardinalibus alterum ſcandit, arculam deponens in medio altaris, cantoribus ſacra carmina intonantibus. Exin facto ſilentio, apertà arculà Beſſarion ſacrum Apoſtoli verticem flens flenti Pontifici tradidit. *Pius* priuſquàm ſacra oſſa contingeret flexis genibus, antè arā proſtratus, vultu pallenti & demiſſo, madidis oculis, tremulà voce ita loquutus eſt.

Advenisti tandem, ò ſacratiſſimum, & odoratiſſimum ſancti Apoſtoli caput, Turcarum te tuà ſede furor expulit. Ad fratrem tuum Apoſtolorum principem confugisti exulans: non deerit germanus tuus tibi: reſtitueris in ſolio tuo cum gloria, volente Domino; licebitquè aliquando dicere, ò felix exilium, quod tale reperit auxilium. Interea temporis cum tuo germano aliquandiu commoraberis, & pari honore cum eo potieris. Hæc eſt alma Roma, quam propè cernis pretioſo tui germani ſanguine dedicata: hanc plebem, quæ circumſtat, beatus Petrus Apoſtolus frater tuus pientiſsimus, & cum eo vas electionis ſanctus Paulus Chriſto Domino regeneravit. Nepotes tui ex fratre Romani omnes te veluti patruum, patremquè ſuum venerantur, colunt, obſervant, et tuo ſe uti patrocinio in conſpectu magni Dei non dubitant: O beatiſsime Apoſtole Andreas, veritatis prædicator, et aſſertor Trinitatis eximie, quanto nos hodie gaudio reples, dum verticem hunc tuum ſacrum, et venerandum coram aſpicimus, qui dignus fuit in quo viſibiliter ſub ignis ſpecie in die Pentecoſtes ſanctus reſideret paracletus? O vos, qui Hieroſolymam petitis ob reverentiam Salvatoris, viſuri locum ubi pedes eius ſteterunt, ecce ſedem ſancti Spiritus, ecce divinitatis ſolium: hic hic conſedit ſpiritus Domini, hic tertia in Trinitate perſona viſa eſt, hic oculi fuerunt, qui ſæpe Dominum in carne viderunt: hoc os ſæpe Chriſtum eſt allocutum: has genas non eſt dubium, quin ſæpè Ieſus fuerit oſculatus: en magnum ſacrarium, en charitas, en pietas, en animæ dulcedo, en conſolatio ſpiritus. Et quis eſt, cuius viſcera non commoveantur? cuius non ardeant intima cordis? cui non excidant præ lætitià lacrymæ in conſpectu tam precioſarum Apoſtoli reliquiarum? Gaudemus, exultamus, iubilamus adventu tuo (diviniſsime A *Apoſtole Andrea) Neque enim dubitamus quin tui capitis comes adſis, & cum eo Vrbem ingrediaris. Odimus Turcas Chriſtianæ religionis hoſtes, in hoc non odimus, quod tui adventus cauſa fuerunt; nàm quid nobis optatius contingere potuit, quàm tuum hoc honoratiſsimum intueri caput? eius fragrantiſsimo perfundi odore? Id moleſtum eſt, quod adventanti tibi non eos honores impendimus, quos mereris; nec te poſſumus pro tuà excellenti ſanctimonià dignè ſuſcipere: ſed accipe voluntatem noſtrā, atquè æquo animo patere, quod pollutis manibus tua contrectamus oſſa: et te peccatores intra mœnia comitamur Vrbis. Ingredere ſanctam civitatem, et eſto propitius Romano populo: ſit omnibus Chriſtianis ſalutaris tuus adventus, ſit pacificus ingreſſus tuus, ſit felix fauſtaq. tua nobiſcum mora. Eſto noſter advocatus in cœlo, et unà cum Beatis Apoſtolis Petro et Paulo hanc Vrbem conſerva: et univerſo populo Chriſtiano pie conſule; ut veſtris patrociniis fiat miſericordia Dei ſuper nos: et ſi qua eſt eius indignatio propter peccata* B *noſtra, quæ multa ſunt, tranſeat ad impios Turcas, & ad nationes Barbaras, quæ Chriſtum Dominum contemnunt.*


Provocauit oratio omnium lacrymas. Pontifex finità oratione ſacrum caput exoſculatus, & omnes pariter qui erant in ſuggeſto flentes oſculati ſunt, & rurſus Pontifex. Qui iterum poſt imploratam Apoſtoli tutelam adverſùs Turcas, venerandas elevans reliquias populo oſtendit. Moxquè voces altiſſimæ auditæ ſunt Dei implorantes miſericordiam, ita ut omnes circumvalles ſonum redderent. Poſt hæc altà voce canticum cecinere *Te Deum laudamus, &c.* Quo finito novum hymnum adiecere. Deſcendit exin Pōtifex de ſuggeſtu luminaribus undiquè circundatus, & venerabile pignus manibus ſuis portavit in urbem. Ad portam urbis Cleri pars adſuit cum ſacris, Apoſtolo occurrens venienti. In Eccleſià B. Mariæ depoſitum eſt ſacrum caput, Epiſcopis diſpoſitis, qui C vigilias agerent per noctem: ipſe etiam in cubiculo apud eandem Eccleſiam præparato pernoctavit. Die ſequenti ad Baſilicam Vaticanam delatum, in arà maximà collocatum fuit; ſermone à Nicæno tunc habito, *Ecce frater tuus Beatiſſime Petre, &c.* Pio Pontifex reſpondit affectu: *Si loqui poſsent B. apoſtolorum corpora, &c.* Quà celebris ſupplicationis pompa proceſſit, nullus fuit locus, in quo aliquid admiratione dignum non eſſet. Triginta mille faces ardentes in proceſſione Cleri & populi eà die ſupputatæ ſunt. *Gobelinus l. 8.*

18. *Catherina* Senenſis concivis *Pii* II. miræ eloquentiæ virgo, & digna glorià immortali (cuius vitam ſcripſere S. Antoninus, B. Raymundus Capuanus) migravit ex hac vità Anno 1380. Sepultà Romæ in monaſterio S. Mariæ ſuper Minervam ordinis ſui, & inter Sanctos relata à Pio II. An. 1461. D Literas habes Canonizationis in Bullario Romano, in quibus virgo ſancta nō vulgariter laudatur à Pio.

19. *Librorum*, quos ſcripſit, nudi ſuperſunt tituli. *De Miſeriis Curialium* l. 1. Hiſpanicè, latinè prodiit An. 1529. *De educatione liberorum* ad Ladislaum Regem Ungariæ. *Solutionem quaeſtionum l.* 1. *De duobus Amantibus* l. 1. prodiit in 4. *Contra Thaboritas de Communione corporis Chriſti*. Prodiit Gallicè 1562. Pariſiis. Ad Nicolaum Cuſanum *l.* 1. *De fide ad Turcam* latinè, Gallicè, Italicè prodiit 1584. *De profectione in Turcas* l. 1. Ad Epiſcopum Cracovienſem l. 1. *De ortu & hiſtorià Bohemorum.* Extat M. S. Patavii in bibliothecà Cathedralis Eccleſiæ. Publicè prodiit plurib. In locis *Præcepta Rhetorica Pro laude Homeri.* Londini. *Bullam Chriſtianorum militantium in Turcas.* 16. *Parallelum Alphonſinum*, ſeu Commentarium in 4. libros Antonii Panormitę. *De dictis & factis Alphonſi Regis Aragoniæ.*

Hiſtoriam Aſiaticam. Pariſiis 1534. Coloniæ 1573. *De Aſiâ Minori. Hiſtoriam Europeam*. Pariſiis 1534. *Rerum in Italiâ ſuo tempore geſtarum l. 12. Hiſtoriam Germanicam de auctoritate & ortu Imperii* Romani. *De origine & progreſſe S. Rom. Imperii. Hiſtoriam de geſtis ſub* Friderico III. *De Ungariâ, & geſtis in eâ. Faſciculum rerum expetendarum. Decadum Blondi Epitomem*. Extat M. S. Patavii in cathedrali. *De bono Pacis ad* Alphonſum. *Hiſtoriarum Opus imperfectum. Geographiam totius* Orbis incæperat. *De ortu Nili. De Concilio Baſileenſi*. Extat Piſauri M. S. *De fato. De ſtudio venandi. De præſentiâ Dei. De Grammaticâ* Dialogum *in Turcas*, ſed imperfectum, teſte Ciaconio. De clade univerſalis Eccleſiæ. *De rebus à ſe geſtis* à Ioanne Gobelino editis, ampliatis vel ſecundum Philippum Brictium corruptis. De Clade *Conſtantinopolitanâ. De pravis mulieribus. Epitaphiorum* libellum, *Orationum* librum. Extat M. S. Florentiæ in bibliothecâ S. Laurentii. *Orationem in Conventu Mantuano*. Extabat M. S. Patavii apud Ph. Thomaſinum. *Orationem ad Calliſtū III.* Ibidem. *Orationē alteram coram Cardinalibus. Orationem de morte Eugenii IV. creatione* Nicolai. *V.* coram Foderico Rom. Impet. *De adventu capitis S. Andreæ, & de ſanguine Chriſti. De erratis Pariſiēſium*, teſte Ciaconio. *De dignitate Cæſaris*. *Orationem Mantuæ pro reſponſione ad* Gallos. Extabat apud Thomaſinum. *Obitum Nicolai V. creationem Calixti* III. *Ib. Reſponſum ad Martinum Megerum pro eccleſiâ Romanâ. Epigrammata, variaquè poematum genera*, quorum magna pars Baſileæ periit. *Sententia in medium Proverbii*, quæ prodiere Baſileæ An. 1575. *Remedium Amoris*, Gallicè prodiit Pariſiis An. 1548. unà cum libris de *Eurialo & Lucretiâ duobus Amantibus*, & opuſculo S. Ovidii Sulmonis de arte amandi. *Hiſtoriam Amorum Eurialo & Lucretiæ*, ut ex Antonio Verdero & Franciſco à Cruce in *bibliothecis Gallicanis*. *Epiſtolarum Opus* quadruplici ordine diviſi. Primæ ſunt, quas ſecretarius ſcripſit Imperialis. *Secunda* Epiſcopos Senenſis *Tertiæ* Cardinalis, Ultimæ Pontifex *Conſtitutione Eccleſiaſticas varias. Bellas retractationum Suarum*.

Tantarum elucubrationum memoriam ſervat numiſma, in quo libri, volumina ſub titulo. *Velociter ſcribentis ſoboles*. Quod ſynodi Baſileenſis ſcriba ſuerit, & Abbreviator litterarum Apoſtolicarum. Reſtiturus eſt nummus, *Ne tanti Eccleſiæ, Paciſquè Amantiſſimi Pontificis* (ut inſcribitur) *deleatur memoria*.



20. *Hæreticos*, Plures excommunicavit Pius: inter quos *Sigiſmundum Auſtriæ Ducem*. Nicolaum Cuſanum Cardinalem tit. S. Petri ad vincula, & Epiſcopum Brixinenſem, cum quo pro limitibus Eccleſiaſticis diſſidebat, carceri dederat Sigiſmundus, auroquè ſpoliaverat, & publicis ſyngraphis. Cenſuris percuſſus Auſtrius, à ſententiâ Apoſtolicâ provocavit ad futurum Pontificem, vel futurum Concilium Æcumenicum, provocationemquè nefariam ad valvas affixit Eccleſiæ Florentinæ, ut ita inſtigante *Gregorio Heimburgenſi*, qui ſuæ lenociniis eloquentiæ in Eccleſiā abutebatur. *Acta* habes apud *Gobellinum*, & *tom. 2. rerum German*. Annos quatuor religionem contempſit *Sigiſmundus*; donec principatu omni exutus ab hoſtibus ſuis, quos in eum Romana excitavit Eccleſia, ope eſt reconciliatus divinâ, *Friderico* Imperatore Auguſto concordiæ interprete, & cum ſumma ſedis Apoſtolicæ gloriâ coram legato Pontificio in genuà procidente, qui non antea ſurgendum putavit, quàm pænitenti indulgentiam conſequeretur. *ep. 282. Cardinal. Papienſis*.

Reges excommunicati à Pio II.

Excommunicavit etiam *Georgium Podiebracium*, qui in præmium hæreſis Vviclefianæ uſurpato regno Bohemiæ, fidem ſimulabat catholicam, ne Catholicos in ſeipſum concitaret. Cæterum lue infectus Huſſiticâ, iuxta *Compactata* ſynodi Conſtantienſis, Calicis communionem exigebat tanquàm divinitùs revelatam, ſinè eâ obedientiam Romanæ dettactabat Eccleſię. Ex adverſo Cardinales iuxta decreta Conſtātienſia, Calicem cognoſcentes laicis nec utilem, nec neceſſarium propter effuſionis periculum, non ſolùm in turbâ communicātium, ſed cum ad ægrotos deferrur; nè plebs indocta (quæ ſenſibus ducitur) niſi ſub utraq. ſpecie cōmunicaretur non ſumi à ſe totū Chriſtum & integrum crederet; reſpondebant: Conventorum memoratorum modò nullam vim eſſe; quòd Synodus calicem iis tantum permiſerit, qui ſponte ſuâ piè depoſcerent, & per ætatem liceret; lege perpetuo adiectâ, ut miniſtri pręfati populis antè calicē debeant; non in pane carnem tantùm, nequè in vino ſanguinem tantùm, ſed ſub ſingulis totum Chriſtum atquè integrum contineri. Hęc cum Bohemi non ſervarint conventa, evanuiſſe. Cum reliquis Chriſtianis conveniret Bohemia, qui veluti diſcipuli in Emaus euntes in ſolâ fractione panis Dominum agnoverunt, nec arrogantiâ ſingulari ſcinderent tunicam Chriſti, poſtulando quod aliæ nationes licer regales expoſcere non audent. *Papienſis l. 6. in Comment*. Hactenus Pontifex ad Oratores, quibus adiunctus *Fantinus* orator Pontificius, ut in aures Georgii fideliùs & ſanctiùs Apoſtolica pervenirent mandata. His auditis Georgius exutâ larvâ Regis Catholici, cæpit ſedem Romanam tanquàm cathedram deteſtati peſtilentię. Moxquè violato gentium iure *Fantinum*, cui pugione vitam eripuiſſet, ni à ſuis fuiſſet cohibitus, coniecit in vincula, ac *Procopium Rabenſteinium* præfectum regii ſigilli, fidei ſuſpectum orthodoxæ, teſte *Cochlæo l. 12*. Simulavit ſæpè pænitentiam, ut Pontificem deluderet, donec repetitâ perfidiâ meruit per Pium II. anathematizari, & à Paulo II. deponi, ut dabimus in *vitâ Pauli II*. Excommunicavit etiam *Pius Dietherum Moguntinum Archiep*. quòd temerè appellaſſet ad futurum Concilium: teſte *Gobelino. Serario &c*.

De cōmunione ſub utraque ſpecie.

Ædificia extructa à Pio II.

Ædificandi ſtudio vehementer delectatus, impenſis ſuis Scalas templi Vaticani vetuſtate collapſas inſtauravit. Veſtibulum ædium ad dignitatem & loci tutelam munivit. Aream pro templi foribus rudeřibus purgatam ſternere parabat. Porticum, undè Pontifex populo benedicere ſolet, inchoaverat. Tybure arcem perfecit. Senis quadrato ſaxo gentilibus ſuis porticum faſtigiatam extruxit. Vicum *Corſinianum* civitatem fecit: templum teſtudineum, & ædes extruxit ornatiſſimas. Sepulchrum marmoreum paternis oſſibus Senis erexit, quòd diſticho notavit ſequenti.

Ædificia Pii II.

Silvius hic iacet conjunx Victoria mecum eſt,
Filius hoc clauſit marmore Papa Pius.

Creatio Cardinalium.

Trinâ Promotione creavit Cardinales XIII. quorum geſta dabimus libro de *Vitis Cardinalium*.

PAV-

PAULUS SECUNDUS
PONTIFEX ROMANVS CCXIII.



SÆculum ecce *Aureum* in quo (ſedente Paulo II. Romano Pontifice) rerum omnium fuit plena tranquillitas. Romæ ita abundabat Annona; ut agros colere dedignarentur coloni. Iuſtitia tàm victrix, ut peccare erubeſcerent. Et hæc eſt pars Sæculi Aurei.

Eligitur An. Sal. 1464. die 30. Aug. coronatur die 16. Septemb. Obiit An. 1471. nocte præcedente diem 26. Iulii, vel ſecundum alios die 5. Kal. Aug. Cum vixiſſet Annos 53. Menſes 10. dies 3. ſediſſet Annos 7. Minus uno Menſe, & quatuor diebus. Vacat ſedes dies XIII.

E L O G I V M.

Anni Sal.IPa. 1464.1 1

EX Petro [1] Barbo Formoſus A
Indè Marcus, Paulus tandẽ Põtifex Romanus.
Matthæum non ineptè dixiſſent,
Quòd ex [2] telonio vocatum. (dit.
Navẽ cõſcẽderat, cũ auditâ *Eugenii* electione, deſcẽ.
Etiam Petrus, mare cum iuſſus deſcendere,
Navem conſcendit Eccleſiæ.
Vir grandævus [3] quæſivit Muſas, nec invenit.
Solis artibus patriæ,
(Quę ſatis ad Romanam Rempublicam) ſcivit:

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.
In eius electione primũ ſuffragiũ natura cõtulit, — Anni Sal.IPa. 1464.1 1
Corporis ſpetie, quę digna imperio.
Cætera ipſe prenſavit comitate morum:
Quæ ſola apud Venetos venalis eſt.
Ad aras non religione, ſed affinitate vocatus,
Clementiâ, Pietate, [4] Iuſtitiâ
Prophana correxit exordia.
Electum placuiſſe Deo;
Modus electionis eſt argumentum:

Sine [5] *Diſcordiâ.*
Cardinalis [6] *Media* Rota morbo claudicans,
Cũ adoraturus nollet, vel nõ valeret accedere:
Paulus ad eum venit.
Etiam cum ad Deum peccatores non aſcendunt;
Deus ad peccatores deſcendit.
Exultavit Roma viſo Paulo:
Qui ipſo aſpectu Pontifex
Præalto, corpore ſolus æquabat Petri ſolium.
Fabula pœnè eſt Sæculum Aureum;.
Sub Paulo hiſtoria fuit.
Cum Romę ita abundaret [8] annona;
Ut agros colere dedignarentut coloni.
Lites cum inter arma crevisſent,
Quæ ceſsare debuerant:
Ut à ſceleratis peccaretur impunè:
Iuſtitiam revocavit ad limina.
Et hac eſt pars Sæculi Aurei.
Ni ſæculum dicas ferreum,
Quod Princeps ſuo corrumpit exemplo.
Reges iuravit Paulus, abiuravit Petrus:
Cum ligari nequeant claues Regni Cœlorum.
1466.10 Senſit [10] Bohemia gladium Pauli (tibus,
Et per ſuũ *Podiebradiũ* reſtituto calice ſacerdo-
Volẽs, nolẽs eſt unâ ſpetie ſacramenti contenta:

A Populum ut exarmaret, armavit Magiſtratus
Spreto ſanguine, & auro.
Germani, Angli, Hiſpani, Galli sẽper diſcordes
Paulo convenère ſequeſtre,
Ut Turcas [11] onerarent, ſeipſos exonerarent.
Armatur Religio, cum exarmati Principes, 1470.16
Mutuo ſe ſe fœdere complectuntur.
Ex pauperibus [12] ſolos, quos ignoravit, nõ aluit.
Tributa Deo debita ſolvit, inſtauratis [13] tẽplis
Quibus magnificẽtiã ſuã delineavit, nõ incluſit.
Hiſtoricos [14] paſsus eſt inimicos, iure forsàn:
Quòd literas non magni faceret.
Benè facere nil prodeſſet; niſi eſsẽt, qui benè dicerẽt.
Vel dicas Ævum meditanti,
Actuarios eſse Angelos deſtinatos,
Qui Poeſim canunt ſed ſinè fabulis.
Quomodò defecerit Paulus? nonnullus ignorat.
Morientem [15] namquè nemo vidit,
Niſi ille, qui mori iuſſit.
Apoplexiâ fertur oppreſſus, nõ tamẽ imparatus.
Solet ſæpe mors heroibus inſidias ſtruere,
Quos palam aggredi non audet.
Fallitur verò non fallit, ſi paratos inveniat. 1471.11
Morienti adſtaíse Iuſtitiam, ne dubites:
Sine quâ nunquàm thorũ, vel thronũ aſcendit.

ADNOTATIONES IN PAULO II. PONT. ROM. CCXIII.

Pauli II. nata, lia. 1 EX *Petro Barbo.* Nomen hoc Pauli II. antè adeptum Pontificatum. Venetiis naſcitur, ex nobili, ac vetuſtâ *Barborum* familiâ (quæ ab Ænobarbis gente olim Romæ illuſtri, ita *Petrus Iuſtinianus l. 8. Hiſtoria Veneta;* originem traxit) ex patre *Nicolao, Polixenâ Condolmeriâ* matre; ſorore Eugenii IV. Vtriuſquè inſignia hic conſpiciuntur, tranſverſa ſilicet faſcia Leoni ſuperaddita.



Mores. 2 *Ex telonio* vocatus dicitur, quia cum adhuc iuvenis vela daturus eſſet mercimonii causâ, quod apud politiores nationes ſemper in pretio fuit (*quid enim nobilitas, niſi antiquæ divitiæ?*) & iam ſcrinium atquè arma intuliſſet in triremes, auditâ electione *Eugenii* Pontificis avunculi ſui, ſubſtitit; ita adhortantibus amicis, & fratre natu maiore *Paulo Barbo*, qui fratris indole cognitâ, & quietis cupidâ magis quàm negotii, *Eugenium* Florentiæ convenit, rogans, ut Petrum nepotem ad ſe vocaret, initiatumquè Sacris,
Dignitates. aliquo dignitatis gradu inſigniret. Nec mora. Bononienſem Archidiaconatum, poſt Cerviæ Epiſcopatum commendatione adeptus, ac Protonotarius creatus ex numero *Participantium*, aliquot annis vitam duxit nullo incomodo rei familiaris. *Platina.*

C 3. *Vir grandævus quæſivit Muſas* preceptore uſus *Iacobo Ricionio*, qui vigilias et induſtriã diſcipuli laudare conſuevit. Habuit & alios preceptores, quos omnes excepto *Ricione*, dum Pontifex eſſet, dignitate & facultatibus honeſtiores reddidit, oſtendens per eos non ſtetiſſe, quo minùs doctior evaderet. Non tamen, ætate obſtante, *admodum* profecit. *Platina. Volaterannus. Sabellicus.* Immò teſte Platinâ, *Humanitatis ſtudia ita oderat & contemnebat, ut eius ſtudioſos, uno nomine hæreticos appellaret. Hanc ob rem Romanos adhortabatur, ne filios diutiùs in ſtudiis paterentur, ſatis eſſet, ſi legere & ſcribere didiciſſent.* Platinam ſubterfugere, lector, noluiſne ſtudio crederes me Pauli laudibus inhiare. Verùm in vitâ Pauli quantum Platinam fugere debeas, ſat erit adnotare; longo carcere Platinam à Paulo maceratum fuiſſe. *Malignitati falſa ſpeties libertatis ineſt*, Tacit. *Hiſtor.* 1. Platinæ fides eſſet, ſi ſaltem cum eodem Tacito gloriari valeret: Paulus mihi *nec beneficio nec iniuriâ cognitus.* Carcere cognitus & torturâ non in hiſtoriam excitat, ſed in vindictam. Iraſcen-
D tem Platinam adversùs Pauli Pontificis manes abundè prævidit *Ioannes Antonius Campanus ep. 397.* apud Cardinalem Papienſem. Audito namquè funere Pauli, ſequentia ſcribit amico. *Multa ſunt Romæ, quorum nuncium à te expecto. Iucundiſſimum erit quicquid à Calendis Sextilibus ſcripſeris;*

Literatura.

Platina infenſus Paulo II.

Scire etiam cupio, quantum nunc Platina ſævit:
Manibus an parcat, abſtineatque pira?
Sin defeſſa cavo diſiecerit oſſa ſepulchro?
Sparſerit in ventos, preſſerit an pedibus?
Et Platinæ quidem quis non ignoſcat, ſi ſit iratus?
Sed parcendum eſt mortuis, quibus qui malè dixit, fa-

cer-

cile oſtendit; non audere ſe certare cum repugnantibus. Hinc eſt quòd Platinæ hiſtoriam de Vitis Pontificum, Auctores primæ claſſis clauſerunt in Pio II. advertens vitam Pauli II. non hiſtorico exaratam calamo, ſed ſtylo ferreo, & ſatyrico carmine in odium & vindictam, quam paſſus erat, iniuriæ. Te in vitâ Pauli (inquit Papyrius Maſſonius) Platina, non ſequemur. Iratus enim & inimico animo ſcribere videris, remquè hiſtorico indignam facere, quem irâ & odio rapi indecorum eſt. Nonnulliſquè interiectis: Paulus (inquit) naturâ iuſtus, & clemens habitus, ut Platina inimici verbo utar, Pontificiam dignitatem ſic exercuit, ut neque eum laudare magnoperè poſſis, neque acriter vituperare. Platinæ ſatyræ elogium obiicitur Cardinalis Viterbienſis, qui de Pauli literaturâ ſequentia poſteris mādavit. Literas eas calluit, quas potuit ediſcere. Grandis natu cum priùs in mercaturâ more patrio ætatem triviſſet, amavit tamen fovitquè quoſdam bonæ indolis & literarum virtutumquè ſtudioſos. Patrum numerum auxit, aſcripſitquè decem ſenatores, in queis Franciſcus fuit Minorum Generalis, qui poſtea Sixtus IV. fuit. Quam cautè dignitates diſtribuerit eccleſię, Purpurati à Paulo electi exemplo ſint, natalibus vel moribus omnes clariſſimi. Propliana ſanè eius fuerunt exordia nam ex telonio tranſivit ad aras.

[Quàm cautus in diſtribuendis dignitatibus.]

[Iuſtus, Clemēs]

4. Clementia tamen, pietate, Iuſtitiâ inopiam penſavit eruditionis, teſte Viterbienſi. Tàm liberalis Paulus fuit, ut pauci egentium non donavit: tàm iuſtus, ut furum, ſicariorum, maleficorum nemini pepercerit; tàm clemens, ut occidi neminem paſſus ſit. Exilia peccata paulò poſt donabat veniâ: magnu aut ad triremes, aut ad carceres condemnabat (Venetorū hæ artes) Literas calluit, quas ediſcere potuit, &c. Patrum numerum auxit, in queis Franciſcus Minorum Generalis, qui poſtes Sixtus IV. fuit. Dicebat in rebus aliis hominem eſſe poſſe, in Eccleſiarum rectoribus creandis Angelum, in collegio augendo Deum Pontificem eſſe oportere: qui in altero peccet impium, qui in altero dæmonem eſſe exiſtimandum: in illo unam Eccleſiarum proſtitui, ac viro alieno coniungi & non ſuo, in hoc Eccleſias univerſas periclitari tum ob ea, quæ quotidiè per Senatum decernuntur, tum ob ipſos Dei vicarios, qui è Senatu creari conſueverunt: quamobrem alterà hac culpâ non unum tantùm, ſed plures ſimul peſſumdari, perdiquè Pontificatus. Fuit Paulus eruditione Pio minor, animi magnitudine, & augendæ Reipublicæ ſtudio non inferior, Sacrarum rerum exornandarum curà minor: uterq; iuſtus, uterq; clemens; ille eloquentiâ, hic magnificentià melior. Vterq; in Eccleſiis collocandis diligens, in hominum delectu accuratus: ille ad externa recuperanda, hic ad domeſtica exornanda incitatior: ille facilis in admittendis omnibus gratiſſimus: hic difficilis non niſi noctu: viſu graviſſimus, & admirabili veneratione adorabatur. Et infra. Illum Domi vox, foris forma, gravitas, ornatus, commendabat: nàm ut omittam alia, corpore erat adeò procero, ut ad Sacra procedens, humero tenùs populum ſupereminerer. Et infra. Facundia & literaria ſtudia ornabant Pium; Paulum gravitas, liberalitaſquè commendabat: ille fovendis bonis ingeniis: hic viduis, virginibus, epiſcopis, nobilibuſquè pauperibus ſuſtentandis operam dabat: alter ineruditum Epiſcopum vocabat aſinum: alter avarum Pontificem lupum appellabat. Ii omnes eſſe doctos; hic neminem pauperem eſſe laborabat: amaba: ille elegantiora ingenia, hic viros magnanimos atquè liberales. Floruere ſub Pio mirum in modum bonarum artium ſtudia: incredibilis ſub Paulo iuſtitia viguit: omnes in eo principe poeſim, oratoriam, & cultiores Muſas adamabant: nemo hoc Pontifice, vel ſeditiones civitatum, vel viarum latrocinia exercebat. Ille ut nemo eſſet ignarus literarum: hic ut tuta eſſent omnia procurabat. Foit Paulo ad ſervandam iuſtitiom, ad iuvandos egenos, ad Sacra exornonda maius ſtudiū. Et infra. Paulus aditu difficilis, exoratu plerumquè durus, ſed qui deindè præſtaret longè plura, quàm aut vultu aut oratione polliceretur; ut cedere vel verbis contendendo, vel re preſtando nulli mortalium velle videretur. Deniquè ſi doctrinam aſpicias, Paulus non modò Pio ſed nemini Pontifici non ceſſit: ſi domeſticam diſciplinam ſpectes nec Pio, nec Pontificum ulli ceſſit: Domi enim ſolus (concordat Platina) monſtra non aluit: nulla in familiâ inſolentia, nullus faſtus, ſumma in omnibus tum ut eſſet, tū modeſtia, imperabat: qui ſecùs ageret, eum quàm primùm, è familiâ amovebat. Hinc Platinæ horreſce mendacia fingentis, quòd In colligendis pecuniis ita diligens fuerit, ut ſęper beneficia & Epiſcopatus his committeret, qui officium aliquod venale haberent, unde elici munus poſſet. Omnia enim officia ſuo tempore venalia erant, quam ob rem factum eſt, ut qui Epiſcopatum vellet aut beneficium, officium aliquod emeret, quo lenocinio conſequeretur optata, ſuperatis competitoribus omnibus doctrinâ & probitate vitæ, quovis magiſtratu, & honore dignis. Præterea cum Epiſcopatus vacaret, quo plures Annatæ eodem tempore ſolverentur, digniores (ut ipſe prædicabat) ad uberiores epiſcopatus movens, magnam pecuniarum vim undiquè colligebat. Redimendarum quoquè penſionum uſum non improbavit. Hucuſque lingua maledica, & vindictæ cupida, quæ tamen vel invicta liberalitatem Pauli ſinè laude præterire non valuit. His autem (Hinc adiungitur) pecuniis interdum etiam ad liberalitatem utebatur. Nam & Cardinales pauperes maximè, & Epiſcopos & principes, ac nobiles domo extorres, virgines, viduas, ægrotos frequenter iuvabat. Cur itaquè avaram dicis liberalitatem? Avaritiæ (ſubiicit Philelphus l. 35. ep. 1. ad Sixtum IV.) nunquàm in Paulum ſuſpicio cecidit, qui & omnem ſemper ſimoniacam licitationem, ac pravitatem perinde atquè peſtiferum morbum oderat, & indulgentias item ipſas temporum neceſſitate conceſſas, quoniam lucrariæ viderentur, magnâ ex parte abrogavit. Quæ verò vel expectativæ appellantur, ex quibus ipſis grandes theſauri conflantur, cui quam inhibuerit, omnes ſciunt. At maledici calumniatores illius viri abſtinentiſſimi parſimoniam, quæ pulcherrima virtus eſt, invertunt, & in avaritiæ nomen transferunt.

[Species corporis.]

Crapulę etiam accuſant Paulum Platina, & Volaterranus, ſed uterquè proprio ſtylo confoditur. Audi Platinam: Varia ciborum genera ſibi apponi volebat, & peiora (nota) quaquè ſemper deguſtabat. Clamabat interdum, niſi quæ expetebat, ex ſententiâ ei appoſita fuiſſent. Bibaciſſimus quidem erat, ſed vina (nota) admodùm parva, & diluta bibebat. Peponum eſu, cancrorum, paſtillorum, piſcium, ſuccidiæ admodùm delectabatur: quibus ex rebus ortam crediderim apoplexiam, quà è vitâ ſublatus eſt. Hinc quàm impiè Mornæus mentitus ſit in hiſtoriâ Papatus p. 581. verbis illis, Sūnt qui dicant à diabolo noctu in ipſo venereo actu ſtrangulatum. Solius Mornęi hęc fabula, qui nec inter hoſtium caſtra comitem invenit. Platina namquè, Cardinalis Pa-

[Calumniæ Mornæi in Paulum]

Papienſis, ac Raphael Volaterranus, licet cēſores acerrimi geſtorum Pauli, omnes unà ſentiunt apoplexià cecidiſſe Paulum. Immò Raphael Volaterranus diſſonans à Cardinali Papienſi (nā is nullo adſtante ſcripſit defeciſſe Paulum) Architecto Ariſtotele adſtante obiiſſe tradit. *Paulus poſt cœnam* (ita Raphael Volaterranus) *cum Architecto Ariſtotele de traducendo Vaticani obeliſco in plateam Baſilicæ* Petri *ſermonem haberet, obruente crapulà, repentinè ex apoplexià interiit l. 22. Antropol.* Conſarcinant etiam diſtichon Ioh. Pannonii Epiſcopi, & Poetæ coætanei Pauli, quo incontinentiæ arguunt:

Calumniæ in Paulū.

Pontificis Pauli teſtes nè Roma requirat
Filia, quam genuit, ſat docet eſſe marem.

Cujus fidei ſit Mornæi teſtimonium? lectori ſatis: quòd ſolus, unicus, & hæreticus. Quòd ſi Paulo filiam etiam permittas, conditionem lector recordare laicalem, ex quà vocatus ad ſacerdotium: quo ſuſcepto, undè Paulum accuſes incontinentiæ non habes. Cum (eodem *Mornæo* teſte) *eam*, quam filiam dicunt, *non ſinè pudore conſpicere poſſet*. Paulum incontinentiæ accuſantibus Philelphus reſpondeat; *Incontinentiæ illum accuſant, quo neque frugalior erat, neque temperantior quiſquam. Satis is nobis debet videri continens, qui à delicatioribus obſoniis, ac potibus ſe potiſſimum continet: hinc enim fons manat ad omnem voluptatis intemperantiam. Quando illum audivimus bis repleri in diem? Obſoniis autem quàm viliſſimis uteretur, ipſe vitæ exitus declarat. Fuerat Paulus Pontifex duas diei partes & ampliùs occupatus in eorum cauſis audiendis, atque expediendis, qui ex toto ferè terrarum orbe, eò convenerant, non modo octava martii ieiunus hora præterierat, verùm etiam nona, quod erat cœnandi tempus apud Romanos: menſa apponitur ieiunio defeſſoque Pontifici; at quibus referta obſoniis: regalibus ſane & perſicis, quibus tandem peponibus ſcilicet, & minutis-iſtis albiſque piſciculis, qui capiuntur in Tyberi, huiuſmodi enim eſculentia ad panem addiderat. Quo autem vino Cretenſine, an Cyprio, an Rhodio, an Leſbio? ex ipſo etiam Tyberi mera aqua: quibus ſanè rebus effectum puto, ut ille ſibi mortem quodammodò conſciverit; nàm cum vellet naturæ vim omnem vehementiorem fervoremque compeſcere, non ſatis duxerat vino ati diluti ſſimo ſemper; ſed eo die aquà merà; & admodùm frigidà potui uſus eſt. Itaque ex iſtiuſmodi eſculentorum ac potuum malà, & turbulenti concoctione variis ſurgentibus flatibus, tum meatus, per quos fit reſpiratio, illico ſunt obſtructi, tum mors continuò, nervorumque omnium contractio conſecuta. Sed ii, qui aut huiuſmodi cauſas naturæ ignorant, aut ſunt animi livore atque odio in ſanctiſſimum patrem illum exulcerati, alii inſcitià, alii malevolentià novas fabulas per Italiam diſpergunt: quare tai numeris eſſe arbitror pater pientiſſime, & optime, ut tanta vel hominum imprudentiæ, vel impietati conſulas, quo vel caſtigando, vel plectendo veritati ſit locus.*

Paulus an bardus fuerit?

Iuventā nunc Pauli repetamus, quū purpurà donatus ab Eugenio IV. ægre tamen *quòd natura bardus eſſet, ac craſſà cervice, ex Volaterano.* Calumnia & hæc cæteris non diſſimilis. Quia ſecundùm relationem eiuſdem Volaterani, ac Platinæ Cardinalis ab Eugenio creatus eſt, *inſtantibus quibuſdam Eugenii familiaribus, ut haberent, quem Aloyſii Scarampi medici Patavini obiicerent potentiæ. Æque iſte ſago ac toga de Republicà meritus Chriſtianà cum Piccinino devicto libertatem ſedi reſtituiſſet Apoſtolicæ,* Romanum *Pontificem à multis redemiſſet periculis, Vrbem metu levaſſet, cives, oppida, rura, agros ab ingenti bellorum peſte liberos reddidiſſet, eà apud Eugenium auctoritate pollebat, ut nihil Pontifex Aloyſio decerneret inconſulto.*

Aloyſius Scarampus.

Anteceſſoribus charus Traguerienſem primo Epiſcopatum, deindè Archiepiſcopatum Florentinum, demùm ex Venetà gente primus Patriarcha *Aquileienſis, tandem unà cum* Petto *Barbo Cardinalis. De quibus Eugenius dixiſſe fertur, ſe duos Cardinales creaſſe, ſed alterum meritorum gratià, alterum conſanguinitatis affectu. Tantus favor in invidiam ceſſit, ac Romæ mulionibus in proverbium venit, dum mulos agerent. Eia Villanus, ſi eſſet Paduanus, fieres* Papa, *aut Caſtellanus.* Patavinos namquè omnes, qui ad eum confugiebant, hilariter ac ſummo honore recipiens, liberaliſſimum ſe ei exhibebat. Tanto viro cum aulici Barbum quærerent, ut obiicerent, ac Patavini potentiam confringerent, non eſt probabile Barbum bardum fuiſſe. Hinc tanta ſimultas inter hos duos Cardinales orta, ut in Romanà curià nunquàm maiori odio certatum fuerit. Egerrimè quidem ferebat Barbus primum ſibi locum apud Pontificem ſurripi & ſibi ex ſorore nepoti, ac Veneto patritio hominem præferri alienigenam. Patavinam cum exoptaret Eccleſiam Barbus, Ludovicus ſub ſpetie lavandi ad balneas, Patavium petiit, indè Venetias, ubiquè molitus ne illam Barbus conſequeretur. Eadem de causà *inimicitiam non vulgarem exercuit cum Fanciſco Condulmerio V. Cancellario ex amità Eugenii nato: quo deinceps mortuo* (ita Platina) *totam ſe in Patriarcham vertit, licet ſæpè intercedentibus amicis in gratiam rediiſſent animo ſimulato. Mortuo Eugenio, eique Nicolao V. ſuffecto, tantum apud hominem gratià & blanditiis valuit, ut et primum ipſe locum è natione ſuà apud ipſum tenuerit fratre Nicolao hominem adiuvante, qui ita Nicolaum animavit, ut Aloyſio dignitatem diminueret camerarii. Erat enim Barbus naturà blandus, arte humanus, ubi opus erat. Præterea eò indignitatis plerumquè deveniebat, cum precando, rogando, obteſtando, quod vellet, conſequi non poſſet, ut ad faciendam fidem precibus lacrymas adderet. Hinc Pius Pontifex* Mariam pientiſſimam *appellare interdum per iocum ſolebat* (Platinæ non diſſentit Hieronymus Garimbertus) *His quoquè artibus apud Calliſtum uſus, eò perpulit hominem, ut Aloyſium cum triremibus in* Turcas *mitteret, oſtendens hominis amplitudinem, huic tantæ rei maximè convenire, cum aliàs et exercitus duxiſſet, et ditionem Eccleſiæ ab hoſtibus conſtanter tutatus fuiſſet. Hac demum moleſtià liberatus Barbus Calixtum deinceps ita in ſententiam ſuam ſemper traxit, ut donec vixerit, nullius magis, quam huius conſilio uſus ſit. Facile præterea quicquid volebat à Pontifice impetrabat, ſuà vel amicorum causà. Erat enim propenſior in amicos: & quos in clientelam ſuſceperat, quibuſcumquè rebus poterat, iuvabat, ac conſtantiſſimè tuebatur, cum apud unumquemquè magiſtratum, tum maximè apud Pontificem. Tanta præterea humanitatis fuit, ut in ægritudinibus curiales ipſos, qui aliquo in pretio erant, inviſeret: & quibuſdam remediis adhibitis, eos ad valetudinem hortaretur. Semper enim domi habebat unguenta Venetiis avecta, oleum, theriacum, et cætera id genus, quæ ad curandam valetudinem faciant. Ex his aliquid ad ægrotos mittebat. Curabat item, ut uni ſibi magis quàm alteri ægrotantiam*

Maria dicitur Pientiſſima.

tiam

tium teſtamenta committerentur, quæ poſtea ex arbritrio ſuo partiebatur: & ſi quid inerat quod ad rem ſuam pertineret, facto tamen ſub haſtà pretio, id ſibi pecuniâ vindicabat. Romanorum verò quorundam amicitia delectatus eſt, quos ſæpe in convivium adhibebat tum ad iocum, tum ad riſum: quem & Pirabiſius ſunt & Franciſcus Malacaro ſalibus, mimis, dicteriis, ſcommatibus frequenter non ſine urbanitate excitabant. His quidem actibus effecerat, ut tum civibus Romanis, tum aulicis ipſis charus putaretur. Ne *autem domi tantum poſſe videretur, foris etiam auctoritatem ſibi comparare annixus eſt. Nam & in Hernicos (quam nunc Campaniam vocant Romanam) profectus ad quoſdam ſedandos populos de finibus contendentes: & litem componere inter comitem* Averſa *&* Neapolionem Vrſinum *conatus, paulum abfuit, quin turpiter captus, in vincula conieceretur, adeò in eum comes* Averſus *ob quandam verborum licentiam, malè animatus erat. Re itaquè infectà abiens, homini ſemper adverſatus eſt.* Mortuo Callixto, in eius locum ſuffecto Pio, cum permutare Epiſcopatum Vicentinum in Patavinum inſtando nimium, anniteretur, & Pii Pontificis, & itam ſubiit Venetorum, ut eius beneficiorum bona ad publicam manum receperint, fratrem Petri è Senatu amoverint, ac ne quis poſſeſſionem beneficiorum eccleſiaſticorum iniuſſu Rogatorum conſequi poſſet, lege ſancierint. (*Platina*, & *Gobelinus l. 4. Comment. p. 95.*) In gratiam Reipublicæ reſtitutus licet ſponte Patavinæ ceſſiſſet Eccleſiæ, *Idem p.* 100. violentus non deſtitit extorquere favores. *Pio* electo Pontifice, cum accepiſſet Viturbii obiiſſe rectorem eccleſiæ Parochialis S. Mariæ Prunetanæ agri Florentini, in quo Virginis imago eſt, quam mirà religione populi venerantur tanquàm pluviæ ac ſerenitatis donatricem (dives illic templum, & aſsiduis mortalium votis inſigne) eam ſibi commendari à Pontifice eſlagitavit; petitionis causà nec verà, nec honeſtà, *Rectorem defunctum fuiſſe familiarem ſuũ.* Omnes enim ſuę adſcribebat familiæ, qui cum aliquandò ſalutaſſent. Pio indigna petitio viſa eſt, reſponditquè parochialem eccleſiam, ad quam populi frequentia eſſet, Cardinali non eſſe commendandam, eam præſertim, quæ laicos haberet patronos, monuitquè Cardinalem, *ut maiora expectans, æquo animo ferret non impetraſſe.* Indignatus ille, *Si parva* (inquit) *non impetro, qui ſperem magna? Non eſt ut video, cur amplius ad te mover: meliùs in eccleſià meà Vicentinà ſerviam Deo: ſinè me domum ire.* Cui Pontifex *Perge* (ait) *et ſinè te Romana eccleſia gloriam retinebit. Nemo facultatem abeundi, petat, qui noluit impetrare, decipietur, nulli negabitur. Nemo namquè eſt, in cuius locum æque bonus, aut melior ſuffici nequeat.* Meliùs verò conſultus Barbus medio Philippo Cardinali Bononienſi errorem profeſſus rediit in gratiam Pii, quem tamen non diù poſt lapſu offendit graviori, *ſchedulam per Thomam cubicularium Pontifici mittens, in quà petebat literas arreſtari, quæ de rebus ſub ditione Venetorum conſiſtentibus, ſe inconſulto decernerent, hoc idem à Callixto aſſeverans conceſſum. Schedulam cum legiſſet Pius: Ergo* (inquit) *nonne Veneti, ſed Cardinalem S. Marci ſummum Pontificem adorabunt? ſi potuit Callixtus ſuperiorem ferre, non poteſt Pius hominem mortalem. Deo tantùm et ſacris literis ſubiecta eſt auctoritas noſtra. Quibus dictis papyrum roſecit.* Gobelinus ib. *p.* 38. *l.* 2. Mortuo Pio

Importunus in rogando.

5. *Sine diſcordià* ipſe ſuffectus eſt. Modum electionis deſcribit Papienſis *l. 1. Com.* Iuſtis *Pio* ſolutis more vetuſto; *Chriſtophoro Mauro* Venetorum Duci Senatus datus eſt, obviantibus duobus Cardinalibus. Laudavit *Maurus* vota defuncti, obitum deflevit intempeſtivum, hortatus tandem Patres ad electionem Pontificis, qui vel proſequeretur inceptum, vel ſe iam Eccleſiæ exemplo bellum ingreſſos collatis opibus adiuvaret, acceptis triremibus, quæ in portu erant inſtructæ Anconitano, 52. millibus aureorum Matthiæ Vngarorum Regi tranſmittendis, abiit. *Patres ad legendi Paſtoris curam converſi* (ita Papienſis) *Romæ legendum eſſe conſtituebant, quòd collega nonnulli propter ſenium venire Anconam ipſi non poterant, ſed magis quia ſanctis legibus ad id cogebantur, electionem agendam, ubi eſſet curia Romana, quam Pius ad leniendos de abitu ſuo Romanorum animos, apud eos reliquerat. Maturandum autem multis ex cauſis, atquè iiſdem gravibus indicabant, quarum illę non ultima erant, quod novi quotidiè motus diverſis in locis noſtræ ditionis nunciabantur, paſſimquè erat licentia, quaſi decuſſo iugo quęlibet in quemlibet audiendi, nec ante finem habitura videbantur, quàm vindex fuiſſet electus.* Anconà itaquè Romam reverſis, conclavi iam conſtituto VI. Kal. Septemb. An. 1464. in Vaticano, primæ cuſtodiæ præfuerunt decem Epiſcopi qui cibaria, vel alia ad Cardinales ſcrutarentur delata. Secundæ oratores Regum & Principum, qui Romæ aderant. Tertiam milites aſſervarunt Prætoriani. Diem, quæ ſecuta eſt ingreſſum, totam formandis legibus impendere. *Iurabat quiſquè Patrum Deo, S. S. Apoſtolis Petro et Paulo, quiſquis eorum ad Pontificatum eſſet aſſumptus inchoatam expeditionem in Turcas, quantum Eccleſia Romana opes paterentur continuare, proventum aluminis ad eam rem integrum adhibere, lapſos curialiũ mores ad diſciplinam reducere; Curiam de provincià in provinciam ſine plurium ex patribus in Italiam, extra Italiam ſine omnium aſſenſu, qui ſubſcriptionibus pateret, non trãsferre; Concilium generale intra triennium cogere; Cardinales ad 24. reſtringere; neminem aſſumere qui annum non excederet* XXX. *Theologum vel Canoniſtam, nec niſi unum huius generis hominem de cognatione ſuà eligere: in eligendis ſententias patrum non in aures tacitè, ſed ex ſubſelliis ad declinandos errores palam accipere: de ſacerdotiis maioribus comittendis, non niſi in conſiſtorio ſententiis auditis decernere, nec ad ea nominandi nulli omniaò permittere: non privare quemquam Epiſcopum vel* Abbatem *ad Principum poſtulata:* Cardi*nalem non damnare, quàm ex* Patrum *ſententià: non diminuere patrimonium eccleſiæ: nulli non ſubdito bellum inferre inſciis patribus: teſtamenta curialium libera ſinere: nulla noviter indicere portoria: principi tributum de clericis non concedere:* Arces *maiores cuſtodiendas cognatis non tradere: nec ducem eccleſiaſtici exercitus conſtituere: Demùm primò quoq. menſium omnium conſiſtorio imperare has leges ad innovandam memoriam ex ſcripto ſe præſente recitari. Quotannis ad Kal. Decemb.* & Martas *ſeorſum à Pontifice convenientes cognoſcerent, an ſervata illo iudicarentur, id ſi minùs factum intelligerent, charitate, quæ filiis in parentes eſt debita uſquè ad tertia rememorationis officia, tranſgreſſionis & periurii illum monerent, & ad obſervantiam precarentur.* His ſancitis, die ſequenti poſt ſacra peracta procedentes Patres ad ſcrutinium, ex viginti, qui conve-

Papa eligitur

Electio Pauli in Papam.

venerant, duodecim inventi ſunt Cardinales, qui Petrum tit. S. Marci elegerant, annos 48. natum. Duæ tantum voces cum deeſſent ad complendam electionem, ſubitò Patres alii quatuor uno fermè momento ad reliquos acceſſere, tantâ quidem celeritate, ut dubium apud nos fuerit, cuius eſſet vox prius audita. Cardinales etſi ſuperare ad perfectam electionem ſuffragia intelligerent, iamquè pro Papâ haberetur Petrus, tamen ut unus omnium eſſet conſenſus exquiri ſigillatim eligentium ſententias voluere. *Beſſarion* itaquè Tuſculanus Epiſcopus primum in collegio locum habens, unumquemquè ordine appellans rogavit, num ea placeret electio? cum verò ab omnibus, placere, reſponſum eſſet, cõverſus ad Petrum:

Vaticinium de eius Pôtific.

Patres (inquit) *hi te in Pontificem elegerunt: & ego omnium nominibus rurſùm te eligo.* His dictis ſalutatus eſt Pontifex, impleto *Malachia* vaticinio *de Corvo & Leone*, quia Epiſcopus *Cervienſis*, & Cardinalis S. Marci, cui pro ſtemmate *Leo*. Rodericus Santius *Hiſtor. Hiſpan. p. 4. c. 4.* Indiderat autem *ſibi Formoſi nomen* (*ſicuti mos eſt quemquè electum novam appellationem aſſumere*) *ſecutus credo religionem animi quandam, quà hiſtoriam eius legens, innocentiam adamarat, miraculo etiam poſt obitum comprobatam. Verùm cum ea res alludere ad eius ſpeciem videretur, quæ formoſiſſima erat, ſuaſus à Patribus in Marcum mutavit. Sed cum id quoquè* (admonente Papienſi) *minùs idoneum putaretur, quòd Veneti hac invocatione utuntur in præliis, ipſequè Venetus ſtuduiſſe patriæ affectibus nimium videri poterat, rurſùm in Paulum convertit. Incredibili lætitiâ à Patribus, & populo hæc excepta eſt aſſumptio. Populus ad Vaticanum conveniens gaudio exultabat, datum Pontificem credens, qui Romanis amica ſemper ſenſiſſet. Patres illum circumſiſtentes benedicebant Domino, quod ſinè ullâ contentione rem tranſigi contigiſſet: Idquè accidiſſet ſuo tempore, quod pauci noſtris ſæculis ſunt aſſecuti.*

Inimici conſulatue.

6. *Cardinalis Media Rota*, qui raró ei in vitâ conſenſerat, parum cæteris conveniſſe eſt viſus; Is erat Ludovicus, in cuius ædibus erant convocati, Patavio ortus & *profeſſione medicus, qui apud Eugenium IV. à quo Cardinalatum acceperat, auctoritate antè alios valens, huic Petro ſororis filio ſemper infeſtus, etiam ad hanc electionem veterem mentis acerbitatem attulerat. Ad hunc tamen quòd æger pedibus è ſellâ ſe movere non poterat, acceſſit Paulus, complexuſquè hominem conſolatus eſt, & bono animo eſſe imperavit.* Cardinal. Papienſis l. 1. Auditâ Veneti *Pauli* electione decem oratores gratulatum publico nomine primores Senatus miſere *Al. Foſcarenum, Triadanum* Grittum, *Vict. Capellum, Hier. Barbadicum, Zach. Triviſanum, Nicol. Superantium, Petrum Mocenicum, Andream* Leonum, *Nic.* Tronum, & Hectorem *Paſqualicum l. 8. Hiſtor. Petri Iuſtiniani.* Eugenii Paulus avunculi inſiſtens veſtigiis Regulares Canonicos in Laterano reſtituendos iudicavit, ſæcularibus non amotis, quibus tamen morientibus neminem ſubſtituebat, ut tandem beneficia confluerent ad Regularium alimoniam. *Platina. Papienſis.*

Reſtituit Canonicos Regulac. in Laterano.

7. *Prælato*, &c. vide exordium vitæ, in explicatione hieroglyphici.

Eius Symbolum.

8. *Annona*, &c. Peractâ coronatione Paulus, in Symbolum ſumpto verſiculo: *Benefac Domine bonis, et rectis corde*, teſte Papienſi l. 2. (quod etiam in nummiſmate legitur, cuius in fronte inſignia vides *Barba*, & *Condolmeriæ* gentis, tranſverſam ſcilicet faſciam Leoni ſupperadditã, bis percuſſo; tempore ſcilicet purpuræ acceptæ Cardinalitiæ, ac Pontificatus) *ad adminiſtrandum converſus, variis hominum ſermonibus operum initia duxit, cum & nonulla benigni animi argumenta ſint indicata, et pleraquè moribus priſtinis multum contraria. Cardinalibus, qui ſacris induti veſtibus à prælatis inferiorum ordinum, præterquàm loco non dignoſcebantur, uſum mithræ ſericeæ Damaſceni operis, rubraquè capitia indulſit, quibus ſoli Antiſtites Romani eà utebantur: ſubſellia quoquè tàm ad Senatus quàm ad ſacrificiorum conſeſſum altiùs elevavit, aureos menſtruos centum ſingulis patrum inſtituit, quibus annua quatuor millia ex ſacerdotiis non provenirent: Epiſcopis quoquè multis vel eiectis ſedibus, vel inopes Eccleſias poſſidentibus pro conditione liberaliter non pauca erogavit: humanum autem perhorrens ſanguinem in reos etiam graviſſimorum criminum ſolis carceribus vindicare ſat habuit.* Papienſis.

Ornat mithrâ.

Gemmarum cupidum & lapillorum fuiſſe, mithra eſt argumento, quæ tribus educta coronis Regnum apellatur, tantis ornata lapillis, ut ſupra centum & viginti millium aureorum fuerit æſtimata. Eius uſum cum Archiepiſcopi uſurpaſſent Beneventani, & corpus Dominicum ante ſe circumferre auderent ad æmulandam maieſtatem Romanam, ſubiecto prohibuit edicto Anno 1466. Annonam ita curavit, ut toto ſuo Pontificatu vili vendita ſint victualia, (*Platina*) more patrio, ubi tota Rectorum cura, circa Annonam atquè Iuſtitiam. Familiaris omnibus atquè benignus, noctu tantùm populorum, & Principum voces auſcultabat, ut ſolis diebus exceptis Senatus, in quibus tanti officii causâ ſomnum remittebat pranderet ad veſperam, ac die albeſcente cænaret; undè auditi nemo antè noctem facile poſſet, & perpetim vigilare, quibus negocium eſſet, neceſſario cogerentur.

Annonam curat, & Iuſtitiã.

Conatur leges abolere promiſſas.

9. *Leges* à Cardinalibus deſcriptas pro bono Eccleſiæ regimine cum iuraſſet Paulus Cardinalis, confirmaſſet Pontifex, ut ſupra vidimus *n* 5. verbo deficiens, de legibus abolendis cæpit vehementer inſtate. *Fiebatquè eo inſtitior* (teſte Papienſi) *omnis eius contentio, quòd inter ſubſcribendum circumſtantibus palàm edixerat, etiam ſi conſtituta non eſſent, ſe ſuâ ſponte eas ſervaturum fuiſſe. Has tamen delere tentabat alienâ magis inſtigatione, quàm ſuo propoſito. Erant inter miniſtros eius domeſticos duo Cardinalatum magnoperè ambientes, Stephanus Archiep. Mediolan. & Theodorus Ep. Tarviſinus, qui videntes deſideria ſua his legibus impediri quòd numerus Cardinalium iuſto maior nonniſi longâ expectatione rediturus ad legitimum videretur, ſimulato in Pontificem affectu agere cum eo de his abrogãdis cæperunt, Indignum, aientes, vicariam Chriſti poteſtatem humanis conditionibus ſubdi: Ipſumquè alienæ moderationis miniſtrum videri:* Tarviſinus *ſummi ingenii vir qui multos iam annos ad tribunal Rotæ exercuiſſet iudicia, fidemquè veritatis haberet, facile inſinuationibus hiſce rem Paulo perſuadet: litteris non multum imbuto, tum ſui iuris admodùm retinenti. Itaquè ex amborum ſententiâ nova quadam leges quaſi ex perſonâ Patrum ſcribuntur, quarum erat obtentus, quòd priores illæ cognoſcebantur inutiles:* Induxiſſe *eos has novas, quibus tantum obnoxium eſſe Pontificem vellent, & cuiquè ad ſubſcriptionem offerre cæperunt: imperioſius*

io-

totam rem iam contendentes. Inventi inter eos nonnulli ſunt, qui gratia magis quàm anima obſecuti, manus ſtatim requirentibus dederint. Qui verò iuſiurandum expendebant, eam inconſtantiam à Pontifice deprecabantur, Pudendam rem, aientes legum damnatores videri, quarum nuper conſtitutarum vix dum eſſent attramenta ſiccata. Quare animo ille ad pervincendum firmato, agere in diem ſeveriùs cum Patribus cœpit, promiſsis, minis, maledictis; nullumquè erat tentanda mentis tormentum quod ad oppugnandum horis omnibus non adhiberet. Nicanum Cardinalem prima ſententia patrem, fatigatum diu intra cubiculum, moxquè inſuperatum egredientem manu intùs retraxit, foribuſquè occluſis eo anguſtiarum adduxit, ut anathema illum pronunciaret, ſi non ſtatim ſubſcriberet, quin, & poſcentibus quibuſdam, ut perlegendi ſemel libelli ante acciperent poteſtatem, gravatè indulgebat: manu nonnunquàm inter ſubſcribendum ſcripturam contegēs totam, ne ſcriptorū vanitas appareret, quæ calidi artificis formata ingenio plena erat verborum effugiis. His machinis debilitati Patres (ep. 182.) *Subſcripſimus omnes* (inquit) *partim cupiditate aſſequendorum, quæ volumus, partim metu, ne quotidiana indignationis ſuæ ſuſtineamus flagella. Fateor molles fuimus, delicati, ac noſtrimet nimium cupidi: reſpeximus non quæ Dei ſed quæ carnis & ſæculi ſunt: nemo tamen probavit. Solus Io: Carvaial genere Hiſpanus, ætate grandævus, meritis magnus conſtantiæ laudem invenit, turpitudinem hanc eſt deprecatus, nec ullis tentamentis ingenioſi poſtulantis propoſito dimoveri eſt paſsus, ad ſingulas colluctationes ſic excuſavit, quod iuvenis non cōmiſi, non committam ſenex, ut me recti pæniteat: tibi propter has leges moleſtus non ero, tantum finito dignitatis, & conſcientiæ me rationem habere. Vir profectò dignus non qui nobiſcum ſedeat, ſed qui præſideat ad conſilium ſedis Romanæ.* Nonnullis interiectis graviſſimam addit Papienſis ex eiuſmodi facinore ſchiſmatis ſuſpicioocm obortam. *Non ſine* (inquit) *gemitu refero ſcindendæ eccleſiæ materiam præbitam, qui viderit legum ſententiam, magnitudinem iuſiurandi, ac voti vim decreti in extremâ paginâ poſiti, hæc mecum ſuſpirabit & gemet. Vltionis tamen in auctores mali argumenta ſtatim manifeſta prævidimus: Mediolanenſis ſpe Cardinalatus ſæpè fruſtratus abſtinere etiam curiâ neceſſario coactus eſt. Theodorus Tarviſinus Cardinalis ſecretò factus, in languorem miſerrimum incidens, horà ſuprema vitæ, ad levandam vim morbi, indicante Pontifice, quod factum erat, agnovit: eoquè exceſſit acerbiùs, quòd dignitatem tanto peccato, tantàque anxietate quæſitam, auditam tantùm, & nec viſam intellexit dimittere.* Graviora paſsus Papienſis eſt (ſi ei fides io ep. 188. 173. 174. 190. 192. 204. 205. 208. 210. 211. 214. 215. 216. 217.) quòd Pontifici hortator fuiſset, ut nuncupatum iam votum de celebrando Concilio pro bello in Turcas inſtauraodo ſervaret. Nam mortuo *Franciſco Mediolan.* Duce, abſente in Galliis *Galeatio* filio, Pontifex (teſte *Platinâ*) miſſis ad Principes Italiæ legatis, & ad populum Mediolaneoſem, ut pacem initam ſervarent eo tempore præcipuè, quo à Turcis fides Chriſti vexebatur, cauſa fuit, quòd *Galeatius* in patriam rediens honorificè habenas conſequerctur imperii. Moribus tamen diſſimilis paternis, tumidus tyrannus protinùs ab Eccleſiaſticis ingens aurum corraſit ſpetie mutui, re verà nunquàm diſsolvendi, à cuius exactione

Infenſus Cardinali Papienſi.

neque Cardinales fuerunt immunes. Papienſem Cardinalem, qui auri portionem imperatam ſolvere renuerat, proventibus ſpoliavit beneficiorum; eius vicarium carcere damnavit, eccleſiæ bona ſub haſtà vænire iuſſit; cænobia, quibus Papienſis præerat, armatis complevit, ooo ſinè tamen Pauli II. Pontificis participatione, ita Cardinalem Papienſem ſibi adverſum reprimentis.

10. *Bohemia.* Mortuo *Pio II.* quaſi metu ſolutus *Podiebradius* Rex Bohemiæ comitia coegit eccleſiaſtica, ut auditis partibus, quæ viros 45. delegerat, religionis agitaturos cooſilia, ipſe uſurpato ſacerdotis officio, litem componeret. Hæretici Regis dexteram tenuit in ſublimiore loco hæreſiarcha *Rochizana*, qui ſe nullo iure pro Archiepiſcopo Pragenſi gerebat. Cœpit iſte calumniis oncrare catholicos, quòd uſum calicis laicis non porrigerent, & impium Regem demulcere blanditiis. Hinc reſponſurus *Hilarius* decanus Pragenſis, repetito ſuſceptæ à Bohemis fidei exordio docuit, quomodò poſt Moraviæ & Bobemiæ illatum Evangeliū à S. Cyrillo, & Methodio, Romano Pontifici Bobemia fuiſſet ſemper obnoxia; cui à Io: Papà *Dithmarus* Saxo in Epiſcopum præfectus, iuſſuſquè non Græcum ſed Romaoum ritum ioducere, quem fidelis ſervavit uſquè ad *Vvenceſlai* regnum, cum *Vvicleffi* hæreſis in Bohemiam irrepſit, quam tameo publica damnarunt comitia; licet nonnulli clerici quererentur ſe iniuſtè damnatos contra ſcripturam ſanctam, quam ſolam iudicem poſcebant controverſiarum: cum tamen *Deuter. c. 17.* imperet Deus, ut ſi de lege diſcrepent, ſit iudex Sacerdos, qui nunc eſt Papa Romanus. Plura dicentem *Hilarium* Rochyzana interrupit, in molliorem ſenſum torquere conatus *Vvicleffi* dogmata, præcipuè articulos de *Decimis*, & *Rege*: hunc Regem non eſſe, ſi labe pollutum mortali. Illas eſſe puras eleemoſinas. Si ita eſſet (ſubiecit Hilarius) eleemoſinæ in iudicio exigi non poſſent. Illud etiam Regis falſum eſt, quia *neſcit homo an odio, vel amore dignus ſit: & nemo poteſt dicere: ego ſum ſinè peccato; unde nemo poſſet eſſe Rex; ſed iuxta Vvicleffum, quælibet vetula poſset eſſe Rex, vel Papa; quia poſset dicere Regi, de ſolio ſurge, quia ego ſum dignior te.* Subriſit tunc Rex dicens: *Putas quòd ego ei ſtatim cederem?* Hilarius continuans dicebat. *In hoc error conſiſtit Vvicleffi, quod officia ſæcularia conſiſtant in merito, & non in auctoritate. Vtinam omnes Pontifices paris meriti cum S. Petro: bonum quidem eſset; ſed non ſuccedunt in merito, ſed in officio: ſicut Rex noſter ſuccedit S. Vvenceſlao, et Epiſcopus Pragenſis S. Adalberto: illi ſunt ſancti, de iſtis eſt adhuc dubium.* Vrgente autem Rocbyzanà, ut Rex Catholicos cogeret ad communionem ſub utraquè ſpetie ex compactatis; Reſpoodit Decanus, *compactata pro nobis non ſunt; nec unquàm Eccleſia Pragenſis contra* Romanam *deliquit Eccleſiam, ut cum eà pacta faciat.* Sed compactata videamus: in quibus primò dicitur. *Recipimus in primis unitatem Eccleſiaſticam. Vnitas Eccleſiaſtica ut in* c. 1. de Apoſtatis &c. firmiter, de hæreticis, *conſiſtit in tribus, in fide, charitate, & in obedientià; & quia ex corruptione fidei fit hæreſis, ex corruptione obedientiæ fit ſchiſma, & ex corruptione charitatis fraternæ fit anathema & excommunicatio. Si dicis recepiſſe unitatem Eccleſiaſticam ergo non fuiſti in eà: ergo Bohemi*

Bohemorum hæreſis

Pragenſis diſputatio inter hæreticos, & Catholicos.

fuerant hæretici, ſchiſmatici, excommunicati. Eccè tua pulchra proviſio honoris Bohemorum per compactata.

Item quæro cum quà Eccleſiâ receſiſti unitatem? non cum illâ prædeſtinatorum, quia neſcis an omnes in Concilio fuerint prædeſtinati; & tamen cum illis receſiſti, qui fuerunt viſibiles repræſentantes Eccleſiam. Item promiſiſti obedientiam ſacro concilio, & ſummo Pontifici, et prælatis, et tamen expreſsè prædicas contra illum tu et ſacerdotes tui, non permittentes adminiſtrationem ſacramentorum in Eccleſiâ Metropolitanâ Pragenſi contra omnem libertatem Eccleſiæ noſtræ, cum tam omnia iura dicant, quòd omnis Chriſtianus habeat tres Superiores, primò Pontificem, ſecundò Epiſcopum Diœceſanum, tertiò plebanum ſuum, à quolibet iſtorum poteſt homo ſacramenta recipere abſquè alterius requiſitione. Item (quod horrendum) rebaptizant eos, quos in Eccleſiâ Pragenſi baptizamus, non credentes in Eccleſiâ Pragenſi eſſe catholica ſacramenta. Circa confirmationem, audent ſacerdotes tui in fronte Chriſmare. In Euchariſtiâ panem aſſeris poſt conſecrationem remanere. De fide dicis communionem ſub utraquè ſpetie neceſſariam. Contra compactata dicentia, Communicabunt illi, qui talem uſum habent, *parvulos communicant uſum non habentes, nec rationem. Item contra Compactata non prædicant communicantibus ſub panis ſpetie contineri carnem & ſanguinem. Item Sacras irrident Imagines, aquã contemnunt Luſtralem, dicentes nil iuvare; Scio enim quòd aqua eſt, ſed benedicta, & iuxta D. Thomam, & alios, homo per peccatum inferior fit omni creaturâ: ſi igitur veniam petit, aſpergendo ſe aquâ benedictâ, cinere, vel ſale &c. ut ſe oſtendat humilem Deo, ſubiicit ſe iſti minimæ creaturæ, in quâ eſt invocatum nomen Domini, ac ſi dicat. Hæc humilis gutta aquæ, vel ſalis purificata per nomen Domini dignior eſt me peccatore, & ego me illi propter invocatum nomẽ Domini, & propter peccata mea ſubiicio. Ita fit iuxta Albertũ, quòd cum diabolus vilior effectus ſit omni creaturâ, campana, herba, incenſum, candela benedicta fugant aereas poteſtates, ut qui ſummo Deo ſuperferri voluit, minimæ creaturæ ſubdatur.* Has & ſimiles hæreſes obiicienti Decano, minimè condamnavit nec confutavit Rochizana, ſed ad inculcandã cõmunionẽ ſub utraq. ſpetie, prolixo ſermone contendit, eâ immeritò laicos non eſſe ſpoliandos; minimè diſtinguẽs *ſignificationem Sacrificii & efficaciam Sacramenti*: cum de neceſſitate ſit, ut fiat ſacrificium ſub utraquè ſpetie; non ſit autem de neceſſitate, ut ſit ſacramentum ſub utraquè ſpetie. Quod ſi in Evangelio legatur, mandaſſe Chriſtus in ultima cœnâ *Hoc facite, &c.* ad Apoſtolos ſacerdotio initiatos, non ad laicos verba direxit. Similiter Paulus ad ſacerdotes, ſcripſit non laicos, *Ego enim accepi à Domino, &c.* Ad auctoritatem verò Ioannis *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: reſpondit: *Bibere in Sacramento dupliciter contingere: Re & ſigno expreſſo, aut re tantum. Re bibitur etiam ſanguis ſub ſpetie panis, cum veraciter ſub primâ ſpetie contineatur ſanguis, qui eſt potus animæ. Bibere verò re & ſigno expreſſo, quod ſumitur de calice, bibitur.* Biduo interiecto cum Decanus iterum excitetur ad diſputandum cũ Rochizanâ, reſpondit: *Ad diſputationem non ſumus vocati, ſed ad exceſſus iſtorum declarandos, quod fecimus. Non ad diſputationẽ, quia nec eſt locus, nec iudex, nec auditores competentes. Conſerventur dicta noſtra, ſignentur annulo regio, mittantur ad dominum noſtrum Sanctiſſimum, qui reportabit ſententiam, ille victor ſit. Non his aures præbuit Podiebradius ſed impoſtorem Rochizanam velati victorem* Romanæ præferens Eccleſiæ, plus fidens in hæreticis, qui Georgio ſtatuam lapideam cum enſe, & calice aurato Pragæ in templo maximo poſuerant, quaſi Regem etiam adversùs Deum defendere poſſent, monita ſprevit Pontificis ſacra. Paulus dilationibus credens locum non eſſe, roganti Cęſari reſpondit, perdendum eſſe eum, qui ſpatio tàm longo ſanari noluerat. Fluctuabant purpuratorũ animi, quòd ultor tanti decreti certus non appareret. Cæſar ad omnia præpoſterus, Polonorum, Vngarorum Reges domeſticis laborantes diſſidiis, minùs idonei. Procerũ regni Bohemię non ſatis in Regẽ robur. Irritã proinde futuram ſententiam: illum regnare, ac verbis ſedem contendere Apoſtolicam. Sic nutantes Io: *Cardin. Portuenſis* hæreſum oppugnator acerrimus erexit. *Quid* (inquit) *metimur humanis omnia iudiciis? An non relinquenda magnis in rebus Deo ſunt aliqua? Si non aderit Cæſar, non Polonus, non Vngarus, aderit de excelſo ſancto Deus, & caput impiorum conteret. Nos munera noſtra impleamus: reliqua ille perficiet.* Hac voce erectis omnium mentibus, die à Chriſti natali quintâ, Ann. 1466. Pontifex *Georgium* regno malè olim parto, deteriùs indè geſto privavit. Bohemi audito Romanæ ſedis iudicio, à Georgii tyrannide plurimi ſeceſſere. Rex tamen Polonorum, ad quem uxorio nomine regnum ſpectabat, dubius erat. *Fridericus* Imperator more ſuo cunctando, id unum à Pontifice flagitabat, ne Polonum advocaret, confinibus ſuis in vicinitate tremendum. Immò palam dicebat; *Etſi damnandi Regis Pontifici iuſtitia fuerit, non utiquè ius eſſe regni tradendi: hoc totum Cæſaris eſſe.* Poloniæ itaquè Rege *Caſimiro* regni ſibi oblatum detrectante; Cæſare in diverſa abeunte; ad *Matthiam* Vngarorum Regem animum adiecit, ac verbis, literis in Georgium excitavit. Conſilia armavit auro, miſſis in belli ſumptus quinquaginta millibus aureorum. Aurum, ſpes regni dulcia affinitatis nomina antiquavit. Certatum bis, victoriâ ſemper Vngaris inclinante; donec Anno 1470. expugnatâ Spilbergâ, *Matthias* ab ordinibus regni, qui veterem religionem ſervabant, Rex Bohemię & Marchio Moravię, Olomucii ſalutatus, non longè poſt *Victorinum* Georgii filium victum & vinctum in ſuâ habuit poteſtate. *Georgius* auditâ filii captivitate, contabuit, nec longè poſt deceſſit Pontifici irreconciliatus, amiſſo regno, filiis, ſeipſo. *Cochlæus; Papienſis.* Erudimini Reges ſacra non ſpernere anathemata. Diebus quinque *Georgium* præceſſit impius Rochizana

Differentia inter ſacrificium & ſacramẽtum.

Damnatur Podiebradius.



Huſſitarum Calypha. Tantæ victoriæ, quà veritati Bohemia teſtitura catholicæ, numiſmata habes. In altero oves cernis non errantes, ſed redeuntes


ad

ad caulam agni immaculati, *pabulum* accepturę *ſalutis*, quales fuere Bohemi inter aſſidentes paſtores Petrum & Paulum. In altero ferarum venatione depictâ ſub illo Auguſtini lemmate, *Solum in feras pius bellatur Paſtor*, ideſt hęreticos, qui vineam Do-



mini evertere conantur. Paulus namquè naturâ clemens qui vel capitalia crimina carcere ſolo puniebat, non quievit, donec Regem contumacem regno ſpoliavit. Vel feras intelligit hæreticos quos (teſte *Platinâ*) ex oppido Poli in Æquicolis poſito, ad ſe vocatos, ignominiâ notavit & quidem graviſſimâ. Vel tyrannos, latrones annuit, quos victos, ut *Everſanos*, & *Malateſtas* corripuit, & carcere incluſit. Vel ſolemnem illam venationem alludit, quam miro apparatu edidit Duci Ferrarienſi in campo Merulæ. Romam venit *Borſius Ateſtinus* An. 1471. Mutinæ Dux câ pompâ, ut regiam vinceret. *Nicolaus Corrigius, Marcus Pius Carpi, Galeotus Picus Mirandula*, & *Mat. Maria Scandiani Domini* Borſium ſunt comitati, & cum his quingenti circiter honeſto genere orti, amiculis auro argentoquè diſtinctis obtecti, quos familiares ſequebantur. Sarcinæ à 200. mulis ornatis ferebantur. Iuvenes 60. pedibus incedentes ſinguli quatuor canes moloſſos loris vinctos ducebant; cum Vrbem iniit, 250. hominum millia ad ſpectaculum convenere. Nullus Regum, pompâ tam inſigni Romam venit. Die Reſurrectionis Dominicę à Pontifice Ducis Ferrarienſis titulo eſt inſignitus, cum anteà vicarii Pontificii poteſtate fungeretur. Ritum inaugurarionis deſcribit *Pigna l.8.* Dubium Trithemii, quomodò Papa Ducem creare poruerit? facile ſolvitur. Vt enim Fridericus Imperator iam antè eundem Mutinæ, & Rhegii Ducem creavit (quæ urbes Imperii ſunt fiduciariæ) ita Paulus Ferrarię, quæ eſt in poteſtate Romani Pontificis. Huc faciunt duo nummiſmata Pauli. Quorum unum ſub nomine *Paulus PP.II.* procumbentes exhibet ad pedes Pontificis. Ii eſſe dicuntur Magiſter Equitum Rhodiorum, & ipſi equites ſuppetias ab

Borſius Ateſtinus.



eo expoſtulantes teſte *Platinâ*. Paulus compoſitis Italię rebus, cum intelligeret militiam Rhodiorum ob inopiam ad nihilum redigi; eorum Magiſtrum ad ſe vocavit, qui poſt frequentes conventus ad S. Petrum habitos, tædio animi & ſenio confectus, moritur. Nummum iſtum non ad Borſium, nec ad Cæſarem pertinere ex eo probabis, quòd plures eodem tempore, & gradu genuflectant coram Pontifice.

Alterum nummiſma, in quo ambobus genibus



flexis unus procumbens, pedes deoſculatur Pontificis ſub lemmare, *Audientia publica Pontificis Maximi* dubium eſt. *Borſium* annuere poteſt Marchionem Ferrarienſem, vel *Federicum* Imperatorem, qui & ipſe Anno 1468. Kal. Decemb. In Italiam venit, voti ſolvendi causâ, teſte Papienſi *ep. 310. et l. 7. Comment.*) quòd ad ædem Apoſtolorum ex Germaniâ voverat. Hoc cum coguoviſſet Pontifex, *unum ex ordine ſecretariorum, quàm longiſſimè ire obuiam juſſit, negotio iniuncto, ut crebris nuntiis, de ratione viæ, et cæteris quæ cognoviſſet, ſine morâ ſignificaret. Indè vocatis in conſilium patribus, quatuor ex diverſis nationibus Epiſcopos deſignavit, Iudiceſquè Rotæ duos, et Conſiſtoriales Advocatos totidem, qui ſecretario ſuccedentes ſecunda ſalutationis officia exhiberent. Delegit quoq; Cardinalem Hoſtienſẽ, ac S. Euſtachii, qui præſtarent tertia, nõ tamen ultra bidui viam progrederentur. Poſthac de ingreſſu urbis agi eſt captum. Cuius ſolemnitas cum nequè ex Ceremonialibus libris, nequè ex hiſtoriâ reperiri tunc poſſet, aliter enim cum coronam petit, aliter cum privatæ rei causâ venit, accipitur Cæſar. Hæc deducendi ratio novo exemplo eſt ſumpta, ideò à me diligentiùs annotata, ut ſit poſteris in hunc caſum, quòd vel ſequi, vel adinvenire melius habeant. Cognitâ viâ, quæ illi per Flaminiam erat, cum iam et Piſauri ſecretarius, et non longè à Spoleto Epiſcopi, Cardinales autem ſexto ab urbe milliario obuiam illum habuiſſent, die ipſo adventus quadruplex gratulatio à quatuor hominum generibus per intervalla diei, & locorum eſt inſtituta. Primam ad mille paſſus trans pontem Milvium, ducente Procamerario præſtiterunt præfectus Vrbis, & Conſervatores regionum, capita reliquiquè magiſtratus urbani in eam pompam compoſiti, quam ludis teſtaceis circumferre ſunt ſoliti. Secundam ad ipſum pontem præſul Vrbinas, quem ſequebantur ſubdiaconi, omnes iudices Rotæ, clerici cameræ, acolyti, cubicularii, ſecretarii, advocati, diplomatum ſcriptores, item omnis curiæ miniſtri. Tertiam verò ad medium fere ſpatium, quod eſt inter portam, et pontem quæſtor ærarii: hunc magno agmine comitabatur tota Pontificis familia, toparchæ Romani, et belli duces, præeuntibus oſtiariis, cuſtodibuſquè Pontificum, his virgas ſericeas, illis argenteas claves manu gerentibus. Vltimùm Cardinales antè portam ſe exhibuerunt, ad eam viæ partem ordine collocati, quâ venienti ſiniſterior eſſet. Hos cum primo acceſſu vidiſſet Cæſar capillamento detracto, ſingulos apprehenſâ manu, et dato oſculo ſalutavit, gratiæ et benignitatis documenta oſtendens. Ingreſſo urbem præſto fuit umbraculum aureum, quo ſolemnibus ſuis uti conſueverat Pius, atq. antè Romani cives per* vi-

Federicus Imperator Romã venit.

vicos diſpoſiti, qui illud haſtilibus ſuſtinentes toto itinere per vices ſuccederent. Ad Baſilicam verò quantum à primis gradibus ad ſummum Altare pertinet collegia religionum, ſacerdotiorumquè dextra & læva in veſte ſacrà diſpoſita erant, hymnos tranſeunti Cæſari concinentia. Ad primos quoquè gradus vicarius templi cum ſuo collegio in mithrà & ſacro pluviali religiosè illum accepit, crucem, quæ in manu erat, porrigens oſculandam. Natalis Domini nox illa erat, & hora iam quinta. Pontifex qui expectare Cæſarem, atque excipere ad portam argenteam in veſtibulo conſtituerat, indecorum indicans illà horà eam rem fieri, in chorum aſcenderat, & ſacrum matutinum iuſſerat inchoari ad ſolium rediens. Ad eum igitur per media hæc collegia Imperator accedens, pedem, manum, & faciem deoſculatus eſt: ſed poſt pedis, manuſquè oſculum, allevant eum altiùs Pontifex, et de ſede aſſurgens, præcipuo affectu in utrumquè latus illum complexus eſt, moxquè in propinquà ſede collocans, inter ſe patreſquè ad dexteram medià, ad complendum ſacrum ſuo ſe loco continuit. Eo abſoluto diaconi Cardinales duo ad altare Cæſarem deduxerunt, ad cuius ille aditum primum in genua procidens oravit votum ſolvens, ac perſeveravit, donec divinæ preces ſuper eum à Pontifice mitterentur. Earum hæc fuit prima ſolemnitas. Cantaverunt altà voce duo ex choro: Elegit eum Deus, & excelſum fecit præ Regibus terræ. Chorus reſpondit: Glorificavit illum in conſpectu Regum, & non confundetur. Indè Pontifex reliqua peregit. Inde è ſolio deſcendens, dextramquè Imperatoris apprehendens, in cubiculum ad quietem perduxit. Cum verò non putaret hoc primo, ac pene tumultuario matutinæ laudis officio tantæ nocti ſatisfactum, ſolemnius aliud cenſuit iterandum. Itaquè ad horam XII. ſecundum indixit. In eo Cæſar vetuſto ſedis ritu, enſe de manu eius cum benedictione accepto, illoquè (ut erat nudus) armigero tradito, camiſeum, ſtolamquè albam et pluviale, miniſtrantibus diaconibus Cardinal. ſumpſit, iiſdemquè latus eius claudentibus, Evangelium lectionis ſeptimæ non iniucundè cantavit, lectionem ipſam eorum alteri proſequendam relinquens. Mane Miſſarum ſolemnia operatus eſt Pontifex, in quibus poſt communionē ſuā Eucharistiæ partē Cæſari obtulit in hoc reſervatā. Porrectū priùs illi pacis oſculū, obſervat Auguſtinus Patritius in M.S. Vallic. ſign. n. 27. p. 14. additquè immutatū etiam priſtinum morem participandi calicem miniſtrantibus. Communicavit (inquit) Summus Pontifex altaris Sacramentum cum Imperatore Diacono, & ſubdiacono de pane tantùm: de calice autem etſi conſuetudo ſit, communicantes cum Pontifice participare, propter inſurgentem tamen Huſſitarum, ac Bohemorum hæreſim, quæ calicis potationem ad ſalutem neceſſariam putat, præter Pontificem bibit nemo. Re divinà peractà, Pontifex cum Imperatore, & omni pompà ad Saluatoris noſtri faciem adorandam in ſudario expreſſam; Veronicam dictum, proceſſit, deindè ſuggeſtum conſcendens Cæſare aſsiſtente, benedixit populo, & veniam tribuit peccatorum. In ea denunciando (quod ſemper Latinè, & Italicè per Diaconos Cardinales fieri eſt ſolitum) cum in extremis verbis admonerentur turbæ, ut acceptæ gratiæ memores pro Romanà Eccleſià, & Pontifice ſuo orarent, additum eſt: & pro Friderico Imperatore noſtro, ut contra infideles, gentemquè hæreticam divinum illi ſemper ſubſidium adſit. Addit Patritius in M. S. Vallic. litera F. n. 73. p. 17. die Circumciſionis Cæſarem adfuturum ſacro, in templum Pontifici præcuriſſe, quo abſente, in throno ſedere ſibi parato noluiſſe, licet Cardinales ſedulò hortarentur. Venienti horà conſuetà Pontifici obviam Cæſar proceſſit uſquè ad aram maiorem. Sacro abſoluto Papa pincernam Cæſareum ſignis donavit militaribus S. Georgii, adſtante Cæſare manuquè aſsignandis inſignibus Pontificem adiuvante. Inde in Vaticanum reverſuri, Cæſar ut piè religioni ſatisfaceret, Pontifici equum aſcendenti adfuit citò, ſtaffamquè accipiens, tanquàm unus eſſet ex ſervis Pontificis, eam quoad Pontifex inſcenderet, tenere volebat, quod Papa humanitatem laudans religioſi Principis negavit. Quarto poſt die in Conſiſtorium veniens, quod dari ſibi ob publicam cauſam popoſcerat, adſtantibus Legatis Principum, per interpretem Præſulem Laventinum eſt ita loquutus. Iter meum, ſumme Pontifex, ad reddendum Deo votum (Iacob. Volater. Cardinal. Papienſis Com. l. 7.) libentius tamen ad ſalutem communem ſuſceptum eſt. Noſti clades per hos annos à Turcis illatas, & quæ nunc imminent vides. Egerunt Principes proximi quod potuerunt. Curas eorum, & vigilias novimus: non tam quidem illas felices, quàm ſuo miniſterio dignas. Meis quoquè conventibus, quos de Germanis Principibus eius rei cauſà plurimos haberi ſucceſſus non fuit. Impedimentis aſſiduis utrobiquè incaſſum iere conſilia. Veni propterea ad te, ut quam ſalutis viam non cerno, ſi qua hic eſt, tuo iudicio videam. Chriſtianorum ſummus es pater: Primam hanc eſſe curam oportet, proximam meam. Conſule in medium, & quid agendum, monſtra. Ego quæ ſuaſeris, libens iuvabo. Ad hæc Pontifex, nullo ante cum Patribus communicato conſilio, (id certè quod probatum non eſt) longà oratione, quæ ante ſe Pontifices, longiori quàm ipſe in eam diem egiſſet, ſigillatim recenſuit. Quod ad poſtulatum attinuit, neſcire ſe dixit, quid amodo conſuli poſſet: ita iam conſilium omne exauſtum cognoſceret. Rogare illum vicisſim, ut ſi quid attuliſſet ipſe ex Germanià prior proponeret. Dicente Cæſare ſe veniſſe non dandi, ſed accipiendi conſilii cauſa. Pontifice eadem iterante, in proximam ille aulam deliberaturus ſeceſſit, ubi horam fuit. Reverſus cum proceribus, & legatis qui ſecum in conſilium ierant, obtemperaſſe ſe ait, nequè in tantà conſiliorum inopià melius inveniſſe, quàm ut Conſtantiæ, quæ Italiæ propinqua, conventus Principum indiceretur, ad quem ambo accederent, & reliquos omni diligentià convocarent. Non placuit Pontifici ſententia. Ab exemplo præteritorum hunc quoquè inutilem contendit. Dimiſſo Conſiſtorio, dubitatum, Cæſaris nè, an Venetorum petendi conventū conſiliū fuerit? Qui Cæſaris fuiſſe arbitrabantur, ex hoc arguebāt cū nonniſi per legatos Cæſar quæſitam æſtimabant, non tā proficiendi ſpem, quam oſtentandæ religionis occaſione. Ut ſi quando maioribus ingruentibus malis querela populorum de Imperio, et Pontificatu eſſent, culpam omnem deſertæ ſalutis reiicere in nos poſſet, amiſſamquè vocante Mantuam Pio, ſuam æſtimationem, vocato nunc Conſtantiam Paulo redimeret. Qui vero inventum hoc Venetis aſcribebant, procuratam per hanc ſpeciem privatam eorum rem aiebant, non publicam: videlicet ut perlata ad Turcas tanti conventus fama terrore illis iniecto, vel pacem in ſuas leges conficerent, vel ad innovanda fœdera Italorum Pontificem, quo abſente tutiora eſſent domi omnia, incitarent. Quæ quidem ipſi nec petere, propter

Oratio Cæſaris in Conſiſtorio.

Cæſar revertitur in Germaniam.

ter elationem vellent, nec præterire propter neceſſitatem poſſent. Igitur proximo poſt Conſiſtorio, vocatis iterũ ad Concilium patribus, cum de reſponſo ſententiæ dictæ eſſent, cenſuit Pontifex, quacumque ratione conventus is peteretur, non videri è Republica eſſe. Placuit quoq. ne veniente ſæpius in ſenatum Cæſare (in quod ſine grandi expectatione eſſe non poterat) ſtudio rerum publicarum vincere nos videretur, quatuor ex patribus ad eum in cubiculum mitti, qui hoc decretum nunciarent. Et hic exitus Cæſaris poſtulatorum fuit; qui cùm 17. dies Romæ fuiſſet, in Germaniam reverſus eſt. Multis eum interim Paulus, magniſq; demeritus officiis eſt. Nunquàm cum proceſſerunt, paſſus eſt, niſi ex æquo eſſe: plerumquè autem dexterà eius apprehenſâ. Bis quoquè ad cubiculum ſuum deſcendit. Infra: *Victum ei & comitatui, qui ſexcentorum amplius equitum fuit largiſſimus præbuit. Abeuntem deniquè diverſis duum millium aureorum muneribus eſt proſecutus. Præſules nonnullos ire ſecum uſquè Caſenam iuſſit, qui totis Eccleſiæ oppidis ad impenſam itineris, & diverſorii commoda neceſſaria imperarent, &c.* Abeuntem Cæſarem uſquè ad portas Palatii Pontifex deducere decreverat; ſed ille recuſans, ante horam equitavit conſtitutam, feſtinatione ſuâ etiam Cardinales præveniens.

Vota Pauli II. in Turcas

11 *Turcas* aggredi ipſis Pontificatus exordiis Paulum cogitaſſe, teſtatur Papienſis. *Ep. 95.* Tres ex patribus primò delegit, ut conſilia agitarent decreto poſtea firmanda Apoſtolico. Interea proventum omnem aluminis, Deo & continuandæ expeditioni, totâ vitâ dicavit. *Idem ep. 42.* Venetos poſtea audivit, qui inſigni apparatu (decem erant ſenatores, quorum nomina habes ſupra *n. 6.*) legationem ferebant de ratione belli gerendi in Turcas. Offerebat Pontifex centum aureorum millia, quæ Veneti reſpuère tanto oneri inutilia. *Idem ep. 54.* Voto emiſſo Mahumethes. II. ruinam iuraverat Chriſtiannorum: ſed arma magis quàm Pagani vota meritò Paulus reformidabat, qui rurſum Peloponeſo ſine ullo prælio potitus, Chalcidi imminebat. Chriſtianos diſtrahebant plures in ditione Põtificiâ tyranni, quorum princeps *Anguillariæ toparcha Everſus* nomine, cuius impia facinora ab uno intelligas. Ad opus privatum ſubditos die compellebat dominico, dictitans quod ſi

Everſi tyrannis.

Domini erant illi dies, ſibi tanquàm Domino debebantur. Libidines, graſſationes, adulteria, homicidia, perfidiam in Pontificem Eugenium, Nicolaum, Calixtum, Pium parata veneficia recenſebat ad pompam. Tantam peſtem ſuſtulit Deus Anno 1464. teſte *Papienſi Comment. l. 2.* Succeſſere illi filii *Franciſcus*, & *Deiphobus* parenti moribus non diſſimiles, qui primâ belli denuntiatione territi Vpupam, Tolphãquè reſtituere. Dein cùm Caprarolam invaſiſſent, ſuperbaſquè adderent voces, bello petiti repentino, Federico Ferretano, & Neapolione Vrſino ducibus exercitus eccleſiaſtici, universâ ditione exuti ſunt. Evâſit fugâ Deiphobus; Franciſcus unà cum filiis in molẽ Hadrianã deducti ſalus fuere multorũ, qui *Ex tetris cavatiſq. ſub terram carceribus extracti ſunt* (teſte Papienſi) *quos tyrãnorũ crudelitas annos iam multos ſuppliciis affecerat miſerandis.* Hiſce implicitus *Paulus* pigrè admodum rem gerebat in Turcas. *Ferdinandus*

Ferdinandi Siculi avara conſilia

Rex Siciliæ cum Chriſtianis coire negabat, ſi aurum ei *Paulus* non remitteret vectigale, quod in eam diem Romanæ debebat Eccleſiæ. Sollicitatus à *Mahomete*

A imperium ſuum in Italiâ proferre Turcico adiutus ſubſidio (octingenta aureorum millia annuatim ei Turca pollicebatur, & affinitatẽ) quamvis nõ admittenda cenſeret exhibita, tamen ut ex petitis à Turcà ſuam oſtentaret amicitiam, terroremquè ſui ex oblatò incuteret ſubſidio, Pontificem conſuluit, quid agendum? Addebat Turcicum Legatum dimiſiſſe cum promiſſione deſtinandi legatum in aulam Turcicam, ne ipſum diutiùs ad ſe detineret. Si Orator mitteretur, Velonam, aliaquè finitima regna explorari poſſe. Conſultus *Beſſarion* Cardinalis negavit Oratorem ullum à *Ferdinando* ad *Mahometem* legandum, quòd ex hoc commercio nulla captari poſſet utilitas Chriſtianorum. Hanc à Turcis deſiderari, ut populis oſtentent ſibi ſubiectis fœdus ſibi, & amicitiam eſſe cum Chriſtianis, ut tumultus comprimant, & ſpem evertant auxilii. *Papienſis ep. 85.* Hiſce conſiliis diſtrahebantur Reges. Ferdinandus *Iacobi Piccinini*

B

captivitate ſuperbus, (is ſolus Regis contundere valebat pervicaciam) nuptiaſquè inter *Alphonſum* filium ſuum, & *Hippolytam* filiam Ducis Mediolanenſis non modò cenſum minui ſibi inſtabat, verùm & oppida, quæ in Neapolitano regno tenebat Eccleſia, repetebat. *Piccininum* (qui Sulmonem in Marſis, & alia oppida tenebat) *Franciſcus Sfortia* ad Ferdinandum miſerat, datâ fide, ſe quoties libuiſſet, incolumem redditurum. Sed aliter accidit. Neapoli captus cum filio, vitâ privatur, figmento adhibito, in carcere ipſum ſibi crus fregiſſe, dum redeuntes ab Iſchiâ triremes *Ferdinandi* de Gallis victrices, ſtudioſiùs quàm cautiùs inſpicit per feneſtram. Fuere etiam qui conſcium *Paulum* Pontificem ſuſpicarentur (teſte *Platinâ*) quòd illis diebus Archiep. Mediolanenſis à Pontifice ad Regem, & à Rege ad Pontificem frequenter commeaverit; dixiſſetquè Paulus auditâ Piccinini

Piccinini mors

C

captivitate, *Appellationum iudicem è medio eſſe ſublatum.* Sed verum eſt illud Virgilii

Neſcia mens hominum fati, ſortiſquè futuræ.

Nullius enim magis quam *Iacobi Picinini* operâ *Ferdinandum* Paulus reprimere potuiſſet, quando inter eos de ſolvendo tributo orta eſt contentio. Malateſtarum etiam accedebat cauſa, quo minus in Turcas vires verterentur Eccleſiæ. *Sigiſmundo Malateſtæ* frater cum eſſet *Novellus* nomine, qui adversùs *Pium II.* in bello Andegavenſi fratrem multis conatibus iuverat, eâ conditione fuit reconciliatus Eccleſiæ, ut civitas Ceſenæ & Bretenorii ad Eccleſiam redirent *Novello* mortuo, cui liberi non erant. Accedit mox in Pontificatu Pauli, ut vitâ functo *Novello*, cum legati ad fidem repetendam illicò miſſi rem perficere haud poſſent, impediente *Roberto* Sigiſmundi notho; immiſſo milite Ponti-

Italiæ plures Tyranni.

D

ficio, cives deditionem fecerunt. Ita uno fermè tempore duarum provinciarum loca ingratis adempta familiis, brevi ad Eccleſiam ſunt revocata. *Papienſis l. 3. Comment.* Tentaſſe etiam importunè Paulum Arimino *Sigiſmundum* expoliare *Malateſtam* qui (teſte *Philelpho lib. 21.*) à Venetis cum quinque millibus peditum, tribus millibus equitum Peloponeſum miſſus in Turcas, auditâ irruptione Pontificis, deſertis Venetorum ſignis, rediit in patriam, *Sagredus* ſcribit, non ſine Pontificis ignominiâ, quem poſtea ut perduellem inſimulandi anſam arripuere Heterodoxi. *Megerus lib. 16. Hiſtor. Flandriæ.* Fal-

litur

litur verò Sagredus: nàm Paulus haud arma movit in *Sigiſmundum Malateſtam* vicarium Arimini, ſed in *Robertum* Sigiſmundi nothum, qui proditoriè Ariminum uſurpaverat poſt obitum patris, licet Paulo iuraſſet Ariminum occupare Eccleſiæ nomine, cuius alebatur ſtipendiis, in præmium laboris, Senogalliæ ſpe dominatus contentus. *Papienſis l. 5. Platina.* Tantum abeſt, quòd Ariminum obſidione cinxerit Paulus inſcio Veneto, quòd potius communibus armis ex fœdere in Annos 25. percuſſo, Anno 1469. ſigna extulerit in Robertum, qui copiis fretus Ferdinandi Regis Neapol. ac perfidiâ ducum exercitus eccleſiaſtici, aggreſſores cruentâ clade repreſſit. Papien. Comment. l. 5. *Noluerunt duces (* inquit *) Pontificem vincere, quòd in eius victoriâ ſe vinci, atquè opprimi timuerunt.* Reges etiam Vltramontani pace

Regum diſſidia. non fruebantur maiore. In Ludovicum Gallorum Regem magnam excitaverant tempeſtatem *Franciſcus* Dux Britanniæ, *Carolus Caroleſius* filius Philippi Ducis Burgundi, à quibus nobiles Galli ſollicitati, in teſſeram coniurationis, ligulam ſumpſere ſericeam, non Rege, nec Magiſtratibus ad hanc novitatem ſatis invigilantibus. Suas etiam turbas Caſtella ſenſit, *Henrici* Regis ſtatuâ in campo exauctoratâ, eius loco frater *Alphonſus* duodennis ſubſtitutus. *Mahumetes* ipſe ne fœdus coaleſceret Chriſtianorum, oblatis honeſtis conditionibus pacis Anno 1467. Davide Iudæo interprete, Venetos diſtrahere tentabat. Paulus ex adverſo Pontifex tercentis nullibus ducatorum excitabat ad bellum, quòd ſine ſociis ſola ſuſtinere diffidebat Reſpublica. Fatis conceſſerat

Georgii Scanderbechi mors. *Georgius Caſtriotus Scanderbechus* 8. Kal. Feb. An. 1467. Liſſi ad Drillum fluvium ex febri, ibidemquè ſepultus tantæ apud Turcas venerationis, ut hi captâ Liſſo, eius oſſa poſtmodùm diripuerint, & aureis incluſerint thecis, ad cōciliandam ſibi fortitudinem. Reliquit filium Venetiis enutritum ſub tutelâ Reipublicæ. Principatus partem illius ex ſorore nepos Turcicâ ſuperſtitione infectus rapuit. *Phrantzes.* Croiam Veneti inſtauratis mœnibus præſidio firmarunt, ſed iugum nequiit effugere barbarorum. Anno poſtea ſeptuageſimo, ingenti claſſe *Mahometes*, exercitu pedeſtri maiore, ut votum impleret, vaſtato Lemno, capto Imbro, Chalcidem tandem (hodiè

Turcarum victoriæ. *Negroponte*) oppugnat, die XXX. capit, indicato per Thomam Liburnum murorum debiliori loco. Potuerat *Canalis* claſſis Venetæ præfectus pontem deiicere, quo inſula iungitur continenti, ſicquè *Mahometem* in ultimâ adducere deſperationem: ſed aleam prælii tentare diſſuaſus à filio iuvene imperito, inſulam hoſtibus expoſuit, civibus occaſionē cōdendę legis, nè in poſterū Belli duces liberos ſecū ducāt. *Paulus Erizzius* urbis gubernator factâ deditone, medio corpore ſectus eſt crudeli *Mahometis* ioco dicentis, capiti non lateribus promiſſam fuiſſe incolumitatem. Filia Erizzii formoſiſſima Sultano adducta ad libidinem negans eius petitioni acquieſcere, iugulata purum Chriſto reddidit ſpiritum. *Petrus Iuſtin. l. 8. Sagredus.* Clade cognitâ Senatus ad ſuperos confugit publicis ſupplicationibus, Romæ etiam Apoſtolorum Petri, & Pauli ſacris expoſitis capitibus, Papa nudis pedibus proceſſit. Inde novo conſcripto milite, ac *Canali* ſubrogatum *Petrum Mocenicum* cum centum triremibus, ac triginta navibus vela dare

A iuſſit in hoſtem, percuſſo fœdere cum *Paulo* Rom. Pontif. Rege Aragoniæ, Ferdinando Neapol. Mediolanenſibus, & Florentinis, pacequè per Italiam conſtitutâ, ut concordes occurrerent carnifici Chriſtianorum. *Petrus Iuſtinian. Sagredus. Ciaconius.* Tanti comitii memoriam ſervat numiſma, in quo ultrà Cardinales pileis coopertos ſedentes (pileo namque uti conſueuerant in Conſiſtoriis, teſte *Victorello*, antequàm rubra deſſerrent bireta) adſunt Principum preſertim Italorum legati, quibus ſuaſit, ut ſedatis diſcordiis in unum convenirent adversùs Tur- Fœdus in Turcas.




B

cas. Eà die, quæ fuit Aſcenſionis Chriſti Domini, dum ſacrum ad Deum pro conſtitutâ pace peragerer, ac verſiculus decantaretur *Agnus Dei*, more non uſitato, non ſolùm proximos, ſed Cardinales omnes, & Principum oratores, qui ſacro intererant, excepit ad oſculum pacis. *Cardin. Papienſis ep. 295.*

12. *Ex Pauperibus*, vide ſupra *n. 4.* Pauli II. ædificia.

13. *Inſtauratione templorū*. Palatium S. Marci humile admodùm & anguſtum ædificium *à quodam Io: Romano presbytero, depreſſit quibuſdam forniceibus fabricatum, Petrus Barbus Cardinalis effectus, à fundu-*
C *mentis magno & ſumptuoſo opere conſtruxit, ut priſcorum Vrbis Romæ ædificiis non immeritò comparetur. Pontifex factus priori domicilii charitate commonitus, præter palatii fabricam, quam in Pontificatu complevit, & auxit, cohærentem S. Marci Baſilicam penè vetuſtate collapſam ingenti opere reſtauravit.* Vitâ M. S. Eugenii II. Conſonat etiam numiſma in quo inſculptum



D videmus palatium cum inſcriptione, *Anno Chriſti 1455. Has ædes condidit.*

In Vaticanâ Baſilicâ dum Archipresbyteri munere fungeretur, altare in honorem S. Apoſtolorum erexit, ornavit, annuiſquè dotavit redditibus, ut ex ſtagmento lapidis in quo hæc leguntur

Sacrum hoc altare Petro, Pauloquè Apoſtolorum
Avito Petrus Barbus Archipresbyter
Sacroſanctæ Baſilicæ huius tituli S. Marci
Presbyter Cardinalis, & Pontifex Vicentinus.
Ibi ex teſtam. celebrandum ſtatuit in . . . .
. . . Te Pontif. Maximi Presb. . . .
Avunculi ſui Pientiſs. Anno Chriſti MCCCCIIIILI.

Ibidem in alio lapide legitur

Imago ſanctiſſimi Crucifixi ex Sacello S.

Mar-

Marci Evangeliſta à Paulo II. Pont. Max.
In veteri Baſilicâ erecto, optimequè dotato.

Prǽſuit Xenodochio S. Spiritus in Saxià,& Commendatoris munere antè purpuram functus plura contulit beneficia in Vaticanam Baſilicam, teſte Grimaldo in M. S. Vaticano his verbis. *Paulus II. in Eccleſiam, & monaſterium monialium de Cavalerotis S. Catherinæ, Ord. S. Benedicti propè forum Vaticanum cum domibus contiguis, aliiſquè redditibus menſæ capitulari Baſilicæ perpetuò univit, ad effectum conſtruendi canonicum, ut in eius Bullà data An. 1469. in Archivio. Abbatiam S. Martini de Farà intra montes Theatinos eo procurante, Nicolaus V. menſæ capitulari Baſil. univit,ut in libro Bullarum. Quędam decreta ad divini cultus, & chori ſervitium neceſſaria edidit in archivio aſſervata. Sacellum Deo,& Apoſtol. Principibus in Baſilicâ ſumptuosè ædificavit, ut ibi Miſſæ ſacrificia pro animâ ſanctiſſimi avunculi Eug. IV. peragerentur;annuum redditum 600. aureorum prædii Radicelli in ſuburbio* B *attribuit.* Ibi hæc legebatur inſcriptio


Hoc altare Deo ſtabili cum dote dicavit
Atque animæ Quarti Romani Antiſtis alma
Eugenii ipſe nepos Venetus de ſanguine Barbo
Petrus Cardo ſacer tuus,& Vicentię præſul.

In ſacrario eiuſdem Baſilicæ eſt ſepulchrum Eliſabethæ ſororis cum hoc epitaphio

Eugenii neptes Quarti, Pauliquè Secundi
Pontificum ſoror hic Eliſabetha iacet.
Baptiſtę Zeni mater pia Cardines, illi
Barba domus Venetâ patriâ celſa fuit. MCCCCLXXX

Anno noſtræ ſalutis 1607. in ſepulchro Sixti IV. repertus eſt annulus *Paul. II.* cum hac notâ *Paulus II.*

Pontifex factus ultra palatium S. Marci, quod Cardinalis extruxit,ac in eo (teſte *Platinâ*) veterum ſtatuas totâ urbe conquiſitas congerere ſtuduit, adiecto etiam S. Conſtantiæ ſepulchro (fruſtrà loci C monachis reclamantibus, qui poſteà mortuo Paulo, ſepulchrum illud porphyreticum à *Sixto IV.* ſibi obtinuère reſtitui) etiam in Vaticano apud S. Petrum fornicem conſtruxit, ſub quâ altare maius conſtituit, & magnificè decorauit (*Platina*) adiunctis



nummiſmatibus,ſub Anno 1470. quæ propè infinita ſuâ imagine ſignata in fundamentis ædificiorum, more veterum collocabat. *Platinâ.* Hic ſubiicimus nummum, *Anno Christi MCCCCLXV.*



A percuſſum ſub titulo *Arcem condidit.*


Alterum ab Accademiæ Bononienſis alumnis, in gratiam *Pauli*,ob eis præſtita beneficia,ut coniicitur ex literis *A. Bo.* ideſt Accademia Bononienſis,quæ in



imâ eius areâ uidentur, ſub lemmate *Hilaritas Scholaſtica.* Aliud ſub titulo, *Hilaritas publica.*



Alterum *Convivium publicum erga populum Romanum.*



Monimentum feſtivæ illius pompæ, quâ ob pacem adeptam inter Florentinos, Venetos, Mediolanenſes, Neapolitanos olim diſcordes præcipuè Florentinorum causâ, libertatem à Petro Mediceo repententium oppreſſam Duce *Bartholomeo Colleonio.* Pace reſtitutâ *Paulus* ad otium converſus,ad imitationem veterum,ludos quàm magnificentiſſimè inſtituit, pallia ſcilicet octo,quæ curſu certantibus in Carniſprivio proponebantur. Singulis diebus currebant ſenes, adoleſcentes, iuvenes, Iudæi: currebant equi, aſini, tantâ cum omnium voluptate, ut omnes præriſu pedibus ſtare vix poſſent. Stadium erat ab arcu D Domitiani ædes uſquè S. Marci. Conſonat Iani Vitalis Diſtichon.

Aurea pax, felix concordia, copia rerum,
Tempora ſacrarunt, Paule Secunde *tua.*

Hac de causâ Paulum vanitatis arguere non eſt veritus Papienſis *ep.* 281.

Pontifex *Paule eſt tibi, ut video, magna æternitatis cupido. Prędicare de te optas ſequẽtia ſęcula. Nummiſmata eam ob cauſam tuę imaginis non cudis modò, ſed fundamentis ędificiorum parietibuſquè admiſces, ut illis vetuſtate ruentibus exiliant poſt mille annos monimenta nominis Pauli. Titulos etiam operibus iubes incidi, quę vel publicà ſunt, vel uſum domeſticum habent. Emulator quoquè vanitatis antiqua ſæculares ludos, & epulum Romano exhibes populo.*

14. Hi-

Paulo Platina infeſtus

14. *Hiſtoricos paſſus eſt inimicos*, quorum principem *Platinam*, ex quo alii tranſcripſerunt. Simultatis causà, Abbreviatoris muneris depoſitio, propter quam, ultionem quærebat Platina non erudito, nec Hiſtorico dignam Chriſtiano. *In principio Pontificatus ſui* (inquit Roder. Sanc. Hiſtor. Hiſp. p. 4. c. 40. *Romanam curiam omni ſimonia, & extorſiones labe ſeveriſſimè purgavit, cunctoſquè officiales, ac curiales reformavit, domumquè habuit mundiſſimis atquè honeſtiſſimis viris refertam.* Abrogatus tunc fuit Abbreviatorum ordo, quòd indignis ſordibus munus fœdaret, teſte *Ægidio Viterbienſi, in vità Pauli II. M.S. Auguſtin. Biblioth.*

Simoniam prohibet Paulus.

Paulus Pontifex declaratus nihil duxit antiquiùs, quàm ut ſacerdotium ſummum ſuo ſe ſplendore ornaret, ab alienis rapiendis abſtineret. Suſtulit igitur eorum ordinem, qui Abbreviatores *appellantur, alios omnes pecuniæ exactores ſublaturus, rem eſſe indigniſſimam ſummo ſacerdote arbitratus, ſi nihil ſinè pretio traderet, & quod ipſe gratis accepiſſet, non gratis cæteris mortalibus condonaret. Exercuiſſe ſe mercaturam, tunc omnia vendidiſſe pretio, poſtea quàm verò ſacris initiatus eſſet à mercatorum, vel potius craſſatorum munere receſſiſſe: totà vià aberrare, qui in re ſacrà exerceant mercaturam, & qui aris, ſacriſquè utuntur ad quæſtum: decere principes omnes tueri populorum ſuorum res, non rapere aliena, ſed largiri ſua. Quæ res omnes illius ordinis homines ſibi infenſiſſimos fecit, ut omne in eum maledicentiæ genus loquendo, clamitando, ſcribendo conjiceret.* Refert Platina in eo ordine plures fuiſſe Oratores, Poetas, utriuſquè iuris peritos. Sed parum intererat, quàm ornatè dicerent, uel ſcriberent, aut grata carmina funderent: ſi munera haud caſtè exercerent. Hoc in ordine cum eſſet *Platina*, ob iacturam muneris, & lucri, irà concitus, cum ſibi aditus ad Pontificem non daretur, epiſtolam exarauit, quà Paulo interminari non eſt ueritus, ſe & alios conuenturos Reges, ac Principes, ut Concilium indicerent, in quo Pontifex ob pulſos miniſtros in iudicium vocaretur. Facinus oppidò temerarium, & iam damnatum à prędeceſſoribus Pauli. Hinc carceri traditus, è quo poſt quadrimeſtre liberatus *Franciſco* intercedente *Cardinale Gonzagà*, iterum poſtea vinculis mancipatur læſæ maieſtatis, & conſpirationis in Paulum ſuſpectus; nec non Philoſophiæ Platonitæ ſectator acerrimus, quà Deum ipſum in diſcrimen vocabat. Carcere tandem ſolutus, ſpe etiam remunerationis quum Bononiam ſecedere cum Cardinali Mantuano Bononienſi legato decreuiſſet: vetuit Paulus dicens: *Platinam ſatis ſapere et facultatibus potiùs, quàm literaturà indigere.* Morte tamen præuentus benefacere non potuit Paulus, ut decreuerat, teſte eodem Platinà, qui tamen ultionem quærere non ceſſauit; propterea vita Pauli à Platinà conſcripta ſuſpecta languet. Cautiùs egiſſet Paulus ſi præuidiſſet, & providiſſet contra hominem facundum, & A ſatyricum. Non enim ſatis benefacere, ſi eos prætereamus, qui benedicunt. Quanta fides ſit Platinæ adhibenda? vide ſuprà *n* 4. Diſcrepat namquè ab iis, qui *Paulo* coevi, & contubernales, ferreo quandoquè calamo geſta Pontificis improbarunt. Inter quos *Iacobum* recenſeo Cardin. Papienſem, quum *ep.* 155. *ad Rhotomag. & Avenion.* Paulum leuitatis, & credulitatis erga ariolos, & planetarios redarguit, quorum nugas nimium ſollicitus inveſtigabat, non ſinè dedecore dignitatis Pontificiæ. Prolixior cùm ſit epiſtola, vel libellus accuſationis, condigna ſanè auctore ſuo, prætermittitur.

Calumniæ in Paulū.

15 *Morientem, &c.* A 33. in 33. Annum ordinatum Iubilæum cum in 25. dilataſſet Paulus, *Megero* teſte; ac ſucceſſorem deſignaſſet *Sixtum IV.* apoplexià correptus migravit ad Dominum. *Non multu* (inquit Philelph. l. 35. ep. 1. ad Sixtum IV.) *priuſquàm migraret ex hac luce, in te unum coniectis oculis, eum dixiſſe audio. Hac mithra pater Franciſce* (*habebat enim in manu pretioſiſſimam illam mithram, quam tantis gemmarum, & margaritarum opibus ad honorem Pontificatus inſignierat*) *caput tuum decoratura eſt in Chriſto Ieſu.* Iacobus Cardinalis Papienſis *ep.* 421. Cardinali Theanenſi ultione expoſuit divinà percuſſum, quia Concilium non congregaſſet pro reſtituendo religionis ſplendore, ac fœdere Chriſtianorum in Turcas ineundo. *Quandiù Paulus in eodem iureiurando manſit ac voto, ſucceſſum præbuit Deus, mox ut violavit, uno iudicio æſtimationis, & vita eſt facta iactura. Clamat Propheta. Reddite vota Domino Deo veſtro, terribili & ei, qui aufert ſpiritum Pauli, eiquè non modò vocem, ſed ne teſtem quidem interitus in morte miſerrima liquit. Sed lamentis ſit finis, quando in iis ſinè fructu eſt noſtra conſumptio.*

Succeſſorem prædicit.

Cauſa eius mortis.

Sepultus eſt in baſilicà Vaticanà, ſacello S. Andreæ mauſolæo marmoreo, à Marco Barbo Cardin. S. Marci coſtructo, cum ſequenti epitaphio.

Paulus II. Venetus Pont. Max. è vetuſtà Barborum familià, præclaris naturæ dotibus, Avunculo Eugenio IV. non inferior, Iuſtitiæ, pietatis, divinarumquè cæremoniarum cultor religioſiſſ: Eccleſ. libertatis Maieſtatiſquè defenſor conſtantiſſ. præcipuo pacis ſervandæ ſtudio & ſingulari omnis generis munerum abſtinentià, formidandà etiam lege Magiſtratibus indictà. Clariſſimus in Principes munificentià, in pauperes miſericordià inſignis, Patrioquè more Annonę copiam Vrbi dedit, Patrimonium, erratis populorum indulgentiſſimi parentis affectu emendatis, & conſervavit & auxit. Furentes armis hæreticos repreſſit; & quod per difficilem rerum temporum conditionem effici cum dignitate non poterat; naturà, cunctatione fęliciter, ſaluberrimè diſpoſuit. Vixit Ann. 53. Menſes 10. dies XXVI.

Caedinales Quales, & quantos creaverit? ſuo loco dicam.


PAVLVS II. VENETVS
P. O. M.
PAVLI II. SEPVLCRV OLIM IN VETERI D. P. B. NVNC IN EIVS D. SAC. CRYPTIS POSITV.

SIXTUS QUARTUS
PONTIFEX ROMANVS CCXIV



SPeculum ſine maculà quod ex *c. 7. Cantic.* exponit Sixtus IV. argumentũ eſt Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ. Speculũ enim ſi purũ oſtendit maculas etſi eas nõ habeat. *Eligitur Anno Sal.* 1471. *die.* 5. *Idus Aug. Coronatur* 8. *Kal. Septemb. Obiit Anno* 1484. *die Iovis XI. Aug. cum ſediſſet Annos XIII. dies* 4. *Vacat ſedes dies XV.*

E L O G I V M.

Anni Sal. ISix 1471. Ii

GEns *Roboreà* [1] ex hoc cinere ſurgit,
Cinere namquè ſolet creſcęre *Quercus.*
Auguſta ei Taurinorum Auguſta,
Crevit, eundo.
Ex eà, quæ *Savonæ* familià *de Ruvere*
Sixtus IV. Pontifex Romanus
Anno naſcitur 1414. Sept. Kal. Aug. Hora 18.
Die partem temporis occupante maiorem.
Nam Sixti ætas tota dies tenebras non admiſit.
Divi Franciſcus [2] & Antonius
Cucullà & cingulo induerũt eũ in utero matris
Ut genitrici retulit eo idiomate Deus
A Quo ſolet loqui mortalibus: Somnio. (do
Utero egreſſus duobus extẽſis digitis, benedicẽ- Anni Sal. ISix 1471. Ii
Mundo intonuit: Cur, & unde veniret.
Vota Cœli agnoſcens mater, implevit.
Religionem vovens, pro filio.
Promiſſa cum accepiſſent Superi,
Sub pęnà capitis ĩpleri voluere, invitis parẽtib⁹
Natura cum plaſmaſſet ad regnum,
(Cuius limina Terra, & Orbis.) (vit
Ingeniũ [3] dedit, cuius limites Sixtus ipſe neſci-
Primus ſi diceret, cęterorũ rapiebat ſẽtẽtiam,
Si ultimus, ſæpè omnes mutabat.

Quæſ-

Anni Sal. ISix 1472-1a Quæſtionem [4] quæ totam agitavit Italiam
An Chriſtus reſurgens totum reſumpſerit ſanguinē?
Cōpoſuit, quaſi libaſſet, libraſſet sāguinēChriſti.
Gradus omnes emenſus Religionis,
Cum eò veniſſet, ut ultra non eſset aſcenſus:
Purpura [5] ad eum venit:
Cum ipſe purpuram minimè cogitaret.
Scotū, Thomā, qui tot voluminibus pugnarūt,
Oſtendit Sixtus non pugnaſſe ſententiis.
Vterquè Doctor; iſte Angelicus, ille Subtilis:
Sed Subtilis non eſſet, niſi Angelicus fuiſſet.
Præmium laboris faſces Orbis, legitimi ſanè,
Si fas; ante electionem [6] paciſci.
Nàm Beſſarion Cardinalis Nicænus,
Maluit Pontifex non eſse, quàm paciſci.
VIII. Kal. Sept. theatrum iniit coronationis,
Cum mimi comædiam agerent in Sanctos,
Geneſio [7] Duce: Ipſe tragędiam.
Nā tumultuante Romà; ferè cecidit inter ſaxa.
Verè fabula mundus eſt.
Eccleſ. cū inveniſſet gravatā debitis, ac peccatis
Ut pretio redimeret, ac ſanguine;
Iſtis Iubilæum [8] aperuit quaquà ſæculi parte,
Ne tàm longo carcere pietas iaceret incluſa.
Creditoribus [9] uniones diſtribuit, & pyropos
Quòd in Petrà, non in lapillis fundetur Eccleſia.
Vel indecorum:
Sponſam Chriſti indui veſtibus alienis.
Prodigus potiùs quàm liberalis
Cum æquè importunè erogaret; alii rogarent.
Ioannem de Monte [10] ſibi præpoſuit,
Ut donatorem coerceret ac donatarios.
Arti deditus ac Marti
Poſt Legationes in Turcas [11] Legiones inſtruit,
Ut irim ferrent, iram frangerent.
Veneti, atque Aragonii tela & vela duxere.
Natantes ſylvæ Cyclades pervagatæ
Attaliæ in portu catenà conſedère revulsà
Quæ adhuc Vaticano pendet in templo.
Smirnæ cecidere, vel conſedere Barbari,
Eo nāq. triūpho gladius cōtabuit Chriſtianorū.
Vicit Turca fugiendo.
Triumphos Barbari ſolo numerant, & ſolio:
Chriſtiani palmis, & parmis.
Scodra Epyri caput
1474-14 Vix Illyricis ſervata copiis, atque Pannonicis
Hoſte irruente, nec ſinè miraculo.


In Tudertinos [12] Spoletinos, Tifermates - Anni Sal. ISi 1474-14
Illatis armis, pluribus ſubactis Regulis,
Ab hac Quercu Abſalon [13] non unus pependit.
Utinam pro eccleſià non pro familià [13]
Quę Sacri Senatus partem uſurpabat maiorem
Importuna ſurrexerat mater filiorum Zebedæi.
Cui Cælum venale, Deuſquè. (ſet
In cōpedes Curia cū veniſſet Romana, & vęniiſ-
Munera ſerviere muneri.
Felix Sixtus ſi regnare noluiſset in poſteris:
Quorū ſcelera tegere non potuit virtutibus ſuis.
Mulcivit tamen Muſicà [15] populum,
Quam primus in Vaticanum induxit
Ut ferocientem averteret, diverteret.
Deū cū occupaſset obſequiis, homines beneficiis,
B Duos [16] Reges, tres Reginas [17] cū duob' [18] Deſpotis
Ad ſe accivit famà liberalitatis.
Vna ad Salomonem divertit Regina Saba:
Septem [19] Sixtus Reges decennali ſuſcepit hoſpitio:
Undè à Regibus *pluſquā Salomon* eſt Salutatus.
Saxonū ac Calabriæ Duces, Ferdinādū Regem
Sacra veniētes ad Limina eo accepit apparatu,
Ut in loculis nil pretioſū reliquerit, quā ſeipsū.
Sixti gloriam perenni celebrant murmure
Inductæ Trivii aquæ [20] Virgineæ.
Pontem [21] cum excitavit,
Sui ſteterunt triumphales Tyberis arcus.
Templa [22] cum erexit, vel Palatia,
C Mundum, & Cœlos exhibuit in compendium.
Ruinis ne opprimeretur Petrus,
Petri [23] petræ lapides ſtravit.
Voluiſset Roma in Sixto mutare nomen,
Quū reſtitutis mænibus, cōſtratis viis, laxato foro
Coloniam Cœlitum ſeipſam aſpexit.
Pallade ut expoliret Bellonam,
[24] Bibliothecam extruxit, inſtruxit,
In quà Græcos, Syros reperire poſſis amiſſos.
Unum ſupererat:
Quòd victor temporis, victor invidię, victor ſui
Minus dilexiſset conſanguineos,
Quorum amore victus, dolore [24] periit. 1484.14
Virginē Matrem adſtaſse morienti ne dubites.
D Cuius Immaculatam Cōceptionē [25] coli voluit.
De Peccatis cum ſermo; Mariam excipe;
Quæ ſpeculum ſinè maculà.
Maculam qui videt, ſuam dicat.
Oſtendit, non habet maculas ſpeculum purum.

ADNOTATIONES IN SIXTO IV. PONT. ROM. CCXIV.

1. G*Ens Roborea quæ & de Ruvere dicta eſt* (inquit Onuphrius Panuinius in vità Sixti 4.) *Auguſtà Pretorià Taurinorū orta, inter Subalpinas nobiles, à Longobardis originē ducere, multorū conſenſu traditur. Cuius familia auctorem fuiſſe Hermundum, qui* Ragumberti *ducis Taurinenſium, Pauli Diaconi hiſtorià Longobardicà teſtimonio clari, tempore circà Annum* *Domini DCC. vixit, antiquis annalibus relatum eſt.* *Caſtellum* Vicus novus *eius familia vetus ditio, nàm Cincianum, & Rivalba poſterioribus temporibus acquiſita fuere. Simon Ruverens ob pinguedinem cognomento Craſſus, antè multos annos ex Taurinis in Ligures concedens, ad vada Sabatia, quam nunc Savonam vocamus, ſubſtitit, à quo gens de Ruvere manavit inter eius vi-*

Origo familiæ Roboreæ.

vitatis familias non poſtrema. De Ruvere *autem gentis nomen eſt vernaculâ linguâ, quod nos Latini* Robur *appellaremus, vel potiùs quercum ab inſigni gentilitio clypeo, quod eſt quercu aureâ expreſſum. Ex eâ quæ erat Savonæ familiâ de* Raverre *Sixtus Papa IIII. origine duxit, cuius parentes fuere* Leonardus, *vir inter urbis ſuæ cives honoratus, & in omnibus in patriâ magiſtratibus, functus, &* Luchina Munlionâ *honeſto loco Savonæ* Natalia Sixti IV. *nata. Extant adhuc Leonardi, & patris aviquè ſui cum elogiis in eccleſiâ cathedrali Savonenſi ſepulcra, ante omnem Sixti fortunam condita, iſthæc referentia. Natus eſt* Sixtus XII. *Kal. Aug. An. Sal.* 1414. Ioanne XXIII. *Romano Pontifice, Cellis qui eſt pagus maritimus ab urbe Savonâ quinquè millibus paſſuum diſtans; eò namquè parentes confugerant vitandæ peſtis causâ, quæ tunc maximè Ligures vexabat*. Panvinio conſonat Nummiſma reſtitutum, in quo teſſera Gentilitia familiæ Roboreæ vulgo *della Rovere*. Et Ciaconius



apertè diſcrepans ab eis, qui humili ac ſordido genere *Sixtum* natum dicunt, ac patrem habuiſſe piſcatorem. Iacobum citant Megerum, qui de Sixto cecinit,

Non aurum, non nobilitas, ſed avida virtus,
Sixte tibi imperium Pontificale dedit.
Diſcite ab exemplo, quantum valet ardua virtus
Hæc meruit Sixtus Pontificale decus.

Vaticinium adiiciunt S. Malachiæ de *Sixti IV.* Pōtificatu verbis illis *Piſcator Minorita*. Minorum namquè ex Ordine, qui in diebus Malachiæ nondum ere- Vaticinium de eius Papatu ctus erat, & filius (dicunt) Piſcatoris. Volunt alii ex nominis ſimilitudine cognomen aſſumptum *Ruvereum* voluntarium, & ad placitum fuiſſe, non naturale. Sententia hæc *Raphaelis* videtur fuiſſe *Volaterani l.* 22. Anthropologiæ, ita ſcribentis. *Deinde Chriſtophorum & Dominicum de* Ruvere *fratres, patriâ Taurinenſes in patrum collegium cooptavit. Ab his enim & nomen familia olim ſumpſerat, & plura vitæ comoda.* Hiſtoricus iſte fuit Sixto contemporaneus.

2. *Franciſcus & Antonius* viſi ſunt matri Sixti IV. ante editum partum, infantem cucullâ & cingulo piè ac ſanctè induere, quo habitu ipſorū diuorum fratres utuntur, *Minores* vocati. At verò dū obſtetrix puerū (cui propterea *Franciſci* nomen inditū fuit) ut fit, ac- D curatè in balneo lavaret, ipſumquè in undis aliquādo deficientem, ac penè mortuum ad matrem detuliſſet, illa ſomnii memor, vovit ſe induturum filium S. Franciſci habitu, facturamq; ut eumdem ſex menſibus ferret: quo ſemeſtri tranſacto, amoto habitu, puer iterum in grauem incidit infirmitatem, annum iam natus, & eo amplius. Cæterùm voto repetito, mater ſtatim filium incolumen recepit, & quum parumper creuiſſet, nonum agens annum, cœnobio adjectus eſt S. Franciſci. Hucuſq; *Panvinius*, qui omnia ex M. S. Bartholomæi Platinæ tranſcripſit, extat

A in Bibliothecâ Vaticanâ. Immò teſte Ciaconio, Oldoino, & Raynaldo deficit *Panvinius*, ſequentia prætermittens; *At verò dum obſtetrix puerum in balneo la-* Ordini Minorū adſcriptus. *varet, eumdem cernit duos digitos quaſi ſignaturos aquam erectos tenentem, quarè mater, dum puer in undis aliquando defeciſſet, ac penè necatum obſtetrix ad ſe detuliſſet, ſomnii memor, vovit ſe induturam filium S. Franciſci habitu, facturamq; ut eumdem ſex menſibus ferret. Tranſacto autem hoc ſemeſtri, amotoquè habitu, puer iterum in gravem ægritudinem incidit annum iam natus, & eo amplius, repetito itaquè voto mater filium incolumen recipit. Verùm cum infans adoleviſſet eleganſquè, ac ſcitus à civibus eſſe videretur, non defuere qui parentes increparent, quod tàm bonæ indolis puerum tàm tetrica, & auſtera vita addixiſſent, antequàm ipſe per ætatem ſaperet, quod vivendi genus ſibi potiſſimùm eligendum eſſet: non eſſe vinciendum tali habitu puerum,* B *ſed ſinendum potiùs ſæculari, & civili more vitā ducere. Hoc idem cum reprehendiſſet Petrus cognomento Luppus, caſtigaretquè verbis parentum ſuperſtitionem, ut eius verbis utar, puero habitum detrahit: quà ex re febri ſtatim correptus intumeſcente gutture liberari tantâ ægritudine nullo modo poſſe videbatur, niſi denuò votum repeteret. Mater itaquè Iuppo ob ſpretam religionem filiiquè diſcrimen infenſa, puero habitum reſtituit, Sanctoquè iterum addicit: qui demùm liber factus nonum agens annum cœnobiumquè frequentans, domo enim eò quotidiè proficiſcebatur, Ioanni Pinarolo viro optimo committitur, à quo ordinis mores vitamquè Minorum imbiberet, &c.*

Eadem viſa Sixti matri oſtenta carmine cecinit protonotarius Anglicus in *Lucubration. Tybartin. de Sixto IV.* tradens infantiæ tempore ſigno Crucis luſtraſſe populum Sauonenſem. Publicis literis, ac nū- C miſmatibus profeſſus eſt Sixtus ſe meritis S. Franciſci ad varios honorum gradus, tum ad ſummum Pontificatum fuiſſe prouectum. *Firma* (inquit apud Lucam Vvadingum to. 8. An. 1507. n. 46.) *fide tenemus certiſſimiſq; in nobis experimentis didicimus, quòd ad officia, & dignitates, ad quas in minoribus promoti ſumus, & ad hunc ſummi Pontificatus apicem meritis, et precibus Seraphici patris, et fundatoris promoti fuimus.* Adjunge nummiſma in quo Diui Franciſcus, & Antonius chiatâ Sixtum redimunt Pontificiâ ſub lemmate, *Hæc damus in terris, æterna dabuntur Olympo*.



3. *Ingenium* Sixti IV. ſupra naturam fuiſſe oſtendit Onuphrius. *Pueri curam* (inquit) *ſuſcepit* Ioannes *Pinarolus vir optimus, à quo ordinis mores, vitamquè fratrum Minorum inſtructus, grammaticam tanto ſtudio* Sixti IV. ſtudia. *perdidicit, ut breves Ciceronis volumina partim ab aliis audierit, partim verò ingenij acumine, nullâ alterius operâ intellexerit. Cheriam deinde, ubi adoleviſſet, profectus dialectica, & Logica doctores eius loci audivit ità diligenter, & accuratè, ut poſtea facultatem eandem ipſe*

aliis

Sixti scientia

aliis legerit. Papiæ deinde & Bononia celeberrimis gymnaſiis philoſophiam, & Theologiam didicit, præceptoribus uſus Iacobo Textore, et Andreâ Nolano doctiſſimis viris. XX. ætatis anno nondùm, capitulo Generali ſui ordinis Genuæ congregato, ita copiosè, ita disertè, et eleganter diſputavit, ut unus omnium doctiſſimus exiſtimatus ſit, et à generali miniſtro ordinis Guillelmo Caſali maximis laudibus ornatus. Patavii demum magiſterii gradu ſuſcepto, philoſophiam et Theologiam multis in gymnaſiis ut Patavino, Bononienſi, Papienſi, Senenſi, Florentino, et Peruſino publicè profeſſus eſt. Hominem totâ Europâ clariſſimum quem multi alii præclari viri, tum præcipuè Beſſario Cardinalis Nicænus vir Latinâ, et Græcâ doctrinâ inſignis frequenter audivit: cuius familiaritate ita delectatus eſt, ut eodem perſæpè uſi ſint contubernio. Sacras conciones annuis Quadrageſimæ diebus, in omnibus ferè Italiæ urbibus, magnâ hominum gratiâ habuit. Miniſtri Generalis Iacobi Sarguella poſtea ſocius factus, non longè poſt Liguriæ Provincialis, quem miniſtrum vocant primum, deindè ſui ordinis in curiâ Romanâ procurator, et totius Italiæ generalis vicarius, poſtremò in capitulo generali Peruſiis celebrato, omnium votis Iacobo Sarguella ob ſenium abdicante, miniſter Generalis eſt renunciatus. Quibus in magiſtratibus tantâ gratiâ et auctoritate apud omnes valuit, ut nihil quamvis difficile et arduum tentarit, quod non facile fuerit conſecutus. Pius ſecundus eum maximo ſemper in pretio habuit. Dignitates, nec purpura à ſtudiis eum avocarunt. *Philelphus Egidius Viterb.* Non minùs literis excultus, quàm pietate, ab eâ temerariâ provocatione abſtinuit, quâ magiſtri Ordinum Mendicantium ad Concilium appellare ſunt auſi adversùs Papam.

Dignitates.

In Papam nō cōſpirat cum à fratribus ſuis

Sixti IV. Scripta

4. *Quæſtionem* de Sanguine Chriſti ſcripſit in Cardinalatu (teſte Platinâ in M. S.) extabat Piſauri M. S. in bibliothecâ Ducis.

De futuris contingentibus.

De potentiâ Dei in errorem Carmelitæ aſſerentis Deum ſuâ Omnipotentia damnatū ſalvare nō poſſe.

De Conceptione B. V.

De *futuris Contingentibus.*

Ad Regem Arragonum ſe excuſans; quòd nepotem ſuum non præfeciſſet eccleſiæ Auguſtanæ.

Concordantiam inter D. Thomam & Scotum demonſtrans eos convenire ſententiis, licet verbis diſcrepare videantur.

Epiſtolarum volumen.

Duo eius decreta de Conceptione Immaculatâ.

Bullas, Conſtitutiones.

Exhortatio in Turcas. Piſauri extabat. Tātæ doctrinæ fuit, ut huic uni ex cætu Cardinalium ad fidem pertinentia potiſſimùm comitterentur *Plat. Panvin.*

Cardinalis eligitur

5. *Purpura ad eum venit.* Paulus namquè ſecundus (teſte Panvinio, & Platinâ in M. S.) *eius doctrinæ famâ permotus, annitentibus maximè Beſſarione Niceno, & Franciſco Mantuano Cardinalibus, illum abſentem & inſcium (Papia enim morabatur Venetias iturus) Cardinalem presb. S. Petri ad vincula, cum aliis ſeptem An. Sal. 1467. die 14. Kal. Octob. creavit. Qui Romam veniens comiter ab omnibus ſuſceptus, et quorundam Cardinalium benignitate adiutus (pauper enim erat) ædes S. Petri ad Vincula, rimoſas, & ruinæ proximas, ita reſtituit, ut ab ſe, et familiâ percomodè incoli poſſent. Cuius in Cardinalatu potiſſimum inſtitutum fuit, ut familiam ſuam in officio contineret.* Hiſce rebus dum ſtudioſus operam daret,

6. *Paciſci* &c. Paulus II. moritur, & in eius locum *omnium Cardinalium ſuffragiis, qui* XVII. *tunc erant in Conclavi recluſi in palatio Apoſtolico apud S. Petrum, V. Idus Aug. die 14. ſedis vacantis, Anno S.* 1471. *Romanus Pontifex eſt renunciatus Latino Vrſino, Roderico Borgiâ Cancellario, et Franciſco Gonzagâ magnoperè ſuffragantibus, cuius beneficij Pontifex memor, Latino Camerariatum, Roderico Abbatiam Sublacenſem, Gonzaga monaſterium S. Georgij conceſſit.* Primo tamen non eſt electus ſcrutinio. Quatuor primis nominati ſunt Nicænus, Rhotomagenſis, Vrſinus, Papienſis. In aliis ſcrutiniis prodiere Reatinus, Neapolitanus, Spoletinus, ſed nullus iuſta retulit ſuffragia, teſte Papienſi, *ep.* 395. In unum Nicænum res ſpectare videbatur, quem Vrſinus, Mantuanus, & Borgia convenientes cum ei Pontificatum pollicerentur certis tamen conditionibus, negavit ille Papatum pacto ullo obtinere. Illi intempeſtivam ſeveritatem eius ſtomachati, ad Cardinalem S. Petri in vincula *Franciſcum* Savonenſem converſi, cum omnia obtinuiſſent, quæ poſtulaverant, cubiculario ipſius fratre Petro Riario maximè incitante, ne Cardinalium rogatis obſiſteret, Pontificatum promittunt. Nec fide defecerunt. Omnium ſuffragiis dīcitur creatus, quòd falſum: nam Papienſis unus ex electis, ita ſcribit *ep.* 395. *Ipſe Vincula perſuaſione aliorum adduci nunquàm potuit, ut honoraret me ſuffragio ſuo vellet: quare commotus vices reddidi, atquè ita obfirmavi animum, ut ſi comitia ea decennium duraſſent, ſuffragaturus ipſi non fuerim.* Electus itaquè Vincula, *Sixtus IV.* voluit appellari, quòd Sixto Papæ & Martyri die ſacro Conclave eſſent Patres ingreſſi; & ſymbolum aſſumpſit ex pſalmo 120. *Auxilium meum à Domino qui fecit Cælum et terram.*

Eligitur Papa.

Symbolum eius.

7. *Geneſio Dace* Sixtus IV. eſt coronatus, die ſcilicet VIII. Kal. Septemb. quo Geneſius mimus Romanus cum in theatro baptiſmum peteret, & ſimulare crederetur ab Ethnicis artem riſu plaudentibus; ipſe autem etiam depoſitâ perſonâ, Chriſtianum ſe eſſe oſtenderet Diocletiano; fabulam coactus eſt gladio complere more martyrum. Hac die cum Sancti in Cœlo ſuam agerent comediam; Sixtus coronatur in Laterano, quo cum portaretur, tantus repentè oritur tumultus, ut maximum vitæ adierit periculum, ſaxis enim ſeu caſu, ſeu ex compoſito appetitus, à lecticariis certè deſtitutus fuiſſet, niſi Latini Cardin. auctoritas, à quo ſeditio ſedata eſt, interceſſiſſet. *Panvin.*

Gennesii martyrium

In die coronationis pene cæditur

8. *Iubileum* A. S. 1475. cū celebrandum eſſet ex decreto Pauli Secundi ac Sixti Quarti præter viros alios dignitate conſpicuos, Ferdinandus Rex Siciliæ in urbem ſe contulit, ubi baſilicas Lateranenſem & Vaticanam intertextis auro periſtromatibus donavit, teſte *Infeſſura in Chron.* Cæterum paucis ob vehementes bellorum motus, infeſtaquè itinera Romam contendentibus, Sixtus Bononiæ Iubileum inſtituit à Kal. Maii ad pridie Kal. Anni ſequentis, quod magnâ peregrinorum copiâ celebratum eſt. *Sigonius de Ep. Bonon. l.* 4. Simile rogantibus Scotis indulſit, imperatâ tamen aliqua pecuniæ ſummâ in Turcas impendendâ. Hùc faciunt tria nummiſmata, quorum primum Pontificem exhibet portam reſerantem cæleſtis theſauri ſub lemmate *Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei.* Secundum cum eadem imagi-

Iubileum celebrat

gine ſub lemmate *Cita aperitio breves æternat dies.*





Tertium exhibet portam reſerandam ſub lemmate *Conſtituit eum Dominum Domus ſuæ*, Pontificiam annuens poteſtatem.





Accidiſſe ferunt cum pleriquè ex ſuo ordine ad eũ gratulabundi advolarent, ut F. Franc. Aragonius ei familiaris inter alios accederet: Cui eum Sixtus auream Pontificis ſuppellectilem oſtentaret, & adderet, Petrum & Paulum Chriſti Apoſtolos tanta oſtendere minimè valuiſſe: Tunc pari libertate Aragonius, *ne ta quidem* (inquit) *Pontifex Max. Petri ſucceſſor claudicanti dices, ſurge et ambula.* Eo dicto Sixtum volens admonitum pietatem ſequi, quà ſolà ſpectabiles redduntur Pontifices. *Ægnatius l. 6. exempl. p.* 203.

Redarguitur Sixtus.

9. *Creditoribus* æs ſuum repetentibus, quod Eugenio, Callixto, Nicolao, Pio, Paulo crediderant, nec Sixto pecunia eſſet ad ſatisfaciendum; gemmis, quas Paulus II. in theſauris reliquerat, ſatisfieri mandavit. *Panvinius.*

Creditoribus Eccleſiæ ſatisfacit.

10. *Ioannem de Monte* virum mirabilem, in aulà exercitatum (ſcribit *Panvinius*) & induſtrium, ſeverioriſquè ingenii præfecit Sixtus ſubſignandis libellis, ut litium & diſcordiarum initia tolleret & occaſiones. Quùm enim Pontifex admodùm liberalis eſſet, nec ulli prorſus negare quicquam ſciret, plurimis eaſdem gratias importunè rogantibus ſæpè conceſſit.

Moderatorē ſibi præponit.

11. *In Turcas.* Coronatione peractà, inter Principum Legatos Bernardus acceſſit Iuſtinianus Venetorum Orator exponens; ereptis à Turcà duobus Chriſtianorum imperiis, regnis 34. provinciis 20. urbibus 200. innumeroque populo malè perdito, ultimum imminere diſcrimen, ni ipſe occurreret tempeſtiuè. His Pontiſex excitatus Concilium ſe indicturum obtulit iuxta Pii II. decretum, quod congregari poſtulante Friderico III. Imper. Vtini in Carneis, vel Baſileæ in Germanià; cùm Papa Romà abeſſe non poſſet; nec Itali in Germaniam pergere ſuſtinerent; Archiepiſcopus Carnienſis, nonnullis aliis conſpirãtibus Epiſcopis Baſileam venit celebraturus comitia Sixto contradicente Pontifice. *Stumfius Hiſtor. Helvet.* Hinc Papa per Angelum Ep. Sueſſanum mandauit Senatui Baſileenſi, ut ſub pœna anathematis tumi-

A dos illos Epiſcopos (præcipuè Carnienſem qui vinculis iam mancipatus erat, teſte *Volaterano in M. S. Vatic.*) Romam mitteret ad reddendam cauſam. Negarũt Baſileenſes parere mandatis, libertatis ſpetie, quòd in urbē liberam cuiquè pateret acceſſus & receſſus. *Patrum igitur conſenſu, Sixtus quatuor legatos ſummà cum poteſtate creavit Beſſarionem in Galliam, Rodericum* (ita Panvinius) *Borgiam in Hiſpaniam, Marcum Barbum in Germaniam & Pannoniam, qui inter ſe diſſidentes Chriſtianos principes ad concordiam revocarēt Ludovicus enim XI. Rex Gallorum ducibus Carolo Burgundiæ, et Britanniæ arma intulerat. Ferdinandus Aragonum et* .... *Iuſtiniana ob regnum Caſtellæ legitimo Rege deſtitutum ad fœdum certamen venerat. Pannoniæ et Poloniæ Reges de regno Boemiæ decertabãt. Prioribus legatis quartum adiecit Oliverium Carafam, quem claſſi maritimæ in Turcas paratæ præfecit*, magnà

Chriſtianorū diſſidia.

B cum impensà, ſingulis enim legatis in ſingulos menſes quingenti aurei ſunt aſsignati, licet rebus infeliciter geſtis redierint. Ferdinando etiam Regi Neapolitano annuunt remiſit vectigal, quandiu auxiliares copias coniungeret: qui quidem hoc Anno 1471. triremes ſeptemdecim eduxit. Anno ſequenti, qui fuit Sal. 1472. ſupra centum inſtructæ triremes, quarum 24. armavit Eccleſiã, 56. armarunt Veneti 30. Ferdinãdus. Die ſolemni Corporis Chriſti circumlato ſacramento, vexilla in Petri Baſilicà Pontifex benedixit, quæ ad ſolium (in quo reſederat) tulere Principũ oratores: poſtea in ripà Tyberis prætoriam aſcendens, claſſem benedixit. Beſſario interim Legatus deſtinatus, cùm ſpetie ſenectutis in Gallias pergere detrectaret Francorum Rege ad maturandã profectionem hortante, quã ſibi, & regno gratam promittebat; aſcendit, ſed illuſus exigente rege, ut Burgundum & Britannũ ſub poenà anathematis ad

C Gallicæ coronæ obſequiũ reduceret, priuſquã de fœdere ageretur in Turcas, ut ſic eos in invidiam adduceret turbatæ factæ expeditionis: Cardinalis qui concordiæ interpres advenerat, indignum ſuæ legationis ducens, ſi in partes flecteret privatorum, eum Regi acquieſcere detrectaret, ludibrio habitus, duobus mẽſibus ad Regem accedere prohibitus, tertio tandem admiſſus uno atquè ingrato colloquio, legatione finità mæſtus rediens; dolore confectus Ravennæ obiit. *Papienſis ep.* 500. & 544. Alter ex Legatis Borgia Card. S. Nicolai in carcere in Hiſpaniam legatione extortà, cum Valentiam veniſſet, aditum legationi pecunià redimens, in ulteriorem Hiſpaniam tranſiit, utrobiq. multa vanitatis, luxus, & avaritiæ documenta relinquens, nullo eorum profectu, quem ſibi ad nomen legationis prætenderat. *Papienſis ep.* 544. Marcus Barbus Cardin.

D S. Marci in Germaniam legatus, ut Polonis Vngaros reconciliaret, poſt longa & repetita comitia feliciter pacem abſolvit, quam tamen non ſervavit Polonus: *Michovius l. 4. c.* 63. Caraffa, qui Chriſtianis præerat fœderatis, Helleſpontum navigavit, Turcis Boſphoro ſe continentibus. Tentatà ergo ſed irrito conatu Attalià Pamphiliæ (hodiè *Sataliæ*) Smyrnà direptà, abactis incolis omnibus, in magnum diſcrimen Turcas adduxiſſet, ſi Perſa vires terreſtres adiunxiſſet. Hæc expeditio plus pompæ Romam, quàm fructus retulit. Opportunà belli gerendi occaſione abuſi ſunt Chriſtiani: nam

Po-

Polonus, Vngarus, Imperator caſtris abſtinuere: quamobrem inertis Friderici provinciæ vaſtatæ ſunt ex Boſnà per Illyricum & Scaluoniam, irruente Turcà in Forum Iulii uſquè ad caſtrum S. Danielis. *Michelov. l. 4. c. 69.* Noſtras accedere in partes Ioannes promiſit hoc Anno Moſchoviæ princeps, acceptà in uxorem Sophià filià Thomæ Deſpotæ, fratris Conſtantini Imperat. dote à Sanctà ſede numeratà, ut hæc maritum ad ſinum reduceret Eccleſiæ catholicæ: ſed à marito in pravum abducta docuit, vanam ſpem eſſe innixam fœminæ Græcę: *Plat. in M.S.* An. ſequētē, qui fuit S. 1473. egregio facinore Antonius auſpicatus eſt Siculus. Callipoli is captivus detentus cum agnoviſſet Mahometis claſſem & armamentariū malè ſervari, utriquè flammas iniicere decernēs,

Mocenicus Venetorum præfectus.

Naupliam venit, ubi Mocenicus Venetorum pręfectus in bibernis ſtabat: huic conſilium aperit ſuum, acceptaquè ſcaphà, cum pomis eò venit vænalibus, ac nocte ſequenti ignem iniecit armamentario. Idem claſſi parabat incendium: ſed accurrentibus Turcis, fugere per Helleſpontum compulſus, demerſà naviculà, in proximam ſeceſſit ſylvam, ubi ex pomis fluitantibus agnitus, per medium ſectus, doluit tantùm, maiora non admiſiſſe.

Venetorum liberalitas.

Senatus Venetus eius fratri cenſum annuum, ſorori dotem aſſignavit, ut eius hæredes fraternę meminiſſent virtutis. *Petrus Iuſtin. l. 9.* Mocenicus in Caramaniâ rem benè geſſit, tribus præcipuis urbibus, totoquè regno receptis, quod Principi ſuo reddidit: indè Lyciam deprædatus ab hac parte multum damni, plus terroris iniecit. Vſumcaſſanes etiam Turcicum profligavit exercitum, cæſo Baſsà Europæ, ſeu Belierbego, filio Thomæ Paleologi apoſtatæ. Repetitò verò certamine à tercentis viginti Turcarum millibus, cum nondùm bombardàs à Venetis Perſæ recepiſſet, quibus Mahometes inſtructiſsimus erat, victus eſt, & filium primogenitum, cuius virtute priorem victoriam retulerat, plumbeà glande traiectum perdidit. Perſæ cum Rege ſuo ſe in montes Armeniæ receperunt. Mahometes circumpoſitam depopulatus regionem, Conſtantinopolim rediit, in ſingulis ſtativis quingentos captivos interimens, ut ubiquè crudelitatis ſuæ, dolorisquè monimenta relinqueret.

Obitus Iacobi Regis Cyprii. Anno 1474.

Obiit hoc anno Iacobus Rex Cypri, cuius vidua Catherina Cornelia Veneta rege gravida (Veneto annuente Senatu) regnum tenuit. Mocenicus fit Dux Venetorum: eiuſquè loco Antonius Lauredanus, qui Scodram tam generosè defenderat, claſſi præficitur. Hic ſtatim Naupactum à Turcis ſervavit; & Lemnum. Vſumcaſſanes illatis ſignis in Cappadocas, Armenos, Georgianos Perſico adiecit imperio, iam toto Oriente metuendus, nec Chriſtianorum indignus auxiliis. Sed omnes torpebant, exceptis Venetis: in quos ingruens Turca ad *Soncium* fluviū Foroiulienſem, magnà clade fudit ac incendiis provinciam deformavit. Hinc ſoli & triſti, cum à Principibus Chriſtianis Veneti nil ſperarent, poſt amiſſam Croiam Epiri urbem An. Sal. 1477. Scodram fortiſſimè antè propugnatam cum Tænaro Laconiæ promontorió

Venetorum pax cū Turcis.

& inſulà Lemno, adiunctis octo millibus aureorum annuatim, velut alii tradunt, centum millibus intra bienniū ſoluendis prò libertate navigandi ultra Helleſpontum, Mahometo tradiderunt. *Sabellicus.* Dedecus pacis Reges habeant Chriſtiani; quorum in curià, vel perfidià Veneti Annos ſexdecim annonà, ære, milite emūcti reſpirare nō potuerunt, niſi pacē emerent. *Petrus Iuſtinian. Sagredus.*

Veneti quanta paſſi à Turcis

Pontifex bellū generosè exorſus primà expeditione duce Caraſâ centum millia aureorum expendit: ſecundà (duce Laurentio Patriarchà Antiocheno) ſexaginta quinque millia. *Sed quid inter tantos?* Soli Mathiæ Vngariæ Regi ſolvebant Veneti annuatim ſexaginta millia aureorum, licet ipſi terreſtres copias alerent, & claſſem navalem. *Sagredus.* Hinc Anno 1475. Vngarorum legati, qui Romam ad Sixtum venerant, orationem clauſerunt deploratà Chriſtianà religione, quæ in anguſtias à Turcis deducta iacebat: *quo loco contentiore voce*

Vngari Sixtum increpant

(ita Diaria referunt Conſiſtorialia, quæ in Vatic. aſſervantur) *qua exaudiri undiquè poſſet*, his verbis ad eam tuendam exhortati ſunt Sixtum. *Imitare, imitare divinum illum Pium II. fidei catholicæ vindicem.* His repetitis finem *dicendi* fecere legati, vel *increpandi*.

Fides Chriſti propagatur.

Suam tamen Deus non dereliquit Eccleſiam, propagatà hoc tempore Chriſtianà religione in inſulis Canariis, ac Occidentali Ethiopià, ſive Guineà; ampliatis per Sixtum Pontificem privilegiis, quæ prędeceſſores indulſerant. Mahometes minimè belli ardore remiſſo, An. 1480. Rhodum obſidet. Defendit eam Deus, cuius oſtentis Turcæ perterriti, poſt obſidionem trium menſium abierunt. Eodem tempore ad occupandum Ferdinandum, nè Rhodiis ferret ſuppetias, ingenti claſſe Hydruntum appulere; urbem hanc diebus XVII. tormentis graviter verberatā expugnarunt. Nuſquàm ſævitum atrociùs: duodecim mille Chriſtiani cęſi vel abducti. Archiepiſcopus vivus excoriatus, tanto Italorum timore, ut de eà deſerendà cogitarent: donec Sixtus ipſe Galliam reſpiceret. Mahometis morte Itali metu ſoluti ingenium ſuum, hoc eſt, ad bella redire civilia.

12. *In Tudertinos.* Viribus inſtauratis Pontifex Sixtus (inquit Panvinius) *ut erat magni animi vir, Pontificiam dignitatem augere, imperium armis proferre, et ſuos conſanguineos ampliſſimis fortunis beneſtare cupiens fœdere cum Aragonio Ferdin. Neapol. rege inito aliquot in Vmbriæ tyrannos tumultuantes, et in eccleſiam minùs quàm beneficentior deceret, contumaces tollere conſtituit. Ingenti igitur exercitu congregato, imperatorem Fridericum Feltrium, quem ex comite Vrbini Ducem nullo non honoris genere adhibito creaverat, legatum verò fratris filium Iulianum Cardin. S. Petri ad Vincula præfecit. Legatus ducis adventu non expectato, in Tudertinos primùm, deindè in Spoletinos tumultuantes pontificiquè rebelles impreſſionem facit: quos Iulio Varano Camertium Duce opem ferente, ſedatis inteſtinis diſcordiis, factionumquè capitibus relegatis, in eccleſia fide non ſinè magnà Spoletinorum clade continuit. In Nicolaum deindè Vitellium Tifernatem regulum, ferocis ingenii hominem arma movit, quem cum anteà Sixtus habuiſſet amicum, Laurentii Tifernatis acerrimi Nicolai hoſtis impulſu, Pontifex bello perſequebatur. Vitellius impar Pontificiis viribus, poſt trimeſtrem oppugnationem Vrbinatium Ducis Friderici adventu audito urbem legato hac conditione dedit, ut ei tutò vivere privati hominis more in patrià liceret.* Rem tamen longè diverſam accidiſſe cum ſedis ignominià Apoſtolicæ

nar.


SIXTI PP IV. MONVM IN BASIL. VATICANA
EX ORD. MINOR
OMNIS MEMORIAE PRINCIPI

narrat Papienſis *ep. 576. Ad rem Tifernatem abundè quod lamenter, & reſpondeam habeo. Heri ad me venit Bacias Vgolinus paulò ante Tiferno profectus, retulit in deditione civitatis ſe affuiſſe, nihil illa turpius potuiſſe fieri affirmat. Acceptas leges à noſtris non datas commemorat, non admiſſum legatum, niſi quibus cuſtodibus Vitellio placuit: pedites tantùm ducentos intùs receptos atque inter cives ita diſpoſitos, ut non præſidere ipſi, ſed in alieno eſſe præſidio videantur. Venientem Vitellium in conſpectu legati contumacis adhuc animi, & victoris potiùs, quàm victi ſignum dediſſe: non cecidiſſe in genua, non ſupplici uſum oratione, non facinoris pœnitentiam oſtendiſſe: leni tantùm detectione capitis, & colli inclinatione ad ſpeciem, non honorem indicaſſe ibi eſſe Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, &c.* Geſta hæc fuiſſe conſanguineorum Pontificiorum gratià idem queritur Papienſis ep. 575. *Aut* (inquit) *cum Pontifice Vrbinas, aut cum Vrbinate Vitellius id forſan pepigit, quod timeo.*

Nimiū nepotes extollit Sixtus.

13 *Abſalon.* Vide in explicatione hieroglyphici, ſupra in *exordio vitæ*.

14. *Familia.* Nil cupidiùs egit Sixtus, quàm ut fratrum, & ſororum filios (quos multos aluit) ad magnos honores proveheret.

Luxus Petri Riarii.

Petrus Riarius ex ſorore Sixti nepos primus fuit, quē Papa inter cōſanguineos ſuos dignitatibus honeſtaret eccleſiæ. Hunc à teneris Annis in Franciſcano educauerat ſodalitio, & artium diſciplinis erudierat. Venetiis Riarius Philoſophiam in cœnobio S. Nicolai magnæ domus docuit: deinde miniſter prouinciæ Romanæ præfuit. Nonnulla aliquando futura ſomniauit, quæ acciderunt. Franciſcum auunculum iteratis precibus ad petendum Romam inflammauit, futurum illum promittens Pontificem, ſequè ab eodem purpurà honeſtandum. Hunc habuit Sixtus in Conclaui cubiculi præfectum, & induſtrium ad Pontificatum promotorem. Miris enim artibus conciliauit Beſſarionem, Latinum Vrſinum, Borgiam, Gonzagam, quibus ſuffragantibus promotus eſt Sixtus. Ex Epiſcopo Taruiſino inter Cardin. cooptatus tit. S. Sixti; vir perdendæ pecuniæ natus, (ait Volater. l. 22. Antropol.) *biennio, quo tantùm poſteà vixit in Cardinalatu, ducenta aureorum millia in luxu victitando ſolùm abſumpſit, ſexaginta millia æris alieni, argenteorum item trecentum pondo dimiſit. Deceſſit tabidus voluptate, annorum* 28. Baptiſta Fulgoſius *l. 9.* prodigioſam deſcribens prodigalitatē ejus, Tereſiæ meretrici ſuæ ſacculos margaritis opertos dare ſolitum ſcribit. Prætereo ſatyram, quà eum apud Baptiſtam Mantuanum ſalutat Iupiter, & in uno hæreo Cardinali Papienſi *ep. 558. ad Franciſcum Gonzagam*, qui graphicè ejuſdem mores deſcribens, ad humanæ fragilitatis exponit exemplum. *Vidiſti hunc* (inquit) *à Sixti Pontificatu menſe quinto, cùm ex Minorum eſſet ordine, iuvenis adhuc, nullà illuſtri re anteà cognitus, gravi Pontificis contentione creatum eſſe Cardinalem ex illà die potuiſſe, quod voluit. Quantum autem nec credi facile eſt, nec auditum noſtra eſt, nec patrum maiorumquè memoria. Euntem illum ac redeuntem in curiam, ſcis quanta omnis ordinis, ac dignitatis multitudo comitaretur: multitudini antecedenti, ac ſequenti iam via ſatis non erant: manentem quoquè domi plures multo adiiſſe negotij cauſà, quàm ipſum propè Pontificem: præſulibus, et legatis omnifariamquè hominibus quaquè dies horà ades laſſiſſimas inundaſſe. Etiam memores convivij illius inauditi, quo Gallorum oratores anno antè accepit; ſolemnius aliquid vetuſtas tota, nec gentilitas quidem audivit unquàm; molimen dierum plurimorum fuit. Tota Hetruſcorum induſtria conquiſita eſt atque adhibita, vacuefacta raris pretioſiſquè omnis zidque actum, at evincendo conatui nulli in poſterum ſupereſſet facultas. Apparatuum magnitudo, & varietas, miniſtrorum ordines, epularum numerus, rerum pretia appoſitis ſpeculatoribus notata ſunt literis, deſcripta verſibus, nec per urbem modo vulgata paſſim, ſed per Italiam quoquè & trans alpes ſingulari ſtudio miſſa. Non multos ab eo convivio dies cum virgo regia (ea erat Leonora Ferdināndi Regis Neapolitani) ad ſponſum Ferrarienſem duceretur, audiſti quanta admiratio ſolemnis hoſpitii fuerit: ad eum enim divertit, exceſſit honor non modo credendi fidem, ſed facultatem narrandi. Viſebantur ſtupore ingenti ædes non lapidea iam oculis, ſed quoquo te verteres magnis opibus locupletiſſimè conveſtita, & parietes, & pavimenta ſerico argento, & auro inſignes: culcitra cubicularum nulla non ſericea fuere, lectorum pulvini conopea, & pallia nulla non auro intertexta: oſtiorum vela omnia exquiſitis operibus picta: ſellæ argenteis pedibus fulta, plures textili auro contecta quæ etiam ad interius naturæ commodum habentur ex ſolido argento facta, culcitralis ex ſerico ſuper impoſitis: abaci aularum ad admirationem viſentium lati, editi, & pleni: longiſſimam porticum continentis ædis ad convivii amplitudinem de iecto tecto conſtravit, ut prandentes cenantesquè indè cernerentur pateretquè omnis interior apparatus, & infra.*

Poſtremo, & admirati pernimium ſumus congeriem Sacerdotiorum ad hæc explenda creſcentem quotidiè, nec ulli ſorti aut nationi parcentem: nam præter illuſtra canobia magna, & multa ubiquè gentium comparata, præter inferiora itaquè dignitatis non ſpreta, etiam ea ſuprema ſedis in unū ipſam etiam aggeſta patriarchalis Coſtantinopolitanà, metropolis Hiſpalenſis, metropolis Florentina, & Mimatenſis Gallicana congerenda haud dubiè plures, niſi vita, & cupiditati unà Dei diſpenſatione eſſet modus impoſitus. Biennio toto hic tantus fortuna ſucceſſus fuit iam, ut apparet, feſtinatus, quàm brevi erat caſurus. Quid ergo ex tantà glorià reliquum nunc illo mortuo inſpicimus, quid ex tanto rerum faſtigio conſpicuum extat. Vidimus illum iuxta verbum ſcripturæ exultatum ſupra cedros libani, tranſivimus nunc, & ecce non eſt, &c.

Iulianus Sixti nepos.

Iulianus ex ſorore nepos Sixti, ſecundus fuit, quem Sixtus ſacro ornavit galero, & dignitatibus ditavit Eccleſiæ. Hunc Papam videbimus nomine *Iulii II.*

Hieronym. Riarius

Ex cognatis promovit tertiò. *Hieronymum Riarium* Petri fratrem, qui ex tenui & humili fortunà in demortui fratris locum & potentiam ſuccedens, Foro Cornelii ac Forolivii Princeps iniurià factus, tum Domnem Eccleſiaſticam adminiſtravit. Vxorem duxit Catherinam Galeatii Inſubrum ducis ex concubinà filiam, cuius rei cauſà filium eius Aſcanium Cardinalem Sixtus creavit, ut ei patrem conciliaret. Dienſis quoquè & Valentinenſis comitatus (quos pœnitentià ductus Ludovicus XI. Rex Francorum Eccleſiæ reſtituerat Anno Sal. 1483.) in Hieronymum derivarunt. *Arnol. Ferronius l. 1.* Quomodo autem occiſus à populo pœnam luerit? dabimus *in vità Innocentii.* Eiuſquè filii malè parto principatu ſpoliati fuerint? *in vità Alex. VI.* Poſt hos (inquit Panvinius) *Pontifex fratrum, ſororumquè filios, quos multos habuit ad magnos honores, divitiaſquè provexit. Nam*

Leonardus Sixti nepos.

Leonardum fratris filium, datâ ei in matrimonium regis Ferdinandi filiâ nothâ, urbis præfectum dixit, & in eius defuncti locum, alterum fratris filium Ioannem Iuliani Cardinalis fratrem ſuffecit, Sora ac Senogallia adiuncto principatu. Is ex uxore Ioannâ Friderici Feltriæ Vrbinatium Ducis filiâ Franciſcum Mariam genuit, qui poſt avunculi Guidonis Vbaldi ſinè maſculâ prole obitum, iure hæreditario, adoptionis & dotis nomine ducatum Vrbini obtinuit. Chriſtophorum deinde et Dominicum Rovereos fratres patriâ Taurinenſes, ex regulis Vicinovi ſucceſſivè: item ſororis filium Hieronymum Baſſum, ex Petri Riarii ſorore natum Raphaelem Sanſonium, qui Riarium nomen tulit annorum XVII. *et Ioannem Iacobum Sclafenatum Mediolanenſem Parmę Epiſc. cubicularium ſuum, quem ſervitio ſolo ſibi acceptum et gratum ex humili loco in altum evexit, Cardinales diverſis temporibus dixit.* Septem ex gentilibus ſuis Sixtus Cardinales creavit.

Gentiles ſuos Sixtus exaltat. Origo equi albi tradendi Eccleſię à Neapolitan.

In gratiam leonardi ex fratre nepotis, Regi Ferdinando tributum non ſolutum (cuius causâ iure regni exciderat Ferdinandus beneficiario) condonavit, ac in futurum pendendi cenſus onus, permutavit in equum albũ aonuatim ſeudi nomine Eccleſiæ tradendum. Soranum ducatum cũ aliis oppidis, quæ ex Pii II. ſœdere acerrimè exegerat Paulus II. ut Eccleſiæ debita coronæ reſtituit Neapolitanæ, eo ſolo voto (quòd in arcanis fuit) ut filia Regis Leonardo nuberet nepoti ſuo. *Papienſis ep.* 439. Odoricus Raynaldus ex Platinâ in M. S. *Arch. Vatic.* Non minori damno affecta eſt Eccleſia, cùm filiam Friderici Vrbinatis iunxit Ioanni ex ſorore nepoti ſuo. Illata primò iniuria ordini Cardinalium, quùm veniens Romam Fridericus Vrbinas ad ſubſellia Cardinalium admiſſus ultimus, fruſtra Sixtum Rhotomagenſi, & Mantuano monentibus, locum illum proprium eſſe primogenitorum Regum. *Agebatur* (inquit Raynaldus ex Platinâ in M. S.) *de deſpondendâ filiâ Friderici ex ſorore filio, et Senogalliâ, Mundanioque illi tradendis: potatum eſt carnis, et ſanguinis id pernicioſum exemplum fuiſse. O Paule* (ita Papienſis exclamat ep. 577.) *ſecunde, ubi tua nunc eſt in parandis, et retinendis rebus Eccleſia laudata attentio.* Obſiſtere quidem Sixto viſi ſunt Cardinales, ſed conſtantiâ defecere in gratiam Pontificis (teſte *Papienſi ep.* 579) & Cardinalis Iuliani. Miſera ſors Eccleſiæ, in quâ homines per ipſius ſurgunt detrimenta. *Idem ep.* 576. 577. Hinc accuſatus Sixtus nonniſi ad augendam familiam bella tentaſſe in Vitellium, Florentinos, Columnas, alios.

Belli Florentini cauſæ.

Occaſio prima diſſidii inter Sixtum, & Mediceos, auxilia fuere clam Vitellio ſubminiſtrata à Laurentio, quibus fultus trimeſtrem obſidionem ſuſtinuit adverſus Hieronymum Riariũ, qui Tiferno inhiabat. II. Repulſa fuit Sixti in petitione Cardinalatus quem Laurentius Medicæus poſcebat Iuliano fratri ſuo. III. Potentiam Principum in Italiâ exæquatam cupiens, vires Pontificis nimio plus creſcere non patiebatur. Hinc totis viribus operam dedit, ne Pontifex Imolam Flaminiæ urbem, dictam Forum Cornelii, emeret, quam princeps egeſtate coactus vænalem propoſuerat, Regulum per amicos menſarios magnâ pecuniâ ſublevando. Hinc inter Pontificem, & Laurentium apertas ſimultates cum adverterent Romæ duo Franciſci *Pactius* & *Salviatus Præſul Piſanus* (hic quòd in honoribus adipiſcendis Laurentium paſſus fuiſſet adverſum: alter quòd nobilitate, ingenio, ac propè divitiis par potentiâ iaceret inferior, dolebat;) Hieronymum Riarium ſollicitant, ut coniuratione factâ, fratribuſquè Mediceis Laurentio & Iuliano interfectis, Reſpublica ſui ipſius arbitrio conſtitueretur. *Conſcio igitur et annuente Pontifice* (teſte Raph. Volater. Paulo Iouio in vitâ Leonis X. Angelo Politiano, Machiavello l. 8. hiſtor. Flor.) *Piſas primùm, deinde in villam Pactianam profecti dies aliquot in eâ ſubſtiterunt, dum reliquos coniuratos adhiberent, remque omnem ordinarēt.*

Coniuratio Sixti in Mediceos.

Indè verò X. *Kal. Maii, die dominico, An.* 1478. *coniurati ſpecie rei divinę Florentiam veniunt, cum Raphaele legato Hieronymi propinquo, qui unà ſeu fortè, ſeu conſilio aderat, e ſcholâ Piſanâ nuper factus Cardinalis* (Eo miſſus dicitur à *Iovio* & *Panvinio*, ut qui dubii ac timidiores forent, eius præſentiâ & auctoritate, maiore fiduciâ ad maturandam cædem inducerentur) *In ædem omnes Reparatæ manè ad ſacrificium conveniunt. Salviatus interim cum ſuis clam armatis templo diſcedens, in curiam ut Cæſarem Vexilliferum alloquatur alio ſimulato negotio proficiſcitur, eo tamen conſilio, ut ortâ cæde in templo præſto eſſet, qui curiam ſimul cum magiſtratibus invaderet. Igitur dato ſigno cum Eucharistiâ attolleretur: Bernardus Bandinus primus Iulianum Laurentii fratrem confodit. Antonius Volaterranus, qui primas ſibi partes depopoſcerat odio ductus in Volaterranos veteris amicitia, Laurentium ex aliâ parte aggreditur poſt tergum, paululumquè intra iugulum ferit, quum ille ſtatim ad clamorem converſus ictum vitaret, ac iterare vulnus volentem properè ſubterfugit in ędis ſacrarium proximum, ubi a ſuorum multitudine exceptus ac ſervatus eſt. Famâ interim eum eſſe vivum pervagante, animus additur Laurentianis. Coniurati alii aliò diffugiunt præter Iacobum Pactium equitem, qui equo urbem percurrens, populum ad libertatem excitabat, quumquè neminem proſequentem videret, protinùs egreſſus portâ Faventinâ fugam arripuit. Legatus è templo à civibus in curiam ductus ac cuſtodiæ traditus, pro viri dignitate tractatus eſt. Salviatus qui cum Vexillifero de induſtriâ ſermonem protrahebat ut finem expectaret, ſtatim comprehenſus & ipſe eodem die cum omnibus ſuis ſontibus, & inſontibus, ſimul & franciſco Pactio, Iacobo Salviato Iacobo Pogii filio, qui & ipſi inter coniuratos erant, ad curiæ feneſtras ſuſpenſus fuit.* Plures alii pari ſupplicio affecti ſunt. *Adfuit eodem die è coniuratis Io: Franciſcus Tollentinas ex agro Forocorneliensi cum peditibus mille, totidemquè Laurentius Tifernas ex aliâ parte, qui ubi rem infectam viderunt, magno domum rediere periculo. Hoc nuncio Pontifex accepto Laurentium ſacris interdicit, quòd Dei ſacerdotes, legatumquè attigiſſent. Ille verò ut eius placaret animum, legatũ remiſit. Pontifex nihilominùs bellum Florentinis apertè decrevit; ſociumquè Regem Siciliæ adſcivit, qui ſimul Alfonſum regis f. Calabriæ, & Fridericum Vrbini, duces cum exercitibus miſerunt, ut agrum eorum Senis vicinũ popularentur. Laurentius verò in Republicâ confirmatus, ac à populo poteſtate acceptâ, Herculem Eſtenſem cum copiis in occurſum mittit, qui ad montem Imperialem conſiſtit,* ut hoſtes prohiberet, ne mœnibus urbis accederent. Verũ cum in dies periculũ ingrueret; Laurẽtius ad ſuos oratione habitâ, quomodo Reipublicæ gratiâ ad Regem hoſtẽ confugere meditaretur, aperuit. Laudato conſilio, illicò per mare Tyrrhenum

Nea-

Medicei reconciliatur Sixtus.

Neapolim venit, ubi humaniter exceptus ſupplex A veniam petiit, ac cum Rege, annuo cenſu promiſſo pacem compoſuit. Factum Pontifex graviter tulit, quod ſe neglectum viderit, auxiliis tamen deſtitutus pacem dare coactus, XII. Oratores Romam miſſos ad petendam veniam, Dominicâ Adventus An. 1480. in porticu Vaticanâ procumbentes audit, viritim converberatos expiat, ſacris admittit, domum redeuntes Cardinalium familiis comitantibus cum priùs urbem nemine obviante ingreſſi fuiſſent. Hac occaſione, cum Sixtus ad Concilium citatus fuiſſet, ipſe ingenti animo, ſummaquè conſtantiâ reſpondiſſe fertur: *Se Concilium quidem libenter admiſſurum, ubi ſperaret ſe omnium illorum principum criminibus patefactis res plurimas Eccleſiæ ablatas ab ijs repetiturum. Vnde illum qui metu expugnare ſperabant, ab eodem perterriti, alia quæſiere perfugia.* R. Volaterranus *Anthropol. l.* 22. Huc facit nummiſma, in quo *Conſtantia* ſub lemmate *Parcere ſubiectis, et debellare ſuperbos.*



Tyrannos domat.

Ex hoc bello aliud ortum adverſus Herculem B Ferrariæ Ducē, qui cum Florentini exercitus imperiū ſuſcepiſſet in Sixtum, is illū Ferrarienſi principatu deturbauit. Simili pœnâ perculit Robertum Malateſtam Ariminenſem, Conſtantium Manfredum, & Galeotum Faventinum, Alexandrum Sfortiam Piſaurienſem, Apoſtolicæ ſedis beneficiarios, qui poſthabitâ clientelari ſponſione, ac iureiurando, quo Eccleſiæ erant deuincti, ad Florentinos defecerunt. Cum Pontifice Veneti conſpirarunt in Herculem Ann. 1482. quod regiâ cognatione tumidus antiqua ſperneret fœdera, ac confinia turbaret iuriſdictionis. Herculem iuuabat ſocer Ferdinandus Rex Neapol. immiſſo filio Alphonſo Calabriæ Duce cum quatuor millibus militum. Columnenſes, Sabelli Neapolitano adhærebant. Hinc Vrſini eorum æmuli magno clamore in Conſiſtorio Cardinales Sabellum & Columnam tanquàm factionum capita, & ſeditionis auctores accuſantes, eò adegere Pontificem, ut Sabellum & Columnam veluti obſides in arcem Hadriani miſerit cuſtodiendos, à quâ poſt annum dimiſit incolumes; deindè quum Laurentius protonotarius ex eâ familiâ rurſus contumax appareret, in domo ſuâ Romæ cohorte Pontificiâ, tum Vrſinorum expugnatus auxilio, brevi poſt eſt ſecuri percuſſus. Belli cauſa Columnenſis hiſtoricis varia. *Stephanus Infiſſura* Sixti accuſat cupiditatem, ut Columnenſium oppidis ditaret conſanguineos. Iacobus Volaterranus in *M. S. Vatic.* & Brutius *lib.* 8. *Hiſtor. Florent.* Columnenſes inſimulat, quòd oppidum Taliacotii Vrſinis ademptum, qui exordio belli D Ateſtini, partes proſequebantur Pontificis, etiam poſt compoſitæ pacis fœdera, reſtituere pertinaciſſimè negarent. Bello itaquè in Ateſtinum decreto, Rex plurimas Eccleſiæ urbes ad defectionem ſollicitavit, inter quas Tifernum, Beneventum eius ſeceſſit in partes, expugnatâ etiam Laviniâ, agro vaſtato Romano: mari interclusis commeatibus à claſſe Aragonicâ: fidelibus per Mediolanēſes & Florentinos ad ſedem Apoſtolicam adire prohibitis. Soli Ianuēſes ac Veneti cum Pontifice conſpirabant. Calaber mænibus non formidabat inſultare Romanis. Præſto tamen adſuere Veneti cū auxiliaribus copiis, & Duce

Bellum in Columnios.

Veneti iuvant Sixtū.

Roberto Malateſtâ Ariminenſi toparchâ, die 21. Auguſti An. 1482. in Calabrum ex urbe irruentes, poſt pugnam ab horâ diei 16. uſquè ad 23. cruenti clade fugarunt: ita *Infiſſura* & *Iacob. Volater. in M. S. Vatic.* Res interim Ateſtina malè cedebat Herculi. Ferrariæ Veneti admotis caſtris, domitum habuiſſent hoſtem, ni Sixti Pontificis inexpectata defectio rem Ferrarienſem penè deploratā ſervaſſet. Veritus enim, ne Hercule principatu eiecto, Venetorum potentia nimia excreſceret, ſtatim cum eo ac Ferdinando Rege totiuſquè Italiæ principibus percuſſo fœdere, Venetos per literas monuit, ut continuò ab armis diſcederent, immò Herculi reſtituerent quæcumq. ad eam diem armis, terra, aquiſquè illi ademiſſent: eoquè conſilio id facere Pontifex atteſtabatur, ut Italiam bello liberaret, Chriſtianiſquè principibus pacē redderet, quum ad Pontificem ſpectet, diſcordias Principum è medio tollere. Reſponderunt Veneti; *Bellum ſuſceptum à Venetis ſuadente Pontifice, quibus ex antiquo inſtituto ſemper in voto pax. Nunc fraude, & dolo rem Venetam peti ſpetie pacis: cùm enim viginti per annos in Turcas terrà, mariquè arma tractarent; nemo tamen conſpiravit in Barbaros: nunc Hercule periclitante, omnes ad arma concurrere, & ad pacem iniquam ſub ſpetie quietis invitari, ut victoria Venetis auferatur. Bona itaquè illius veniâ bellum proſequi, ſtatutum eſſe.* Pontifex audito Senatus conſulto de proſequendo bello, anathema ſtatim detorſit in Venetos: ipſi autem ad Deum, & ad futurum Concilium coram Prælatis in Ducali palatio congregatis appellarunt, ut ex diplomate Sixti IV. apud Raynaldum. Neapolitanus interim (iam ex Pontificio fœdere apertis itineribus) cum duobus equitum millibus, in quibus quadringenti Turcæ fuere Hidruntinâ obſidione in ſeruitutem redacti, celeri curſu Ferrariam venit. Sed non multò poſt illa Barbarorum manus Arragonenſem exoſa militiam ad Venetos transfugit; & Calaber paucis diebus Ferrariæ moratus, Mediolanum conceſſit, decretoquè in Cremenſi Concilio (ubi plurimæ Italorum Principum aderant legationes) bello in Venetis communi ſociorum nomine gerendo, copiarum imperium accepit Federicus Gonzaga Princeps Mantuanus. Pugnatum acriter incerto Marte, donec per Venetos

Bellum in Venetos.

in Salentinos Regis Neapolitani ditionem ſignis illatis, expugnatâ Gallipoli, Ferdinandus caſus reformidans incertos, proximûſque hoſtem prępotentem, cępit ad pacem reſpicere, quã antea prorsùs renuebat. Paulò itaquè poſt biennium, eâ conditione eſt inita, ut hinc inde capta reſtituerentur cũ immunitatibus ſuis, exceptis Rhodigio, Lendenariâ, Abbatiâ, Adriâ quæ iuſto bello parta Veneti retinuerunt. Ita bellum abſolutum eſt Ferrarienſe, quòd Veneti ſoli adversùs omnes Italiæ principes terra, mari, fluminibus geſſere. *Petrus Iuſtin. l. 9. Sabellicus.* Pacis conditiones minimè probavit Pontifex, vel quòd honeſtandi ſuos prærepta foret occaſio: vel quòd Pontificia iura diminuta conſpiceret, ut ſcribit Raph. Volater. *l.* 22. Conſonat Iacobus Maffeus Volateranus *in M. S. Vatic. n. 49. & 121. Moritur* (inquit) *Sixtus IV. die*

Sixti mors ex dolore pacis inhoneſtę.

Iovis, quo celebratur ſolemnitas B. Claræ inter quartam & quintam horam noctis, cum paucis ante diebus languiſſet. Poſt veſperas (Mercurii ſcilicet die XI. Auguſti) *rum iam concluſa eſſet pax in Longobardia venientes legatos fœderis Italici pacem nunciaturos intromitti iuſſit: quibus auditis indoluit non pacis nuntio, ut dictant maledici, & illius gloriæ æmuli, ſed iniquis pacis conditionibus intellectis, atquè in hæc verba prorupit:* Bel*lum geſſimus periculoſum & grave, ut partâ victoriâ pacem honorificam cum ſecuritate Romanæ ſedis, & honore noſtri huius fœderis conſequeremur: & cum iam, ut ſcitis volente Deo eſſet in manibus, conditiones pacis affertis (veniâ veſtrâ ſit dictum) victis quoquè, quam victoribus cõvenientiores. Obtulerant Veneti alias legato noſtro Apoſtolico, ac Caſenæ agenti multo æquiores, tàm nobis quàm veſtris principibus utiliores: honor dabatur huic ſedi, qui nunc adimitur: capta hinc indè bello oppida noſtræ fidei mandabantur: obſides nobilitatis illius primarij ad nos mittebantur, expectaturi iudicium noſtrum: de peninſulâ Ferrarienſi nulla fiebat tunc mentio: horum aliquid non affertis modò, ſed contra ignominiæ, ac dedecoris pacem nunciatis plenam confuſionis, & opprobrij, & quæ plus mali quàm boni tum tempore ſit paritura. Eam dilecti in Chriſto filij commendare aut probare non poſſumus. Legati videntes ſanctam ſenem præ* *nti nuntio affligi, & languores eius incrementa ſuſcipere linguam quoquè loquendo hebetiorem fieri, conabantur bonis verbis illum ſolari, medicis etiam adiuvantibus: & iidem conſilium abeundi capientes dixerunt ſe; aliàs ad Beatitudinem eius quietiorem ut ſperabant, reverſuros, ſupplicantes nihilominùs placeret benignitati ſuæ paci iam dictæ benedictionem ſuam adiicere, quandoquidem eorum potentatus nihil ab illâ diverſum petiturus eſſet. Pontifex motâ paulatim manu, vel paci, vel illis iam a ſe abeuntibus benedixit. Cubicularii verò ſenem labore & dolore confectum in lectulo collocarunt, & quibus poſſunt medicamentis & pio & amãtis miniſterio illũ conſolantur & adiuvant: ſed eâ nocte & die Iovis ſequenti ſemper in horas auctus eſt languor & dolor adeò, ut adveniente horâ, quã dixi, ſpiritum creatori ſuo reddiderit, nullis non modò ambagibus obverſantibus, ſed multa certè quiete. Communicaverat quatriduo antè per manus Ceraſenſis Epiſcopi, actâ priùs per eum re Divinâ. Iterum hoc etiam die ſed paulò antè obitum, cum adhuc eſſent integri ſenſus à præſulibus Palatinis Deo & B. Virgini eius anima eſt commendata. Mortuum minores pœnitentiarii laverunt, et veſte Sacrâ* (Subtus veſtes Pontificias habitu S. Franciſci) *ex eorum munere ornaverunt, et in feretro collocantes ſpectandum publicè ſtatuerunt.*

Sacramenta recipit.

Sepultus eſt in ſacello Vaticanæ Baſilicæ, quod vivens extruxerat; eiuſquè ſepulchro adhuc appenſum ſequens legitur epitaphium

Epitaphium

Sixto IV. P. M. ex ordine Minorum, doctrinâ, et magnitudine animi omnis memoriæ principi. Turcis Italiâ ſubmotis, auctoritate ſedis auctâ, Vrbe inſtauratâ, templis, ponte, foro, viis, bibliothecâ in Vaticano publicatâ, Iubilæo celebrato, Liguriâ ſervitute liberatâ, cùm modicè, ac plano ſolo condi ſe mandaviſſet: Iulianus Cardin. patruo benè merenti, maiore pietate, quàm impenſâ faciendum curavit. Obiit Idib. Sextil. horâ ab occaſu quintâ. An. Sal. 1484. *Vixit An.* 80. *dies* 22. *horas* 12.

Bella Sixto vitam ſurripuerunt, & famam; nàm milite conſumptâ pecuniâ, noua primus vęnalia excogitavit Collegia, *Breviatores minoris præſidentiæ*, quos creavit Pius, ſuſtulit Paulus, reſtituit Sixtus, quorũ loca quingentis: poſtea *Sollicitatores*, quorum trecentis, vęniere. Deinde *Adſtipulatores*, ſinè quibus nullæ poſſent confici tabulæ. Poſtremò *Notarii Fiſci Apoſtolici. Hoc modo* (teſte Volater. l. 22.) *Curia Romana libertas in compedes quaſi coniecta, ut nulla induſtria via ſperari poſſet. Verùm hæc neceſſitati, ſeu veriùs proximis, vel miniſtris tribuenda. Nam eo Pontifice nullus nec animo munificentior, nec in dando hilarior, nec in promovendis hominibus promptior repertus fuit.* Hinc à pluribus laudatus de doctrinâ, honeſtate morum: ab aliis dicteriis affectus, quibus proſpicere noluit ad ſatietatem. Inter hos fuit *Theodoricus Gaza* Theſſalonicenſis, qui in *præfatione librorum Ariſtotelis de animal.* quos ei dedicauit, ducentis nummis donatus à Sixto, cui ſuas dicauerat lucubrationes, indignatus, pecuniam proiecit in Tyberim, ſubdens: *Effugere hinc iubet; poſtquàm optimæ ſegetes in olfactu propinquioribus aſinis ſordeſcunt.* Idem dicas de *Bruto*, & *Infiſsura* hiſtoricis. Ego nec beneficio cognitus, nec iniuriâ, vetera colligo. Si quid iniurioſũ legeris, antiquos cõſule.

Officia vænalia.

Petulantia Theodorici Gazæ.

15. *Muſica.* Deiparę devotus *Sixtus*, ut ſui venerationem ſolveret, præter templa Romæ excitata Virgini Marię, in Baſilicâ Liberianâ, à levâ aræ maximæ organum concinnit, quòd poſtea Clemens VIII. reparavit. *Oldoino* teſte.

16. *Duos Reges, tres Reginas* Romæ magnificè excepit Sixtus. Fuere Chriſtiernus Rex Danię, cui Anno 1474. Romam ingredienti *turba omnis curialis egreſſa eſt obviam; patres ad portam progreſſi medium illum per urbem ad Baſilicam Petri* (inquit Papienſis ep. 556.) *indè ad Pontificem perduxere, iuri dicendo tunc publicè præſidentem. Religio ſumma in ſummo rege enituit: procubuit in genua ante illius pedes, nec ante ſe elevari paſſus eſt, quàm ſermonibus ſuis eſſet reſponſum. Redeunti in cubiculum Sixto, exeuntiquè ad divina horum dierum, gremia viæ ſemper portavit. Lavanti manus pelvim ſuſtinuit. Inter duos primos Cardinales ſeſſum receptus non prius ſedere, non prius tegi voluit, quàm utrumquè ab utroquè factum eſſet. Me hodie alterum ex duobus illi aſſidentem rogari per interpretem fecit, ut pateremur poſt omnes Cardinales ad oſculum Crucis eum aſcendere (Eſt enim dies Paraſceve) Cum rogarem, cur ita depoſceret? Ut habeatur* (inquit) *honos ſummò Sena'ni. Ita nobis Italis, quo animo eſſe in ſummum ſacerdotium debeamus, ſuo docuit exemplo*

Reges Romam veniunt

Alter fuit Ferdin. Rex Neapol. qui Anno 1475. Romam ingreſſus ad adorandas baſilicas Apoſtolorum,

rum, regio exceptus eſt apparatu. *Raph. Volater. l.* 22.

Carola Regina Cypri.

17. *Tres Reginas*. Quarum Carola Regina Cypri Romam venit An. 1475. regno pulſa paterno, & à Sixto IV. pecuniâ adiuta in Ægyptum transfretavit, ubi à Sultano per triennium auxilii expectatione delusâ Romam revertitur, ibiquè unà cum Cypriis comitibus honeſti ordinis, eiuſdem Sixti liberalitate, ac miſericordià uſquè ad extremum vitæ tempus vixit. *Raph. Volater. l. 9.* Secunda fuit Catharina Stephani filia, uxor Thomę Regina Boſnæ, *qua à Turcis expulſa Romæ noſtrà memorià Pontificum miſericordià victitabat, & extincta eſt* teſte Raph. Volater. *l.* 8. Sepulta eſt in Eccleſià *Ara Celi* iuſſu Sixti IV. eiquè poſitum epitaphium. Priuſquàm illa diem obiret extremum, teſtamento regnum Boſnæ Romanæ legavit Eccleſiæ, in cuius teſtimonium enſem & calcaria Pontifici miſit, teſte *Papienſi ep. 695.* eà tamen conditione, quòd ſi *Sigiſmundus* filius, vel B filia *Catherina*, qui fidei apoſtatæ ad Turcas defecerāt, ad fidem redirent, hi coronà potirentur paternà.

Catharina Regina Boſnæ.

Sophia uxor Ducis Moſcoviæ.

Tertia Regina fuit *Sophia* neptis Conſtantini Imperatoris, quę à Sede Apoſtolicà data fuit in uxorem Ioanni Moſchoviæ Duci, dote à Sixto IV. numeratà ſex millium aureorum ultra munera Anno 1472. ut ad veram fidem maritum adduceret. In baſilicà S. Petri ſponſalia celebravere teſte *B. Platinà in M. S. Vatic.* Panvinius. Volateranus *l.* 22. Nummiſma conſonat, in quo duas Reginas pedibus eius procumbentes benignè ſuſcipit, & ſuà munificentià ſublevat. *Opus Victoris Camelio* artificem annuit.



18. *Duobus Deſpotis.* Sixto IV. teſte Raph. Volater. *nullus Pontificum nec animo munificentior, nec in dando hilarior, nec in promovendis hominibus promptior repertus fuit. Miſeros enim atquè à Turcis eiectos principes, Boſnæ Cypriquè reginas, preter Andream Paleologū Peloponenſi, & Leonardū Toccum Epiri Deſpotas aluit.* Vnde

19. *Septem Sixtus Reges* hoſpitio excepiſſe Pontificatu ſuo dicimus, duos ſcilicet Reges, tres Reginas, duos Deſpotas, ultrà Saxoniæ Ducem (ut habes ſupra *n.* 16.) Leonoram Regis Ferdinandi filiam Romà tranſeuntem ad virum Herculem Ferrariæ quam pompà, & munere regio eſt proſequutus. *Panvin.*

Aquæ ductus reſtituit

20 *Aqua Virginea.* Sixtus (teſte *Platinà* in M.S. Vatic.) recepto honorificè Marco Barbo Card. ex Pannonià redeunte, ad urbem exornandam converſus, *ductus Aquæ Virginis penè amiſſa elimatos priùs perpetuo fornice à monte Quirinali ad Trivii fontem ſuà impenſà perduxit.* Et infra: *Portum etiam è regione Oſtiæ ultrà Tyberim à Claudio inchoatum, à Traiano perfectum, repurgare inſtituit, ac navigiorum, ut anteà fuit, capacē reddere, opus ſanè regiū, & Pontificio nomine dignū.*

Pontem inſtaurat.

21. *Pontem* iam pridem diſcectum, quemquè Romani cives meritò ruptum vocabant, magnà curà, & impensà à fundamentis ex Tyburtino lapide reſtituit. *Ib.* Adiūge tabulas marmoreas, in quibus legitur

MCCCCLXXV. Qui tranſis Sixti IV. beneficio, Deum roga ut Pontif. O. M. diù nobis ſalvet, ac ſoſpitet. Benè vale quiſquis es, ubi hæc precatus fueris. Sixtus IV. Pontif. M.

Ad utilitatem P. Rs. peregrinaquè multitudinis ad Iubilaeum ventura, Pontem hunc, quem meritò Ruptum vocabat, à fundamentis magnà curà, & impensà reſtituit; Sixtus quem ſuo de nomine appellari voluit.

Ipſemet primum lapidem iecit, in quo hæc ſculpta legebantur. *Sixtus IV. P. M. fieri fecit Ann. d.* 1473. Nummiſma conſonat, in quo pons exhibetur ſub titulo *Cura rerum publicarum.*



22 *Templa*, ędificia quę Sixtus Romæ excitavit, tot ſunt, ut ex ſolis lapidibus, quibus eius nomen, & inſignia ædificiis impoſita viſuntur, ingens palatium confici poſſit, teſte *Oldoino*. Divi Petri in Vaticano baſilicā marmoreis, & vitreis feneſtris dilucidiorem reddidit; ruinam ſiniſtro latere minantem, additis repagulis confirmavit. Panvinius ex Platinà in M. S. In eadem Eccleſià ſacellum erexit, quod Sixti IV. dicebatur. Extat adhuc B. Petri imago cum notis: *Imago B. Petri ex ruinis Sacelli Sixti IV.* Cathedram C Petri ornavit panno aureo, teſte Volaterrano in Diariis. Ciboriū cōſtruxit, ac duodecim Apoſtolorū ſimulacris exornavit, quæ adhuc ſub nomine Sixti IV. in Vaticano viſuntur. Ibidem loco Prioris Decanum ſubſtituit Archidiaconum, Altariſtē. Baſilicam Conſtantinianam auguſtiorem reddidit, & pavimentum ſtravit: Turrim campanariam reſtituit. Supra porticum duas turres excitavit, palatium refecit. Abbatiam S. Mariæ de Glorià cum terris, quas ei addiderat Rogerius comes Calabriæ: Plures per urbem ſacras ædes vetuſtate ferè collapſas ſuà impensà reſtituit: in his abſidem 12. Apoſtolorum, S. Petri ad Vincula, S. Suſannæ, S. Vitalis, S. S. Nerei, & Achillei, S. Balbinæ, S. S. Quirici & Iulitę, S. Viti in Macello, S. Salvatoris Tranſtiberim, S. Io: de Malvà, Eccleſias, ut ex eius inſignibus & Elogiis liquet, refecit. Eccleſias B. Mariæ Virgini in urbe di D catas, quarum uni *de populo*, alteri *de conſolatione* eſt nomen muneribus inſigniuit. Templum Pacis de novo conſtituit, ubi Canonicos Regulares a Baſilicà Lateranenſi eiectos repoſuit. Eccleſiam S. Stephani in Vaticano elegantiùs reſtituit. Xenodochium S. Spiritus pulcherrimis ampliavit ædificiis, ubi ante fores Hoſpitalis Nobilium legitur. *Sixtus IV. nobiliū calamitate & egritudine motus ſenſim ab aliis locum idoneum, decenterque ornatum eius attribuit.* Infantes cum vidiſſet expoſitos cum nutricibus ſuis, locum iis deſignavit habitandis mandauitq. puellas nubiles maritis cum honeſtà dote locari: nonnullas verò religioſores, infirmorum ſervitio perpetuò dicavit.

Ergà Savonam patriam pius, Montem *Pietatis*

pro

pro ſubuentione pauperum in domiciliis Hebrçorum erexit, ut ex carminibus ibidem appoſitis. Templum primarium dirutum Sixtus primo, mox Iulius II. cum ędibus conſtruxit Epiſcopalibus. In Taurinenſi urbe Collegium erexit, & annuis redditibus locupletauit pro alimonià viginti quatuor adoleſcentium, teſte *Anaſtaſio Germonio*. Romæ Hadriani molem reſtaurauit, viam *Sixtinam* dictam à mole Hadriani ad Vaticanum conſtruxit. Cloacas urbis, quà ſordes in Tyberum vehuntur, repurgavit. M. Aurelii ſtatuam ęneam equeſtrem ſordido loco jacentem, in areà Lateranenſi, auguſtiore loco expoſuit. Ædes Pontificias in Vaticano ampliſſimis porticibus deduxit. Prætorianis excubitoribus, qui Pontificis corporis, & palatii cuſtodes ab eo primùm lecti ſunt, magiſtratibus inſuper, & munera obeuntibus, loca ad commodè habitandum condidit, qui antea in cellis penè penuariis agitabant.

Bibliotheca Sixti IV. 23 *Bibliothecam Palatinam* in Vaticano toto Orbe terrarum celebrem, *Platinà* præfecto, (cui etiam mandauit Ecleſię monimenta colligere) aduectiſq; ex omni Europà libris conſtruxit, certoſquè prouentus, undè cuſtodes, & librarii Græci, Latini, & Hebraici menſtruo alerentur ſalario, librique emerentur, aſſignavit, teſte *Raph. Volater.* & Arioſto in *Satyris*. Nec his contentus, reliquos hortatus eſt Patres, ut exemplo ſuo quis novis, vel reſtitutis monumentis urbem exornaret. Hinc *Eſtoutevilla* Card. Oſtienſis templum nobiliſſimum cum monaſterio S. Auguſtini, & palatium S. Apollinari propinquum: item baſilicam S. Mariæ Maioris, cum arce reſtituit. Cardin. Agrienſis eccleſiam S. S. Sergii & Bacchi: Raph. Riarius ædes apud S. Laurentium in Damaſo, inſtruxerunt. Alii alia ædificia excitarunt, unde meritò dicere potuerit, urbem ſe ex Luteà Lateritiam reliquiſſe, ut ex carminibus eius ſimulacro appoſitis in Bibliothecà Palatinà.

Templa, Domum expoſitis vicos, fora, mœnia, pontes
Virginiam Trivii quod reparatis aquam
Priſca licet nautis ſtatuas dare commoda portus,
Et Vaticanum cingere Sixte iugum.
Plus tamen Vrbs debet, nam quæ ſqualore latebat,
Cernitur in celebri bibliotheca loco.

24. *Dolore periit*. Quando, & quomodo mortuus ſit Sixtus? vide *ſupra n.* 13.

Decernit Côceptionem Immaculatam. 25 *Immaculatam Conceptionem* Virginis Mariæ annuatim recolendam decrevit Sixtus IV. Anno 1476. Huius feſti originem Vvilhelmo debes Angliæ Duci. Miſſus ab hoc Helſinus præſul, qui hoſtium vires exploraret, dum imperata exequitur, gravi tempeſtate jactatus, nullà alià ope affulgente, Stellam Maris *Mariam* vocat. Adeſt pro hoc è Cœlo Nicolaus, naufrago manum ſpondet; ſi *Virginis Concepta* diem feſtum habiturum ſe ſpondeat. Illicò convenitur. Subridit mare, enatat, vota ſolvit. Initia hæc ampliora poſtea D. fecit Anſelmus: ampliſſimis deinde indulgentiis ornavit Sixtus in VIII. dies continuos, quos miraculis etiam Cælum comprobavit. Anno poſtea 1483. cum inter Scotiſtas, & Dominicanos gravis eſſet de conceptione controverſia; iſti labe non immunem conceptam originali, ſed Divino mox beneficio ab eà maculà liberatam: illi ſine maculà conceptam aſſererent; utriſquè ſilentium impoſuit; decretum expectaret ab Eccleſià Romanà. Cum autem An. 1497. Io: Veri Dominicanus, doctor Pariſinus ſed tumidus & temerarius publicè in ambone B. V. Mariam prædicaſſet non præſervatam, ſed purgatam ab originali maculà, ſcandalizati cum populo Doctores Pariſienſes, dicta revocare, & abiurare compulerunt: adiuncto decreto, quòd nemo deinceps pręfatæ adſcriberetur Vniverſitati, niſi iuraret ſe defenſorem futurum Conceptionis Immaculatæ. Decretum confirmarunt Accademia Colonienſis, & Maguntina, teſte *Tritbemio*.

Sanctos canonizat. Sanctorum numero adſcripſit Sixtus IV. Bonaventuram, Seraphicum. Quæ omnia expreſſa coloribus, & à B. Platinà inſcriptionibus exarata habes in Xenodochio Sixti.

Cardinales XXXV. creaſſe dicitur, de quibus opportunè dicam *De Geſtis Cardinal.*

IN-

INNOCENTIUS OCTAVUS
PONTIFEX ROMANVS CCXV.



LUe Romà deperdità, cum totà aulà aufugerat Sixtus Pontifex Romanus, ſolo relicto Innocentio (qui tunc Cardinalis erat nomine, *Io: Baptiſta Cibo*) ut colluctaret adversùs Mortem. Agnovit protinùs mali cauſam deſuper imminère Innocentius, undè Ninnivitarum exemplo (*Ione* 3.) planctu, & orationibus populorum, expugnato & expurgato Cœlo, ſerenitatem & ſalutem Urbi reſtituit & Orbi.

Eligitur Anno Sal. 1484. die 4. Kal. Septemb. Coronatur die 12. Septemb. Obiit An. Sal. 1492. die 25. Iulii. S. Iacobo ſacrà, ſeptimà vel ſextà horà noctis. Ætatis ſuæ An. 59. Cum ſediſſet Annos 7. Menſ. 10. dies 28. Vacat ſedes dies 16.

E L O G I V M.

Anni Sal. I In. 1484. I1

HOc tandem ad ſaxum alliditur
Fama, Virtus, Stemma
Innocentii VIII. Cibo [1] Pontificis Maximi.
Fulſere avorum luce cunabula,
Qui perenne hiſtoriæ trophæum.
At ſibi indignatus vel à maioribus vinci,
Crucem, quam ſui in ſtemmate ſervant,
Ipſam ſibi affixit in corde.

A

Pater illi Aaron:
Cuius nomen omen Sacerdotii futuri,
Ritu implevit Hebraico, ſed more Latino.
Priùs namquè maritus, [3] poſteà Myſta.
Alphonſi regià enutritus in aulà
A vità ſpecioſà revocatus ad ſtabilem,
Patavium ſeceſſit, ut ibi addiſceret,
Nō honoribus addere, ſed cupiditati detrahere.

Anni Sal. I In. 1484. I1


Ado-

Anni Sal IIn. 1484.Ii Adoleſcentis ingenium ut omnis ſcientia ;
Ita adulti meritum dignitas omnis ambivit.
Nicolaus Quintus peccatum credens
Tantam prætenire virtutem,
Moriturus dixit Epiſcopum. (dere.
Paul.II. Sixt.IV. Infulas,Datariã,purpurã addi-
Sixtus IV. legationem adversùs [12] Mortem,
Quæ triumphali curru ludebat in Capitolio.
Fugientem aulà inſequutà Pontificem,
Solus Cybo ſtetit,
Ut vallo & mœnibus peſtem includeret.
Tanti viri auctoritatem Mors ipſa reverita,
Ultra bacchari non auſit, cùm vidit,
Cœli vitia corrigi lacrymis populorum.
Pontifex [4] dictus Patrum, ac virtutis ſuffragio,
Honores mutavit, non mores.
Chlamyde gaudens, ut è ſpeculà ſublimiori,
Aliena meliùs ſpectaret incommoda;
Aures nulli obſtruit, vocẽ omnibus comodavit.
Laborum patiens ſuprà fortunam,
Inediæ,& vigiliæ ſuprà naturam,
Ita Pontif. eſſe meminit,ut ſenẽ ſe eſſe neſciret.
Regibus æquè carus, ac utilis
Nullum contempſit,neminem formidavit.
Paci ſtuduit,
1485.Ii Ut bella gereret invitus, invictus.
Ferdinando [5] Regi Neapolis hoſtis, & pater,
Primùm Bellonà domito,mox Venere recreato
Regio fratruelli uxore datà nepte [6] Pontificis, C
More Cœli, cui gradu propior,
Irim fulgure pinxit.
Pacẽ à Regibus impetrare impotẽs, imperavit,
Ut dextras iungerent adversùs [7] Lunam.
Grande conſilium difflavit funus Pontificis.

A Quẽ amarè,& timere Rex Turcarum oſtendit, Anni Sal.IIn.
Muneribus ferreis;
Quibus nil poſt Deum Cœlo ipſi pretioſius,
Chriſtianis omnibus Turca doctior, & dirior,
Pontificis cordi nil propiùs credens accedere, 1492.Ii
Lanceà, [8] quà cor Chriſti diviſum, donavit.
Pars etiam recluſa Tituli [9] triumphalis,
Cui genuflectitur Cæleſtiũ,Terreſtriũ,& Infernorũ.
Quẽ Valentinianus humaverat iã mille Annos:
Vt ex characteribus ſuis Iudæa erubeſceret,
Regem crucifixiſſe ſuum.
Sacer theſaurus eà pompà patuit,
Ut die Inventionis ſuæ
In Hiſpanià Mauricà [10] conciderit Superſtitio.
B Indè Ferdinando nomen reſtitutum Catholici.
Victæ gentis ne ſemen excreſceret,
Aliò migrare iuſſa 124. millia familiarum
Maurorum,& Iudæorum.
Novus [11] Orbis purgati veteris merces fuit.
Quẽ Colũbus Lygur Europę cõdidit,vel apetuit.
Columbus terram detegere natura eſt, non fortuna.
Merſam olim diluvio columba quæſivit;
Clauſam Oceano Columbus invenit.
Viſum tunc Innocentio ſatis:
Duos Orbes ſucceſſori relinquere;
Cùm ipſe à prædeceſſoribus accepiſſet unum.
Morte [12] ne diceretur oppreſſus,
Per extaſim dormienti ſimilis,
Collecto impetu evolavit in Cœlum.
Propè lanceam ſepelitur, (ruit:
Quæ Ieſu fideles lactaturo mamillã cordis ape-
Hoc ferro ſperans Cœlorum ſeras recludere,
Cuſtodibus etiam invitis.

ADNOTATIONES IN INNOCENTIO VIII. PONT. ROM. CCXV.

Innocẽtii VIII. natalia. 1 INnocentii VIII. *Cibo* natalia clariſſima retulerunt plures hiſtorici, auctoritate Leonelli Ep. Concordienſis, oratione funebri coram Cardinalib. habità; nec non oratorum Ianuenſium, qui XII. gratulatũ acceſſere de eius coronatione. Græcià oriundam *Cibo* volunt familiam, Neapoli & Genuæ conſediſſe, eo tamen diſcrimine, quòd *Tomacellorum* nomen Neapoli ſint ſortiti, ex quibus prodiit Bonifacius IX. Pontif. Romanus. Vtrique tamen familiæ eadem inſignia fuere Gentilitia; Faſcia ſcilicet vel



baltheus traſverſus triginta quadratis teſſellis cæruleo et albo colore alternis, ęquiſquè ſpatiis diſtinctus in campo rubro. Addita eſt poſtea Crux rubra in arà argenteà, quæ Genuenſium eſt, in teſtimonium virtutis, quà pro patrià enituit *Guillelmus Cibo* legatus ad S. *Ludovicum* Gallorum Regem, et ad *Clementem* IV. Rom. Pontif. Ex hac unà familià viginti aliæ D prodiere familię, quę patriæ ſuę Genuenſi viros prodidit domi, foriſquè claros. Ciaconius ex oratione Legatorum Ianuenſium, *Innocentij* VIII. patrem *Aaronem* nomine, equeſtris Ordinis virum deſcribit primarium, rerumquè geſtarum glorià clariſſimum, quem Rhenatus Andegauenſis, poſtea Alphonſus Rex Neapolis Proregem conſtituerit Neapolitanum: eundẽq; Callixtus III. Pontif. Rom. Senatorem urbis creaueritque; dignitas tunc nonniſi magnis viris cõmittebatur. Id munus ſummà cum laude geſſit, cuius adhuc in palatio Capitolino cum elogio inſignia extant. Virtutibus ſtuduiſſe, non opibus mediocris fortunę familia eſt argumento. Cum enim hiſtoriam inſequar, non panegyrin, ſcriptores non prętercam coęuos Philippum Bergomenſem, et Raphaelem Volaterranum. Is l. 22. *Innocent. VIII. Io. Bapt.* Cibo (inquit) *Genuenſis poſt Sixti mortem cathedra ſucceſ.*

ceſſit, qui pauper olim puer, etc. Ille pariter ita ſcribit: *Innocent. VIII. patriâ Genuenſis, patre Aaron, Cyborum mediocri familiâ, ſed honoratâ natus.* Infra: *Hic inter cæteros Cardinales cum pauperior, humiliorque etc.* Ex gente itaque *Cibo* patre *Aarone*, matre *Gineurâ*, vel *Mariâ de Mari* Genuenſi matronâ Anno 1432. naſcitur Innocentius, ante Pontificatum dictus *Io: Baptiſta.* Fuit ſtaturâ procerâ, albus, *formâ præſtanti* (inquit Volaterranus) *inter Alphonſi Regis* Siciliæ miniſtros, quo mortuo, cum Ferdinandi quoq; filii eius familiâ aliquandiù vixit. Deinde Patavium conceſſit, ubi literis vacavit; ſtudiis abſolutis Romam venit, longo tempore in contubernio Philippi Calandrini Cardinalis Sergianenſis, qui fuit frater Nicolai V. Is Cibo virtuti tantum tribuit, ut ipſius fidei, ac diligentiæ, proprii corporis ac rerum ſuarum curam crediderit, & per omnes Curiæ gradus ad Epiſcopatum uſq. provexerit Savonenſem, (A Nicolao vel à Paulo II.? incertum) indè ad Melfitenſem, ſub Sixto IV. Datarium. Demùm Nonis Maii, Anno 1473. idem Sixtus presbyterum creavit Cardin. S. Balbinæ, mox S. Cæciliæ, cum patriæ ſtudio rum favore Iuliani Cardin. S. Petri ad Vincula nepotis Pontificis. Magis tamen ei profuit anteactæ vitæ conſtans & commendata opinio quàm patriæ charitas, vel amicorum ſtudium. *Sixto enim ob morum incredibilem ſuavitatem chariſſimus, quà omnes uſquè ad vitium ſuperavit. Nam & infimæ conditionis homines ſæpè exoſculabatur, amplectabaturq; Verũ quàm omnibus blandus eſſet, nemini tamen benignus innatam avaritiam iocis atque dicteriis tranſigebat.* Volaterranus *l. 22. Franc. Maria Vialardus*.

Statura.

Studia.

Mores.

2. *Mortem.* Vitam privatam Innocentii deſcribere Leonellus proſequitur apud Maſſonium. *Vidiſtis quàm crebrò, quod eſt optimi ſenatoris, in ſenatum ventitabat, quàm graves, quàm liberas, quàm oportunas de rebus magnis & arduis ſententias dicebat. Aderat aſſiduus publicis ſolemnitatibus rei divinæ, & præter ſuam, quam promptiſſimè obibat, aliorum quoquè deſidentiam vicem hilari, et devotâ mente ſupplebat. Alebat præterea vir ditiſſima paupertatis multam, honeſtamquè familiam tantâ moderatione, ut in rectâ privatæ domus gubernatione iuxta ſeitum D. Apoſtoli traductionem optimum ſe univerſalis Eccleſiæ rectorem futurum demonſtrarit. Præbuit etiam priùs maius de ſe ſpecimen probitatis: demandatam ſi quidem turbulentiſſimâ peſtilentiæ tempeſtate legationẽ Romanã, Sixto P.M. cum totâ curiâ urbem Romam deſerente, ſanctè, integrè, ac etiam pacatiſſimè adminiſtravit. Senenſem quoq; difficilimis temporibus tantâ prudentiâ, et animi magnitudine geſſit, ut ex eâ ſplendidiſſimã laudem reportarit. Deſignatus eſt deindè in Germaniam legatus, cum in cunctis ad Eccleſiæ dignitatem, proſperitatemq. ſpectantibus ſe obſequentiſſimum, omni labore poſtpoſito, ſummo Pontifici exhiberet: ſed viſum eſt poſtea Sixto per inferiorem minore incommodo rem peragi poſſe.*

Officia.

3. *Priùs maritus poſteà myſta.* Plures fuiſſe Innocentio VIII. filios hiſtorici conſonant omnes. Aſſerit Ciaconius Innocentium liberos legitimè procreaſſe ex nobili puellâ Neapolitanâ, cum quâ ſe matrimonio copulaverat, ſed parum vixit. *Franciſcus Maria Vialardus* matrimonium non audet celebratum aſſerere, ſed tãtùm promiſſũ. Raphael Volater. l. 22. *Sixti* (inquit) *exemplum ſequutus quæſtus gratiâ, ſecretariorum collegium inſtituit, priſtinum numerum augendo: Pontificum etiam primus, qui novam & ipſe exemplum introduceret, palàm liberos nothos iactandi, ac ſublatâ omni antiquâ diſciplinâ divitiis eos omnibus cumulandi. Nam & alteri Franciſco oppida nonnulla urbi vicina dedit; Laurentiiquè Medicis filiam matrimonio locavit. Alteram Theodorinam Gerardo Uſumari Genuenſi nuptam, opibus per quàm magnis ornavit. Cardinales fecit Laurentium fratris filium nothum, & Antoniottum eiuſdem patriæ antiquum eius contubernalem, virum honeſtiſſimum, rerumquè multâ experientiâ clarum:* Concordat Philippus Bergomenſis qui eum vidit, & cum eo ſæpè loquutus. *Suis autem parentibus & agnatis aliquid beneficii ſignum (niſi Franciſco & Theodorina filiis) oſtendere minimè potuit. Ante enim Pontificatum & Cardinalatũ (ſicut & D. Auguſtinus) dum in minoribus eſſet, duos ex damnato coitu ſuſceperat proles, videlicet Franciſcum filium, & Theodorinam fœminam, quibus nimio afficiebatur amore, ambos enim pro virili ſua enitebatur magnos efficere. Undè in primis filiam honorato & illuſtri viro matrimonio cum ingenti dote collocavit. Franciſco autem filio dilectiſſimo illuſtris Laurentij Medicei Florentini filiam coniugem dedit, eidemquè dum moreretur maximos theſauros de conſenſu Cardinalium dimiſit, quos nihilominùs ipſe, dum adhuc Pontifex pater ſuperviveret, furtim abſtulit, & Florentiam ad patrem Medicem ſororium tranſmiſit.* Ex hinc ſcriptores anſam poſteà calumniandi, & fabulas canendi deſumpſit iniquè Marullus in epitaphio, ſexdecim natos fuiſſe Innocentio.

Filios an procreaverit.

Conſanguineos auxit.

Quid quæris teſtes, ſi mas an fœmina Cibo?
Reſpice natorum pignora certa gregem.
Octo nocens pueros genuit totidemquè puellas;
Hunc meritò poterit dicere Roma patrem.

Planum eſt, *Laurentium Mediceum* ex hac Pontificis affinitate Cardinalatum *Ioanni filio* quamvis penè puero, annorum tredecim aucupatum, tandemquè ſummum Pontificatum inſeruiſſe familiæ ſuæ, quo poſteris principatum firmavit. *Iovius in vitâ Leonis X.*

4. *Pontifex dictus.* Ingreſſis Conclave Patribus; dubitatũ, an *Aſcanius Sfortia* Cardinalibus adſcriptus ritu tamen de aperiendo ore, non abſoluto, ſuffragium conferre poſſet in creatione novi Pontificis? & poſſe decrevere Patres. Nonnullas etiam condidere leges, quibus adſtrictum Pontificem voluere futurum quamvis ex decreto *Innocentii* VI. & iure ſacro nullâ humanâ arte contrahi poſſet auctoritas Pontificis: neque Cardinales, Romanâ Eccleſiâ ſuo viduatâ paſtore, aliâ auctoritate pollerent, quàm ad dandum Antiſtitem orbi. Fuere in primis: ut centum aurei menſtrui ex ærario Pōtificio Cardinalibus ſuppeditarentur, qui annua quatuor millia aureorum ex ſacerdotiorum vectigalibus non haberent. Immunitas pendendi vectigalia ſancita. Obſtrinxit ſe Pōtifex futurus, aluminis vectigal conſumere in ſumptus belli Turcici; decumas, ac vigeſimas in militum ſtipendia: curiam Apoſtolicam extra Italiam non translaturum: dignitate & virtutibus tantùm conſpicuos ad Cardinalatum evecturum. His conventis, cum Cardinales numero vigintiquinquè vota explicuiſſent, undecim ſuffragiis ornatum ferunt Cardinalem S. Marci teſte *Infifinrà in M. S. Vatie.* Poſteà mutatis animis, cunctis ſuffragiis, *Io: Baptiſta*

Cardinalis, cui non eſt os apertũ, ſuffragio an gaudeat?

Leges ſancitæ ſede vacante.

Papa eligitur

Vaticinium de eius Papatu.

Cibo, patriâ Genuenſis, presbyrer Cardin, S. Cæciliæ IV. Kal. Septemb, renunciarus eſt, Impleetum tunc vaticinium Malachiæ, *Præcurſor Siciliæ*, quia Io: *Baptiſta* antea diceretur, & aulicus eſſet Regis Siciliæ, *Innocentius VIII* ergo aſſumpro nomine, pactionum tabulas à Cardinalibus exhibitas (teſte *Burcardo in M. S. Vatic.*) formulâ iutavit ſequenti. *Ego Innocentius electus & aſſumptus in ſummum Pontificem promiſſa omnia, & ſingula promitto, voveo, & iuro obſervare, & adimplere in omnibus, & per omnia purè, ſimpliciter, & bonâ fidè realiter et cum effectu ſub pœnâ periurii, et anathematis, à quibus nec me ipſum abſolvam, nec abſolutionem alicui committam: Ita me Deus adiuvet, et hæc ſancta Dei Evangelia.* Horum cum alia ad eccleſiæ maieſtatem ſpectarent: alia ad privatã Cardinalium utilitatem detorta eſſẽt, in aliquibus infringendis religione ſe minimè reneri putavit; nonnulla verò ſervavit. Hinc Cardinales ampliſſima bona Eccleſiaſtica, nec nõ munera publica in urbe, & extra urbem inrer ſe ſe partitos queritur *Stephanus Infiſſura*. Novo Põtifici leges dicere non tam conſpirarant Cardinales, quã Magiſtratus Vrbani, quorum ſpes deluſas Infiſſura refert. *Egomet* (inquit) *vidi in palatio conſervatorum certa capitula et promiſſiones factos ab Innocentio, quarum tenor. Ego promitto, et iuro Innoc. P. VIII. in præſentiâ omnium dictorum Cardin. me cõceſſurum civibus Romanis omnia officia, et beneficia urbis, prioratus, Abbatias, et alia; et non conſentire, neque auctoritatem præſtare alicui alteri perſonæ, ut promiſſa beneficia alteri contribuantur.* Item negavit dicere *filiis Romanorum*, volens huiuſmodi officia etiam nõ civibus conferre, dummodò acceptarentur ut cives. *Sic facto eſt fraus legi. Itẽ in eà bullà voluit haberi pro civibus ſeipſũ, et futuros Pontifices, & omnes Cardinales ita quòd dicti Cardinales eligerentur ad talia officia, et iſto modo executus eſt promiſſionem dictę gratiæ.* Nuntiavit populo nouũ Põtificẽ Franciſcus Piccolomineus Cardin. Senenſis his verbis; *Annũtio vobis gaudium magnum. Papam habemus. Reverendiſſimus D. Cardinalis Melphitenſis electus eſt in ſummum Pontificem, et elegit ſibi nomen Innocentis VIII.* in memoriam Innocenrii IV. pariter Genuenſis. Hinc aſſumpſit in ſymbolum, *In innocentiâ meâ ingreſſus ſum. Redime me, et miſerere mei.* Die poſteà Dominicâ, quæ fuit XII. Septemb. coronarus fuit pompâ ſolemni; ad quem etiam acceſſerunt Hebræi more vetuſto cum lege Moſaicâ dicentes: *Beatiſſime Pater. Nos viri Hebræi nomine Synagoga noſtra ſupplicamus ſanctitati veſtræ, ut legem Moſaicam ab Omnipotenti Deo in monte Sinai paſtori noſtro traditam nobis, confirmare et approbare dignemini, quemadmodũ prædeceſſores veſtri confirmarunt.* Quibus reſpondit: *Commendamus legem: veſtram autem obſervantiam, et intellectum condemnamus, quia quem venturum dicitis, Eccleſia docet, et prædicat veniſſe D. N. I. C.*

Iudæi petunt ſibi legem cõfirmari.

Gratus poſtea erga ſuæ electionis promotores, *Iulianũ Cardinalem Ruvereum* legarum dixit Avenionenſem, eiuſquè frarrem *Ioannem* Imperatorem exercitus Eccleſiaſtici, Virginium Vrſinum in gratiam Iuliani publicis ſpoliavit muneribus, non ſinè gravi Eccleſiæ damno; nàm Vrſinus cum Rege Ferdinando vindictæ cupidus conſpiravit in Papam. Cardinali Vrſino ultra oppida dedit legationem Picæni; Columnenſi 25. millia ducatorum donavit. Savello caſtra, agros in confinibus regni Neapol. Aragonenſi Legationem Bononiæ cum caſtro Monticelli: Parmẽſi palatium S. Laurentii in Lucinâ, & caſtrum Pontis Corui. Neminẽ tãdem voluit vacuũ, & muneribus implacatũ, *Vialardo* teſte, & *Pãvin.* propter quod Stephanus queritur Infiſſura, Cardinales ſpolia ſibi partitos Eccleſię. Inde ad res cõponẽdas cõverſus eccleſiaſticas, ſuis cõfirmatis Romano populo privilegiis, Mamaluchorum antiquatis officiis (quæ Sixtus inſtituerat) in homines nefarios ius dicere mandavit Magiſtratibus, Romano Patritio, qui *Sixto* regnante, merces uſurpaverat inſtitoris Ianuenſis, atquè à Cibo tunc Cardinali monitus aliena reſtituere, reſponderat: *ſe reſtituturũ, cum ipſe Cibo Pontifex eſſet*; ad ſe accito dixit *tempus iam adveniſſe reſtituendi cum Cibo Papa eſſet*. Vt autem Romanus ille ab iniuriâ abſtineret; rem ablatam reſtitui voluit cum fænoro præteriti uſusfructus.

Muneta dat Cardinalibus.

Iuſtitia eius.

Cæterum eidem amicus, & liberalis munera plura contulit. Ad ſe etiam vocavit Epiſcopum Capuanum, cuius timore adhuc in minoribus Capuanum renuntiavit Canonicatum, Patavium ſecedens ad ſtudia. Iuit ille tremens & pavens, ſed patrem offendit non iudicem, à quo Patriarcha dictus Antiochenus in patriam rediit edoctus, argumentum abiecti animi eſſe vindictam: teſte *Vialardo p.* 13. Graui poſteà morbo decubuit, *Panvinio* teſte, cuius occaſione Vrſini (auctoribus *Virginio, et Paulo*) veteribus factionibus ſuſcitatis, arma Columnenſibus, quorum principes erant *Proſper*, & *Fabritius*, intulerunt, non ſine Latii, ac finitimarum urbium clade, quæ in mutuã cędem exarſerant, fruſtrà reclamante Pontifice, cui *Virginius* infenſiſſimus erat, quòd Iuliani Cardinal. hortatu privatus fuiſſet prefecturâ palatii Apoſtolici. Hoc bello Inſula, Campagnanum, Galeria, Bracianum, Cęrevetus, aliaquè Vrſinorum oppida à Columnenſibus direpta. Ab hoc inteſtino bello Romanos (teſte *Panvinio*) Ferdinandus Rex Neapol. revocavit.

Clementia.

5. *Ferdinando Regi* quàm grata Innocentii fuerit electio, trina monſtrat legatio ad Pontificem decreta per ipſum Regem. Prima fuit *Alphonſi* ſui primogeniti Calabriæ Ducis: ſecunda fuit *Franciſci* quartogeniti cum Ducibus & Comitibus. Tertiam abſolverunt Epiſcopi, ut obſequia præſtarent Pontifici, qui regiâ fuerat Ferdinandi enutritus in aulâ. *Vialardus.* Amicitiam porrò & penè neceſſitudinis vinculum abrupit Alphonſi tyrannis Calabriæ Ducis, *in quo nec luxuria crudelitati obſtabat, neque Crudelitas luxuriæ*, teſte Marianâ *l.* 25. *c.* 7. Sudores pauperum cum ſępius impunè ſuxiſſet, divitias procerum meditatus invadere, comirem Montorii officii causâ ad ſe venientem cum liberis & uxore circumvẽtum Neapolim rapi iuſſit: ubi capitali ſententiâ damnatum mox rumor inerebuit. Hinc Aquilani Comiti fœdere iuncti necnon regni proceres (quos Neapolim vocatos ad dicendam cauſam trucidare parabat) cõcitati Pontificem Maximum, ac Venetos in auxilium evocarunt. Placuit occaſio Pontifici, & ut Eccleſiæ imperio urbem adiiceret opulentam: & ut Regem, ob tributum Eccleſiæ debitum & non ſolutum, coerceret, paratis copiis *Proſpero*, & *Fabritio* Columniis, & *Ioanne Sabello* ſibi fœdere iunctis, Vrſinos quoquè in ſuam ſollicitavit amicitiam. Sed Regi obſtricti arma in eum ſuſcipere detrectarunt. Venetis inſuper in belli ſocietarem accitis,

Ferdinandi legationes ad Innocẽtium.

Bellum Papæ in Ferdinãdũ

to-

totius exercitus *Robertus Sanſeverinus* lectus eſt Imperator, vir militari diſciplinâ clarus. Legatus verò *Io: Michaelius* Cardinalis Veronenſis creatus.

Bellum Innocentii in Aragonium.

Excitati etiam Galli ad repetendum regnum avitum, cuius incapax Ferdinandus erat ex defectu natalium. Tantis periculis implicitus à Florentinis, & Inſubris auxilia poſtulavit, quæ faciliter impetrata, ac celeriter tranſmiſſa, Pontificis rerum bellicarum imperiti conſilia perturbarunt. Oderant eum Florentini, quòd Lunenſi bello Liguribus in eos faviſſet. Vrſini regio ſtipendio conducti vindictã prò Virginio quærebant, qui Columnenſium Pontifici militantium acerrimus & perpetuus hoſtis, regiarum copiarum præfectus eo bello fuit. Indicto bello Aquilani regio pulſo præſidio, ſe Pontifici dedunt. Vrſini & Columnenſes viciſſim cuncta vaſtabant. *Ferdinandus* cum proceres in ſe concitatos vidiſſet, ad removendam invidiam ex iniquis Montorii vinculis in ſe cõcitatam, illum, uxoremquè liberos dimiſit, quibus Pontifex Aquilam redeuntibus, datâ epiſtolâ XVI. Novemb. gratulatus eſt: *Virginius* verò *Vrſinus* ut Romanos adversùs Innocentium concitaret, ſchedulas ſpargi Romæ curavit, quibus Pontificem illegitimè promotum iactando, ad creandum alium Pontificem excitabat. Pugnabatur interim ad Anienis pontem, omniaquè ſuburbana oppida, quæ in Eccleſiâ Vrſinæ ditionis erant, Aragoniis ſavebant. Belli Dux *Robertus* ad urbis præſidium accitus, non ſatis pro veteri fidei ac virtutis opinione tempus otioſus inſumens tertio poſtquàm venerat menſe, Nomentarum tantùm pontem, qui ab Vrſinis militibus tenebatur, expugnavit *Fracaſſo* filio ſuo pilâ tormento emiſſâ in faciem deformato, Nomentum poſt in deditionem acceptum, Romam inglorius rediit peccuniâ, argento, multoquè commeatu fruſtra conſumptis: & in Hetruriâ, præcipuè Viterbii omnibus tumultum agentibus. Pontifex à ſuis ſe deceptum advertens, *Ferdinando* Regi Aragoniæ per legatos pacem promoventi aures dedit. Minimè bello annuebat Aragoniis, ne novis hiſce diſſidiis adiungendi Aragonio

Pax.

regni Neapolitani ſpes evaneſceret: tum ne veteres de Sicilię inſulâ Apulo ſceptro coniungendâ reſurgerẽt controverſiæ. Belli itaquè improſperè vel infideliter adminiſtrati eas Pontifex pœnas dedit, ut neceſſatiam potiùs quàm decoram pacem Aſcanii Sfortiæ, Michaelis legati, Senenſis, & Cancellarii Cardinalium interventu (reliquis Cardinalibus inſciis) perferre coactus ſit; Ioanne Balves Gallo Cardinale Andegavenſe maximè contradicente, qui Frãcorum Regem Pontifici auxilio propediem affuturũ affirmabat. Pacis conditiones fuere, ut *Rex Romanæ ſedi annuum vectigal penderet; regni proceres rebelles ſervaret incolumes: Pontifex pro arbitrio omnia regni ſacerdotia diſtribueret: Aquilanis ſua libertas eſſet; ne Pontifex impedimento eſset, ſi Galli aliquando impetum in regnum facturi eſſent. Virginius Vrſinus nudo capite, nudis pedibus cum corrigiâ ad collum genuflexo ante Papam, pro amore Dei veniam peteret. Reliqui Vrſini arbitrio Pontificis ſe permitterent.* Volaterranus. Panvinius. Infiſſura. Fuere qui Robertum Sanſeuerinum perfidiâ notarunt erga Pontificem, quaſi hoſti tradere Pontificem meditaretur. Sed aſtus is Laurentii Medicei fuit, qui literas confixit, quę cum in manu Pontificis eodem dolo perveniſſent, cępit ſuſpitioni-

Aſtus Medicei in Sanſeverinum.

bus angi, & clam pacis inire conſilia, omnibus inconſultis fęderatis. Moxquè abrogato Sanſeverinati militari imperio, Vrſini qui multa iuraverant, omnia deierarunt. *Brutius Hiſtor. Flor. l. 8.* Hoc bello conſumptâ pecuniâ, Innocentius exemplo Sixti ut pecuniã colligeret, 52, *Plumbatores Bullarum Apoſtolicarũ* instituit certis Eccleſiæ proventibus conceſſis, ex quo 26. millia aureorum accepit, ſingulis ſcilicet quingentos aureos. Viginti ſex etiam ſecretariorum collegium, erexit, priore numero aucto, à quibus ad 60. millia aureorum exegit: pro ſingulis nempe aureos 2500. Ripæ quoquè pręſidentium officium venale induxit, 30 viris creatis, qui ſingula officia 200. aureis emerent.

Venalia inſtituit officia.

Cæterum quum Ferdinandus minimè præſtaret promiſſa, immò inſigni perfidiâ proceres Eccleſiæ Romanę in ſuperiori bello fęderatos ad convivia & choreas exeitos intercepiſſet, ac truncos artus clam proieciſſet in mare: nè populorũ odia ac Pontificis ſeveritatem in ſe concitaret, eis quotidie cibos inferri fingebat; Innocentius patratæ inſcius carnificinæ, Petrum Vicentinum Epiſcopum Cæſenatem virum audaciſſimum, & Iacobum Volaterranum ſecretarium decrevit, ut quos captivos credebat, in libertatem vindicarent.

Ferdinandi ſævitia.

Iuit Vicentinus, ſed Regem alloqui non permiſſus, quadam die quà Rex venatum ire paraverat, ponens ſe iuxta oſtium, undè Rex exiturus erat, audientiam impetravit, vel extorſit. Dicere permiſſus brevi triâ poſtulavit Pontificis nomine. *Cenſum promiſſum et non ſolutum. 2. quod à beneficiorum eccleſiaſticorum collatione abſtineret 3. Vt relaxaret barones contra datam fidem carceribus mancipatos.* Cui Rex reſpondit, *ſibi non eſſe pecuniam, quam totam conſumpſerat in bello ſibi illato à Põtifice: unde cõveniens eſſe, ut per quadriennium Papa tributum non exigeret.* Ad ſecundum reſpondit: *Homines regni ut ſibi notos, curia autem ignotos Romana, ſatis eſſe ſi à Rege electos Pontifex confirmaret.* Reſpondit tertio, *quòd ſicut Sixtus Papa Cardinales Columnam & Sabellum quia proditores vinculis alligavit, & ad placitum ſolvit; ſic etiam Regi ius eſſe ſubditos ſuos proditores punire, & ad libitum dimittere.* His dictis ultra fugiens, inſalutato Epiſcopo, mandans ſonari cornu, (teſte *Infiſſurâ*) venatum exiit. Inſolenti reſponſo perculſus Innocentius, ultionem de ſedifrago in aliud tempus diferendam cenſuit; quòd Galli auditâ pace, paratam diſcuſiſſent expeditionem, non ſinè invidiâ ipſius Innocentii, quaſi timidi, & fœminei animi clientes ſuos deſeruiſſet, ac indefenſos libidini expoſuiſſet tyranni. Sed cum ea eſſet temporum calamitas, ut non ſinè cædibus maieſtatem tueri poſset Eccleſiæ, ſalutem populi voluit præferre victoriæ.

Pacis etiam inhoneſtæ neceſſitas.

Teſte namquè *Comineo*, Neapolitani proceres morâ fatigati Gallorum, qui promiſſa protrahebant auxilia, ad reconciliationẽ cum Rege inclinabant. Roma plena ſiccariis, qui ab Vrſinis immiſſi fuerant contra Pontificem, quem vano rumore a *Virginio* obtruncatum credebat, trepidabat. Galli ipſi adventu ſuo mala minimè tollebant, ſed augebant. Mathias Rex Vngariæ, gener Ferdinandi in Picænum irrumpere minabatur (teſte *Bonfinio*) Affinitatis tuendæ ſpecie à ſententiâ Pontificiâ, quam in Ferdinandum latam credebat, provocare non formidabat, quaſi tribunal Pontificio detur auguſtius. Vſquè in Annum 1489. patientiâ certavit Pontifex, quà cum abuto-

retur Rex Hiſpaniarum Regem poſtulauit Innocentius, ut iuxta promiſsâ, vadis partes impleret. Miſit Hiſpanus oratores pro conciliandâ concordiâ, apud quos annitente Neapolitano cum magnâ pertinaciâ culpam in Pontificem retorquere; quaſi ad Franciſchetum Pontificis honoribus cumulandum, bellorum cauſę quærerentur. In feſto S. Petri, & Pauli poſt ſacrum celebratum coactus eſt Papa Ducem militiæ Eccleſiaſticæ declarare *Nicolaum Comitem Pitiliani*, ex gente Vrſinâ eademq; cęremonia Regem Ferdinandum excommunicauit ob cenſum non ſolutum. Ab huiuſmodi ſententiâ prouocantem ad futurum concilium, regno priuauit, iuraq; regni ad Eccleſiam deuoluta declarauit. Edicto Apoſtolico, reſpondit Ferdinandus gladio, immiſſo *Virginio Vrſino*, qui Innocentium bello vexaret domeſtico. Itaq; ad frangendum armis, quem legibus flectere non poterat Pontifex, *Carolum* VIII. Francorum Regem (qui regni Neapolitani iura, Renati ſenioris Regis Neapolitani teſtamento ad ſe pertinere contendebat) ſollicitauit. Nec parum valuerunt oſtentata Gallorum arma, quorum timore reintegratis legibus antiquis pendēdi ſcilicet veteri more vectigal Pontifici; cauſis non ſe obtrudendi eccleſiaſticis: ac cæſorum procerum filiis ſaciendi ſatis; venit in Vrbem devexo Maio Anni 1492, Ferdinandus iunior princeps Capuæ, filius Alphonſi Calabrię Ducis, nepos Regis Ferdinandi, ut aui patriſque nomine veniam poſceret à Pontifice, quem magnis exceptum honoribus *Infiſſura* refert, obſeruatquè periſtromata, ac ſuppellectilem illi liberaliter ſubminiſtratā, ab eius famulis indignè direptā. Indulta ſunt ei regni Neapolitani iura, ut Ferdinando ſeniori ſuccederet, ſi Alphonſus Dux Calabrię ante Ferdinandum, diem obiret extremam. Non propterea religioſiùs quàm antea coluere fœdus. Hinc ſub *Alexandro* VI. exciti à Neapolitanis proceribus Galli, pœnas exegere perfidiæ. *Belcar. Dec.* 1. *l.* 3. Pacem interim Innocentius parùm honeſtam ſubire compulſus oſtendit, ſibi vel prudentiam deſiiſſe, vel felicitatem.

Nouū Bellū in Ferdinandū.

6. *Nepte Pontificis*: vide ſupra *n.* 3.

Zizimus Rex Turcarum captivos.

7. *Adverſus Lunam*. Mortuo Mahometi II. bellum in Rhodios, & Italos meditanti ſucceſſit ei natu maior *Baiazetes* II. ægrè tamen, cum proceres in minorem eius fratrem *Zizimum* propenderent, ut bellicoſiorem, & humaniorem. Sed victus iſte ab Acmete Natoliæ Baſsâ, fugit in Ægyptum, indè Mechā, Rhodum tandem: undè miſſus in Arverniam ab *Albuſſonio* Rodiorum magiſtro, Borginoni vixit, *Ludovico* XI. permittente, liberaliter habitus (Baiazetes enim in eius alimenta quadraginta quinquè millia aureorum accuratè quotannis Rhodiis perſolvebat) ſed à Rege nunquàm viſus, qui nec eius legatos audire ſuſtinuit licet enixè poſtulantes, quia Saracenum abhorreret facto Principis verè Chriſtianiſſimi. Cauſā ſuam eo argumento fulciebat Zizimus, quòd ipſe patre rege genitus eſſet: frater verò ex eodem patre ſed vitam agente privatam. Zizimum ſibi tradi expoſcentibus Chriſtianorum Regibus (teſte *Boſio l.* 13.) negavit Pontifex ulli dandum, antequàm communi ſedere iungerentur. Hac unâ namquè ſcintillâ Oriens totus potuiſſet incendi. Hinc Caitbeium Sultanum Ægypti *Baiazetes* vexabat; quòd *Zizimi* uxorem cum liberis à ſe ſuſceptam repoſcenti Baiazetho reddere noluiſſet. Victi duo Turcarum exercitus cum duobus fortiſsimis ducibus in Ciliciâ: tertius eandem aleam ſubiiſſet, niſi ductor certamen prudenter detrectaſſet. Anxius propterea *Baiazetes* Gallo Regi propoſuit (teſte Ciaconio in *vitâ Innocentii VIII.* ac Guillelmo Salinio, qui Petro Borbonii Duci à ſecretis erat in *hiſtor. Caroli* 8.) ſe omnes reliquias à Mahomete parente ſuo Byzantii repertas, inquè aliis Europæ & Aſiæ urbibus, ſe daturum; navaturum præterea operam, ut ex manibus Ægyptiorum Terram ſanctam vindicaret, ipſamquè ei traditurū, ſi ei frater redderetur. Relata hæc Regi, poſtquàm Carolus victus precibus Innocentii Romā *Zizimum* tranſmiſerat, ubi Græciæ recuperandæ arcana miſcebātur. Exceptus eſt Romæ *Zizimus* magnā pompâ, prodeuntibus Papæ, ac Cardinalium familiis. Adfuit *Caitbei* Ægyptiorum Sultani legatus (eo venerat ad excitandos Chriſtianos in Turcas) qui cum *Zizimum* vidiſſet, ſtatim ſe de equo proiiciens, procidit in terram, terquè ſolum oſculatus, cum appropinquaſſet, oſculatus pedē equi eius, magnā reverentiâ ſalutavit, aſſociando uſquè ad palatium. Equitabat Turca (teſte *Brochardo* qui tunc ſacris ritibus præerat) *inter Franciſcum Cibo, filium Pontificis à dextris, & principem Alverniç à ſiniſtris, qui urbis ſenatori, vel oratoribus locum dare negavit, quòd eius curam diceret ſibi commiſſam. Venit per Conſiſtoriū coram Pontifice, et licet diceretur, ipſum reverentiam Pontifici facturum more Turcarum, terram manu tāgendo, deinde manum deoſculando, tamen illud facere recuſavit; & in introitu Conſiſtorii, ubi genuflecti ſolet, genuflectere noluit, immò tam parùm caput coopertum Pontifici inclinavit, ut difficulter inclinatio cognoſci potuerit, ſeu videri. Aſcendit ad Pontificem, quem ſtans erectus amplexus eſt, & ſuper brachium dextrum parum deoſculatus, caput ſuum ſemper tenens coopertum; Inde ſtans coram eodem Pontifice, illi explicari fecit per ſuum interpretem, gaudere ſe attigiſſe præſentiam Pontificis, ipſumquè rogare eum habere commendatum.* Reſpondit Pontifex, *iam diu actum fuiſſe, quòd nobilitas ſua pro ſuo ſtatu et bono Romam duceretur. Latè viveret, quia omnia in bonum finem ſunt ordinata*. Turca cum ita ſe confidere dixiſſet recedens à Papâ, Cardinales omnes in ſuis locis ſtantes amplexus, circa ſpatulam dexteram oſculatus ad cubile rediit, nullâ aliâ reverentiâ Pontifici exhibitâ. Eius familiares Turcæ, venientes ſinguli coram Pontifice, genuflexo, ter terram tangentes manu dexterâ, Pontificis pedes cum pluviali, & veſtibus amplexantes, & genuflexo oſculantes, patronum ſuum ſequuti ſunt. Pontificem etiam ſalutavit Egypti legatus, genu tamen non pedem voluit oſculari Pontificis, teſte *Infiſſurâ*. Vrgente Ægyptio, ut bellū indiceretur in Turcas: miſſus eſt ab Innocentio ad *Caitbeium* Sultanū *Philippus Canſuius* Apoſtolicus internūtius; ſed noſtris diſſidiis arcana omnia evanuerunt. Ferdinandus Rex Neapol. violato fœdere Eccleſiam vexabat. Matthias Rex Vngariæ importunè in Auſtriam ſigna contulerat. Veneti cum Archiduce Sigiſmundo de confinibus certabant: Angli, Galli, Flandri bello (quod *Inſanum* dictum) furebant. Romani familiam, non Rempublicam procurabant. Fuit inter Italos *Bocolinus* nomine, homo perditiſſimus, qui initâ cum Turcis ſocietate, Auximum occupaverat, ſpondens ſe unius ſemel.

Zizimus Rex Turcarum.

Ad Papam venit.

Bucolini tyrannus.

meſtris flexu univerſum Picenum Othomanico ſubacturum imperio, ſi ei decem millia ſubmitterentur Turcarum. Occurrit magno ardore (teſte *Vialardo in vitâ Innocentii VIII.*) Iulianus Cardinalis S. Petri cũ exercitu Pontificio; ſubmiſit etiam Duce Trivultio mille equites Ludouicus Sfortia: Ioannes Balua Cardinalis Gallicæ militiæ florem adduxit, qui eò legatus deſcenderat Apoſtolicus. Publicatæ in Daniâ, Noruegiâ, Svetiâ indulgentię iis, qui in hoſtem ſubſidiariam conferrent pecuniam, qui magnam claſſem in portu Apolloniæ inſtruebat. Sed omnia eludebat perfidus *Bucolinus* ſpe Turcici auxilii. Hinc ad artes confugiendum ratus Laurentius Mediceus, miſſo Gentili Epiſcopo Aretino, *Bucolino* ſuaſit, ut acceptis ſeptem aureorum millibus Auximum Romanæ reſtitueret eccleſiæ. His delinitus illecebris tyrannus Florentiam perexit, ubi lautè habitus, inde à Duce acci-B tus Mediolanenſi, cùm ſibi famam flagitio peperiſſe putaret, eò contendit, ubi in præmium, ſuſpendio affectus eſt Anno 1487. Buccolino non diſſimilis fuit Chriſtophorus Caſtranæ *Macrinus* nuncupatus, Picens, irà furens, quòd poſſeſſionibus ſuis vi depulſus fuiſset ab adminiſtro Pontificis, Conſtantinopolim ſe contulit, pollicitus ſe Pontifice, Zizimoquè necatis, belli timorem à Turcico amoturum imperio. *Mephti* operâ ſæpiùs in colloquium Bajazethis admiſſus auro, gemmis, ac ſpe Eubœæ principatu, ducentarumquè triremium præfecturâ lactatus, ſi fontem ex quo Papa, ac Zizimus bibere conſueverât, inficeret, Romam venit cum ampullâ plenâ veneno, ſed in crimine comprehenſus, omnia ordine faſsus, ardentibus eſt excarnificatus forcipibus; diſcerptaq; membra in compitis expoſita ad frangendam terrore ſociorum audaciam, quòd plures ſubornatos ad C extinguendum Pontificem addidiſſet. Validiſſimam prętereà cum inſtruxiſſet Baiazethes claſſem, ut Italiam opprimeret, Romam, Tranſalpinorum, Italorumquè legatos Papa evocavit: quibus comitiis territus Baiazethes legatum & ipſe Romam miſit Anno 1490. cum centum & viginti millibus ducatorum (penſio erat triennalis pro alimentis Zizimi) precioſiſquè muneribus eâ conditione ſolvendis, ſi Zizimum conſequerentur captivum. Obtulit etiam pacẽ, fædus & ſecuritatem eundi & revertendi in terras Turcarum. Ex adverſo Orator (teſte *Infiſſura*) Soldani Babilonis offerebat Pontifici pro Zizimi reſtitutione, quadringenta millia ducatorum: Terram Hieruſalem perpetuò futuram ſub imperio Chriſtianorum, cum immunitate eundi & revertendi abſquè ullo vectigali ad dictam ciuitatem. Offerebat etiam ſe Chriſtianis reſtituturum urbes omnes, quæ olim D Chriſtianorum fuiſſent, etiam Conſtantinopolim, ſi eas è manibus Baiazethis vindicare contingeret. Conuenere itaq; Romæ Chriſtianorum omnium legati, ſed inani de eorum gradibus, ac locorum dignitate inter eos concitato tumultu, conſilia omnia euanuerunt. Morbus acceſſit Innocentii, qui menſe Septembri, graui eſt fatigatus lethargo, cum minùs factus eſſet rebus gerendis idoneus, in ſententiam protendit, aurum accipiendi & munera à Baiazethe miſſa, ne eum laceſſerent. Sic paruo pretio, quaſi piſces Turca Chriſtianos decepit. *Vialardus, Infiſſura.* Decimæ tamen imperatæ Eccleſiaſticis, quarum duę partes Principibus cederent Cruciferis, tertia Cameræ Apoſtolicę, non alio pretio, quàm ut miſeri attererentur Eccleſiaſtici: gravi Academiæ Pariſienſis queſtu. *Philippus Brietius An. Sal.* 1490. Zizimi Romam adventum nummo expreſſum dicunt, in quo

Morbus Innocentii VIII.



genuflexus ad pedes Pontificis ſub titulo. *Ecce ſic benedicetur homo.* Sed fallitur; nã Zizimus nec genua flexit, neq; benedictus fuit. Referunt alii nummũ hũc ad Venetos pertinere, quos anathemate notatos à prædeceſsore Sixto IV. Innocentius abſoluit. Sed hæc abſolutio impetrata eſt mediis Cardinalibus, & per literas non miſso legato, ut ex *libro ſignato n.* 1909. *p.* 291. Referrẽ potiùs ad filios Ferdinandi Regis Neapol. Romam miſsos ad impetrandam abſolutionem anathematis, ut habes *ſupra n.* 5.

Manus S. Io: Baptiſtæ donatur Rhodiis

8. *Lancea.* Dubius Baiazethes, ne Chriſtianorum arma coirent, ut Zizimum imperii æmulum reſtituerent, damnatis belli conſiliis, muneribus delinire officioſè ſtuduit, præcipuè Petrum Ambuſſionum Rhodiorum equitum magiſtrum, dono miſſa (An. Sal. 1484.) dexterâ manu S. Io: Baptiſtæ, quâ Chriſtus eſt baptizatus. Servabatur Præcurſoris corpus Sebaſtię inter Helii & Aldiam à diſcipulis conditum; cuius reliquiarum cupidus Lucas Evangeliſta (teſte *Guillelmo Caturcenſi*) manum ex reliquo corpore avulſam Antiochiam tranſtulit, ubi miraculis excitati fideles coluere uſquè ad annos Conſtantini II. Orientis Imperatoris. Conſueviſſe referunt annuatim à Patriarchâ oſtendi, ac ſi fæcundus annus futurus eſſet, exporrectam videri; ſi verò ſterilis, in pugnum contractam. Eius famâ permotus Conſtantius II. ſacri pignoris habendi cupidus, Sobi Diaconi Antiocheni aſtu Conſtantinopolim delatam, in monaſterio S. Io: ſolenni pompâ collocavit: cuius tranſlationis feſtivitas eâ in eccleſiâ annis ſingulis celebratur. Potitus demùm Mahometes II. Conſtantinopoli, arcano Nummis conſilio eandem S. Io: Baptiſtæ manum, tum aliqua Dominicæ inſtrumenta paſſionis in regium theſaurum afferri iuſſit, nimirùm ſpongiam, arundinem, Lanceę ferrum: quod idem Baiazethes dono miſit Innocentio VIII. (An. Sal. 1492.) teſte *Petro Delphino l.* 3. cp. 33. & *Brachardo*, qui ritibus præſidebat Eccleſiaſticis. Dubitavit iſte de veritate muneris, an illud verum ferrum eſſet, Chriſti vulnere conſacratum? cum Norimbergæ Cæſar, Pariſiis Galli, Venetiis Reſpublica ſibi à Conſtantinopolitano Imper. pignori datum affirment. Dubietatem tamen compoſuit ipſe Turcarum orator (teſte *Infiſſurà*) dicens non ferrum integrum, ſed cuſpidem tantùm in Galliis haberi. Qua veneratione ſacra munera receperit Innocentius, & Baſilicæ intulerit Vaticanæ, extructo, ornato atque dotato ſacello in Dei parentis honorem, ubi recondita, *Brachardus* recitaut & *Boſius*: Eodem Anno 1492.

Lancea donatur Innocentio VIII

9 *Pars*

Inventio tituli triumphalis.

9. *Pars etiam reclusa Tituli Triumphalis*, ultimâ Dominicâ Ianuarii (teſte *Bruchardo, Infiſſurâ*, & *Panvinio*) cum Petrus de Mendoza Cardinalis tituli S. Crucis in Hieruſalem eandem Eccleſiam digno ornatu reparari curaret, in altiori parte teſtudinis dictæ eccleſiæ repertus fuit titulus Hebraicis, Græcis, & Latinis literis conſcriptus, qui ſupra caput I. C. D. N. dum in ligno Crucis pendebat, appoſitus extitit. Non eſt autem integer titulus; legitur tantùm *Nazarenus*, initio namq; ſequentis dictionis vocis *Iudæorum*, deerat *um* iuxta ſacrum Danielis vaticinium 9. Et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Ex quà ligni ſpetie conſtet tabula illa, cum carie ſit exeſa, fabri lignarii affirmare non audent. Beda in collection. ex *Buxo* fuiſſe ſcribit: alii ex *Robore*, alii ex Oliuà. *Palma manus retinet, Titulo lætatur oliva* & Gloſs. in *Clemen. I. de ſum. Trinit. Ligna Crucis palma, Cedrus Cupreſſus, Oliva* Tabellam cum titulo Crucis ab Helenà Coſtantini matre Imperatrice inventam fuiſſe concordant *S. Ambroſius, Socrates, Sozomenus, Ruffinus*. Eam poſtea Romam tranſlatam Catholici piè credunt, & ab Helenà dum Baſilica extrueretur à filio, Titulum ibi collocatum diaria volũt *Stephani Infiſſuræ*, *Lelii, Petronii, Pauli de Magiſtris* M. S. apud Boſium. Iacebat in arculà plumbeą, ſi longitudinem ſpectes duorum palmorum, ſub marmore, in quo ſculpta hæc legebantur. *Hic eſt Titulus veræ Crucis.* Characterum ſulci in Titulo rubro colore ornabantur (librorum titulos minio priſci decorabant) canente Ovidio: *Nec Titulus minio, nec cedro charta notatur.* Eà pompà *Titulus* patuit, ut die Inventionis ſuæ

Iudæi ex Hiſpaniâ pulſi.

10. *In Hiſpaniâ Mauricà conciderit ſuperſtitio*; teſte *Panvinio*. Caſtellæ regnum *Henricus* adminiſtrabat Ioannis filius, qui à ſubditis exauctoratus eà rurſum lege receptus, ut *Iſabellam* ſororem hæredẽ ſcriberet. Duxit eam *Ferdinandus Aragonius*, cuius in gratiam Innocentius Ioannam aſſertam Henrici filiam, quæ vitam profeſſa erat monaſticam, è monaſterio erumpere conantem, ut Ferdinando & Eliſabethæ regnum eriperet, prohibuit; intentatoquè anathemate Ordininibus Regni pręcepit, ne quis Ioannę ſtuderet. *M. S. Vatic. n. 1900. P. Secret. p.* 573. Mortuo itaquè Henrico Ferdinandus Apoſtolico beneficio Regnum tenuit: in eumquè non ſolum decimas profudit Eccleſiaſticas, ſed Ordinibus antiquatis (quorum ſplendor in Hiſpaniâ deceſſerat) eorum dignitates & opes in Regem tranſtulit, quibus Ferdinandus *Machometem Boabdelinum* regno Granatæ, Mauros omni Hiſpaniæ incubantes in Africam expulit, ubi à ſuis lumine privatus oculorum, cum plorans & eiulans è regno diſcederet, fertur Regina *Zoroyt* ad eum, eiuſquè milites dixiſſe. *Plorate ut fæminæ, qui ut viri pugnare neſciſtis.* Obſeſſa eſt Granata Anno 1491. 9. Kal. Maii per Ferdinandum cum 50. millibus armatorum, (quæ mille ac tercentis turribus præcincta neminem formidabat) & poſt menſium obſidionem. 4. Non. Ian. ad Chriſtianos rediit; eam cum triumpho ingredientibus Ferdinando & Iſabellà, quibus nomen reſtitutum *Catholici*, priùs olim impoſitum *Reccaredo*. Egère illicò iidem Principes cum Innocentio de reſtituendis Epiſcopatibus, de Iudæis è ſuà ditione exterminandis, quorum migraverunt in alias terras, familiarum centum viginti quatuor

Catholici cicuTus dantur Ferdinãdo.

A millia, ultra octingenta millia capitum; multis tamen remanentibus ſimulatà Chriſti lege; *Marianà*. Enituit etiam eiuſdem Ferdinandi religio poſteris documentum ſacram non uſurpandi pecuniam. Cum enim abſoluto bello Maurico (teſte *Vialardo p.* 60.) ſexaginta aureorum millia ſupereſſent ex eis, quæ ex privileg io Apoſtolico collegerat ab eccleſiaſticis, Pontificem interrogavit, quid agendum? Innocentio pari liberalitate reſpondente, in pium uſum ſed ad libitũ convertenda; ipſe Toleti Eccleſiã erexit.

Bona ſacra ne propbanè tractentur.

11. *Novus Orbis* purgati veteris merces fuit. *Chriſtophorus Columbus* Genuenſis Aſtronomus & Geographus peritiſſimus, de novo diſſerens Orbe à *ſuis Genuenſibus pro vano* (teſte Paulo Iovio in vità Columbi) *ab Henrico Anglo pro ridiculo, ab Alphonſo Luſitano pro fatili et deliro habitus*, aliquid fidei apud Ferdinandum Aragonium nactus, eiuſdem auſpiciis, B ac ſumptibus navigationem Anno Sal. ortus, inter ſumma vitę diſcrimina, novas inſulas invenit, quarum *Guadalupeam*, *Hiſpaniolam* nominavit; mirantibus Barbaris, *undè aut quibus è terris gens iſta barbata veniſſet*. Cum tamen ex oraculo maioribus dato, didiciſſent, *Non multis ab illinc annis* (teſte Benzo. l. 1. c. 5.) *venturam in eas oras gentem Barbatam, quæ ſimulacra Deorum terra allideret, & filiorum ſanguinem effunderet. Hoc ſi tunc illis in mentem veniſſet, non tam feſto triumpho advenientes Hiſpanos excepiſſent.* Addit Petrus Maffæus, quòd tribus carebant literis F. L. B. quia ſine *Fide*, ſine *Lege*, ſine *Rege* erant. Nec à Luſitanis eà in laude ceſſatum, traſmiſſo ſelici navigatione Africæ promontorio *Malę Spei*, quòd *Bonæ Spei* Rex dici voluit An. 1487. Cum Anno 1484. detecto Congi regno in Æthiopià, cuius primitiæ C quatuor nobiles adoleſcentes per baptiſma aſſerti ſunt Chriſto, ſementiſquè iacta multorum Chriſtianorum. Anno namquè 1491. Rex ipſe Congi, cum filio ſacris undis elutus Emanuel dici voluit: Magno tamen diſcrimine, cum de vitiis extinguendis actum eſt, & maximè de pluribus uxoribus eiiciendis, ſuſcepti evanviſſent labores, niſi Alphonſus Regis filius vices obiiſſet Apoſtoli, etiam multa paſſus ut hoc munus impleret. Victoriam tandem cum de rebellibus retuliſſet, fidem firmavit, miſſis etiam in Luſitaniam nobilibus pueris Congianis, qui eam puriùs combiberent. Plura alia Luſitani in orà Æthiopiæ detexère regna, in quibus omnibus teſte *Oſorio l.* 3. & *Maffeo l.* 3. Innocentius iura confirmavit, quæ à Nicolao V. Calixto III. Sixto IV. indulta fuerant adversùs occupanda loca infidelium. Affulſit etiam non exigua inſerenda Ialophis Æ D thiophiæ occidentalis populis Congi finitimis (qui Gambea, & Zanagà fluminibus perluuntur) Euangelii ſpes, quæ exitu poſteà funeſto abruptà eſt. *Bemoinus* namquè Ialophorum princeps in Guineà expulſus à fratribus, cùm ad Luſitanos confugiſſet, qui ibi commercia exercebant, benignè ſuſceptus à *Ioanne* Rege Luſitano, & baptiſmate tinctus, eiuſquè nomine inſignitus, poſt iuratum Innocentio obſequium Romano Pontifici, in patriam remiſſus cum viginti navium claſſe, duce *Petro Vaſeo de Acugnà*, irà vel perfidia eiuſdem Ducis extinctus eſt, maiori Chriſtianorum damno, quàm ſuo. *Maffeus l.* 1.

Novus Orbis.

Tribus literis caret.

Congiani baptizantur.

12. *Morte &c.* Diutino cum laboraret Innocentius morbo (à biennio enim, quo torpore ſoporife-

ro

Iudęi facinus pro medicinà Pontificis. ro viginti horis ſinè vitæ ſignis iacuerat, nunquàm reconvaluerat) ac vis morbi medicinam eluderet: Iudæus impoſtor, qui valetudinem pollicebatur ex tribus pueris annorum decem, qui eà de cauſà paulò poſt obiere, ſanguinem exhauſit, ut ex eo pharmacum ſtillatitium Pontifici propinandum, chimicè pararet. Facinus cum Innocentius reſciviſſet, & execraretur, ſupplicio Iudęus ſe fugà ſubduxit, teſte *Vialardo p.* 72. Adveniente demùm Diuinæ uocationis horà, ſumptis ex ritu Chriſtiano deuotiſſimè ſacramentis, ſpiritum reddidit creatori ſuo (*Moſsonius. Panvin. Vialar.*) adſtantibus conſanguineis. Priuſquàm expiraret interrogatus à Borgià Cardinale, *quid agendum de ligno Sanctiſſimæ Crucis?* reſpondit: *ut more*. Iterum eidem ſciſcitanti, *quid agendum de arcis cuſtode?* eadem reſpondit. Hoc cum audiret Cardinalis S. Petri in Vincula, Borgiæ ęmulus, & futuri æquè cupidus Pontificatus, acriter reprehendit, quod iniurià accuſaret arcis cuſtodem, virum impigrum, atquè fidelem. Audivit mœrens, & dolens Innocentius Cardinalium diſſidia, undè improperavit eis, *ſi Pontificem parvifacerent, Deum ſaltem, et purpuram non obliviſcerentur ingrati*. Vialardus.


Sepultura. Sepultus eſt in Baſilicà S. Petri ęreo monumento, quod extrui iuſſit eius nepos Laurentius Cibo Cardinalis, iuxtà aram ab eo deſignatam, in quà ferrum haſtę, quod Chriſti latus aperuit, condi iuſſerat cum inſcriptione ſequenti.

Ego autem in innocentià meà ingreſſus ſum; Redime Domine, & miſerere mei.

Scripta. *Regulas* ſcripſit, quæ M. S. extant Viennæ in Bibliothecà Cæſareà. Quædam leguntur inter *epiſtolas Angeli Politiani*.

Conſtitutiones Eccleſiaſticas, et literas Apoſtolicas, quas habes in Bulario.

Geſta Innocẽtii VIII. Vitam Innocentii Nummus claudat, in quo Tres



puellæ *Iuſtitia, Pax, Copia* ſibi invicem feſtivę occurrunt (Eaſdem habes etiam in eiuſdem Innocentii Sarcophago) *Fuit enim* (teſte Leonello Epiſcopo Concordienſi apud Maſſonium) *conſtantiſſimus iuſtitiæ cultor, pacis ſtudioſiſſimus amator, & exuberantis annonæ vigilantiſſimus inſtructor. Sedatis honorificè ſibi ingruentibus bellis, peculiares Eccleſiæ populos & Romanos in primis quàm faliciſſimos exoptavit: exultavit ſummoperè cum ad maiores dignitates viros extulit eruditos & probos*, quos ſanè in pretio habuit, teſte *Angelo Politiano* viro illius ævi doctrinà clariſſimo, cui curam vertendi in latinum ſermonem geſta Romanorum Principum delegauerat, ut ex *ep. Politiani ad Innocentium*.

Obiecta Innocẽtio 8. Reſcripſit ei Papa libros translatos ſibi fuiſse gratiſsimos, ducentoſquè ei aureos ſubminiſtrans, ut ad ſubeundos eiuſmodi honeſtos labores excitaret. Inſimulant in gratiam familiæ contra Apræſtitum iuramentum auxiſse numerum Cardinalium, ac *Laurentium Cybo*, Archiep. Beneuentanum nepotem ſuum ex fratre Cardinalem creaſſe, & Caſtellanum S. Angeli, qui (teſte Volaterrano l. 22.) *ſpurius eſt reputatus*. Laurentius Cybo. Natalium tamen cognitionem cùm explorare mandaſſet Cardinali *Balbi* Veneto, in ſavorem iſte judicauit Laurentii. Creauit etiam Io: Mediceum Cardinalem penè puerum filium Laurentii Medicei ſororium nothi filii ſui (teſte *Volaterrano*) eà tamen conditione, ne in Vrbem veniret antè triennium. Cardinalem etiam creavit *Maphæum Gerardum* Venetum (teſte *Garimberto*) hominem adeò ineptum ac ſtupidum, ut intra paucos dies diploma muneris nuncium amiſerit. Ab Innocentio, dolo hunc datũ dicũt Venetorum Cardinaliũ; ne vir cuius nominis eo tempore Patribus adiungeretur, ſed ipſi ut pedagogi noviter dominarentur electo in ele-

B tione futurà Pontificis. Cæterum quantà diligentià Inſudaverit, ut urbi quietem reſtitueret, atq; à graſſatoribus purgaret, *in vindicandis* (verba ſunt Volaterrani) *criminibus inexorabilis*, oſtendit adverſus *duos fratres F. Baſali filios ſeditioſorum receptacula, ob eorum potentiam diu impunitos, quos unà die cepi, ac ſecuri percuti mandavit*, quamvis cum patre eius longo jam tempore amicitiam ſervaret. Innocẽtii iuſtitia. *Dominicum* etiam *Viterbienſem*, & *Franciſcum Maldentem* cum aliis viros nobiles, & Scriptores Apoſtolicos falſarios Cardinalibus omnibus reclamantibus, ſpretà intercceſſione patris Dominici, qui medicus erat Pontificis, & à ſomno illo lethali Innocentium ſanauerat, ſuſpendio enectos medio foro combuſſit. *Vialard. ex Infiſſura*. Calumnia in Innocentium VIII. Inter falſas expeditiones ea fuit, quà ſacerdoti Gallo indulgebatur ut uxorem legitimè duceret, & coha-

C bitaret. Alia, quòd priuata ſcortatio non eſſet vetita; teſte *Raynaldo* ex Infiſsura *Anno* 1490. *n.* 22. Volateranus *l.* 22. recitat vel *lib.* 7. *Geographiæ* permiſiſſe Innocentium *Norvegis* ſinè vino Sacrificium celebrare, unicà ſcilicet tãtum ſpetie quod ob frigora vinum in eam regionem latum aceſceret. Vide Bellarminum *De Rom. Pontif. l.* 4. *c.* 14. Falſa tamen & adulterina à ſupradictis falſariis conficta. Zelator namquè iuſtitiæ Pontifex ac religionis toto terrarum Orbe hæreticos perſequutus Valdenſes in Ebredunenſi Archiepiſcopatu Cruciſeros excitavit; in Bohemia Huſſitas docuit: totà Germanià homines cum Incubis & Sicubis ſe immiſcentes damnavit: in Auſtrià probationem ferri candentis, dolo Dæmonum pollutam ſuſtulit: Reges eccleſiaſticæ Hoſtis Hæreticorum. Immunitatis violatores monuit, præcipuè Carolum Gallorum Regem, apud quem aulici abolitam

D à Ludovico XI. Pragmaticam ſanctionem inſtaurari cupiebant. Ab eodem impetravit *Ioannem Balvom* Epiſcopum Cardinalem Albanenſem, qui adhuc ſeruabatur in vinculis ob proditionis conſilia cum Burgundo agitata aduerſus Ludouicum XI. Ab eodem inſtauit Eccleſiæ Comitatus Dienſem, & Valentuienſem Pio II. donatos à Ludouico XI. & ſanè uiris prudentibus mandata fuit à Rege cauſæ cognitio: quà non abſolutà, mortuo Innocentio Alexander VI. ad promouendos filios nothos, alienauit.

Quàm pacis amator fuerit; iniuriarum oſtendit, diſsimulatio, ut ſupra notauimus *num.* 4. adiunge Forum Liuii ob cædem Hieronymi Riarii

ad

ad Eccleſiam deuolutum, cum *Catharina* cęſi coniux, A filia Galeatii V. C. Mediolanenſibus auxiliis ſulta occupaſſet, ac Duces occidiſſet Pontificios: iniuriam diſſimulavit Innocentius, ne bello ſe cum Mediolanenſi Duce implicaret. Idem fecit cum Venetis, quos tantùm literis corripuit penè familiaribus, cùm Cardinalem ab Innocentio Patauinæ præfectum Eccleſiæ, (teſte *Raynaldo An.* 1486.) necnon Hermolaum Barbarum (teſte *Io: Candido l.* 8. *Hiſtor. Aquil.*) Patriarcham ab eo dictum Aquilejenſem, nollent in poſſeſſionem admittere. Quanta, & qualia paſſus eſt à Genuenſibus, quorum falsò inſimulatur fuiſſe hoſtis acerrimus à Petro Bizarro *l.* 1. & ingratus; *ita ut Ligures eius obitum effuſiſſimis gaudiis proſequerentur*. Vndè hæc hauſerit Bizarrus? ignoratur. Si enim *Vialardo p.*68. fides; agenti Innocentio erga Genuenſes veluti filios, & contribules ſuos reſponderunt ipſi ut mercatores, ac pecuniam mutuò expoſcenti crediderunt, ſed tanquàm homini priuato, & ignoto. Pecuniam poſteà cùm Genuam miſiſſet in erectionem eccleſię titulo S. Claræ, veluti ſibi debitam uſurparunt. Aulæa quędam ex Gallià Romam delata, veluti publicani in telonio, vectigalibus noluerunt immunia. Patienter ta- B men non ſolùm hæc omnia præterit pacificus Pontifex, ſed patriam juvit adversùs Florentinos, qui in vindictam conſpirarunt poſteà cum Ferdinando aduersùs Innocentium. Accerſiuit inſuper Romam Cardinalem Paulum Fregoſium, ne diſſidia ibi fouerer, Anno tandem 1487. Ludouico Sfortiæ (cognomento *Mauro*) cùm habenas tradere meditarentur Reipublicæ, ac libertatem vincire; miſit Innocentius *Io: Baptiſtam Pinellum Cybo* Archiepiſc. Coſentinum, ut ea diſſiparet arcana, quæ patriæ libertatem perdebant: licet Genuenſes malè interpretantes miſſionem, Pinellum carceri dederunt.

Ianuenſes ingrati erga Innocētium.

Tertia puella, quam in nummiſmate ſuſpicis, *Copia* eſt, ſeu *liberalitas*, ut cornu oſtendit. Ad pacis namquè ſtudia converſus, *nil potius habuit, quàm urbis quieti, copiaquè ſtudere* (teſte Volaterrano) *quapropter eius toto tempore, vilis annona fuit*. Conſtruxit etiam Romæ plura ædificia, ut in oleario ſecùs palàtium Pontificium *Belvedere*, in cuius conſtructione ſexaginta millia ducatorum expendit. Eius in hortis pingenti *Mantenzà* Mantuano, cum Papa bellis implicitus nihil daret; auctor ſimulachrum quoddam luteum erexit, ac velamine coopertum repoſuit, quò Pontifex accedere ſolebat opus viſurus pictoris. Qui cum veniſſet, & interrogaſſet, *quid intus lateret*; continuò pictor velo detracto, reſpondit *ſimulachrum eſſe prudentia*. Intellexit Pontifex, & ſubiunxit; fac alterum ſimulachrum iuxta illud, quod *Patientiam referat* (*Panvin.*) undè finità picturà, donis magnificis, ac liberalibus auxit. Fontes etiam in medià plateà S. Petri erexit. Baſilicæ Lateranenſis abſidam antè Aram Maximam duabus inſignibus columnis ſuppoſitam ædificauit: Diaconiam S. Mariæ in vià latà à fundamentis extruxit, & S. M. Pacis, & tribunam ſuper aram maximam S. Petri. Fecit etiam palatium inter reclauſtrum S. Petri, & reclauſtrum palatii. *Panvinius ex Infeſſurà*. Magnificè parentauit *Carola* Reginæ Cypri, quæ Romæ obiit Anno 1497. Regaliter ſuſcepit *Dorotheam* Reginam Daniæ, quæ Romam venerat voti causà. Regum omnium non ſolùm Chriſtianorum, ſed etiā Turcarum, & Sultani Ægypti Legatos tam ſplendidè ſuſcepit, ut poſteri eum æmulari potuerint, non æquare. *Vialardus*.

Annonæ ſtudet.

Ædificia.

Magnificētia.

ALE


INNOCENTII VIII. PONT. MAX.
IN VATICANO SEPVLCHRVM

ALEXANDER SEXTUS
PONTIFEX ROMANVS CCXVI·



CUltum ſi neſcis Pontifici debitum , Carolus VIII. dabit Francorum Rex , pedem oſculans Alexandri VI. eiuſquè manibus aquam affundens , quamvis hoſtis infenſiſſimus , ut inde diſcas vel in improbis maieſtatem adorare Pontificis , & Petri venerari umbram Apoſtoli,cuius ſanctitas ſanat, ſi vel umbrà tangat ægrotos . *Act.5.n.15.*

Eligitur An. Sal. 1492. die 3. Idus Auguſti . Coronatur die 26. Auguſti . Obiit An. Sal. 1503. die 15. Kal. Septemb. Cum ſediſſet Annos 11. dies 8. Vacat ſedes dies 30.

E L O G I V M·

Anni Sal.IAI. 1492.l. ALexandri ᵃ & Cæſaris geſta narro
Uterquè ex Domo ᵃ Borgià ,
Quæ conſanguineos ſemper Eccleſiæ prætulit.
Ante Pôtificatú ſinè famà,infames in Pôtificatu,
Nomine certarunt, & magnitudine vitii.
Eſt qui excelſæ indolis Alexandrum laudet,
Nec ſuo peccaſse crimine,ſed domeſtico.
Corrupit Alexandrum Cæſar
Cæſar ille,qui poſtea nihil:
Sed Alexander non eſt ,

A Qui patrem gerens,neſcit agere iudicem. Anni Sal.IAI. 1492.l.
Liberos non amiſiſset & ſeipſum ,
Si auſus fuiſſet increpare, & caſtigare liberiùs.
Quale elogium ei,cui nullum eloquium ?
Faſti Alexandri erunt Cæſaris nefaſti .
Cuius infanda nec ſileam,nec panda m ,
Ne vel aures loquẽdo;vel hiſtoriã lędã ſilendo.
Abrasũ de cõmentariis iaceat in cinere nomen
Valentini Borgiæ:
Prodire nanquè non debet in lucem

In-

Anni Sal. IAL. 1492. 11

Ceſar Borgia incerto patre natus. 1494. 13

Inceſtuoſus, latro, parricida,
Semine ſatus Tartareo
(Nam nullus hominum eum paſſus eſt filium)
Religione priùs exutà, poſteà purpurà ſacrà,
Quòd tinctam ſanguine ambiret humano
Cæſar à cæde futurus,
Nomen ne periret malis artibus partum,
Ruinà implevit eccleſiæ.
Dirutis Cardinibus ipſis, ſola ſtabat petra,
Super quam Chriſtus ædificavit eccleſiam.
Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ Reges
Ut crimina tegerent ſævi tyranni,
Thorum commodarunt & thronum.
Iufamià forſan obſtricti maiore,
Quòd cum ſcelera non inducerent, indulgerēt.
Obiit tamen more Cæſaris; qui latro vixerat,
Ferro, non fune, pugnando.

A In cathedrali Pampelonæ ſepultus iacet,
Cuius infulam ſpreverat adoleſcens;
Ut mortuus ſtaret, ubi noluerit vivus cōſiſtere.
Nequitiā ſuam coronavit parricidio Pōtificis,
Quem eà potione demerſit,
Quà demerſerat Reges, Cardinales, fratres.
Clàm iſtos, Pontificem palàm.
Prodiit namquè ſcelus rubore ſuo.
Cæſari prævit Alexander, ut locum pararet ei,
Quem peccantem aſpexerat, & dilexerat.
Potu periit Pontifex;
Nā aliter perire nequeūt ſuorū amore bacchati.
Ignorantià qui excuſant; accuſant Alexandrum:
Non enim ignorare dicitur,
B Qui ſiccis oculis ſpectat funera ſuorum.
Hæc pauca de Cæſare, ut pertranſeam Alexandrum.

Anni Sal. IA. 1492. 11. 3

ADNOTATIONES IN ALEXANDRO VI. PONT. ROM. CCXVI.

Cardinales auro corrupti.

1. A*Lexandri*. Iuſtis Innocentio ſolutis, Cardinales die 6. Aug. numero tres ſupra viginti conclave ingreſsi abſentibus reliquis, auro corrupti, atquè promiſſis, vel morum pellecti ſimilitudine, *Rodericum Borgiam* Pontificem renuntiavere Romanum; licet poſtea contrario rerum exitu, ac ſpe deluſi, qui ei ſuffragia mercimonio vendidere ſacrilego, *primi ingratum eum ſenſerint, ac omnes ſub eo poſteà varià calamitate preſſi, partim exilio, partim carcere mulctati ſint* (teſte *Raph. Volater.*) duo autem præcipuè *Iulianus Roboreus Cardinalis S. Petri*, & *Cardinalis Senenſis*, qui in Pontificatu nomen aſſumpſit Pii III. cum nonnullis aliis collegis damnavere flagitium. H*i* (inquit Infiſſura in M. S. Vatic.) *nihil habere voluerunt, dixeruntquè in Pontificatu voces gratis eſſe dandas & non muneribus*. Variè de Alexàndro ſcripſerunt Hiſtorici. Philippus Borgomēſis, Bzovius, Ciaconius videntur laudare Alexandrum. Apud reliquos verò contemporaneos (qui præteriti non poſſunt) peſsimè audit. Naſcitur die primà Ianuarii An. 1431. in *Hiſpanià* (teſte Marianà l. 26.) *urbe Valentià. Pater Gothifredus Lenzolius, Mater Iſabella Borgia*. Vel cum Iacobo Volaterrano in M. S. Vatic. *Natus eſt apud oppidum Scientiam diœceſis Valentinæ, nepos Callixti III.* ex ſorore, qui quanquàm gente *Lenzolià* ortus eſſet, *Borgia* nomen, quo eum inſignibus Gentilitiis ab avunculo donatus fuerat, avito relicto, uſquè ad obitum retinuit. Hanc nominum converſionem videtur annuere nummiſma (hoc habes infrà in tabulà ſepulchri) in quo Angelus Bovem linteo obumbrat, quod nomen *Lenzuola*, ut Borgiæ inſigne familiæ *Bos* erat, fortunam proſperam plenis velis adumbrat. Niſi iugum Eccleſiæ vellet annuere ab Angelo impoſitum ipſi Alexandro, quem per Bovem non ſolùm exprimunt Gentilitia inſignia, ſed etiam *Num. cap. 7.* ubi Eccleſię Principes Bovibus exprimuntur, *Audita itaquè Callixti avunculi electione* (ita Mariana) *ad non dubiam purpuræ ſpem continuò Romam iunior evolavit. Cardinalis factus tum aliù intemperantià fedus extitit, tum iuſta propemodus uxoris loco, & cultu habuit Zanoziam Romanam puellam: ex quà quatuor filios genuit Petrum Ludovicum, cum natu maximum Cæſarem Ioannem, Gotifredum, filiam unam nomine Lucretiam. Petrum Gandię Ducem fecit auro redempta, uſquè adeò locuples erat. Theſauros ab avunculo Pontifice relictos, opimis ipſe ſacerdotiorum vectigalibus auxerat.* Cęſarem Cardinalem dixit, deindè ducem Valentinum. Ioannem ſubſtituit Petro demortuo, ex quo natus alter Ioannes, pater B. Borgię, III. Generalis Societatis Ieſu, qui ſanctitate ſuà præteritas atavi ſordes deterſit. Gotifredum Principem Squilacii. Lucretiam (teſte *Panvinio*, & *Volaterrano*) quam ante C Pontificatum Hiſpano cuidam in matrimonium dederat, eidem ablatam, Ioanni Sfortię Piſaurienſi Principi primò, deindè abdicatam Aloyſio Arragonio Alphonſi Regis filio notho, quo demùm interfecto, Alphonſo Eſtenſi Ferrariæ Duci, apud quem obiit, locavit. Vir fuit, teſte Iacobo Volaterano) *ingenii ad quæcumquè verſatilis, & magni animi. Sermo ei promptus eſt & in mediocri literaturà. Naturà callidus, ſed antè omnia mira ad res tractandas induſtrię. Claret mirum in modum opibus, Regum & Principum plurimorum clientelis clarus. Sedente Callixto Picenà legatione functus, & anno primo Pontificatus Sixti in Hiſpanias cum poteſtate non modò de latere legati ſed plenè Pontificia miſſus eſt, à quà in Italiam mari rediens non longè à Piſano portu naufragium ſubiit. Cenſus ei* D *eſt a cœnobiis pluribus, quæ & in Italià, & in Hiſpaniis precipuè poſſidet, & a tribus, quibus præeſt cathedralibus ſedibus Valentinà, Portuenſi, & Carthaginenſi, ſed & ab ipſo Apoſtolica cancellariæ munere, à quo in annos ſingulos octo aureorum millia ſibi provenire dicuntur. Vaſorum argenteorum, margaritarum, veſtis ſtragula, & ſacrę ex auro, & ſerico, ac librorum omnis doctrinæ vis maxima eſt: cuncta ſpetie, & ornatu regio, & Pontificio. Mitto lectorum ornamenta innumera, etiam aurea, argentea, & ſerica: mitto veſtem ſui uſus admodùm pretioſam & multam: mitto ſignati auri ingens pondus: cunctos patres, dempto Rhotomagenſi, pecunià et divitiis omnis generis ſuperare creditur.* Ejus laſciviam literis corripuit graviſſimis Pius II. ut in *lib. Brev. p.* 161.

Alexandri VI. natalia.

Alexandri intemperantia: filii nothi.

Ingeniũ, dotes, opes.

Pius Papa II. Vicecancellario.

Dilecte fili ſalutem &c. Nudius quartus cum in hortis

tis dilecti filii Ioannis *de Bichis conveniſſent fœminę cū plures Senenſes ad ſecularem vanitatem compoſitæ, audivimus circumſpectionem tuam parum dignitatis, quam ſuſtinet, memorem inter illas ab horà fere decimà ſeptimà uſque ad vigeſimam ſecundam fuiſſe, & ex collegio tuo ſecum ſe habuiſſe eum, quem ſi non honor Apoſtolicæ ſedis, ætas tamen admonere ſatis officii ſui debebat. Saltatum eſt, ut accepimus; cum omni licentiâ: nullis illecebris amatoriis parſum, tuque etiam inter hæc omnia non ſecus verſatus, quàm ſi unus eſſes ex ſæcularium iuvenum turbà. Referre ſigillatim omnia pudet, quæ in eo loco facta aſſeruntur: iſta non modo re, ſed appellatione quoquè indigna ſunt gradu, quem tenes. Mariti, patres, fratres, & conſanguinei puellarum quæ aderant, ut liberior vobis eſſet voluptandi facultas, ab ingreſſu prohibebantur: vos ſoli cum paucis domeſticis auctores hortatoreſq. chorearum eratis. Dicitur nullum nunc de re aliâ eſſe in civitate Senenſi ſermonem præterquàm vanitatem tuam ab omnibus irrideri*, &c. Laſciviam tamen quandoquè bonis celauit operibus, præcipuè cùm in Turcicà expeditione comitatus Pium II. ſumptibus ſuis triremē instruxit, in cujus apparatum pretium comparatæ domus diſtrahere impetrauit à Pio, quod Fiſco ſoluere tenebatur, ut ex *l.* 30. *diplom. p.* 169. Legatus poſteà à *Sexto IV.* in Hiſpaniam, ut auxilia in Turcas colligeret, infeliciter rem adminiſtravit, teſte Papienſi l. 11. ep. 441. *Vicecancellarius* (inquit) *Pontificem nactus, artibus, et corruptelis ſuis creatus, conceptam diu in patriam profectionem facile impetravit, ut honoratus iret, ut populus ſe viſendum præberet at ex tribus regnis omnifariam meſſem commeteret nullo ipſorum regnorum uſu nullà neceſſitate ſedis Apoſtolicæ legatum pari poteſtate ſe deſignari procuravit Valentiam navigavit, adeunt legationi pecuniâ redimunt, in ulteriorē Hiſpaniam tranſiit utrobiquè multa vanitatis, et luxus, et ambitionis, et avaritiæ documenta relinquens, nullo earum perfecto, quòd ſibi ad nomen legationis prætenderat, odio principum & populorum renavigat Romam. Antè oſtium Anſeriei fluminis die* 10. *Octob. ingenti ortà tempeſtate, conflictatis diu quatriremibus duabus, in quibus ipſe et familia eius omni prædà Hiſpanicà vehebatur, altera lachrymabili damno antè oculos ſuos depreſſa eſt, altera, quæ ſua erat, difractà iam puppe, cum haud procul exitio eſſet, remiſſis paululum ventis ægrè in portum Laburnum lacera, ac vexata protruditur. Præter ceteram turbam quinquè et ſeptuaginta ex familià periere: in his Epiſcopi tres Pharenſis, Aſſiſienſis, et Oſtanus I. Conſulti amplius duodecim, equeſtris ordinis ſex: iactura autem rerum amplius triginta millium aureorum eſt æſtimata. Inania nunc appetimus, concedamus omnia gratia, negemuſquè de erratis noſtris curam Deu non eſſe.* Hæc fuere Alexandri primordia, quibus finis nō diſſimilis. Nā auro, promiſſiſq; eccleſiæ dignitatib⁹ corrupti Cardinales Duce *Aſcanio Sfortià* ſpe iſte Cācellariæ, ſalutarunt, impleto Malachiæ vaticinio; *Bos Albanus in portù*: quia Cardinalis *Albanus* eſſet & *Portuenſis*, ac *Bovem* ferret in ſtemmate. Pompam deſcribit coronationis *Delphin. l.* 3. *ep.* 38. epigramata quibus ſunt adulati Poetæ ſequenti præcipuè diſticho.

Cæſare magna fuit, nunc Roma eſt maxima Sextus.
Regnat Alexander: ille vir, iſte Deus.

In Laterano ſyncope correptus, iacuit donec frigidà conſperſus in facie, ſpiritum recepit.

Auditâ eius electione Sannazarius *l.* 1. *epigram.* B carmine prælusit infauſto.

Viſurum ſe iterum Sixtum cum Roma putarat,
Pro Sexto Sextum vidit, & ingemuit.

Coronatus aſſumpſit in ſymbolum, ex Regio Prophetà, *Ad Dominum cùm tribularer clamavi, & exaudivit me.* Nummiſma coronationis affixum habes tabulæ ſepulchrali.

In primo Conſiſtorio (teſte *infiſſurà*) nepotem ex ſorore Archiepiſcopum Montis Regalis creavit mox Cardinalem. Sacramentum, quo ſe adſtrinxerat, Cardinalium numerum non aucturum, eà interpretatione temperavit, vel deluſit,ità mente concepiſſe, niſi ex conſenſu maioris partis Senatus collaturus eſſet *l.* 3. *bull. ſecr. p.* 51. Eodem ſuæ coronationis die, *Valentiam* patriam Metropolitano iure paulò antè donatam novo confirmavit diplomate, eiquè Archiepiſcopum dedit *Cæſarem* nothum ſuum, cui Pampilonenſem adiunxit Epiſcopatum: teſte *Marianà l.* 26. *c.* 2. Hoc in eo laude dignisſimum (teſte *Infiſſurà*) quòd ad coercendos ſicarios inquiſivit, *ordinavitquè viſitatores carcerum, ac quatuor commiſſarios, qui audirent querelas in urbe, ordinavit ſindicatum Vignola & ſuorum officialium: ſtatuit etiam audientiam in die Martis, civibus omnibus tam maribus, quàm fœminis, & audivit ipſemet querelas, iuſtitiam mirabiliter exercens.* Hoc iuſtitiæ ſpecimine populorum animis conciliatis, Principes per Legatos obedientiā ritu detulère ſolemni. Inter quos *Bartholomeus Socinus* Iuris cōſultorum facilè princeps, orator Senenſis Reipublicę, ſatis eloquentià clarus, ſed maieſtate obrutus Pontificià, orationis, quàm memoriæ mandarat, nec verbum proferre valens, tacitus antè pedes Pontificis proſtratus & afflictus adorauit. Alexander verò ut eum ſibi deuinciret, verbis extulit ſe C quentibus, *Bartholomæe ſilentiū tuū optimè Senenſium cauſam peroravit*: Eumquè Aduocatum nominauit Conſiſtorialem. *Carolus Carthar. in Syll. Advoc. Conſiſt.* Audiuit etiam *Iaſonem Mainum* Mediolan. *Angelum Politianum*, &c. Inter alias ornatiſsima fuit legatio *Ferdinandi* Regis Neapolitani, cuius filius Romam ingreſsus mēſe Decembri, maximà cum pompà fidem publicè dedit patris nomine; orauitq. ne ſponſalia iam pacta inter *Beatricem* Ferdinādi filiā, viduam *Mathiæ* Vngarorum Regis, atq. *Vladiſlaum* Polonum reſcinderet, qui Beatricis ſtudio Vngaricum ſceptrū ſibi pepererat, eoq. occupato, ipsā tanquàm ſterilē, & grandeuā ſibi thoro iungere abnuebat (teſte *Bonfin.*) Renuit portò Alexander hac in re ullà ſe obſtringere conditione. Immò causà cognità, Beatrici ſilentium impoſuit quòd pro ampliſſimorum regnorum D pace, ſterilis conduceret ſponſalia diſſoluere. *Dubravius hiſtor. Bohem.*

Difficillimum alterum Alexandro iudicium contigit. An. 1493 Nouo ex Orbe cum rediſſet *Columbus*: Ferdinandus & Iſabella obtinuerunt ab Alexandro inſulas omnes & regiones versùs Occidentem detegendas à primo Meridiano, quem ipſe tunc ſtatuit centum leucis à promontorio *Viridi*, aut inſulis Azoribus (teſte *Lopeſio in Hiſtorià Indicà*, ubi Pontificis Bulla proponitur) Huic non acquieuere Luſitani ſententiæ, ſed magnæ exortæ contentiones; dum *Luſitani* diploma Eugenii IV. *Caſtellani* Alexandri VI. obtruderent. Idcircò novę inductę ſunt lineæ, quas Principum auaritia fixit, atquè refixit.

Feli-

Triremem instruit in Turcas.

Legatus in Hiſpaniam.

Naufragium paſſus.

Papa eligitur

Pompa coronationis.

Creat nepotē Cardinalem.

Iuſtitia.

Audientia publica.

Legationes ad eum.

Socini caſus.

Sponſalia dirimit Regis Vngarorū.

Luſitanos cū Caſtellanis componit.

Fælicia oppidò Pontificatus exordia. Nam Annona, Iuſtitia, quibus ſeueriſſimè intentus, fælicis erant præludium regiminis. Non deſuere tamen qui ominarentur infauſta, quià

2 *Ex domo Borgià* prodiret Alexander, quę ſinè rubore docuit, Reipubl. præferre familiã. Vide ſuprà *in Vità Callixti III.* Volunt alii creatũ Pontificẽ *Alexãdrũ* ſana reſpexiſſe cõſilia, ſed *Vanozia*, ſeu *Zanozię*, ac

3. *Cæſaris Valentini* filii nothi deceptum inſidiis, in peius ſemper declinaſse. Hinc ex Piſano gymnaſio Romam feſtinè ac feſtiuè venientem *Alexander* ſeuerè admodum accepiſse traditur, vel ſimulato rigore iuſtiæ, vel innocenti regimine vitia corrigere meditaretur pręterita. Naſcitur Cæſar (ut ſupra diximus) ex coitu ſacrilego Roderici Borgiæ Cardinalis Hiſpani, ac *Zanozia* Romano ſcorto, teſte Marianà *l. 26. c. 2.* quem tamen *Dominici Armiani, cui Zanozia nupta erat, iuſtum filium* eredi Alexander volebat. *Vt autem ita crederetur cautum, multorum ad gratiam loquentium teſtimonia confirmarunt. Contra hiſcere nemo Rota iudicum, nemo Cardinaliũ, cum quibus rem communicavit, auſus eſt.* Concordat Infiſsura, cuius verba: *Die XX. Septemb. Papa Alexander creavit duodecim Cardinales, et in eorum creatione conſenſerunt tantum ſeptem Cardinales, reliqui diſſenſerunt. Inter primos fuit creatus filius ipſius natus ex ſe, et quadam muliere, qua nupſerat cuidam Dominico de Arignano, et ſemper fuit habitus et reputatus eius filius, et ipſe fecit eum Epiſcopum in Hiſpanià de Pamplonà. Item filium Domini Gabrielis de Cuſarinis fratrem generi ſui.*

Cæſaris Valentini natalia.

Falſo probatur legitimus

Cæſarem itaquè Anno ſecundo Pontificatus Cardinalem creauit Alexander, cùm anteà in primo Cõſiſtorio *Ioannem Borgiam Valentinum* ſororis filium, Archiepiſcopum Montis Regalis, presbyterum Cardinalem titul. S. Suſannæ creaſſet, teſte *Volaterrano*. Turbauit ille ſtatim Italiæ pacem ambitu ſuo. Aſſinitatem domus Aragoniæ cùm impetrare non potuiſſet, patrem *Alexandrum* excitauit, ut una cum *Ludovico* Duce Mediolanenſi, & Florentinis Gallos in Italiam traherent aduersùs *Ferdinandum* Regem Neapolitanum. Annuit Papa, eo tàmen voto, ut ſimulato cum Gallis fœdere, Hiſpanis timorem incuteret, non ut Gallos in Italiam acciret. Primus, qui ſollicitaret *Carolum VIII.* Gallorum Regem fuit *Antonellus Sanſeverinus*, princeps Salernitanus, qui carnificinam procerum per *Ferdinandum* factam ut fugeret, in Galliam ſeceſſerat. Stimulos addidere Pontifex, & Dux Mediolanenſis *Ludovicus Maurus* Regi inſenſus Neapolitano, quia hoc regnante, non audebat nepoti principatum uſurpare; cui uxor erat filia *Ferdinandi* Regis Neapol. *Corius; Belcar.* Efferebant etiam *Caroli* Regis partes Florentini, auctore *Hieronymo Savonarolà* Ordinis Prædicatorum, eloquentiſſimo, qui publicè declamabat *Carolum* Regem à Deo in Italiam adductum iri, ut publica crimina plecteret. Vndiquè excitatus *Carolus* poſcebat ab *Alexandro*, iure Andegavenſium Regnum Neapolitanum, offerẽs cenſum quadraginta millium aureorum tot annis à Ferdinando intermiſſum ſummà integritate penſitaturum. *Alexandri* ſpuriam prolem beneficiis aucturum ampliſſimis: eiecto Ferdinando, qui hactenùs conficiendam in Baiazhetem expeditionem, vexatà bellis Italià continuis, diſtulerat, Gallica & Italica arma verſurum in Turcas. Hæc

Vocat Gallos in Italiam.

Savonarola pro Gallis.

Galli promiſſa.

A præſentiens *Ferdinandus Neapol.* alterquè *Ferdinandus Siciliæ*, & Hiſpaniarum Reges conſilia, ad ea diſturbanda operã contulere mutuam; Neapolitanus ad deliniendum *Alexandrum*, qui mala Innocentii erga nothos filios exempla peioribus cumulabat, *Federicum* legavit filium ſuum Andriæ Ducem eo voto, ut fœdus Pontificis adversùs Gallos quocumquè pretio redimeret, cum ageretur de regno. Brevi itaquè reintegratà amicitià, *Sancia* filia notha *Alphonſi* filii Regis Ferdinandi *Gotifredo* deſponſatur Pontificis notho; clam tamen, ut Gallos eluderent. Hæc cùm Gallus penetraſset, bellica minimè depoſuit conſilia, immò ne à Ferdinando turbaretur Hiſpano, interprete Minoritã (qui ei à Confeſsionibus erat) fœdus conditionibus iniit inhoneſtis reſtituendi Hiſpano Comitatus Ruſcinonenſem, & Cerdaniæ, per quos Gallis patebat aditus in Hiſpaniam. Ho-B rum loco multa promiſit Hiſpanus, & nil compleuit præter verba. *Ferdinandus* verò *Neapolitanus* proximà Gallorum incurſione ſollicitus, ſeptuagenario maior, apoplexià percuſsus, Anno 1494. quintà Ianuarii, *ſinè cruce, ſinè luce, ſinè Deo diem clauſit extremum*, teſte *Infiſsurà*. Vulgatà *Ferdinandi* morte, inſtetit Gallus (teſte *Burchardo*) nè Alexander *Alphonſum* coronaret. Ex aduerſo pretioſis muneribus *Alphonſus* Papà (qui claudicare fingebat, ut chariori pretio fœdus venderet) conciliato, ejuſquè notho Cæſare, ſequentibus conditionibus fœdus percuſsit, & publicauit. *Inter Pontificem, & Regem Neapol. eſto fœdus, & amicitia, mutuis ſe adiuvent armis. Coronationem Papa inſtauret, cenſu tamen diminuto: Legatum mittat Apoſtolicum pro inauguratione Alphonſi II. Cardinalem dicat Ludovicum Aragonenſem Alphonſi nepotem. Numerum triginta millia Rex Pontifici citò ſolvat. Nubat Sanctia Alphonſi notha Gothifredo notho Pontificis. Do-C tis titulo ultra principatum Squillacii, & Comitatum Carreti, gaudeat penſione annuà decem mille ducatorum, Regia Protonotariatu, centum militum coborte, eà conditione ut Gothifredus in aulà Alphonſi vitam ducat, veluti pignus fœderis Pontifici. Dux Gandiæ Alexandri primogenitus à Rege principatu donetur redditus ſaltem duodecim mille ducatorum; ac muneri præponatur venturo, quod ob excellentiam* Ex ſeptem *dicitur. Tercentum ducat armatos ære regio conductos. Cardinali Valentino det Rex vacãtia, & vacatura regni beneficia, eccleſiaſtica pinguiora ſaltem. Omnem moveat Alphonſus lapidem, ut Cardinalis S. Petri in vinculà Romã regrediatur.* Oſtiã Romà ſe ſubduxerat Cardinalis, arcem munitiſsimã, quam titulo Epiſcopatus poſſidebat, Cæſaris Valentini timens inſidias. Summà ope contendit *Alphonſus* D Cardinalem Alexandro conciliare, ſed fruſtrà. Is enim oblatas conditiones accepturum ſimulans, noctu Oſtià ſolvens, aufugit in Gallias.

Hiſpanorum conſilia

Affinitas cum Pontificis.

Pacta cum Gallis.

Ferdinandi Neapolitani mors.

Fœdus Alphonſi cum Alexandro.

Cardinalis S. Petri fugit in Gallias.

Alexander miſſo *Io: Borgià* Cardin. Montis Regalis *Alphonſum* coronavit, nuptias inter *Sanciam*, & Gothifredum benedixit. Venienti legato obuiavit Rex detecto capite (teſte *Burchardo l. 1. p. 140.*) volens oſculari manum Legati, quòd iſte recuſavit, admittens ad oris oſculum, & ad ſiniſtram, ipſo tamen Rege ad dexteram priùs invitato. Regem poſteà Francorum Alexander monuit, per Franciſcum Cardinalem S. Euſtachii, Italicam intermittere expeditionem, graſſari enim in urbe peſtilentiam, extimeſcere ne Alphonſus regni tuendi causa Turcas in Ita-

Mandat Alex. coronari Alphonsũ.

Monet Gallum non movere in Italiam

Italiam exiret. Ad hæc exponenda non admiſit *Carolus in colloquium Cardinalem, Alexandri monita ita reſpondens eluſit:* peſtilentiam *ſe non expaveſcere, cum vita laboribus mors finem imponat: non metuendam famem, cum commeatus, rerumque affluentiam ſecum illaturus foret: non formidare Turcam, cum ab ineunte ætate pro amplificandâ fide adverſus Turcas arma velit exercere.* Illius prætereà Orator mox atquè Neapolitani regni iura, Alexandri decreto, collata accepit *Alphonſo*, in Cardinalium conſiſtorio conqueſtus Caroli detractum iuribus hæreditatis, à ſententiâ Pontificiâ ad futurum provocavit Concilium, quòd congregandum contendebat, ob inuaſum flagitio ab Alexandro Pontificatum. Diſcordiam augebat *Iulianus* Cardinalis S. Petri, qui cùm aufugiſset in Gallias, Oſtiæ arcem milite firmauerat præſidiario: ad hanc recipiendam immiſſo exercitu *Alexander*, repulſam paſſus, excitis demum *Alphonſi* viribus, eà lege accepit, ne *Iulianum* Cardinalem, nec præfectum *Robureum* cenſuris, bellovè perſequeretur, niſi novæ ab iis irarum cauſæ darentur. *Carolus* Iulio ineunte Anni 1494. Lugdunum venit, Annos natus XXIV. Gratianopoli profectus per Annibalis viam, bello initium dedit, à pecuniâ ſic imparatus, ut mundum muliebrem Duciſſæ Sabaudæ & Marchioniſſę Montisferrati coactus ſit Turini oppignorare, & à mercatoribus ſub ſponſione procerum ſuorum, centum ducatorum millià mutuò accipere, non Regis ſed mendici inſtar tantam auſpicatus expeditionem. Aſtam ingreſſum, ibi puſtulæ morbus toto menſe diſtinuit. Actum interim legationibus, exprobrãte Pontifice oblatam iuſtitiæ viam ſuper regno penitùs cõtempſiſſe. Minabatur cenſuras Mantuani Cõcilii in eos, quià Põtifice ad Conciliũ provocarent. Cardinales, quos evocauerat Gallus, ad curiã reuocauit. Colloquio indè habito cum Alphonſo apud Vicouarum pro tuendis limitibus, ad implorandam Turcarum opem, Byzantium miſſos *Camillum Pandonem*, & *Georgium Buſardum*, ex Burchardo M. S. Vatic. tradit Rainaldus *Annal. Eccleſ. An.* 1494. *n.* 20. & 28. Carolus interim Papiam venerat, ubi *Io: Galeacium* grauiſſimo morbo laborantem inuiſit, ac verbis conſolatus eſt humaniſſimis. Tunc *Iſabella* Ioannis uxor ad pedes Regis coram omnibus prouoluta, eius opẽ in tanto *Alphonſi* Neapol. patris ſui periculo profuſis lacrymis implorãs, orabat ſuplex; arma piiſſimus Rex à regno auerteret Neapolitano, nec rem Aragonenſem bello pateretur excindi, quando nulla iuſta cauſa intercederet, ut inuicta Gallorum arma nobiliſſimum Italiæ regnum inuaderent: ſatis, ſuperquè mariti ſe miſeram acerbâ ægritudine conflictari, in quo exigua ſpes eſſet ſalutis. Turbarunt non parum Regis animum puellæ mixtæ lachrymis pręces, eiuſquè formæ, & venuſtatis decor eximius: verum iactâ jam belli aleâ, armiſquè obſtrepentibus, quæ ſinè dedecore deponi haud poterant, inchoatam Rex expeditionem ex ſuâ dignitate proſequi exiſtimavit. Ticino digreſſus, Placentiam venit, ubi auditâ *Ioannis Galeacii* morte, Ludovicus qui officii gratià Regem ſequutus erat, Mediolanum advolans cum de ſucceſſore *Franciſco* quinquenni ageretur, conſilium ipſe diſcuſſit, artibuſquè ſuis eò Mediolanenſes pellexit, ut quaſi invitus ad principatum capellendum compelleretur. Quartus itaquè & non ſeptimus Dux dici voluit, ut interiectos illegitimos redargueret. Rex arrepto itinere per Flaminiam, *Petrum Mediceum*, qui anteà cum *Alphonſo* ſentiebat, metu correptum obuium habuit, acceptiſquè munitioribus Reipublicæ locis, Florentiæ fœdus conſcripſit ad placitum, pecuniàq; ad bellum receptà, Senas, quas præſidio tenuit, progreſſus, Romam venit. Pontifex animi dubius, an urbem defenderet, *Ferdinandum* Calabriæ ducem *Alphonſi* filium cum copiis ad ſe vocavit: mox à Gallicis proceribus tranſitum ſolummodò à Rege peti pacificum perſuaſus, prid. Cal. Ian. in urbem admiſit armatum portâ Flumentanâ: eadem horâ *Ferdinando* cum ſuis per Latinam exeunte. Nocturnis eiuſdem diei horis, quæ annum claudebat, horâ nimirum ſecundâ tres Cardinales obviauere Regi; *Iulianus S. Petri ad vincula, Beneventanus*, & *Sfortia*. Pacificè ingreſſus claves urbis recepit à caſtrorum Magiſtro Pontificio, in ędibus S. Marci pernoctavit, tormentis bellicis circũ diſpoſitis cũ exercitu. Alexander in arcem S. Angeli ſe tremens receperat, in quem bis tormenta bellica ad quaſsãdã arcẽ adducta (teſte *Cominao l.* 7. *c.* 8. Regẽ iuvitantibus Cardinalibus *Sfortiâ*, Iuliano *Roboreo*, & *Gurienſi*, ut Pontificatu nequam ſpoliaret hominem, qui in eum per crimen irrepſerat, & per ſcelus adminiſtrabat. Vicit tamen Chriſtianiſſimi Regis pietas in S. ſedem, *Briſſoneto* adiuvante (è cujus conſiliis pendebat Rex) ſpe ſacræ purpuræ, ut morbidum potiùs Eccleſiæ caput toleraret, quàm ſi cum Eccleſiæ diſcrimine amputare niteretur. Inconſultis itaquè factioſis Cardinalibus, die 11. Ianuar. Anno 1495. concluſum inter Pontificem, & Carolum, *ut Papa Zizemum magni Turcæ fratrem ad ſex menſes traderet cuſtodiendum. Rex Franciæ ducatos* 20000. *Pontifici ſolveret, atquè cautionem daret per Florentinos, ac Venetos mercatores de reſtituendo Zizimo ſex menſibus elapſis. Coronaret Papa Carolum diademate Neapol. ſinè alterius præiudicio, ſecuros faceret Cardinales S. Petri ad vincula, Gurſenſem, Columnenſem, Sabellum*. His compoſitis *Alexander* in Vaticanum rediit, rituquè ſolemni Regem excepit Francorum, eoquè intercedente *Guilelmum Briſſonetum* ſacra inſigniuit purpurâ. Cultum, quo Rex proſequutus eſt Alexandrum, ita deſcribit Burchardus. *Ferià ſextà* 16. *Ianuarii circa horam* 20. *Papa portatus fuit per deambulatorium diſcoopertum in rocheto, & capuccio cruce præcedente, quam portavit D. Raphael Diaconus capellæ, cùm nullus adeſſet Subdiaconus Apoſtolicus, de caſtro ad palatium. Rex adventum Papæ intelligens occurrit ei uſquè circa finem ſecundi horti ſecreti, de quo ad dictum deambulatorium aſcendit: Cardinales ſecuti ſunt Regem, qui tunc cum eo præſentes erant, & ipſi Papam expectantes. Papa cum eſſet in plano horti prædicti, præceſſerunt Cardinales Regem uſquè ad Pontificem. Rex viſo Pontifice ad ſpatium duarum cannarum genuflexit, bis competenti diſtantià, quòd Papa finxit ſe non videre, ſed cum Rex pro tertià genuflexione faciendà appropinquaret, Papa depoſuit biretum ſuum, & occurrit Regi ad tertiam genuflexionem, ac eum tenuit ne genuflecteret, & deoſculatus eſt eum; ambo detectis capitibus erant. Sicque Rex nec pedem, nec manum Papæ deoſculatus eſt. Papa noluit reponere biretum ſuum, niſi priùs Rex ſe tegeret, tandem ſimul capita cooperuerunt, Pontifice manum bireto Regis, ut cooperiretur, apponente.* De-

fecit

Accuſatur Alexander flagitio invaſiſſe Pontificatũ.

Carolus Rex Gallorũ in Italiã irrumpit.

Turca imploratur in Gallos.

Iſabella Mediolani Duciſſa.

Ludovicus Dux Mediolan.

Gallus Romam ingreditur.

Alexander in arcem S. Angeli fugit.

Galli Regis religio erga Papam.

Fœdus inter Papã & Gallum.

fecit eà in re *Alexander* à maiorum inſtitutis, qui A hunc honorem ſibi ut Chriſti vicariis exhiberi paſſi ſunt. Sed gravior illum urgebat metus, ut ei ablandiretur, quem hoſtem formidabat.

Obſequium præſtat Pontifici. Implevit Rex poſteà feriâ 2. die 19. Ianuarii teſte eodem *Burchardo*, cultum Pontificibus debitum. Sedenti namq. Alexandro in Conſiſtorio, ornamentis inſtructo Pontificiis, *Rex fecit debitas reverentias in terrâ primum in introitu conſiſtorii, ſecundam in plano antè ſolium Papæ, tertiam in ſolio antè Papam, ubi genuflexus pedem, deindè manum Papæ oſculatus fuit, quem Papa celerans ad oris oſculum recepit antè eius aſcenſum ad ſolium.* Non minori affectu Papa reſpondit, vocans Regem Eccleſiæ primogenitum. *Obſidem Valentinū ducit.* Die proximo S. S. Fabiano & Sebaſtiano ſacrâ ſacrificante Alexandro manibus aquam affudit XXIIX. Ian. Zizimus traditus eſt, die ſequenti ex urbe diſceſſit, equitante à ſiniſtris Cardinale *Valentino*, quem B legationis ſpetie in regno gerendo obſidem duxit. *Regno Neapol. Gallus potitur.* Licet (Iovio teſte) agaſonis habitu die ſe ſubducens ſequenti, Romam redierit ad Alexandrum. *Alphonſus* autem videns ſe invidiâ flagrare populorum, eoſquè avidè adventum operiri Francorum, regnum deponere ſtatuit, idquè in filium innocentem *Ferdinandum* transferre, qui *Iſabellam Aragoniam* filiā *Ferdinandi* deſponſavit. *Alphonſus* quatuor triremibus impoſitâ ſuppellectile effugiens, quaſi tergo eius iam Franci imminerent, Meſſanam venit, ubi voto deſerendi ſæculi nuncupato, ieiuniis & corporis afflictationibus ſe excrucians, verè penitens in Olivetano cænobio intra annum obiit mærore confectus.

Mors Alphōſi. *Carolus* ergo nullo obſiſtente, & *Ferdinando* in Iſchiam ſecedente, Neapolim ingreditur, totoquè regno parvo potitur exercitu, adeo ut veniſſe in Italiam (ſicuti C iocabatur Papa) tantum cum cretâ ad obſignanda videretur hoſpitia. Supererant tantum arces Brunduſina, & Gallipolitana in Apuliâ, & Rhegina in Calabriâ cum Iſchiâ inſulâ in poteſtate *Ferdinandi*, quia *Gallorum inertia.* Gallus ad ea loca recipienda neminem miſerat. Frāci enim de more oblectationibus dediti ac ludis, tantâ incuriâ regnum adminiſtrabant, ut ad id diſſipandum, non occupandum veniſſe viderentur. Turcę auditâ huius expeditionis famâ tantum timoris hauſerunt, ut viſis è Macedoniâ Francorum ſignis aufugerint: & Baiazethes omiſſis aliis bellis de unâ ſervandâ Græciâ cogitarit. Metum porrò ſedavit mors *Mors Zizimi.* *Zizimi*, nece creditur procurata lento tabo per Pontificem *Alexandrum*, promiſſis 300. millibus aureorum à *Baiazethe*, quibus principatum emeret ſputiis ſuis; *Ferronius in vitâ Caroli* 8. Fabulas interim Neapoli agebat Carolus teſte *Burchardo l. 2. diarii*) co- D ramquè eo per ſuos tragediæ in Papam, Romanorum ac Hiſpanorum Reges, Venetorum ac Mediolan. Duces, fædus mordentes, & deridentes, agebantur, quibus omnes Europæ principes adverſus ſe concitarunt præcipuè Pontificem, Cæſarē, Regē Hiſpaniæ Ferdinandum Catholicum, Venetos, Mediolanenſes, *Galli victi.* qui pro Italiæ ſalute, inſtructo quadraginta millium virorum exercitu, ad *Forum Novum* iuxta *Parram* torrentē non longè à Parmâ, redeuntibus in patriam Gallis ſe obiecerunt. Pugnatum acriter, ancipiti dubiaquè victoriâ. Poſt pugnam *Carolus* nobiliſſimo quoquè amiſſo, Aſtam ſe recepit. Regnum Neapolitanum ad *Ferdinandum* Alphonſi filium brevi rediit, nihilquè Gallis ex tantâ felicitate ſuperfuit, præter turpem morbum, quem altera natio alteri imputat, pænâ fæditatem culpæ inſinuante. *Mors Caroli Regis.* *Carolus* tertio poſt anno, repentinâ morte extinctus eſt: è duobus regnis vix ſepulchrum nactus, in quò putreſceret.

Suos Alex. provehit. Tanto iam metu liberatus *Alexander*, in ſuorum augmentum totus effunditur. Anno itaquè ineunte 1496. quatuor creavit Cardinales, Hiſpanos omnes teſte *Suritâ*, *Ioannem de Caſtro* Epiſcopum Agrigenti, *Bartholomeum* Ep. Segobricenſem, *Io: Ep.* Peruſinum, *Ioannem Borgiam* Valentiæ natū, quos iuribus omnibus inſignivit, ut ſi Alexandrum è vivis diſcedere contingeret, futuro Conclavi pro creando Pontifice intereſſent. In locum autem Epiſcopi Peruſini, qui Datarius erat, *Io: Ferrarium* Datariū creavit, qui Simoniaco quæſtu turpiorem Mundo ac deteriorem pinxit Alexandrum, quàm eſſet. Fluctuabat interim civilium bellorum metu Chriſtianum imperium. Nam *Virginii Urſini*, (quem Ferdinandus carcere macerabat) filii milite collectitio, copias profligaverāt Pontificias, quorum clade perculſus Alexander, metuens *Urſini tumultus.* ne Urſini Gallica arma in Italiam allicerent, pace datâ, *Conſalvum* Ferdinandi Regis Hiſpaniarū excivit ſtrenuiſſimum ducem, qui Hoſtiâ Gallis ereptâ eorum ducem *Menoldum Guerrium* ad Pontificem ſolio conſidentem, ſupplicem adduxit; maximis propterea affectus honoribus, *Aureâ Roſâ* donatus probavit munera, non mores donantis; nam militari *Conſalvus Alexandrū increpat.* animo, ac religioſo ardore corruptum aulæ ſtatum mordicùs increpans, Papā excitavit vitia ſuorum primò corripere, poſteà eccleſię ſanctitatem in priſtinum ſtatum reformare. Alexander namq. decore poſthabito *Io: Dux Gandiæ ab Alexandro honoribus cumulatur.* Pontificio, ſeptima Iunii A. 1497. in ſecreto Cardinalium Conciſtorio ciuitatem Beneuentanam, Terracinam, Pontemcurvum cum ſuis territoriis in Ducatum erigens, Feudi titulo *Io: Borgia* Gandiæ Duci S. R. E. Capitaneo generali, filio ſuo chariſſimo tradidit, eiuſquè ſucceſſoribus in perpetuum, conſentientibus Cardinalibus omnibus, uno excepto Cardinali Senenſi, qui tamen cùm ſolus eſſet, impedire non valuit, teſte *Suritâ*. Non diu tamen vindicta eſt dilata diuina. *Cæſar Borgia* natu minor *Cardinalis Valentinus* à ſacerdotio planè alienus locum hunc cùm ſibi à fratre præripi ferret impatienter, *nec minus quòd in Lucretia communis ſororis amore poſtponeretur*, noctu cum unà apud *Zanoviam* matrem cœnaſſent, urbem obambulantem ſolum clàm immiſſis ſiccariis trucidat, ac in Tyberim projicit, teſte *Guicciardino l. 3.* Minimè redeuntem putabat Alexander ipſum apud nobile deliteſcere ſcortū. *A fratre Valentino trucidatur.* Famulis namquè remiſsis, cum quodam perſonato, qui ad cœnam venerat, ac per menſem Ducem viſitabat, abierat. Cùm eccè cadauer lacerum, fœtidumquè adducitur. Non à latronibus patratum facinus, quòd pecuniæ, veſteſquè demptæ non eſſent, conſtabat. *Cædis auctorem quanquàm plerique non ignorant, non tamen nominare fas putant*, adiungit Volaterranus. Ex ipſius cæde funeſtâ tantum concepit Alexander mærorem, ut poſt aliquot dierum inediam ab amiciſsimis Cardinalibus, ut cibum caperet, vix induci potuerit. Inſultabant eius calamitati æmuli, ac diro ſcommate pervulgabant *Alexandrum iam dignum Piſcatoris ſucceſſorem, qui ſparſos piſcaretur in flumine filios.*

Piſ-


ALEXANDRI SEXTI PONTIFICIS
CINERES HIC CLAVDVNTVR

Piſcatorem hominum ne te non Sexte putemus,
Piſcaris natum retibus ecce tuum.

Sannazarius l. 1. epigram.

Cogitat deponere Pontificatū

Cæterum eum malè actę vitæ conſcientiâ ſtimulāte, ac metuentem nè in ipſum ſeveritatis exemplum iuſtia ſtatueret Superna, ambitu partum Pontificatum quomodo deponeret, cogitare cæpit, Hiſpaniarum Regi Ferdinando id patefaciens à quo monitus, rem adeò gravem, & arduam nonniſi habitâ priùs maturà deliberatione tentandam, ſinendumquè ut conceptus de filii cæde dolor remitteretur, ſuperſedit: *Surita.* Decreverat etiam ad placandum Deum, in pristinum ſtatum diſciplinam Eccleſiaſticam revocare collapſam, cuius gratiâ in publico Conſiſtorio ſex Cardinales deſignavit, inter quos *Franciſcus* fuit *Cardinalis Senenſis*, ad quem *Petrus Delphinus* literas dedit gratulatorias *l. 5. ep. 37.* Plures iſti ſanctiſſimas edidere ſanctiones, quæ ad exitum minimè fuere perductæ; cùm enim dolor ex nece filii conceptus conſenuiſſet; ad vomitum reverſus, *Cæſarem Cardinalē Valentinum* ampliſsimis inſtructum mandatis Neapolim legavit, ut *Friderico Aragono* iura, & inſignia traderet regni Siciliæ: licet poſtea in eumdem Ferdinandum conſpirauerit, ut exaltaret familiam ſuam. Ad omnem enim auram mobilis, cum novum fędus meditaretur cum *Carolo* Gallorum Rege adversùs *Fridericum*; conſilia Caroli mors repentina diſrupit.

Ludovicus Aurelian. Rex Galliæ.

Moritur iſte An. 1498. Ambaciæ apud Turonos. Carolo *Ludovicus* ſucceſſit *Aurelianenſis*, qui ſtatim arma mouit in Ducatum Mediolanenſem, quem ſibi debitum ex auiæ ſuæ Valentinæ hereditate dicebat. Hinc tumultus exorti, qui Italiam totam, et penè Galliam concuſsere. Principio diuortium fecit cum *Ioannâ* Ludouici 11. filiâ, aonuente Papâ Alexandro iure, an iniuria? Deus ſcit. *Frizonius in Galliâ Purpuratâ. Ferronius in Ludov.* 12. Ioannâ iampridem Chriſto coniuncta, & auctrix congregationis B. Virginis Annunciatæ Biturigibus, ita deinceps vixit, ut honores meruerit Sanctarum, in Cælis, quàm terris fæliciot.

Valentinus purpuram deponit.

Inter hæc *Cæſar Borgia* impurus ille Pontificis filius, Conſiſtorium ingreſsus, Cardinales rogauit & Patrem, ut quoniam inuitus & reuerentiâ in parentem per vim factus eſſet Cardinalis, atquè Diaconus, vtramquè dignitatem deponeret: quod & obtinuit, mimicâ tantùm præuiâ tergiuerſatione. Statim ergo ad *Ludouicum* in Franciam tranſiit, detulitq; diſpenſationē (ut Rex coniugi miſſo repudio, uxorem duceret *Annam* viduam Caroli Regis defuncti) licet eam occultaret, ut Regi venderet caro pretio. Rex autem certior factus, à Pontifice ſignatum diploma, minimè curans Valentinum ampliùs interrogare, vel Bullam expectare, novas volauit ad nuptias, & carnaliter conſumauit (teſte *Guicciardino l. 4.*) undè illuſus Valentinus veneno poſteà Legatum ſuſtulit Apoſtolicum, qui arcanum Regi prodiderat. Purpuram etiam, quam fædarat, ad *Georgium Ambacianum* Archiep. Rhotomagenſem, Regi chariſſimum; quo interprete accepit à Rege Ducatum Valentinum, Equeſtrem Ordinem, & centum cataphractorum alam, cum penſione viginti millium librarum Turonenſium.

Dux creatur à Rege Galliæ.

Anno ſequēti uxorem duxit, adnitente Rege, *Carlottam* filiam *Alani Alabreti*, ex ſanguine Francico ſororem Regis Navarræ: cùm *Carlotta* filia *Friderici* Regis Neapolitani nuptias impuri Diaconi toto pectore repudiaſſet: quas tamen Pontifex ſupra modum concupierat, ut filius ſuus armis Pontificiis fretus ſocerum ſuum regno deiiceret Neapolitano, & partem ſui eueheret ad thronum. *Guicciard. l. 4.* Quod cùm optimè præuideret Fridericus Rex Neapolitanus nuptias negauit.

Vxorē ducit.

Hæc in Alexandro VI. cùm à pleriſquè carperentur:

Savonarola.

Hieronymus Savonarola intermiſſas reſumpſit conciones, & quid eloquentia poſſet in luculentâ materiâ, non piè ſatis oſtendit. Hinc fulmina Pontificis in eum, atq; Florentinos, qui cum Alexandro indigerent ad Piſas recipiendas, aliundè inuitarentur à *Ludovico* Duce Mediol. ad perdendum Hieronymum, qui aliquid amiſerat auctoritatis in urbe, ex inepto conflictu Minoritæ, & Dominicani ad flammas properantium, ut igne veritatem probarent, à Magiſtratu Florentino cum duobus ſociis datus in carcerem, tortus primò, demùm vivus exuſtus eſt, aliis fortè quàm ſibi melior. *Ludovicus* interim Rex Gallorum expeditis armis in *Ludovicum Maurum*, inducias cum Regibus Hiſpaniæ, & Angliæ pactas, de Venetis atquè Alexandro Pontifice ſecutus, quos vocauerat in partem ſpolii, in Italiam irrupit. *Mauro* cum deeſſet, ad quem confugeret, *Friderico* Rege Neapol. interprete ad *Baiazethem* confugit Turcarum Regē, ut ſaltem hic Venetos diſtineret, ne iungerētur Gallis.

Turcarum irruptio

Adfuit Turca ducentis & ſeptuaginta nauibus, quibus dum Veneta claſſis per ęquora præliis vagatur intempeſtiuis, Naupactum diruit, Methonem exſcindit, Aleſam domat. *Maurum* tamen minimè iuuarunt Turcarum triumphi. Eius namquè exercitu à Gallis diſſipato, Mediolanenſem principatum coactus eſt victori permittere An. 1499. Anno verò ſequenti (qui fuit ſæcularis & Romano Iubilæo Sacer) aſperitate *Trivultii* exaſperati Mediolanenſes cùm *Maurum* reuocaſſent, breui recuperato principatu, in Francos Romipetas, vindictæ cupidus in ſingula eorum capita pronunciato Ducato aureo, iterum Gallos excitauit ad arma, Duce *Trivultio*.

Mauri Ducis Mediolan. captivitas.

Nouariæ ſe incluſerat *Maurus*, è quâ dum effugere parat veſte perſonatus Helvetiâ, detectus à Gallis, & in Franciā perductus, in Loquienſi carcere decennio vitam, & crimina finiit, dignus ob tyrannidem, qui acerbiore tolleretur ſupplicio. Sic vaſerrimum illud *Mauri* ingenium, tot artibus regnandi imbutum, in caſſes incidit, quos patrauerat; nec fraus fraudi fuit præterquàm auctori. Eius quoquè fratrem *Aſcanium* Cardinalem à Venetis interceptum, Gallis traditum, turri includi Bituricenſi paſſus eſt *Alexander* contra Cardinalitiæ purpurę decus, eiuſq. Abbatiam Ciſterciensē *Iuliano* Cardinali commendauit Oſtienſi. Meritū ſanè præmium ei, qui fraude ſimoniacâ corruptus illum extulerat ad Pontificatum.

Exceſſus Pōtificis in ſuorum dilectione.

Hiſce fraudibus Pontifex extollebat familiam. Spoletanum ſibi cōmendatum Ducatum *Lucretia* notha Pontificis eâ iam pompâ adierat, quâ maiori non ſcanderet regina thronum. Præſules, Epiſcopi dignitatem obliti, viſi fœminæ pręſtare ſeruitia. *Io: Borgia Cardinalis Alexandri* pronepos legationem acceperat Apoſtolicam in uniuerſum Chriſtianum Orbem. Nepenſem urbem donatam olim *Aſcanio Sfortia* Cardinali, à quo in Pontificem aſſumptus fuerat, vindica-

uerat *Alexander*, Sermonetam cum aliis oppidis, quibus familiam ſpoliauerat Caietanam, ſimulatà venditione tradiderat *Lucretia* filiæ. Iacobum Protonotarium ex eà gente Honorati filium carcere incluſum necavit: Adoleſcentemquè unicum *Cola* filium, familiæ ſuperſtitem abſentem trucidari iuſſit. *Volaterran. Antropol. lib.* 22. In Vicarios conuerſus, Malateſtas, Ariminenſes, Sfortianos, Piſaurienſes, Riarios, Imolenſes, Manfredos, Fauentinos, Varanos, Camerinos, Mõfeltrẽſes, Vrbinates Eccleſię Romanę feudatarios, cenſus annui non ſoluti prætextu, auctoritate Apoſtolicà (non tamen *Cõſiſtorialiter*, ait Burchardus) omni iure priuauit. Fulciebat cauſam iure Pontificio (Scribit *Sabellicus Enn.* 10. *l.* 9.) licet Pontificiæ non ſtuderet dignitati, ſed ſpuriorũ opibus augendis. Riarii cecidere primi ſub tyranide *Valẽtini* Ducis, qui Gallorum copiis expugnatà Imolà in Forum Liuii vexilla conuertit. Tentauit *Catherina* Sfortianæ gentis, comitis olim *Hieronymi Riarii* uxor, magni animi virago per literas veneno illitas, Foroliviensium nomine exaratas *Alexandrum* tollere (teſte *Petro Delphino l.* 6. *ep.* 22.) ſed fraude detectà, non ſolùm de latoribus ſumptum eſt ſupplicium, ſed fœmina ipſa Gallorum captiua cecidit, qui Pontificis numine urbem eius obſederant. Victoria hæc vitam eripuit Cardinali *Io: Borgia*, dum concitatis equis ad *Valentinũ* decurrit lætitię gratià.

Valentini tyrannis.

Volunt alii à *Valentino* veneno ſublatum. *Civitas namquè Romana* (teſte Volaterano) *olim Gentium aſylum, & perfugium, omnibuſquè ſeculis populorum omnium tutiſſima arx, nobilis iam carnificina facta, omnia ſuorum causà, quibus omnia indulſerat, permittebat; nec noctu tutum per urbem iter nec interdiu extra urbem: omnia enim graſſatorum plena.* Conſonat Cardinal. Viterbienſis, *qui omnia vidit: Nunquàm in Civitatibus ſacra ditionis ſeditio immanior, nunquàm direptio crebrior, nunquàm cædes cruentior, nunquàm in viis graſſatorum vis liberior, nunquàm in Vrbe plus malorum fuit, nunquàm delatorum copia, ſicariorum licentia latronum vel numerus, vel audacia maior, ut portas Vrbis prodire fas non eſſet; Vrbem ipſam incolere non liceret. Pro eodem tunc habitum Maieſtatem lædere, hoſtem habere, aurì aut formoſi aliquid domi cohibere: non domi, non in cubiculo, non in turri tutus: nihil ius, nihil fas; aurum, vis, & Venus imperabant:* Heu ſi peregrini ad ſacerdotem reſpexiſſent, non ſacerdotium. Gallorum armis cum Ariminum, & Piſaurum Cæſar occupaſſet, Faentiam premebat; cuius Dominus *Aſtorius Manfredus* licet ætate impubes, & indefenſus à principibus Italiæ, (tutelam eius Veneti renuntiarant, nè Gallos offenderent & Pontificem, immò *Cæſarem Borgiam* iure civitatis donaverant in teſtimonium amicitiæ) eam in ſubditis nactus eſt fidem, ut ſoli onus obſidionis ſuſtinentes graviſſimum, hoſtem coegerint recedere potentiſſimum: licet Pontifex nil prætermitteret, ut filii copias in dies ære augeret, & milite: cuius gratià duodecim creaverat Cardinales, qui auro non doctrinà potiores reliquis credebantur: ac iis qui Romam ad Iubilæum venire neglexerant, ſeu non poterant, per diplomata licitaretur.

Lex Venetorũ in Simoniacos.

Inſultantibus autem, pecuniam a Cæſare aleis, vel luxu profundi, reſpondebat: conſumere ſe peccata Germanorum. *Volater. Sabellicus. Guicciardin.* Eius avaritiam ut aliqualiter Veneti cohiberent, legem ſanxere Decemuiri, ut ſi quis beneficia ab eo emeret eccleſiaſtica (plurimi namquè qui ſacerdotia bonis artibus habere non poterant, Romæ emerant ab *Alexandro*) eius bona Fiſco inferrentur, ipſe ab urbe, atquè urbis finibus quamdiù viveret, exularet.

Io: Michael Cardin. veneno tollitur.

Non longè poſt *Ioannes Michael* Venetus Cardinalis, ex ſorore nepos Pauli II. Pontif. Romæ veneno interiit: quod ei *Alexander* per epularũ pręfectũ ſubministravit, ut auro potiretur quod is poſſidere exiſtimabatur. Mens erat divitias cõgerere alendis exercitibus, quibus Italiam occuparet: *Petrus Bembus Cardinalis. Hiſtor. Venet. l.* 6. Hoc voto Cardinalem *Gurcenſem* legavit ad *Maximilianum* Imperatorem ægrè ferentem, ab Imperio Ducatum divulſum Mediolanenſem, quem ut pacaret, *Claudiam Ludovici filiam Gallorũ* Regis cum dote Mediolanenſis ac Britãnici Ducatus, nec non iuribus regni Neapolitani, deſpondendam obtulit *Carolo* ex filio nepoti; ita coniunctis Germanià, Hiſpanià, Gallià arctiſſimo fœdere confici demùm feliciter Turcicum bellum poſſe.

Maximil. cum Gallo conſpicat in Venetos.

Hæc omnia in ſpeciem pietatis, nam (teſte *Guicciardino l.* 5.) cum in Tridentinis conventibus bellum in Turcas decreviſſe diceretur *Maximilianus*, verè cum Gallis, ex arcano in Venetos conſpiraſſet, ut Venetæ ditionis urbes in Italico continente ſitas cum iis partiretur: Pontifex in Faventinos renovato impetu, qui cæſis duobus millibus Borgianis videbantur eluſiſſe periculum, rerum tandem penurià fracti deditionem fecerunt, cautione acceptà, ut eorum princeps *Aſtorgius* ultra veniam præteritorum, inter primos numeraretur Antiſtites, licet violatà fide Romam ductus, ſpecioſiſſimus iuvenis annorum octodecim, honeſtatem priùs, poſteà vitam amiſerit, cum baliſtà ad collum ſuffocatus inventus in ripà Tyberis. *Bembus, Guicciardinus.*

Aſtorgius laqueo tollitur.

Expugnatà Faventià Cæſar arma vertit in *Io: Bentivolum* toparcham Bononienſem, quem principatu facilè expuliſſet, niſi Franci obſtitiſſent. Obortà indè controverſià; an Gallo fas eſſet clientes Pontificios adversùs Pontificem in tutelam ſuſcipere? ita conventum: ut caſtrum Bononienſe inter Imolam, & Faventiam ſitum *Borgia* permitterent, vectigal nummarium ſolverent, & militare *Ibid.* Deceptus Cæſar opinione ſuà (verbis utar *Sabelici*) Bononienſibus iratus, quòd nullus in eà civitate motus propter ſe ortus eſſet, ut per literas facta ſpes erat, civium literas ad ſe datas prodidit *Bentivolo*, quibus ſolicitabatur ad Bononiam bello invadendam, fuitquè eà res quibuſdam exitio, qui literarum inditio, proditionis convicti, capite pœnas luerunt. Bononia omiſsà, *Borgias* cum Pontificiis copiis in Hetruriam proficiſcitur, auxiliaribus Gallis à ſe dimiſsis. Rumor percrebuit Plumbinum in orà Hetruriæ ab eo peti, ut locum bello, & paci ſibi adiungeret opportunum. Erant, qui dicerent Romam à patre accerſitum, ut in novis Italiæ motibus urbi pręſidio eſſet.

Galli in Italiam deſcendunt.

Iam recens Gallorum exercitus Alpes transgreſſus ferebatur, bellum *Federico* Regi illaturus. Extulerat animum *Ludovicus* Rex perpetuo rerum felici ſucceſſu, ad regnum Neapolitanum armis ſibi vindicandum, cuius poſſeſsione *Carolus VIII.* eo quadriennio exciderat. Papa connivebat, ut Gallicis armis in Italià pręvalen-

lentibus, rem filii promoveret. Erat præterea fędus A noviter ictum inter *Ludovicum* & *Ferdinandum* Hiſpanię Regem, ut *Federico* eiecto ipſi inter ſe regnum partirentur, Apuliam & Calabriam haberet Hiſpanus, cætera tenerent Galli. Veneti,quia duo Reges potentiſsimi in id bellum conſpiraſſent, eſſentquè ambo ſibi fędere obſtricti, nihil in eo motu ſibi movendum putarunt, quod & bello occupati maritimo adversùs Baiazethem Turcarum Regem. Accedebat *Alexandri* Pontificis anceps animus, qui tametſi ex confeſſo non erat hoſtis Veneti nominis, non tamen ob ea quę fierent, amicus haberi;& iam Galli *Franciſco Severinate*, Caiatii comite, & *Bernardo Obiginio* ducibus Italiam ingreſsi, per Galliam Ciſalpinam, Hetruriam ac Romam in Latium venerant. Erat *Borgias* in urbe; cùm pavidus *Alexander* & inconſtans, per id tempus, quo Galli per urbem ſunt in B Latium tranſmiſsi,in mole incluſus Hadriani, nequè ipſis Gallis fidebat. Fuere qui tunc ad bellum tranſmiſsa ſunt octo millia peditum; equites dimidio minus. *Columnenſes*, & *Sabelli*, qui in *Friderici* partibus erant, quia Galli eorũ rebus hoſtiliter imminebant, ne temerè reſiſtendo (erant enim longe impares) ſe ſuoſquè perderent, An. 1051. appetente Feſto Corporis Chriſti, terras ſuas ſacro commiſere Collegio;Papà tamen reclamante, ac minante, ni claves mitterent ſanctitati ſuæ,eos etiam in perſonis punite; Pontifici deſtinarunt. Quorum & arces Galli ſinè certamine occupantes, Pontifici tradidere, ne ampliùs dubium ſupereſſet, Gallis connivere Pontificem. Columnenſes cum ſe tueri decreviſſent; ſigna explicarunt Vrſini, imperium gerente in exercitu ipſo *Alexandro* à quo filia ſputia in palatio Pontificio turpiter collocata ad adminiſtrandam rem Ro- C manam durante abſętià Pontificis, inhabitavit cameras Papæ, literas aperuit directas Pontifici, Cardinales ad ſe vocavit in conſilium, Burchardo teſte apud *Raynaldum num.* 21. *Anno* 1501. Nupſit hæc poſtea die 4. Septemb. *Alphonſo* ducis Ferrariæ, primo genito (eius namquè virum *Giſmundum* Biſellii Principem, nothum Alphonſi Regis Neapolitani *Valentinus Borgia* cæde ſuſtulerat) cui dotis titulo annuum Ferrarienſe vectigal quatuor millium aureorum Eccleſiæ debitum, *Alexander* ad centum Ducales uſquè in tertiam generationem diminuit. Addidit etiã alia oppida Eccleſię Romanæ,quę cum *Iulius II.* iuſtè poſtea repeteret; univerſa bello arſit Italia ex *Guicciardino Raynaldus n.* 22.Celebratæ ſunt nuptię eo luxu, quaſi Venus nuberet. Obſcænis *Ale*- D *xandrum* interfuiſſe ſpectaculis ex pluribus inſimulat *Raynaldus*. Providentia tamen non eſt paſſa divina, ut qui corruptis erat moribus, bonos mores erroneà doctrinà corrumperet. Nam Cleto caſtimoniã imperavit lege,ſi non exemplo. Promulgato interim die 29. Iunii S. Petro ſacra An. 1501. fædere inter Papam,Francorum,ac Hiſpanorũ Reges, Alexander *Fridericum* Regẽ Neapolitanum, ut proditorem imperii Chriſtiani, qui *Baiazetem* in Chriſtianos evocaſſet, omni iure ſpoliavit. Francum,Neapolitanum, ac Hieroſolymitanum Regem dixit; Hiſpanum, ducem Apuliæ.*Fridericus* autem nihil minùs expectans, quàm à *Ferdinando* bellum,*Gonſalvum* è Sicilià evocavit in auxilium, hoc eſt, admiſit in ovile lupum, à

Alexander fide Chriſtianà impollutus.

Deturbat Fridericũ Regem Neapol:

quo deluſus miſer totum regnum vidit in poteſtatẽ eiuſdem *Gonſalvi*. Fugit itaquè in Iſchiam inſulam, ubi animi pendens, cui ſe commiteret, Franco, an Hiſpano, hunc magis exoſum, quia proditorem, illi ſe dedidit, à quo Ducatum Andegavenſem cum annuà penſione triginta millium aureorum, & titulo Regis, ſine diſcrimine ac labore decidit: ſædere utiquè turpitudinis, quàm quietis pleniore. Eius filius *Fridericus* dux Calabriæ, Tarenti obſeſſus, contrà datam fidem à *Conſalvo* miſſus in Hiſpaniam, ubi regio penè cultu habitus, nihil optare potuit præter libertatem. Bello confecto, *Alexander* Gallum Regem onere pręſtãdi annui vectigalis onere liberavit. Galli & Hiſpani diviſo regno, cum ex pacto in Turcas arma vertere debuiſſent, inter ſe dimicare cæperunt. Galli primò extitere victores, pulſis undiquè Hiſpanis; donec *Ludovici* negligentià, & cunctatione, regno eiecti virtute *Gonſalvi*, pręclariſſimum regnum magnà Gallorum infamià Hiſpanię acceſſit. Hic eſt *Gonſalvus*, qui poſt 200. urbes Regi ſuo comparatas *Magni* nomen adeptus, appetitus invidià, domi ſuæ dolore contabuit. *Valentinus* intereà, cum ei ad omnem Flaminiam obtinendam unum deeſſet, *Guidi Vbaldi* Metaurenſium Ducis Regnum, nec aggredi Marte auderet aperto, propter populorum in *Guidum* amorem; nequè Venetos illius ſpolium permiſsuros arbitraretur, neque ulla eſſet belli cauſa contra hominem omni coniunctum officio, magno ſcelere excogitato, bellum ſimulauit inferre Camertibus; ut ad fines Vrbinatium, quà ei iter faciendum erat, ſinè *Guidi* ſuſpicione, tanquàm aliò tendens cum exercitu accederet, à *Guido Vbaldo* poſtulauit amicitię iure, ut ei auxiliares copias cum tormentis muralibus commodaret. His impetratis, cum ad fines regni veniſſet, repentè in amicos erumpens, neminem obuium paſſus magnà celeritate Vrbinum contendit: parumq; abfuit, quin *Guidum* ipſum *Vbaldum* caperet. Qui ruſtico iumento, ac veſte agricolæ, itineribus deuiis, Ravennam fugiens, indè Mantuam ſe recepit quò paulo ante *Guidi* uxor *Eliſabetha* Franciſci Mãtuanorum Ducis ſoror pudiciſſima, lectiſſimaq. ſe ſe contulerat officii gratià, ita poſtulante *Alexandro*) ut *Lucretiam Borgiam* ad maritum comitaretur proficiſcentem.*Guidus* amiſſo regno,ad *Ludovicum* Galliæ Regem Mediolanum venit, auxilia in Cæſarem poſtulatum: in quo cum nihil præſidii contra perfidiam eſſe cognoſceret, cum uxore Venetias ſe recepit,à Patribus benignè exceptus, atquè hoſpitio pro dignitate donatus, uſq; dum ſufragantibus Vrſinis, in regnum ſuum facile rediit. Ea rerum mutatione plerique populi ſe Reipublicæ commendaverunt, ut eos in deditionẽ acciperet: præcipuè *Pinnæ* Marinianæ habitatores cum magnoperè Borgiam timerent, rectorem poſtularunt, qui eos Reipublicæ nomine cuſtodiret.Sed neq.hos nec cæteros Reſpublica recipiendos cenſuit. *Alexander* cum vidiſſet *Guidum Vbaldum* Vrſinæ gentis ſtudio regnum recuperaſſe; orando, minando, pollicendo eius familię principibus, interprete Cardinale Vrſino(cui in ſignum fęderis etiam Pontificatum renunciare ſe paratum ſimulabat) in ſuas partes traductis, fędus cum eis renovauit;noviſquè Gallorum copiis *Valentinus* auctus,

Gonſalvi gloria.

Valentini fraus in Guidũ Vbaldũ

Vrbinas ditionem recuperat.

Populos Papæ ſubditos Veneti in tutelam recipere renuunt.

Guidum Vbaldum opibus & amicis deſtiturum, regno iterum expulit, anno ineunte 1503. occupatâ Senogalliâ, ubi Vrſinę gentis principes *Paulum Vrſinum*, & *Ducem Gravinæ*, eiuſquè ſocios *Vitellium*, & *Leporotum Firmanum*, eos ipſos, cum quibus paulò antè fœdus percuſſerat, quiq; ſecum unà venerant, omnes coniecit in vincula: *Vitellius & Leporotus* cervice fidiculis eliſà confeſtim necati ſunt. *Paulus*, & *Dux Gravina* in paucos dies aſſervati eo conſilio, ut ſi Romæ res ex compoſito non proceſſiſſet, quod cæteri Vrſinæ factionis principes capi non potuiſſent, minor inuidia Pontificem, & Valentinum ex eà proditione maneret. Verùm poſtquàm & alii in poteſtatem redacti ſunt; ambo eodem, quo priores illi, ſunt affecti ſupplicio. Oppreſſus eſt in hibernis ingens equitum numerus, multi cæſi, vel grauiter vulnerati, pauci medià trepidatione dilapſi, in quibus *Fabius* Pauli filius. Si qui Borgianorum manus euaſere, ipſis locorum accolis prædæ fuerunt. Eodem die, quo hæc in Picæno geſta ſunt, Romæ ex compoſito, pleriquè Vrſinæ factionis viri illuſtres, & in his *Baptiſta Cardinalis Vrſinus*, in molem obtruduntur Hadriani: hic Cardinalis veneno vitam finiit. Vrſinorum ædes Pontificis iuſſu cum omni pecuniâ publicatæ ſunt. Baptiſtę Cardinalis mater iam octogenaria domo eiecta, per urbanas porticus, amenti ſimilis iacuit, attonita ad tam fœdum ſpectaculum, in ciuitate nemine hoſpitium exhibente ob metum Pōtificis, inſigni documēto; nihil ſtabile in humanis reperiri. Vrſinorum oppida non pauca ceſſere Pontifici. Dum Romæ hæc fiunt: *Borgias* in Piceno, ſumpto de captiuis ſupplicio, Senogalliam diripit, mox in Sentinati Fabrianum oppidum celebre tranſgreſſus, indè Vmbriam, acceſſu ſuo tantum terrorem incuſſit primoribus ciuitatum, ut Vitellii & in his *Iulius* Antiſtes urbis, Vitellii Ducis nuper interfecti frater, confeſtim ex Tipherno ceſſerint, ex Peruſià Balcones, aliiquè ex aliis urbibus principes. *Guido Vrbinas*, audito fœderatorum caſu, per Hetruriam ignoto habitu fugam molitus, vix Mantuam pervaſit, indè Venetias. Petilianum movebat *Borgia*, quo nobiliſſimarum civitatū extorres, Vrſinęquè factionis reliquię ſe contulerant, cum Venetis Alexandro ſignificantibus (ut à *Nicolai Vrſini* & *Bartholomęi Alviani* rebus abſtineret: alias futurum, ut Venetis auctoribus ambo res ſuas armis tuerentur) receſſit. Vrſinorum cauſam *Ludovicus* etiā iuvit Rex Gallorum: cum enim in Latio omnia Vrſinorum loca alienata iacerent, præter *Vicum Varronis*, nec bis petitum adhuc *Borgia* expugnaſſet: en litterę Regiæ nunciantes *Iordanum Vrſinum*, cuius res hoſtiliter vexarentur, Gallorum ob cauſam procul abeſſe domo in caſtris Neapolitanis: illius propterea rebus parcerent, alıter vi & armis eam ipſe vindicaret iniuriam. Iratus Pontifex cępit cauſari non pauca, ut iuſtè bellum videretur ſuſceptum. Licere Pōtifici principes Romani nominis, quoniam Roma ſua eſſet, armis, ſi auctoritate nequeat, in officio continere. Veritus tamen, ne Gallorum favorem filio alienaret, eà conditione ceſſit, ut *Vicus Varronis* ambigui iuris eſſet, donec Rex cauſam cognoſceret. Cępit ab hinc *Alexander* in Gallos occultè moliri: Copias propterea exauctoravit Valentinus Pontificias, cum de regno Neapolitano alea immineret inter Hiſpanos & Gallos, ne eo in diſcrimine partes adiuvaret Gallorum. Opinionem auxit *Trocus* ſuppliciū, qui ex Cyrno Romam deportatus, capitali eſt affectus ſupplicio, quòd ſecretorum conſcius *Alexandri*, Ludovico prodidiſſet, clàm *Borgiam* cum Hiſpanis ſentire. Civilem cędem domeſticę iunxit *Alexander*, Iacobo Cruceię gentis, Vrſinę factionis amiciſſimo, ſecuri percuſſo; cuius ſupplicio commotus *Robertus Vrſinus* Aſculanorum Dux (hunc ſolum Pontifex ex Vrſinà familià reliquit incolumen) occultè à Borgià defecit. Nonnulli adhæc Romanæ civitatis viri genere, & opibus clari, peregrinationis prætextu, ſolum ſuà ſponte verterunt. *Sabellicus*, *Guicciardinus*, *Bembus*, *Volaterranus* contemporanei omnes: ex Recentioribus *Raynaldus*, qui omnia ex vetuſto *Burchardi* codice tranſcripſit.

Vrſinos affligit Borgia.

Cives Romani ſeceſſit.

Vrſinis favent Veneti.

Et Galli.

Alexander in Gallos molitur

Poto perit Pontifex. Ferini & impii Valentini ſucceſſus cum novæ ſpes ex regni Neapolitani converſione inflarent: quandoquidem Francorum, atquè Hiſpaniarum Reges Alexandri amicitiam ad augendas res ſuas, magnis pollicitationibus prenſarent: Piſani à Florentinis bello petiti, *Valentini* patrocinium exambirent; *Gonſalvus* ad Hetruriam opprimendam, & ex eà ad Inſubriam Gallis eripiendam ſollicitaret; pecunia tantū deeſſet; *Alexander* (*Pānvin.*) novum LXXX. ſcriptorum Brevium collegium inſtituit, quorum loca ſingula 750. aureis venıere. Reliquorum collegiorum emolumenta, quòd omnia venditarentur, nihilquè pecuniæ negaretur, ab initio uberrima quidem: verum poſtea tenuiora fuere, diviſa cum Cardinale Rhotomagenſe Galliæ legato, rerum omnium facultate. Magnum quoquè vectigal ex his, quos vulgus *Maranos* vocabat à Rege Catholico ex Hiſpanià pulſos, & abs ſe Romæ magnà cum eius Regis indignatione ſuſceptos colligebat. Cardinales multos pretio creauit. Hæc quoquè cum ingentibus copiis non ſufficerent, inopiæ metu rapax atquè immani ingenio ſævus, opulentiſſimum quemquè in aulà Sacerdotem, & in his aliquot Cardinales cæteris ditiores veneno tollendos conſtituit, ut eorum opibus in fiſcum redactis potitus, profuſiſſimè largiretur & inexplebilem filii cupiditatem expleret, haud dubiè in reliquos aulæ ſacerdotiis atquè divitiis inſignes hęreditatis ſpe ſęviturus, niſi mirabili Dei providentià, homo ad Italię exitium natus, quùm animo adhuc maiora de filio conciperet, diuturnamquè ſibi vitam polliceretur, fatali pincernæ errore, ſibi mortem, ſupremam verò Cæſari filio calamitatem peperiſset; hilariore ſcilicet in cœnà dum ad umbroſum ruris *Cardinalis Cornetani* fontem, venenum bibunt, medicata Falerni vini lagenà, pocillatoris errore commutatà, quam dirà fraude ad opulentiorum aliquot Senatorū, qui cōvivio aderant, ac præcipue eiuſdem *Cardinalis Cornetani*, cuius in hoſpitio epulabantur, exitium honoris ſpecie paraviſſet. Cæſar qui dilutiùs biberat, exquiſitis antidotis, vel ipſo vigente robore, veneni vim ſuſtinente, atrociſſimo quidem, ſed non lethali morbo correptus eſt; ſic, ut magnis ſtipatus copiis dux acer, ſibi uſui eſſe nequierit, & dilabentes copias, duoſquè veteres hoſtes pauciſsimis diebus Pontifices creatos viderit. Pontifex iam ſenio gravis quùm non diù veneni vim ferre poſſet, Romæ in Vaticano ad 15.

Officia venalia.

Veneno Alexander tollitur.

Kal.

Kal. Septemb, Ann. Sal. 1563. ætatis circiter altero & ſeptuageſimo, Pontificatus 11. die 8. extinctus eſt. *Sabellicus, Guicciardinus, Volaterranus, Panvinius.* Volũt alii, ut *Bzovius*, & *Raynaldus* non morte ſublatum repentinâ, ſed ex continuâ, periodicâ, ac hemitritęâ febri, ob aeris impuritatem contractâ ad ſeptimum diem porrectâ obiiſſe, ſacramentis omnibus ritè procuratum. Ejus cadaver (ſi *Ciaconio* fides, & *Panvinio*) in ſacrario Vaticanę Baſilicę, lateritio, ac vili monumento ſepultum eſt. Hinc ſuſpecta languet ſepulchri delineatio, quam tibi exponimus *pag.* 719. ex additionibus noviter appoſitis Ciaconio.

Habuiſti lector vitam ſcandaloſam Alex. 6. quam pręterire hiſtorici non patiuntur eius cõtemporanei. Vitia tamẽ ęquarunt virtutes, (teſte Volaterrano) *Inerant namq. ingenium, ratio, cognitio, memoria, diligentia, eloquentia ità naturalis, & ad perſuadendum apta, ut nemo rem cautiùs proponeret, aut acriùs defenderet, ſeu quovis caperet, impelleret, ſe ſe unum omnium animis accomodando: cum iucundis de remiſſione, cum ſeveris de diſciplinâ, cum patribus de Republicâ loquebatur. Suos adverſarios placabilitate, ac patientiâ devinciebat. Nam eorum, qui de numero patrum exulabant, quoſvę ſuſpectos habuerat, nihil de priſtinâ dignitate detraxit. Gallorum animos contumaciſſimos ità ſedavit, ut amiciſſimi diſcederent. In tantâ procerum Romanorum cæde (quod ſanè incredibile) nullum in urbe tumultum, nulla ſenſimus arma, omnia ipſe obire, parum in rebus arduis cuiquam fidere. Idem in ocio ſolutiſſimus, in metu conſtantiſſimus: nunquàm negotia, ſeu legationes audiendas voluptate prævertit, res in multam noctem protrahebat, breviſſimi ſomni, cibique: Artes liberales ſi non colebat, admirabatur, Iuris præſertim ſcientiam, ubi eſſe contigerit. Salaria Doctoribus, ſtipendia militibus, mercedem operariis, nunquam eſt differre, nedum auferre viſus: cuius res gratiâ exercitum, quem magnum ſemper nutriebat, ductore filio, fideliſſimum habuit, breviquè tempore, ac negocio totam ferè Æmiliam ei ſubiecerit. In annona difficultate, quæ bis contigit, advectâ è Siciliâ magnâ vi frumenti, ità diligenter urbi providerat, ut plebs nullum ferè ſentiret incommodum.* Ædificandi cupidus *Hadriani molem* (cujus numiſma habes in tabulâ ſepulchrali) *opere, quo nunc cernitur, reſtituit: Angeloquè ſupremo repoſito, cuius ſimilis paulò antè fulmine deiectus fuerat.* Templum reſtituit S. Iacobi Hiſpanę nationis, ornavit, & ſua in illo inſignia conſpici paſſus eſt. *Pancirolus in Theat. Abſcond.* Vrbis gymnaſium reſtituit, auxit, teſte *Andreâ Fulvio.* Fontem reſtauravit juxtà templum S. Marię Transtyberim. Vaticani portas, & propugnacula reſtituit, ut ex inſcriptionibus patet. Ambulationem, quà è mole Hadriani ad Vaticanum pergitur, conſtruxit. Viam aperuit ad Vaticanum, ut ex Vaticanis monumentis. Eccleſiam S. Nicolai in Carcere reſtauravit. Faciem porticus Vaticanę extruxit. Baſilicę Liberianę tectum auro perfudit. In Lateranenſi tectum reparavit.

Alexandri virtutes.

Ædificia.

Alexandri VI. Scripta.

Clypeus defenſionis S. R. E. Anno 1492. Argentorati in lucem editus.

De Cardinalium excellentiâ, & officio Vicecancellarii.

Gloſſas in regulas Cancellariæ.

Conſtitutiones Eccleſiaſticas.

Epiſtolas plures.

PIVS

PIUS TERTIUS
PONTIFEX ROMANUS CCXVII.



IN Petro Simonem Magum exprobrante, *Pecunia tua ſit tecum in perditionem*, quùm iſte peteret ſibi vendi Spiritum Sanctum; Pius III. exponitur, quùm in electione Alex. VI. votum ſuum vendere rogatus, reſpondit: *In Pontificatu voces gratis dandas, non muneribus*.

Eligitur 22. Septemb. An. 1503. Obiit 15. Kal. Nov. Cum ſediſſet dies 26. Vacat ſedes dies 14.

Anni Sal IPii 1503.II

ASTrorum more alternant Principes
Teſſellati malis miſcentur boni.
Ablatam ut reponeret pietatē, tēpeſtivè adeſt,
Pius III. [1] Secundi nepos,
Piccolomineus Magno ſuccedit Alexandro,
Sed ut ſit *maximus*, ſufficit eſſe *Pius*.
Sortem eius ne ſciſciteris ab aſtris;
Suſpice Pium ſecundum,
Qui puero ſydus fuit, & nobile fatum.
Ardua illi forma.
Quæ enim olim Heroas fecere beatos,
Uno ſpectantur in Pio:
Ac toto corpore ſacerdos patet.
Die naſcitur medio, ſpectante Sole,
Quaſi Sol ſtaret, ut Dei vicariū inſpiceret naſcētē.

Anni Sal.IPii 1503.II.

Triregno natus, diſciplinà, & naturà,
Fuit ſibi pictor ac virtutis imago. (tus
Romā, Germaniā, Galliā, Umbriā, Picenos Lega
Peregrinas nationes ita domeſticas fecit,
Ut Germani, Hiſpani, Galli
Inter ſe hoſtes, in eo amici conquieſcerent.
Curiam appello Romanam,
Quæ ab obitu Pii II. reſpirare nequiit,
Donec Pio III. darentur Claves.
Sæviente [3] Alexandro VI.
Is ſolus Paulus, qui reſiſteret in faciem Petri,
Quia reprehenſibilis erat.
Tentatus à Simone vendere Spiritum Sanctum,
Reſpondit cum Petro;
Pecunia tua ſit tecum in perditionem.

Pon-

Anni Sal. Pii 1503. 1.

Pōtifex 4 dictus ut Chriſtianā repararet Rēpub. A
Inter ſolemnia coronationis ingemuit,
Quòd ſenex relinquere cogeretur collapſam.
Menſem non abſolvit Pontificatus,
Fatorū vel hominū invidià furētiū in medicū,
Qui mundum curare venerat energumenum.

Electus ac ſtatim 5 elatus,
Comitium iuſtitio complevit.
Utrumquè ſuo ipſe præluſit ſymbolo,
Olivæ ramo cum virgis Betulæ
Vitam & Mortem, vel Pœnam & Præmium
Quibus ſolis poſſunt homines in terrà agere Deum.

Anni Sal. Pii 1503. 1.

Pii III. natalia. 1. P*ius III.* antea *Franciſcus Piccolomineus* in Italià Senis natus Anno 1439, die 7. Id. Mar. filius *Vanni Tudeſchini* viri Senenſis opulentiſſimi, & *Laodomiæ* ſororis Pii II. cum omnibus diſciplinis, ac Iuri præcipuè, avunculi ſui induſtrià, à teneris annis diligenter vacaſſet, gentilitiis inſignibus, & iure familiæ Piccolomineæ donatus, Archiepiſcopatus Senenſis deſignatur Adminiſtrator, inde Anno 1460. die 3. Non. Maii, abſens in ampliſſimorum Patrum collegium, non annum agens decimum ſeptimum (ut ſcripſit Panvinius) ſed primum ſupra vigeſimum, ità rogantibus Cardinalibus, ut idem Virtutes. proteſtatus eſt *Pius II.* apud Gobelinum *lib. 4. in Comment. Pii II.* Quinque enim prudentiſſimos, ac ſapientiſſimos viros cum purpurà donaſſet, in oratione de eorum virtutibus, hæc de nepote ſubiecit. *Poſtremus eſt Franciſcus adminiſtrator eccleſiæ Senenſis, noſter ſecundùm carnem nepos Pontificii iuris interpres, de quo non eſt cur verba faciamus, tum quòd non modò noſtro, ſed etiam Cardinalium iudicio dignus hoc munere putatus eſt. Rogati ab eis promotionem eius fecimus: ipſi an benè conſuluerint videbunt. Hic in diaconum, cæteri in Presbiteros Cardinales vocati ſunt.*

Officia. 2. *Legatus* &c. Eius prima legatio ad Sanctos fuit, ad excipiendum ſcilicet ſacrum Andreę Apoſtoli caput, quòd Narniam ex Peloponeſo Deſpota tulerat. *Gobel. l.* 8. Graviſſimo poſtea Vrbis ac Italiæ tempore, quo *Pius II.* Anconæ moratus eſt, legationem Romanam unà & Picęnā adhuc iuvenis, ſummà cum laude adminiſtravit. Anno 1471. Cum Paulus II. in Germaniam ad conciliandum *Fridericum* Imperatorem cum Rege Vngariæ legatum quæreret, tanto muneri aptiorem *Franciſco* Senatus non inuenit. *Franciſcus* (inquit eius contemporaneus Auguſtinus Patritius apud Papienſem ep. 394.) *Cardinalis Senenſis divi Pontificis Pii II. nepos communi conſenſu deſignatus eſt, qui provinciam ſuſciperet, tum ob* ſummā hominis *integritatem, & ultra eius ætatem, prudentiam atquè modeſtiam, nondùm enim quartum & trigeſimum annum impleverat: tum propter avunculi ſui memoriam, quę adhuc recens apud Germanos erat, apud quos privatus diù vixerat, non ſinè magnà virtutis opinione, & in* Legationes. *Pontificatu illius provinciæ hominibus facilē benignumquè ſe ſemper præſtiterat. Accedebat adhac, quòd ipſe Cardinalis, ut qui apud avunculum in Germanià à puero fuerat educatus, Germanorum linguam, & mores calleret & propterea omnibus ferè Germanis gratus, & notus.* Comitia itaquè ingreſſus Ratiſponenſia, in Turcas excitavit Germanos, Cęſari diſſentiens, qui leves copias conſcribendas ſuadebat. Indè in Poloniam miſſus, ut obortam inter *Vladiſlaum* Caſimiri filium, atquè *Mathiam* Vngarorum Regem litem fœdere componeret (*Cromer*) fruſtrà licet, ob virtutē tamē ac morum honeſtatem ubiq. gratus. Illic dum eſſet, Pauli II. obitum, ac Sixti IV. electionem audivit, à quo revocatus rectiſſimum ſuæ vitæ inſtitutum, & B illeſam opinionem virtutis apud omnes retinens, ad Vmbros inter ſe diſſidentes ſub Innocentio miſſus, pace compoſuit.

3. *Sæviente*, &c. Mortuo Innocentio, tentatus in electione Alexandri votum vēdere (teſte ex infiſſurà Raynaldo) is reſpondit, *in Pontificatu voces eſſe gratis dandas, & non muneribus*. Ab eodem legatus ad *Carolum VIII.* Francorum Regem, ut in gratiam *Ferdinandi* à Neapolitanà revocaret expeditione, non auditus neque admiſſus in caſtris, quod Pii II. avunculi exemplo, Aragonias partes adverſùs Gallos ſovere crederetur, (*teſte Petro Delphino l. 4. ep. 19*) Romam rediit plenus iuſtitià. Cùm enim Alexander decore poſthabito Pontificio, S. Petri patrimonium in ſpurios transferre affectaret, Anno 1497. die VII. Iunii, Principatum Beneventanum Ducalibus titulis inſignitum *Ioanni Borgiæ Gandiæ Duci tradidit iure perpetuo, ſolo Cardinale Senenſi viriliter huiuſmodi* C *inveſtituram oppugnante, ne fieret, qui tamen ſolus reſiſtere, ac factum impedire non potuit*; ut ex *Burchardo Raynaldus*. Cùm malè poſteà actæ victæ conſcientià Alexander agitatus ad placandam iram divinam, Eccleſiaſticam diſciplinam, reſtituere decreviſſet collapſam, inter Cardinales, qui egregio operi ſtudium navarent, Franciſcus fuit (*Delphino* teſte *l. 5. ep. 37.*) Cardinalis Senenſis, à quo leges editæ ſanctiſsunę, licet ad exitum non perductæ; ad vomitum redeunte Alexandro.

4. *Pontifex*: Sublato Alexandro, *Cæſar* (teſte Volaterrano) *ante omnia* theſaurū omnem corripuit, Vaticanum quod armatorum duodecim millibus tenebat, ſimul & Hadriani molem eo animo muniit, ut Patres in eodem loco de more cogendos ad novum ſucceſſorem in ſua vota compelleret; At illi ad evitandum periculum in ęde Minervæ congregati ſubitò à Borgianis, quos *Michelettus* Cæſaris ægrotan D tis emiſſarios ducebat, circundantur. Famà pervagante captos eſſe Cardinales, direptiones ac cædes totà urbe fieri, omnes illicò pavor invaſit: tabernæ clauduntur, arma arripiuntur, tranſtris, trabibus, catenisquè ferreis, viarum exitus obſtruuntur, haud aliter, quàm ſi rursùs Annibal mænia tenuiſſet. Ille autem quòd duram fortè provinciam aſſumpſiſſe ſibi videretur, paulò poſtquàm venerat, diſcedens, Vrſinorum tantum ędium partem apud montem Iordanum incendit. Patres poſt hęc ad urbis cuſtodiam quatuor peditum millia ſcribunt, proceres Romanos accerſunt, Cardinales Tranſalpinos, & undecumquè vocatos præter morem expectant. *Fabius Vrſinus*, qui cum octigentis venerat armatis, Pauli patris ulturus necem, quando in auctorem non valebat, in proximas ædibus ſuis pauperum Hiſpanorum *tabernas puerili nimium ardore impetum facit, aliquot ex eis necat, bona ſubvertit: verum nocte ſequente Cęſarianorum irruptionem formidans, ſimulque à ſenatu iuſſus in proxima ſua caſtra diſceſſit. Interim* Proſper Columnenſis, qui

Tentatur de ſimonià.

Alex. VI. reſiſtit.

Papa creatur

Romæ tumultus.

qui quòd Hiſpanis militaret, amiciſſimus eſſet, ad Cæſarem à patribus mittitur, rogatum ut à pertinacià deſiſtat, eo tandem ſimulquè rurſus Galliæ, Hiſpaniæquè oratoribus inſtantibus, Nepe cum omnibus copiis ſe deferri lecticà iuſſit: arx verò adhuc à ſuis tenebatur, quanquàm cuſtos Bernardini Carvaialis Cardinalis operà ſe ſe patribus obtemperaturum polliceretur. Vaticanum igitur recipitur: ubi de more Pontifici peractis exequiis, tantiſper ſuperſederunt, donec Gallorum exercitus, qui tunc illac contra Hiſpanos in Campaniam iter habebat, iubente Cardinale Rhotomagenſi, qui ſummam apud eum auctoritatem habuerat, mænibus egrederetur, ne quæ vis aut tumultus oriretur. Antonius etiam Iuſtinianus Venetorum legatus (teſte *Petro Bembo*) literas tulit Senatus ad Cardinales, ſi ita opus eſſe ducerent, ſe celeriter omnes ſuas copias Romam miſſurum; quibus faciliùs Romanæ Reipublicæ maieſtatem, & ſuam dignitatem tueri liberè poſſent. Quod quidem illis tam ſuſpecto tempore gratum, ac peropportunum fuit: eà enim re permotus *Valentinus*, ne in ſe Rempublicam incitaret, Romà cum ſuis omnibus egreſſus copiis Vaticanum Sacro ſenatui reliquit. Remoti qui vim inferrent: Cardinales Conclave ingreſſi ad reparandam Eccleſiam, nõnulla deſignarunt, quibus novum obſtringerent Pontificem, præcipuè ut excurente proximo biennio, Concilium generale celebraretur, ac recurrente quoquè exinde triennio inſtauraretur. Hæc ſinguli polliciti patres, die XXX. ſedis vacantis, triginta ſex Cardinale, quorum decurio Neapolitanus erat *Franciſcum Cardinalem Diaconum S. Euſtachii*, Pontificem unanimes renun-

Papa eligitur Vaticinium de eo.

tiarunt, octavo poſt die ingreſſum, ac *Pium III.* appellant in memoriam *Pii II.* avunculi ſui, cuius famà bonitatis animi omnium ad benè iam de religione, deq. rebus humanis ſperandum excitati fuere. *Volater.* Impletum in eo Malachiæ eſt vaticinium, *de Parvo Homine*, quia ex *familià Piccolomineà* Pontifex dictus Davidicùm illud aſſumpſit in ſymbolum, *Dominus mihi adiutor.* Nummiſma habes in tabulà ſepulchrali, in quo *Pii* imago, cum inſignibus Piccolomineis ex adverſo; quibus ab avũculo *Pio II.* donatus fuerat, ſub lemmate, *Patria Senenſis Gloria*. Creatus

Symbolum.

Vota Pii 3.

Pontifex die 22. Septemb. poſtridie eius diei Senatũ convocavit, teſte *Surità* (etſi antè acceptas ritu ſolemni infulas Papales non conſuevisſet) atq. in eo de pace egit conciliandà inter Hiſpanos, & Gallos, reſtituendaquè eccleſiaſticà diſciplinà: de Synodo celebrandà œcumenicà ante biennium in Conclavi ſancitum Reges certiores fecit, ut locus, & tempus decerneretur Concilii. Interim Curia reformaretur Romana tàm in capite, quàm in membris. Ad huius creationis nuncium Cæſar, qui Nepe ad eam diem cum copiis ſubſederat, cum parte ſuorũ Romam venit, patribuſq. gratias agens, quòd virum optimum Chriſtianæ Reipublicæ præfeciſſent, ipſumq. Pontificem in primis adorat. Interim *Vrſini* vindictæ cupidi, Borgiam in Vaticano agentem cum armatis invadũt, cæduntur q. multi *Valentino* ſe egregiè tutante. Cum autem adverſarii viribus augerentur, tutelæ iſte ſe commiſit Pontificis, ut habes ſupra in nummiſmate, ſub lemmate, *Sub umbra alarum tuarum.* In Hadrianam itaquè arcem receptus, ex quà

Borgia carceri datus.

nonniſi Pontificis iuſſu abire liceret, ille totius paulò ante terror Italiæ, iuſtæ necis metu, carcere ſe tutatus honeſto, non priùs emiſſus eſt, quàm partos vi principatus promitteret reſtituere. Impletum tunc Sannazarii vaticinium *l. 1. epigram.* adverſus Borgiam.

Aut nihil, aut Cæſar vult dici Borgia; quid ni?
Cum ſimul & Cæſar poſſit, & eſſe nihil.

Reſtitutà pace, 30. Septẽb. coronatur Pius; ſed brevi. 5. *Elatus eſt vere* (teſte Volaterrano) *ex quo diù abs laboraverat, trigeſimo poſt creationem die, nihilo rerũ ſe geſto, quas maximas animo conceperat.* Obiit cum veneni ſuſpicione vulneri illati, operà *Pandulphi Petrucii* Senenſium tyrãni *Panvinio* teſte, ac *Malavoltà*, Sacramentis tamen omnibus ritè munitus. Eius obitũ

Pii III. mors.

intempeſtivum flevere pii, inter quos Petrus Delphinus *l. 7. ep. 81. Erit mihi eius memoria ſemper quidem in benedictione ſed mærore admixta, nec niſi longo temporis intervallo ſine gemitu & ſuſpiriis ſuccurrere mihi poterit tanta in me tantillum pietatis, charitatis, & manſuetudinis recordatio. Non propterea repugno voluntati Dei, nec contradico ſermonibus ſancti, qui optimè novit, quo conſilio Pium nobis abſtulerit: Tranſtulit eum ad meliorem vitam, qui diù ſibi, diù Eccleſiæ commodis vixerat. Coniunxit eum Angelicis choris, qui vitam Angelicam duxerat, & gloria & honore ſicut paulò antè in terris, ita modò in Cælis feliciùs coronavit.* Corpus in S. Andreæ Sacello baſilicæ S. Petri, marmoreo ſepulchro, prope avunculi Pii II. mauſoleum conditum eſt: eiquè ſequens poſitum Epitaphium.

Sepultura.

Pius III. Pontifex Max. à Pio II. avunculo duos & XX. Annos natus, in Cardinalium collegium accitus, urbis ac Piceni legatione integerrimè functus, à Paulo II. ad Fridericum III. miſſus, ut Germanorum arma in Turcas concitaret, conventum frequentiſſimum Pontificis morte diſſolutum habuit. Sub Innocentio VIII. Vmbros diſſidentes pacavit, Carolo Gallorum Regi in Italiam irrumpenti ab Alex. VI. ſerò admodùm obviàm miſſus. Eo mortuo duo de quadraginta Patrum ſuffragiis Pontifex creatus, dum de reſtituendà in priſtinum maieſtate Chriſtiana Republica in urbe agit, 26. die in tantà expectatione rerum, publico omnium luctu deceſſit eloquio, prudentià, religione, innocentià, & gravitate domi foriſquè inſignis. In dicendis in ſenatu ſententiis liber & graviſſimus. Vixit Annos 64. Menſes V. die X. Obiit An. Sal. 1503. XV. Kal. Novemb.

Tranſlatum eſt poſteà ab Alexãdro Peretto Cardinale Montalto in Eccleſiam S. Andreæ, cui *de Valle* nomen, quod ſequenti epitaphio ornari curavit.

Pio III. Pontif. M. Pii. II. nepoti, cunctis virtutibus ornatiſſimo, poſt legationes urbis, Piceni, Galliæ, atquè Germaniæ integerrimè obitas, ad ſummum Pontif. evecto VI. & XX. die publico omnium luctu, vi mortis abrepto Iacobus & Andreas fratri Sanctiſſ. Poſ. Vixit An. 64 M. 5. D. 10. Obiit An. Sal. M. D. III. XV. Kal. Novemb. Alexander Perettus S. R. E. Vicecancellarius, Card. Montaltus ſepulchrum Pii III. P. M. & Pii II. ex adverſo poſitum. Paulo V. P. M. concedente, è Vaticano tranſlatũ, magnificentius reponẽdũ curavit. An. Sal. 1614

Scripta Nummi

Plura hic vides adiecta nummiſmata: unum cum Petri & Pauli capitibus ſigillum eſt plumbeum, quòd Romæ ſervatur. Aliud cum *Olivæ* ramis, & virgis *Betulæ* ut ſe iudicẽ præluderet facinoroſis, patrem innocuis pacificum. Scripſit epiſtolas varias. Narbonenſem Antiſtitem Cardinalis Rhotomagenſis nepotem in Senatum cooptare cum vellet; Cardinales ſunt adverſati. *Burchardus.*

I V-


PII PAPAE III. MONVMENTV
PIVS III
DOMINVS MIHI ADIVTOR
PENA ET PRAEMIVM
PENA ET PRAEMIVM

JULIUS SECUNDUS PONTIFEX ROMANVS CCXVIII.



IUſſus à Chriſto Petrus (*Luca* 22.) tunicam vendere & gladium emere, cum reſponderet, *Ecce duo gladii hic*, (geminus ſcilicet Eccleſiæ gladius ſpiritualis, & temporalis, quibus fas Eccleſiæ defendere patrimonium, & ad clavum confugere, cùm claves non ſufficiant) Iulium excuſat, qui ferè omnes urbes Eccleſiæ iam alienatas clavo redèmit, & Clavibus.

Eligitur Anno 1503. *die primâ Novemb. Obiit Anno* 1513. *horâ decimâ noctis inter diem* 20. *&* 21. *Februarii. Cum ſediſſet Annos* 9. *Menſes* 3. *dies* 20. *Vacat ſedes uſq; ad diem* 5. *Id. Mar.*

ELOGIUM.

Anni Sal. Iu. 1503 It Natalia Iulii iuventa.

I*Vlianus* hìc iacet *Ruuereus*, in Põtificatu [1] *Iulius* A
Qui Anno natus 1443. denatus 1513.
Vitia prioris ſęculi virtutib' pręsẽtis ita correxit,
Ut Ianus ſæculorum poſſit appellari.
Regimini ut nutriretur Eccleſiæ,
Sixti IV. alumnus & nepos
Tres rexit, & erexit Eccleſias.
Carpenctoratenſem, Albanam, Hoſtienſem:
Ubiquè marmore, gemmis, oſtro
Magnificentiam ſuam delineavit, non incluſit.

Anni Sal. Iu. 1503 It

Ter [2] legatus
Avenionenſis, Bononienſis, Picænus
Populorum leges ita rimavit,
Ut ex ſingulis cum optimas collegiſſet,
Parvus Orbis diceretur Univerſi.
Legatus ad *Ludouicum XI.* Gallię Regem
Gallicos mores ita didicit,
Ut Italicos non corruperit.
Burgundos propterea conciliavit Gallis,
Quia Burgundus, Gallus, ac Romanus eſſet

Ia-

Anni Sal.Iu. 1503.11 *Ianuam* ſuam ut adornaret *Clavibus Petri*,
Duos Lygures Pontifices dixit,
Primo [3] Innocentium VIII. ſecundò ſeipſum.
Inviſus [4] Alexandro Iulius
Decennio inter Gallos exul,ſed ſẽper Romanus,
Ita Cæſarem exterruit & Alexandrum,
Vt moriens iſte hoc unum rogaret à patribus,
Ne Iulium ſubrogarent:
Quaſi nec ĩ Inferis à Iulio foret Alexãder ſecurus.
At eum nemo poſſit ſucceſſorem tollere;
Cæſare invitis & Alexandro;
Ad limina rediit ſoli, & [5] ſolii.
Vocatum à Deo probant [6] Sancti;
Quorũ vaticinio Pontifex ſalutatus,ãtequã eſſet.
Utramquè expertus fortunam,
Sub improſperà ſapuit,ſub proſperà docuit.
Religio & Arma,
Quæ ſemper adverſa, ni Deus conciliet,
Prò Eccleſià convenerunt,non prò familià.
Militantis Eccleſiæ caput, par hoſtiæ & hoſti,
Deo litavit, militavit.
Amiſſas ut Petro aſſereret urbes,
Bellum exorſus contra tyrannum
Iulius contra [7] Cæſarem
Ne alienà flagitia, ſua faceret diſſimulando,
à Borgià deportatos revocavit,
Nuptiiſquè ſuarum labores penſavit exilii.
Vrſini, [8] Columnæ Quercu fulciti Iulianà,
Non ſolùm recepere ſua, ſed aliena:
His nãq. de patrimonio ſuo dotẽ cõtulit Petrus.
Adverſus Bononiam [9] primæ armorum faces,
Quæ capienda iactans,
1506.14 *Si per aerem hoſtes irrumperent*; non fefellit:
Capta enim, cum venere Galli: (*nia?*
Neſcio,an cuniculos penetrarẽt,vel ſuperuolarẽt mę-
In Venetos [10] inde iuratũ,coniuratũ, Iulio duce.
Quid aliud de Lygure ſperarent Veneti? Anni Sal.Iu. 1506.14
Univerſi licet conſpiraſſent Chriſtiani Reges.
Venetos tonuere non terruere.
Æcumenicum ſanè fœdus ſi in Turcas,
Quod ſæpè conceptum,ſed nunquàm abſolutum.
Prima belli alea Franco obtigit ad Glaream,
Quæ Venetis Canna fuit 1509.17
Hoc ultimum Reipublicæ vulnus fuiſset;
Ni Numina ſolidaſsent.
Toto Continente ſpoliata
Adversùs omnes arma reparare non timuit
Uno Pontifice excepto Romano,
Quem vincire,non vincere fœdere placuit.
Subverſis vel ſubmerſis tunc Fatis,
Haſtà, aſtu, recuperarunt amiſſa.
Ut neſcias:
Hoſtis citiùs victor venerit?an victus redierit?
Sacro ab hoſte excidiũ penè Veneti recordãtur.
Non fuere tamen ſine fœnore funera:
Quòd ſoli ſteterint contra omnes.
Italia Gallis cum ferè tota ceſſiſſet in ſpolium,
Benedictione primò onuſti,poſteà anathẽmate,
Domum rediere cæſo milite, amiſſo Duce 1512.10
Gaſtone [12] *Foxio.*
Gallicus iſte Alexander eum arma corripuit,
Non ſolũ Urbẽ cogitavit,ſed Orbem, & Orbes.
Galli vincent Italiam ſemper,ſed perituri.
Hinc armis Põtificẽ ut impugnarẽt & artibus,
Eccleſiæ transfugis Piſis aperuere comitia
(Vrbs hæc pſeudoſynodo ſemper chara)
Hanc Piſcator in Laterano demerſit, ubi Iulius
Sibi gloriã,Italis libertatẽ,eccleſię claves aſſeruit.
Magnificentià Magno Conſtantino maior
Ita Petri Baſilicam [14] ampliare cæperat,
Ut Conſtantinũ ipſum ſuo vinceret in theatro.
Docendo obiit [13] nè Gallum timeret Petrus. 1513.10

ADNOTATIONES IN IULIO II. PONT. ROM. CCXVIII.

Iulii natalia. 1 IVlius huius nominis *Secundus*,natione *Lygur*, patrià *Savonenſis* (oppidum eſt maris Liguſtici) filius *Raphaelis Ruverei*, Sixti IV. Papæ fratris, ac *Theodoræ Manerola* honeſtiſſimæ fæminæ legitimè naſcitur Anno 1443. duos habuit fratres, *Bartholomæum*, qui inter fratres Minores ſacris initiatus, à Sixto IV. fuit Ferrarienſi Archiepiſcopatu, & Antiochæno Patriarchatu donatus; ac *Ioannem* Guidonis Vbaldi Vrbinatium Ducis, tunc viventis, & *Iulii Ruverei* Cardinalis Vrbinatis avum, Principem Soræ, Senogalliæ, & Vrbis Præfectum. Ex Epiſcopo Carpentoratenſi Cardinalem S. Petri ad Vincula creavit Sixtus 18. Kal Ianuar. Anno 1471. deindè Epiſcopum Albanum, & ex Sabino Hoſtienſem, ac maiorem Pænitentiarium. Nec tamen tam vario,& excellente dignitatis acceſſu mutata eſt in eo integritas morum, vel ingenii ſuavitas.

Legationes. 2. *Ter legatus.* Legationum ſuarum exordium, obſidio Tiferni fuit,ſed infelix(teſte *Papienſi* ep. 576. An. 1474. *Nicolaus* namquè *Vitellius* Tiferni tyrannus, *Ferdinandi* Regis Neapol. (qui cum eo clam conſpirabat in Sixtum) fultus auxiliis, ſimulato obſequio, ita intra urbem legatum admiſit; ut is non præſidere ipſi, ſed in alieno præſidio eſſe videretur. *Vitellius* in conſpectum admiſſus legati, contumax adhuc & in ſpeciem victoris, nec in genua cecidit, nec ſupplex pænitentiam oſtendit; leni tantum capitis detectione, indicavit ibi eſſe Romanæ Eccleſiæ legatum. Conſpirabat occultè *Iulianus* cum *Frederico* Vrbini Duce,ut *Friderici* filiam elocaret *Ioanni* nepoti ſuo. Verùm nè puella è principe nata, principatu carèret,à Sixto Papa impetravit *Iulianus*, ut Senogallię ac Mondanii dominum crearet nepotẽ, *adverſantibus primò Cardinalibus, qui poſtremò in Pontificis venere ſententiam, eius auctoritate, & precibus Iuliani Cardinalis permoti.* Papienſis *ep.* 577.579. Adhuc Cardinalis nepotem auget bonis Eccleſię Cæpit tunc Eccleſia Rectores ſuos proprio augere detrimento. Secunda eius legatio Anno 1476.cum

captà à Turcis Caffà Iannuenſium urbe, ad Gallos legatus eſt, ut *Ludovicum*, ac Gallos principes in Turcas excitaret. Ampliſſimis cum *Sixtus* inſtruxit mandatis, atquè Præfecturà exornavit Avenionenſi: licet ob diſſidia Regis *Ludovici* cum Duce *Renato*, in Gallorum poteſtatem Avenione redactà, præter in Galliis acceptos honores, nullum eorũ, ob quę miſſus fuerat, ad votum *Iulianus* perduxerit. *Fapien. ep. 66* a. Ex Galliá reverſus, contrà repentinos Turcarũm incurſus, Lauretanam ædem excitatis propugnaculis communivit: teſte *Turſellino Hiſtor. Laur. l. 2. c. 4.* Anno 1480, iterum in Galliam miſſus à *Sixto*, ad reconciliandos *Ludovicum* Francorum Regem, atquè *Maximilianum* Auſtriæ Ducem, ut iunctis armis Turcæ ſe opponerent irruenti; *Iulianus* nil prætermiſit, ut voto frueretur, & quamvis *Maximiliano* inviſus, abſolvit tamen, ut hinc inde convenirent legari. Vſquè ad annum 1482, in Galliis Iulianus fuit, reverſus Cardinalem *Balvam* (qui tot annis iuſſu *Ludovici* Regis, reus proditionis in carcere aſſervabatur) ſecum adduxit, ut refert M. S. diarium Romanũ, quòd Bibliotheca Vaticana cuſtodit *n.* 3. Eo autem tempore cum rediiſſet *Iulianus*, quo Vmbriam tumultuantem Gibellini miſcebant, & Guelphi. Tudertum, Spoletum, Tiſernum forti manu vindicavit Eccleſiæ. *In itinere* (teſte Platinà in Vità M. S. Sixti IV.) *multa civitates gratulabunda ob victoriam adeptam obviam facta munera, & quidem præclara ei obtulere, qua Iulianus non ſuperbià motus, ſed quòd virum Eccleſiaſticũ minimè decerent, vel conſtanter reiecit, vel ad pios uſus tranſtulit, utpotè ad templa, cœnobiaquè reſtituenda.* Hæc porrò minimè cohærere videntur iis, quæ de eodem Iuliano leguntur (quum

Munera ſpernit.

3. *Innocentium* Papam dixit apud Raynaldum, in Indice libri An. 1484. licet in corpore libri prætermiſſa (ignotà causà omiſſionis) Mortuo ſcilicet Sixto, cum Cardinali S. Marci undecim vota ſuffragarentur; Iulianus Cardinalis S. Petri ad vincula obtulit ſe ei daturum alias tres voces, ſi promittere vellet domum ſuam Cardinali Aragonenſi, filio Regis Ferdinandi. Sed Cardinalis S. Marci reſpondit, ſe hoc minimè facturum, quia non foret canonicè electus: & quia domus ſua pręiudicabat caſtro S. Angeli, ex quà facile *Ferdinandus* irrumpere poſſet, & Vrbem occupare totius Orbis detrimento. Indignatus *Iulianus*, nocte perquiſitis Cardinalibus ac muneribus delinitis, maiorem partem eorum conciliavit *Io: Bap. Cibo* Cardinali Melphitenſi, quem Papam dixere nomine *Innocentii VIII.* inſciis patribus veteranis. Hæc omnia habes in *Indice* ſupracitato, licet in corpore libri abraſa non legantur. Tantum apud Innocentium *Iulianus* valuit, ut toto illo Pontificatu cuncta ad *Iuliani* nutum regerentur. Ipſe propulſatis Vrſinis, qui cum militibus *Ferdinandi* Regis Neapolim Vrbem invadere tentabant, Gallos in Italiam evocavit ad recuperandum regnum Neapol. quem Andegavenſium iure ſibi aſſerebant (*Comineus l. 7. c. 1.*) Genuæ claſsem inſtruxit, ut opem Pontifici ferret oppreſſo. Anno ſequenti, qui fuit Sal. 1487. in Picænum miſſus adverſùs *Bucolinum* hominẽ perditiſſimum (qui occupato *Auximo* Turcas evocaverat in ſubſidium, pactus cum eis unius ſemeſtris flexu univerſum Picænum Othomanico ſubacturum imperio) partim vi, partim blanditiis rebellem ſeduxit, militari pactione oppidum Eccleſię reſtituere, ſummo *Innocentii* plauſu, quò vivente *Iulianus* claves adminiſtravit.

Iulianus cur Cardinalem S. Marci non dixerit Papam

Regnãte Innocentio Iulianus prævalet.

Claſſem inſtruit gratia Pontificis. Bucolinum flectit.

Mortuo *Innocentio*, cum plures Cardinales *Borgia* ſuffragia vendidiſſent; ſcelus *Iulianus* abhorrens, celebrandum clamavit Concilium, ad erigendam Eccleſiam à ſimoniacis conculcatam, teſte *Infiſſurà* apud Raynaldum *An.* 1492. *n.* 25. Anno tandem 1495. unà cum aliis Cardinalibus, qui in Gallias aufugerant à tyrannide *Alexandri*, cum apud *Carolum* Gallorum Regem contenderet *Alexãdrum* ut ſimoniacum armis opprimendum, ſpretis Rex factioſis Cardinalium conſiliis, ipſis inconſultis fœdus pepigit cum *Alexandro*, rutiùs credens, unà cum aliis Chriſti fidelibus morbidum potiùs Eccleſiæ caput tolerare, quàm ſi cum Eccleſiæ diſcrimine amputare niteretur. Compoſuere etiam Cardinales diſſidia ſua, ſed leges fœderis *Borgia* dictavit, cuius inſidias vix *Iulianus* aufugit, qui ſpecie pacis in vincula alliciebatur]. In Galliis itaquè exulavit, ita inviſus

Alexandri VI Iulianus ſ abhorret.

4. *Alexandro*, ut moriens rogaverit Cardinales, caverent omnino, Pontificatum deferre Iuliano. *Ciacon. Raynaldus.* Hinc Kal. Novemb. electus, die 6. Kal. Decemb. coronatus, pſalmum illum aſſumpſit in ſymbolum, *Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* Si enim ad Pontificatum Cæli trahebant, non poterat reſiſtere homo. Imperantis etiã maieſtatem procero, ac venerabili corpore natura prædixerat, ipſe arte fovebat; contra namquè morem antèceſſorum ſuorum, barbam alebat, non ut terribilior, ſed ut venerabilior appareret.

Iulii II. ſymbolum.

Cur barbam aleret.

5. *Solij.* Præter namq; ordinem, novoq; exemplo, etiam antequàm Cõclave ingrederetur, de Pontificatu ſecurus, amicis, famà, opibus præpotens, tot Cardinalium vota ſibi conciliaverat, ut reliqui contradicere non audentes, ad plauſum potius pergerẽt, quàm ad ſuffragium. Conclave itaq; ingreſſis Cardinalibus triginta octo, primà nocte eligitur qui quàm magna ſpiraret, in ipſo Pontificatus veſtibulo ſignificaturus, *Iulius* huius nominis *Secundus* appellari voluit. *Indè autem* (teſte Guicciardino ac Maſſonio) *non leviter quiſquè animo conſternari, quòd in talem Pontificem conſenſiſſent; quem omnes moroſiſſimũ, intolerabilem, truculentum, & quietis neſcient impatientem, quiſquè in eximios quoſquè viros immanes iam inimicitias exercuiſſet. Ex adverſo regimen antiquiſſimum ſub Sixto, animi magnitudo, quà cunctis antecibat, amici, clientela, atquè neceſſitudines, fama, amor, tutela libertatis Eccleſiaſtica eum reliquis prætulere, ut ſolium ſcanderet. Præcipuum etiam illi adiumentum, quòd Cardinalibus, Principibus, Baronibus, & cæteris, qui id negotii promovere poterant, ingentia promiſerat, quidquid peterent, nihil denegare ratus. Adde & pecuniam, & beneficia dignitateſquè Eccleſiaſticas profusè elargitum, tùm ſuas, tùm alienas; quia qua erat de eius liberalitate opinio, multi ſponté ad eum accurrebant, qua poſſidebant oblaturi ut ſuis nominibus, nominibus, officiis, beneficiis pro libitu uteretur, nec advertebat quiſquam plura ipſũ pollicitũ, quàm Papatũ adeptus, præſtare aut poſſet, aut deberet; quippe tũ integer, & veridicus pridẽ habitus, ut Alexander, licet eius hoſtis infeſtiſſimus, & omnia in eo vituperare ſolitus, hanc in eo virtutem agnoſceret, quòd promiſſa non falleret. Hanc laudem porrò maculare non horruit, ut infulas adipiſceretur Papales. Optimè namquè noſcens, neminem faciliùs fallere, quàm*

Papa eligitur

Cur Iulius dictus.

Animi dotes.

Nunquàm periurus.

qui

qui nunquàm fefelliſſe creditur; promittere non erubuit, quæ nō adimplere cogitabat. Conſonar Belearius *l. 9. n.* 45. Competitores habuit *Bernardinum Carvaialium*, qui diſsidentibus inter ſe patribus, parum abfuit, quin Pontifex diceretur. Eo autem repulſam ferente, *Georgius Amboſius Cardin. Rhotomagen.* ſtudioſus Valentini Borgiæ, (Is mortuu *Pio III.* cum è carcere ſe ſubduxiſſet, Cardinales Hiſpanos clientes ſuo ſolemni ſacramento iurare coegerat, teſte *Panvinio*, nonniſi ſtudioſum Borgiæ familiæ ſuffragio adiuturos) proponitur: *Aſcanio* autem *Sfortià* reluctante (qui ob turbidum Iuliani animum ad patriam recuperandam meditabatur) facile cecidit Rhotomagenſis, ac *Iulianus* omnium ſuffragiis Pontifex eligitur. *Valentinus* ipſe illectus *Iuliani* promiſſis, qui *Franciſco Maria Ruvereo* nepoti ſuo nubere promiſerat *Valentini* filiam, amiſſas Flaminiæ urbes reſtituere, ac exercitus Pontificii Ducem creare; ſuaſit Hiſpanis, in Iulianum convenire. *Guicciar.* Hiſpani cum tanti non eſſent, ut eius electionem impedirent, ſibi conciliandum potiùs, quàm irritandum iudicarunt, impleto Malachiæ vaticinio, *Fructus Iovis iuvabit.* Quercum enim (quæ eſt arbor Iovis) ferebat in ſtemmate. *Iuvabit* prædicitur, quia plures civitates, & Principatus Eccleſiæ vindicavit Romanę. Ante eius electionem nonnullas cum cæteris Cardinalibus leges firmavit, quibus iureiurando Pontificem devincirent, ut in Turcas Chriſtianam tueretur Rempublicam, Concilium biennali flexu congregaret æcumenicum, negoria maiora cum ſacro conferret ſenatu; quas electus *Iulius* nuvo ſacramento firmavit, ſed non ſervavit. Ianuenſes auditâ *Iulii* electione duodecim miſere oratores, qui lętitiam declararent communem. Fuere *Stephanus Vivaldus, Io: Ambroſius Fliscus, Petrus Spinola, Ambroſius Lomellinus, Dominicus Adurnius, Coſmus Terbus, Hieron. Salvus, Petrus Saulus, Auguſtin. Ferrarius, Auguſtinus Grimaldus, Hieron. Auria, Gabriel Fornarius.* Lucenſis Reipublicæ orator Nicolaus Tigrinus orationem habuit in Conſiſtorio: ſic Eraſmus Vitellius orator Regis Polonię *Bzzar. Hiſtor. Iannen.* Ludovic. à S. Carolo *in Biblioth. Pont.* Venere etiam hoc Anno Sal. 1503. Anglorum oratores ad obedientiam Pio III. præſtandam, eamq. ritu ſolemni, *Iulio* in *Pii* locum ſubrogato detulerunt, rogantes, ut leges affinitatis in primo gradu (quibus *Henricus* Regis filius, & *Catharina* filia *Ferdinandi* Hiſpaniarum Regis, antea *Arturo* fratris *Henrici* nupta, eo iam defuncto) Apoſtolicà ſolveret auctoritate, ut licitè poſſent matrimonio iungi. Diſpenſavit *Iulius*: licet poſteà Henricus impudico amore bacchatus fętidi ſcorti *Annæ Bolanæ*, coniugium cauſatus contra leges Chriſtianas temerè contractum, ipſemet contempto Pontifice reſcindens, Angliam exitiabili ſchiſmate ab Eccleſià divulſerit Romanà.

Vaticinium de eius Pótificatu.

Legationes ad Iulium II.

Diſpēſat cū Henrico Anglo.

6. *Vocatū à Deo probant Sancti*, inter quos S. Franciſcus Paulanus, religioſi ſodalitii Minimorum conditor, divino illuſtratus lumine ſummum Eccleſiæ paſtorem futurum prædixit. *Raynaldus* Ann. 1503. n. 10. *Brietius*. Initium Iuliani Pontificatus celebre fecit pax Italiæ reddita univerſæ, Gallis regno depulſis Neapolitano: eujus cauſa, eorum in proſperis ſolita fiducia, & Gonſalvi ſumma virtus, atquè conſtantia, de regno dividendo cùm *Ludovicus* Rex Galliæ, & *Ferdinandus* Hiſpaniæ conſilia miſcerent. *Gonſalvus* ſapienter diſcuſſit victoria Calabra, & Ciriniola, quę Neapolim dedit Hiſpanis. Amiſsà Neapoli, Franci ſe recepere Caietam, quam ſtatim Hiſpani terrà, mariquè obſedere. Huic urbi ſubvenire conatus eſt modis omnibus *Ludovicus*, ſub Ducibus *Tremollio*, & *Franciſco Gonzagà* Mantuano: ſed cum *Tremollius* obiiſset; *Franciſcus* circa Romam hęſiſſet diutiùs ut Pontificatum Cardinali *Amboſiano* procuraret, datum eſt tempùs *Gonſalvo* copias colligendi. Exinde cum *Mantuanus* improſperè pugnans à Francis contemptus eſset, & huic ſuffectus *Marchio Saluciarum* ſe tanto oneri imparem minùs oſtendiſſet, Franci Hiſpanà virtute deleti 6. Kal. Ian. Caietà deditâ, turpiùs regno eiiciuntur, quam glorioſiùs intraverant. *Sabellicus.* Nummus conſonat Anno 1. Iulii percuſsus Pontificatus, quo pax Orbi terrarum per trirennium conciliata fuit, quæ per puellam cū oleæ ramo, dextram fortunæ Orbis terrarum præbentē deſignatur ſub lemmate *Iuſtitia Pacis Fideiq. Recuperator.*

Infortunia Borgiæ

7 *Iulius contra Cæſarem.* Vbi in mole Hadriani velut in aſyllum *Valentinum* diſſipatis copiis fama vulgavit: varię civitates, quę conſtantes hactenùs in fide fuerant, de auxilio deſperantes, ad dominos redierunt antiquos. Cæſena ad Pontificem. Imola, cęſo à civibus arcis præfecto, nutabat, an *Riarios* revocaret. Forum Livii *Antonium Ordelaphum*, adjuvantibus Florentinis intromiſit, Piſaurum *Ioannem Sfortiam*: Ariminum *Pandulphum Malateſtam*. Quem poſtea *Dionyſius Naldus* Valentini centurio iterum expulit, urbemquè in fide *Valentini* continuit. Faventia poſt longa diſſidia *Aſtorrem Manfredum* advocavit. Valentino duntaxat Cęſenæ, Fori Livii, Fori Pompilii, Bretenorii arces ſupererant, quas apud Iulium, fide de reſtituendis acceptà, deponere voluit. *Iulius* ne cupidine videretur illectus imperii, vel priſtinæ ſynceritatis memor accipere recuſavit. Poſtremò, ut Venetis (qui plures Flaminiæ urbes vel deditione, vel pretio ſibi paraverant) ſe ſe aliquo modo opponeret, cum *Valentino* (interpoſità etiam Cardinalitii Senatus fide) egit: ut is Spetiam, indè Ferrarià Imolam trajiceret, quò centum, & quinquaginta equites, qui adhuc *Valentini* ſigna ſequebantur, convenirent. *Valentino* Oſtiam progreſso, ut indè Spetiā navigaret, *Iulium* arcium non acceptarum pœnitens. *Volaterranum*, *ac Surrentinum* Cardinales Oſtiam miſit, qui *Valentino* perſuaderent arces deponere, ne Veneti auxilio deſtitutas invaderent. Quòd cum recuſaſſet *Valentinus*, hominem è navibus retractum, ſpetie criminis, quo plures Cardinales veneno ſuſtuliſſet, in Vaticanum deduxere, Romanis crudeliſſimum tyrannum in cuſtodiam traditum gaudentibus. *Iulius* autem ne arcium præfecti de domini ſui ſalute deſperantes, eaſdem Venetis pretio adiicerent, *Valentinum* humaniſſimè excipiens, eò ſuis adduxit blanditiis, donec arcium compos fuit, exceptà tamen arce Fori Livii, quæ *Valentini* aſtu adhuc renebatur. Is enim præfecto clandeſtinè ſuggeſſerat, ne ullis imperiis ſuis, quæ ſimulata tantùm, atq. extorta forent, ad deditionem ſe pateretur adduci. Cardinalis verò S. Crucis, qui Hiſpanam factionem Eccleſiæ præferebat, cùm a *Iulio* Papa *Valentinum* in cuſtodiam accepiſſet, donec arx Forliviensis reſtitu-

Carcerі datur.

ta

ta eſſet, dimiſit, nec Pontificiis triremibus in Gallias deportandum impoſuit, ſed Neapolim ire itinere permiſit terreſtri. Dimiſſus mox auro ad Forlivienſem præfectum tranſmiſſo, in perduellione adverſus Eccleſiam confirmavit. Deluſus Pontifex, literas dedit querelis plenas ad *Ferdinandum*, & *Iſabellam* Hiſpaniarum Reges, in *Gondiſalvum* Proregem Neapolit. qui *Valentinum* honorificentiſſimè exceperat, atquè ad excitandas turbas in Italiâ juvabat. His moti Reges, imperiâ *Gundiſalvo* dedere, ut *Valentinum* vinctum mitteret in Hiſpaniam; Paruit *Gundiſalvus*, negans ſubſiſtere datam fidem contra Principis mandata. *Valentinus* per triennium carcere maceratus Hiſpano, laxatus tandem cùm in Navarram ſe contuliſſet, brevi in regiis caſtris occiſus, & veluti miles ſpoliatus gregatius, miſerè periit. *Guicciardinus*. *Belcarius*.

Borgiæ cædes.

8. *Vrſini*, *Columna* Quercu ſulciti Iulianâ non ſolùm recepere ſua, ſed aliena. Nam poſtquàm ab exilio Columnios in patriam revocavit Iulius, *Iordani Vrſino* filiam ſuam nomine *Felicem* quàm antè Pontificatum ſuſceperat, in matrimonium locavit: *Antonio Columnę Lucretiam* ſororis *Luchina* filiam, donoquè dedit dotis titulo *Fraſcatum* oppidum in agro Tuſculano percelebre, olim villam *Lucii Luculli*: ædeſq; magnificas, præaltaq; turre inſignes ad Apoſtolorum templum ſub Quirinali, quas ipſe in minore fortunâ conſtruxerat. *Ciaconius*, Sic Anno 1504. cum Ducatus Vrbini ad Romanam Eccleſiam poſt *Guidonis Vbaldi* prole carentis obitum recaſurus eſſet, curavit *Iulius* ut *Franciſcus Maria Roboreus* urbis præfectus à *Guidone* adoptaretur in filium, quam adoptionem mox confirmavit collato jure in ſucceſſionē principatus. Cumq. legibus cautum eſſet, ut Cardinalium poſceretur conſenſus, illiquè alienare Eccleſiæ jura negarent, *Iulius* leges convulſit contrarias, mille tamen trecentorum, & quadraginta aureorum annuo impoſito vectigali, ut ex *l. a. Bull. ſecret. p.* 263. Nec adhuc contentus, quaſi ſatis carni non ſatisfeciſſet, & ſanguini, moriens vicarium dixit perpetuum civitatis Piſaurienſis, Cardinales rogans ut ratam haberent inveſtituram, qui omnes reſponderunt, per verbum *Placet*, teſte Paride de Graſſis apud Raynaldum *An.* 1513. *n.* 8.

Conſanguineos exaltat.

Peruſium & Bononiam recuperat.

9. *Bononiam* Peruſium cum *Pauli Balionii*, Bononiam *Ioannis Bentivoli*, tyrannis præmeret obſequio obliterato Romano; in utrumquè Iulius Anno 1506. deſcendens ſtipatus armatis 500. adventu ſuo adeò *Balionum* exterruit, ut illicò ad deditionem coegerit. Vrbem ovans ſed inermis ingreſſus, in ædem S. Frãciſci rem divinam ſolemniter peragi juſsit ad ſolvendas numini grates; quòd ex humili ſtatu (Peruſii namquè juvenis literis operam dederat) ipſum ad auguſtiſsimum rerum humanarum verticem extuliſſet. Felicior potius quàm prudentior fuit expeditio; nam Pontificem, omnemquè curiam vincire potuiſſet Balionus (teſte *Guicciardino lib.* 7.) ni perfidiam oblitus, fidem ſervaſſet, quam ignorabat. Vrbinum poſtea ingrediente, honoris ergò portæ urbis dimotæ ſunt cardinibus ſuis. Paucorum dierum flexu cùm Gallorum copias, quæ ad decem millia peditum, & mille equites haſtatos aſcendere dicebantur, Bononiam ſigna attollere accepiſſet, die 10. Octobris in Bononienſes vulgato edicto, quo poſt enumerata *Io: Bentivoli* ſcelera, fortunarum everſionem, anathema indixit, niſi novem dierum ſpatio, ejecto *Bentivolo* ad Eccleſiam redirent. XVII. Octob. Imolam venit per Apenninum pedes ultra duo milliaria, ut Faventiam declinaret, quæ Venetis tenebatur armis. *Bentivoli* interim comparatis ad defenſionem armis, credentes ſub Regis Ludovici tutelà vivere, cùm acceperunt *Ciamonsem* adventare cum exercitu Gallico, convenerunt, ut deditâ urbe, ipſi cum bonis ſuis in tutum ſe reciperent. Die 10. Novemb. *Iulius* Bononiam ingreſſus inter tredecim arcus, quos erexerat populus, licet ob frementes circum mænia Gallorum copias, opum magnificentiam explicare non auderet. Vnuſquiſquè arcus in fronte titulum habuit, vel *Iulio Secundo Tyrannorum expulſori*: vel *Tranquillitatis largitori*: vel *Liberatori patriæ*; vel *Bononiâ à tyrannide liberatâ*. Conſonat Nummus (ut in tabulâ ſepulchrali.) percuſsus à Bononienſibus in honorem Iulii, in quo ſtemma gentilitium Pontificis, ſub titulo *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ut læti clamabant cives incruenta victoria extra mænia effuſi excepturi liberatorē ſuum die S. Martini, quē ævo perpetuo feſtum celebrandū decrevere, adiuncto currentium equorum ſpectaculo. Tentarunt Bentivoli Bononienſes ad defectionem excitare, preparato veneno, quo *Iuliū* tollerent (teſte *Cavitello hiſtor. Cremon.*) ſed detecto facinore, cives excubavere fideles.

Veneno tentatur.

Fides propagatur.

Reſpirare videbatur undiquè res Chriſtiana. Vſquè ad Indos Luſitanus terrorem intulerat. Indi, Arabes, Indico commertio prohibiti miſere ad *Campſonem* Sultanum Egypti An. 1505. claſſem poſcentes, quę noſtros arceſceret ab Indiâ. Cum autē in ſinu Arabico ligna deeſsent, arte uſus Ægyptius Minoritam præfectū ſacræ ædis in monte Sion miſit ad *Iulium* Romanum Pontificem, ut niſi Luſitanum prohiberet ab Indis, ſe Chriſtianorum multitudinem ſub ſuo contrucidaturum imperio, everſurum Chriſti ſepulchrum. Minas barbari contempſere Reges Oſorio teſte, immò geminatâ claſse Luſitanus irrepſit in Indiam, ubiquè victor, & populabundus erigens vexilla Crucis. Anno poſtea 1508. Campſonem inſtructâ claſse ex ſinu erumpentem Arabico Rhodii equites adorti, novē navibus merſis, ſex captis fugarunt. Eodem Anno cum Sarraceni oras infeſtarent Italicas, ac prope Oſtiam in litore Romano duas triremes, duaſquè naves maiores intercepiſsent; *Iulius* ad prohibēdam infidelium pyraticam, portu Centumcellæ reparato, extructâ arce (cuius primum lapidem ſacravit Pontifex, miſsis in fundo nummiſmatibus, quorum in altero legebatur *Portus Centum Cellæ*: in altero *Centum Cella* ut in eo ſtatione navali tutò rates agerent. Tantis ſucceſsibus elatus *Iulius* contra

Bellum in Venetos.

10. *Venetos* cœpit ſeriò arma meditari. Hiſtoria nobis occurit plena periculis. Bellum memoro Iulii Rom. Pontiſ. adverſùs patriam meam. Pro hac amor, pro illo timor, obſequium, religio. Vndiq; anguſtiæ, ubiq; corruptæ veritatis ſuſpicio. Ab hoc tamen metu liberabit me *Petrus Bembus*, patricius Venetus, Cardinalis S. R. E. qui pari vinculo patri obſtrictus, ac patriæ, fidem vindicat, laudet, vel vituperet. Regnante itaq; *Pio III.* cum Veneti agrum Ariminenſem, Faventinum, Foriq; Cornelii in de-

di-

ditionem accepiſſent, ſe ultrò dedentibus oppidanis qui *Valentini Borgia* tyrannidem reſpuebant; Pio mortuo, ſtudia ſua contulere Veneti, ut *Iulius* ſucceſſor daretur. Hinc *Antonium Iuſtinianum* ad ſe gratulatum, venientem hilariter complexus Pontifex, omnia ſe Reipublicę debere profeſſus, *Nil eſt* (inquit) *quòd de me Senatus polliceri non poſſit*. Cumquè Iuſtiniano de *Cæſare Borgia* ſermo inſtitutus eſſet, quē nonnulli prædicabāt à *Iulio* defenſum iri: legato *Iulius* fidem fecit, ſe potiùs cupere, ut *Borgia* expoliaretur Flaminià Reſponſum hoc adeò Venetis gratum fuit, ut octo legatos (quòd antè hanc diem nunquàm acciderat) *Iulio* licet natione extraneo protinùs gratulatum deſtinaverint. Incubabant interim Faventię per duces ſuos non tam Veneti, quàm Florentini, qui cum prævalere haud poſſent, interprete Franciſco Soderino cive ſuo Cardinale, Pontifici Venetos in ſuſpicionem adduxerunt, imperio inhiare totius Italiæ eà libidine, ut nunquàm uſurpata reſtituant. Horum certior *Iuſtinianus*, Iulium adiit, rogans, nè calumniatoribus aures præberet: Reſpondit Pontifex nec credidiſſe, nec crediturum; Venetam amare Rempublicam, quòd amaretur: gaudere, quòd à pluribus Venetus diceretur, non Lygur. Cupere tamen; ut quæ ante tyrannidem Borgiæ, poſſidebant Romani, eiſdem reſtituerentur. Inter hęc *Pandulphus Malateſta* cum Ariminenſibus parum gratus urbem diù poſſidere deſperaret, Ariminum Venetis eà conditione tradidit, ut ei ac poſteris civitas cum iure Comitiorum daretur, Cittadella (oppidum eſt in finibus Patavii) donaretur cum præfecturà militum, uxori, ac fratri Carolo quinque auri libræ: alteri ex liberis ſacerdotia uberiora. Eodem tempore Faventini etiam in deditionem venerant: quòd cum accepiſſet Senatus, ne *Iulium* ad iracundiam excitarent, S. C. factum, *ne oppidorum Cæſaris amplius à legatis reciperetur: ſatis in Arimino, atquè Faventià*. Paulò poſt cum palam diceretur Cæſar (Iulio permittente, ad recuperandam Flaminiam reverſurus, proximo S. C. reſciſſo, mandarunt Patres, ut milites iterum in *Borgiæ* ditionem irruerent. Quo factum ut Meldula in agro Ariminenſi, Toſſinianſi in Foro Corneli enſi in poteſtatem venerint Reipublicæ. Rediit poſt hęc *Angelus Ep. Tiburtinus* (Alexandri legatus is aliquot annos apud Rempublicam fuerat) Venetias *Iulii* nomine *Faventiam* repoſcens & *Ariminum*: rogare etiam ut ad reliqua recuperanda juvarent. Patres queſti non eſſe hoc, quòd ob ſuam in *Iulium* pietatem, expectarent, ad Senatum referunt, qui legato reſpondendum cenſuit: *Ariminum & Faventiam tyranno eripuiſſe Rempublicam crudeliſſimo, Iulio ipſo (antequàm Pontifex fieret) hortante, facto autem permittente, atquè aſſentiente: Reliqua Borgiæ occupare potuiſſe, & noluiſſe. Horum oppidorum ſe vicarium velle exercere poteſtatem, ut veteres faciebant coloni: quo titulo nil iuris amittebant Romani. Ad reliqua recuperanda, viribus uteretur Reſpublica tanquàm ſuis.* Hęc reſponſi lex. Idoneam excuſationem cum *Iulius* afferre non poſſet, negabat ſe teneri ad ea, quæ nō Pontifex dixiſſet. Annus interim labitur; ac primà inſequentis die Anno 1504. *Iuſtinianus* appoſità oratione *Iulium* aggreſſus, rogavit, ut quoniam eà die clientibus, atquè amicis dari munera conſueviſſent, ipſe dono Ariminum daret

Legatio Venetorū magnifica.

Iulius gloriatur, quòd Venetus diceretur.

Subditos Borgiæ Veneti in tutelam accipere renuunt.

Iulius repetit Faventiam & Ariminum.

Atquè Faventiam, quo vellet titulo. Subridens *Iulius* reſpondit, ageret ipſe, ut Reſpublica *Toſſinianum* poſtremò captum antè omnia reſtitueret, poſtea Ariminum peteret atq; Faventiam, fortaſſe aliquid impetraturus. *Iulii* ſermone ad Senatum perlato dum Venetijs conſulitur, reſq; Magiſtratuum altercatione ex die in diem reiicitur, en literæ Iulii, quibus ſpes omnis adimitur pacis, niſi ablata reſtituantur. Id ni fecerint, Deos ſe & homines in auxilium vocaturum minatur, Reverà *Aloyſium* Gallorum Regem, ac Cæſarem *Maximilianum* ſollicitare cæpit per nuncios, ut arma pararet in Venetos. Excuſabant ſe Veneti apud Reges, oppida illa *Iulio* auctore occupaſſe, qui modò in augmentum familię totus intentus (*Guidus* enim *Vbaldus* ſuadente Iulio *Franciſcum Mariam* ſororis ſuæ filium, Iulii nepotem ex fratre, Senogalliam poſſidens adoptaverat, eamq;
B adoptionem Iulius adprobaverat) Reipublicæ negaret, quòd conſanguineis facile concedebat. Non hæc tamen ſatis, quin Cæſar *Maximil.* atq; *Aloyſius* Rex Gallorum urgerent Rempublicam ad reſtituenda Ariminum, atq; Faventiam. Querelas cùm augerent Ceſenates, Forlivienſes, aliiq; contermini, quòd à Venetis magnà agri parte expoliati rerum omnium præmerentur inopià: *Iulius* obtulit, ſi fines illos Senatus reſtitueret; de Faventià, atq; Arimino ſe deinceps minimè verba facturum. Annuit Senatus ac decem oppida minora cum finibus reſtituit, in quibus Ceſenę portus, Savinianum, Toſſinianum, Archangelianum. Hæc cum Iulius Collegio retuliſſet, eſt ab omnibus laudatus, quòd ſe ad concordiam cum Senatu dediſſet. Vnus Soderinus addidit, eo ſe magis illum laudare, quòd & Ariminum atquè Faventiam ab eo brevi recupe-
C ratum iri confidebat. Legatio poſteà miſſa Senatu, quam ſubiere præſtantiſſimi Patres *Bernardus Bembus, Paulus Piſanus, Hieronymus Donatus, Nicolaus Foſcarenus, Andreas Venerius, Andreas Grittus, Leonar. Mocenicus, Dominicus Triviſanus*. Diſcordia cum ita crederetur compoſita, en Anno 1506. è Gallia literæ Regis Aloyſii, quæ Iulii literas ad Senatum afferebant, quibus Reipublicę facultas dabatur, retinendi Ariminum atquè Faventiam, quoad *Iulius* viveret. Eas literas *Iulius* ad Regem miſerat, quo maior auctoritas intercederet apud Senatum, cui literis minus dabat, quàm pactus erat, ac legato *Iuſtiniano* ſuamet oratione firmaverat. Indignati Patres ob Iulii inconſtantiam, *literas Iulianas non eſſe accipiendas* decrevere. Recurrebāt interim Maximiliani Cæſaris adverſus Venetos nova diffidia, eà ſola causà ut Ve-
D netos à Gallico fædere abſtraheret, quòd ſanctè colebant. In Carnis conflictum magno Cæſaris detrimento: ne ultrò progrederetur, reſtitère induciæ pactæ Gallico ſciente Legato; licet *Ludovicus* Rex, qui nova moliebatur, graviter poſtea quereretur, nullà ſui recordatione Venetos cum Cęſare tranſegiſſe. Hæc una parvi momenti cauſa, quærenti novitates oblata eſt; ruptiſquè indignè fæderum ac amicitiæ vinculis, primò cum Rege *Ferdinando* in Lyguria de invadendà Venetà Rep. conſilia iniit: poſtremò ſollicitatis reliquis Italiæ, ac fermè totius Europæ Principibus, Cameracenſem illam conflavit tempeſtatem, quà omninò Reſpublica crederetur debilitanda. Belli cauſæ hæ publicatæ. Pontifex imputabat,

Leges Iulius ſollicitat in Venetos.

Iulius deficit promiſſis.

Gallorum conſilia in Venetos.

Cameracenſe fędus in Venetos.



Querelę Principum in Venetos.

bat, quòd Ariminum, Faventiam, aliaquè in Flaminia ſedis oppida Romanæ occuparent: querebatur *Maximilianus*,ſe potiſſimum Veronâ, ac Patavio nefariè ſpoliatum: ægrè ferebat Gallus Cremonam Mediolano detractam: Hiſpanus expilatum regnum Neapolitanum, ob urbes maritimas ab Arragoniis Veneto oppignoratas. Cameracenſi quoquè vinculo devinciebantur Ferrarienſes, & Mantuani principes, ut oppida redimerent, quę in agro Mantuano & Ferrarienſi tenebat Reſpublica. Dux etiam Allobrogum ob Cyprium regnum coniuraverat, necnon Britanniarum, ac Pannoniæ Reges, ut nullus propemodum in Europâ extaret, qui contra Venetos non ſentiret, ac pari ardore conclamarent priùs Venetos debellandos,quàm infideles. Hoc fuco *Maximilianus* Reges diplomate ſuo in Venetos excitabat. Pontifex violatæ juriſdictionis accuſabat, quòd beneficiorum collationes à Pontifice factas impedirent, nec poſſeſſionem darent, quàm ad libitum: Confugientes ad ſedem Apoſtolicam,quaſi reos læſæ Majeſtatis punirent: Literas Apoſtolicas executioni non darent: Clerum uſquè ad ſanguinem excoriarent: Tanto ſilentio hæc ſocietas per Legatos ſancita dicitur, ut cum demùm eius ſuſpicio emanaret, Venetiis non crederetur; mentiente Gallo, atquè amicitiam ſimulante cum Venetorum Legatis. Hinc nummus votiuus eiuſdem Pontificis, in quo tenebris caſtellum obducitur; ſed coruſcat ſerenâ luce Diana. Tenebras *Iulio* multas offundere credebãtur Ceſena, Forum Livii à Venetis occupata; ſed cum Regibus potentiſſimis inito fœdere, cœpit meliora præludere, undè epigraphes in nummiſmate; *Poſt tenebras ſpero lucem*. Tot inter hoſtes, ſolus Turca relictus ad arguendam Chriſtianorum perfidiam, & memor datę paeis non ſolùm fidem ſanctè ſervavit, ſed etiam indignè oppreſſis auxilia obtulit, reiecta tamen à Republicâ Chriſtianiſſimâ, quæ ex alto fortiora ſperabat. *Iulius* interim licet cupidus Arimino potiundi, & Faventiâ; Gallorum, Germanorumquè feralem Italis futurum ſuſpicatus advẽtum, Venetos opprimi inutile credens, *Cõſtantino Cominato* Epirotę mandavit,ut clàm *Ioannem Baduarium* Venetorum Romæ legatum de omnibus certiorem faceret, eâ cõditione,ut ſi Ariminum, atq. Faventiam Iulio reſtituerent, ipſe unà cum *Maximiliano* à Gallis declinaret. Conditione ad Decemviros prolatâ, nil reſcripſere Legato, quòd crederent *Maximilianum* adhuc poſſe divelli à Gallico fœdere. Accidit etiam,ut cum duo eſſent Romę Veneti Legati, *Io. Baduarius*, & *Georgius Piſanus* moroſi admodùm ingenii, eum *Iulio* Centumcellas petente Piſanus in comitatu fuit (Baduario Romæ ob valetudinem relicto) qui cum Pontifici de Flaminiâ alloqueretur, reſpondit *Iulius*: Quin tu cum Senatu agis, ut is aliquem ex ſuis civibus mihi proponat, cui ego Ariminum & Faventiã tradam Romanæ Reipublicæ nomine obtinenda, ac meum faciam ſtipendiarium? ità re oppida illa habebitis, & ego ad ſpeciem non amiſero. Cui Piſanus reſpondiſſe fertur; *non conſueviſſe Rempublicam, quempiam ex ſuâ civitate Regem facere*. Cuius rei nil Senatui ſcripſit, vel cum ſocio communicavit. Ita ſivè caſu, ſivè Dei immortalis voluntate, qui opibus florentem Rempublicam, famâ illuſtrem, auctoritate pollẽtem in finitimorũ Regum invidiam adduxerit, ut ex diverſis eius rebus hominem erudirent; quæ civitas quoquè imperium annos plus mille octoginta ſemper creviſſet, poſſe id unius diei ſpatio vehementer conteri, ac debilitari. Spe itaquè pacis depoſitâ, *Gallus* armis in Venetos, *Iulius* anathemate fulminat: illi ad futurum provocant Cõcilium, miſſis in Pannoniam ad Thomam Cardinalem Strigonienſem,ut iure Patriarchatus Conſtantinopolitani, cui præerat, Concilium cogeret; quare novâ excommunicatione perculſi, Gallo in eorum ditionem cum 40. millibus armatorum irrumpenti occurrere Veneti triginta millibus peditum,equitum ſex millibus, duce Nicolao Vrſino, & Bartholomæo Liviano. Ad *Girradadam* pugnatum, hoc eſt ad *Abduam* fluvium, Gallis amicâ fortunâ, vel Venetorum favente diſcordiâ: eum *Petilianus* morâ frangi Gallicum robur, *Livianus* verò celeri pugnâ crederet. Hac funeſtiſſimâ clade deſiderati optimi quiquè Duces (inter quos Livianus ipſe captivus ex vulnere amiſſo oculo) cæſa militum 10. millia, vaſtata caſtra, impedimenta direpta. Victoriæ fructum collegere Ludovicus, Pontifex, Maximilianus, Italiæ Principes, dum quiſquè urbes Venetis eripit, qui hac clade attriti, de relinquendis regionibus terreſtribus cogitabant, contenti maritimis. Prudentiſſimo propterea Senatus decreto omnes à præſtito iam fidei iuramento liberantur: ita temporis momento, terreſtri diſceſſit imperio, quod maiorum providentiâ iurègro ſæculo, maximis artibus, civitati omnium acerverat nobiliſſimæ. Ariminum, Ravennam, Cerviam accepit Papa. Veronam, Vincentiam, Patavium Cæſar. Brixiam, Cremonam, Piſcbariam Gallus; Apuliæ maritimas urbes Hiſpanus. Polefinum Alphonſus Dux Ferrarię. Romæ tribus diebus proceſſio inſtructa ſolemnis pro gratiarum actione, ſpe inani conceptâ ſuſcipiendæ in Turcas expeditionis. Tot calibus afflictâ Republicâ, Vtinum in foro Iulio, & Tarviſium in provinciâ noſtrâ plebeio ſtudio animatum Venetam fortunam ſequi voluit, etiam cum eius Libertas ſpiritum penè traheret extremum. Ravenna, Cervia, Ariminum, ac reliqua Flaminiæ oppida iuſſa ex S. C. ad Iulii redire poteſtatem; ſi miniſtri Pontificii tormenta permitterent aſportari. Omnia iſti promiſerunt, & nihil ſervarunt. Nam receptis municipiis, nec manumiſsi captivi, nec revocatum Interdictum, nequè tormenta reſtituta. Ea Iulii fides, ea pietas in eos ſupplices, qui paulò ante Romæ, ut is Pontifex fieret, omnes ſuas opes, ſtudia publicè contulerant. Immò cùm per Dominicum, & Marcum Cardinales Senatui ſignificaſſet; Si Legati Veneti Romam veniſſẽt, ſe interdictum remoturum ubi ad Vrbem appropinquarunt, mandavit, Romam noctu ingrederentur (Erat inter eos *Dominicus Triviſanus*, qui Senatui perſuaſerat Faventiam non reſtituendã) nullo obviante, nec ſacra miniſtrante. Iulius ſe Hoſtiam contulerat, ut interim in contemptu & ſqualore manerent diutiùs. Cùm autem ad urbem aliquot poſt dies rediiſſet; uno ex legatis *Hieronymo Donato* ad ſe evocato explanavit, urgere; *ut ad omnia Cameracenſis fœderis capita implenda Tarviſinam, Forumquè Iulii Reſpub. Maximiliano traderet: Iuri, quod in urbe Ferraria, quodquè in ſinu habet Adriaco* por-

Venetorum cædes.

Dominio ſpoliantur terreſtri.

Turca offert Venetis auxilia.

Piſanus Venetus Legatus.

portoris à navigantibus ſolvendi renunciaret, Sacerdotia non modò Provincialia, ſed etiam urbana Pontifici remitterent Romanos: in ipſum deliquiſſe faterentur, ac veniam peccati humillimè peterent: tunc ſe Interdictum remoturum: eorum ſi quid facere Senatus recuſaret, ſuas ſe copias Maximiliano traditurum, ut Rempublicam opprimat. Severitatem magnoperè iuvabant Gallorum Legati, qui Iulium urgebant, nè Venetos reconciliaret, dicentes: non aliter Pontificem reliquos moderaturum Principes, quàm ſi frenum Reipublicæ iniiceret ac vincula. His auditis cæpit Senatus fremere adversùs Iulium. *Laurentius Lauredanus*, Leonardi Principis filius clarà voce ad Turcas legatos mittere ſuadebat, qui iam auxilia obtulerat Reipublicæ. Mitiùs tamen agere decretum: atquè Patavium redimere, quod à Germanis torpori ac vino deditis minus cautè cuſtodiebatur. Arriſit fortuna, quæ prę pudore languenti Reipublicę ad priſtinum aſſequendum imperium, viam aperiebat. Ad Patavii recepti rumorem, plurima circum municipia Venetę dominationi ultrò adhęſerunt. Sub hęc Pontifex Venetorum victorias cum fucato pacis titulo morari haud poſſet; Maximilianus ipſe octoginta virorum millibus armatus Patavium oppugnaturus deſcendit, ſed in caſſum: nam quadrageſimo obſidionis die, re infectà ſublatis caſtris, Alpes tranſmiſit exercitu diſsipato. Promiſcuis inde bellorum ſucceſsibus alternabat fortuna, uſquè in annum 1510. quo Iulius odio in Venetos non nihil remiſso, haud ignarus quonam tenderent Gallorum arma, qui amœniſsimam Italiæ provinciam uſurpare nitebantur, *Hieronymo Donato* Venetorum legato aures præbere cæpit, ut contractis fœderibus, coniunc-
Iulii pax cũ Venetis — tiſquè armis, Italicæ proſpiceret libertati. Indictum itaquè primo Ferrarienſibus bellum, ſi deinceps rem Venetam infeſtaſſent. Novę huius reconciliationis, ac ſocietatis famam ægrè ferentes reliqui Principes fœderati, arctiùs ſe ſe uniunt, & ſe Pontificis quoquè hoſtes declarant.

11. *Italia Gallis cum ferè tota ceſsiſſet in ſpolium*; adversùs Pontificem *Ateſtini* tutelà ſuſceptà, primus omnium Rex claſſicum cecinit. Exambiverat iam ante Gallicam clientelam *Alphonſus* Dux Fer-
Cauſæ diſſidii inter Iulium, & Ducẽ Ferrariæ. — rariæ, eamquè vi auri ingenti coemerat, ſubveritus nimirum, ne *Iulius* repetendi iuris eccleſiaſtici ſtudioſiſſimus, illum everteret principatu, quem à maioribus vi, & fraude partum non ignorabat. Tenebat etiam nonnulla oppida, quæ Alex. VI. in collocandà nuptui filià ſpurià diſtraxerat. Succenſebat etiam eidem Duci Eccleſiæ Romanæ vectigali, quòd Ferrarienſe tributum penderet diminutum: Ferrarienſi portui novum impoſuiſſet vectigal ſal promercale non ſine damno ſupremi domini: centum aureos offerente *Alfonſo* tributi nomine repulit Iulius, negans *Alexandrum* in ſpurium eccleſiaſtica vectigalia transferre iure potuiſſe. Querebatur etiam adverſus *Ludovicum* Galliarum Regẽ, quòd auri fame maieſtatem læſiſſet Apoſtolicam, in clientelam accipiens fiduciarium Romanæ Eccleſiæ principem duoquè violaſſet fœdera, *Blegraſſi* alterum, & Cameraci, quibus cautum erat, ne quis alterius fœderati vectigales defendendos ſuſciperet. Interpretatus proptereà Gallorum in Italià potentiam exitialem futuram Eccleſiæ Romanæ, ad eam reprimendam ſe accinxit, junctà cum Venetis ſocietate. Priuſquàm tamen arma expediret, judiciariè agens, perfidiam obiecit, quà *Hercules Ateſtinus* uſus fuerat in *Sixtum* IV. cum ſe Florentinis iunxit adversùs ſedem Apoſtolicam: quà tamen diſſimulatà *Sixtus* ei contra Venetos Ferrariæ arma inferentes ſuppetias tulerat: cumquè, ut *Alfonſo Ateſtino* morem gereret, iura eccleſię Bononienſis abalienata iniquè fuiſſent ab *Alexandro VI.* id non modò toleratum, verum etiam vexilliferum Romanæ Eccleſię creatum, qui beneficia iniuria rependens, cum *Georgio Cardinale Rhotomagenſi* Pontificatum ambiente, vivo adhuc Pontifice conſpirans, ad Regem Gallorum defecerat, Salinas invaſerat Comaclenſes, admonitus monita cõtempſerat, auſus Pontificem ipſum in ius vocare apud Gallicum ſenatum, Bẽtivolis perduellibus ſubſidia mittere. Quapropter latà ſententià iubebat populos in eum conſurgere, Interdicto ſubiiciens loca, in quibus degeret, atquè ad Eccleſiam revolutum declarabat principatum. Hęc fuſiùs in *Bullà ſecret. pag. 137. l. 99.* Anathemate etiam notavit *Carolum Ambaſcianum, Galeatium, & M. Antonium Palavicinos, Theodorum, Georgium, & Alexandrum Trivultios, Baiardum, Fontraglium, Caſtilioneum, &* *Faventiam* regulos qui Gallorum exercitum Duci tranſmiſerant Ferrarienſi. Ipſe autem, ut Ferrarienſe bellum magis urgeret, Bononiam contendit ſed omine infelici: nam à Gallo Rege inſtigati tres Cardinales Galli *Guillelmus Ep. Praneſtinus Maclovienſis, Renaldus S. Vitalis Baiocenſis, Federicus S. Theodori Cardinalis Sanſeverinas* Ianuam aufugère cum duobus aliis Cardinalibus Hiſpanis, Bernardino Carvagiale, atquè Franciſco Borgià. Tentatus etiam fuit *Cardinalis Nannetenſis*, ſed vitę ſanctimonià clarus cenſuum Eccleſiaſticorum, quos in Gallià habebat ampliſſimos iacturam potiùs, & egeſtatem pati maluit, quàm à ſede divelli Apoſtolicà. Antequam Car- — Gallorum Cõciliabula.
dinales à *Iulio* deſciſcerent; Aurelię primũ, dein Turonis Gallus plura coegit cõciliabula, quibus ſedem convelleret Pontificiã. Aurelianenſes conventus ſuadebant, ut omiſſis nefariis in religionẽ conſiliis, armis de iure ſuo cum Pontifice decerneret. Turonenſium verò ſchiſmata fuere ſequentia, teſte Belcario.

1 *An Pontifici, ubi neq. de religione, nequè de Eccleſiæ fundis eſt controverſia, in Chriſtianum Principem bellum ſuſcipere liceat? negativè reſponderunt Præſules, viriquè eruditi qui aderant.*

2 *An laceſſito Principi vim vi repellere, nec ſuas ſolùm ſed Põtificias ditiones invadere liceat ad eius vim propulſandam, animo tamen reſtituendi bello finito. Bononiam intelligebant? licere cenſuerunt.*

3 *Cum Papa implacabili odio nulla cauſa Regem piũ regno ſpoliare impiùs contenderit; valeat Princeps priſtinum obſequium renuntiare, non tamen abſolutè, ſed quantum exigit tutela regni? fas eſſe pronuntiarant; ſervatis interim antiquis eccleſiæ decretis, præſertim concilii Baſilienſis.*

4 *An Regi pro fœderati reguli Ferrarienſis ditionibus pluſquàm centenariâ præſcriptione poſſeſsis liceat propugnare & vim propellere Pontificiam? licere.*

5 *Ferrariam fundum ſibi obnoxium vendicat, ac repetit Iulius: Iulio clientem niſi iuſtà de cauſà ſpoliare non lice-*

licere Ferrarienſis reſpondet, Iulium arbitrum adigit: ſi rem ad arbitros neutri ſuſpectos revocare recuſet Iulius, vim inferat, an Ferrarienſis ſua tueri, Ludovicus Rex pro fœderato propugnare iure poſſit? poſſe dixerunt.

7 *Quid ſi litem Romanis iudicibus permittet Iulius, iiquè Ferrariam Iulio addicant, an vero iudicio ſtare Ferrarienſis cogetur, præſertim quum Pontificios iudices merito reiiciat Ferrarienſis: & ut admittat, at Romam, qui ius ſuum perſequantur, mittere non audeat? nullo modo cogi reſponderunt.*

8 *Quid ſi Ferrarienſem regulum, ac cives, quiquè illis auxilio erant, Chriſtianorū cœtu Iulius exterminet? exterminationē nullā, prorſuſquè irritam pronuntiarunt.*

Tunc temporis, jubente Ludovico, cuſam fuiſſe in Galliâ monetam ſcribunt Heterodoxi, in cujus alterâ facie, *Perdā Babylonē*: aliàs *perdam Babylonis nomen.*

Neſariam hanc Gallorum conjurationem execratus *Ferdinandus* Rex Hiſpaniarum (teſte *Marianâ l.30.c.1.*) Cęſarem, qui auctore *Mathæo Langio* Epiſcopo Gurcenſi in partes Gallorum deſcenderat, diſtrahere meditabatur. Dum hæc agerentur; *Iulius* vitæ diſcrimen Bononiæ ſubiit, Gallo milite machinante, qui ibi cum Bentivolis conſpirabat: & niſi vectigalium dimidiâ parte remiſsâ populum ſibi providè conciliaſſet, cecidiſſet captivus. Quindecim millia peditum, equitum quinque millia convenere ſub ſignis, *Regino*, & *Aragonenſi* Cardinalibus ducibus: undè Galli perterriti, impetratâ licentiâ abiere. Scribit Ferronius in Ludovico XII. quòd Ambaſianus *potuiſſet intercipere Pontificem iracundum, & Bononiâ potiri, niſi aut diris Pontificiis territus, aut Legatorum Ferdinandi, & Henrici Britanniæ Regis pollicitationibus deluſus fuiſſet, qui ſe Pontificem præſtaturos Regi propitium recipiebant.* Hiſpani odium Pontificis contra Gallos in proprium commodum vertere venantes, regnum Neapolitanum ſibi transferre poſtularunt eâ arte, quòd Galli honorarium nunquàm ſolviſſent vectigal: Pontifice inconſulto cum *Ferdinando Aragonio* de regno tranſegiſſent Neapolitano. Grave id Pontifici initio fuit: deindè auctis odiis, ope ex Hiſpaniâ juvari expetens, animū flexit eâ lege *ut Petri, & Pauli feſto die annuas octo mille auri uncias in ærarium inferrēt Pontificium, quolibet triennio equum candidum darent. In præſenti quinquaginta millia aureorum, tantundem ſucceſſores, cùm primum Reges dicti eſſent à Pontifice.* Leges hæ mitiori poſteà cenſurâ caſtigatæ: remiſſo enim annuo tributo, & quinquaginta millibus aureorum, equum candidum quolibet triennio repræſentari *Iulius* ſatis habuit. *Mariana l. 24. c.24.* Cæſar per Legatos ad *Iulium* poſcebat, ut pro moderandâ Eccleſiâ tam in capite, quàm in membris Concilium indiceret: quos Iulius admittere noluit: hinc Maximiliani Imper. Regis Ludovici, ac quorumdam Cardinalium iuſſu Piſas concilium indictum eo prætextu, quòd *Iulius* decretum Conſtantienſe de Synodo Æcumenicâ cujuſlibet decennii flexu cogendâ nō ſervaſſet. Cùmq. in eo de gravibus Iulii criminibus agendum foret, jus convocandi concilii ad eum non ſpectare, nequè ad eos pertinere, qui culpę ſocii Iulio adhęrerent. Hęc omnia falſa; nam Conſtantienſe decretum uti prioribus inobſervatum Pontificibus, nequè Iulium adſtringebat. Falſum etiam, Pontificem non ambiguum poteſt ite exutum jacere convocandi Concilia: quæ ſi ad Cardinales etiam deveniſſet, ipsâ potiùs ad paucos, atq. factioſos ſpectare, quàm ad reliquos Patres, cum quibus univerſa ſentiebat Eccleſia. Hęc Regem minimè Gallum latebant, qui dolo hanc à ſe excitatam agebat tragœdiam, ut negotium inſenſo Pontifici faceſceret. Irriſere itaquè tantam audaciam probi quiquè. Immò cum hujuſmodi convocationis mādato nomina legerentur ſubſcripta Cardinalium

Regnū Neapol. devolutum ad Hiſpanos.

Piſanū Conciliabulū.

Bernardini Ep. Sabinenſis Card. S. Crucis.
Guillelmi Ep. Pręneſtini Card. Narbonenſis.
Philippi Ep. Tuſculani Card. Cęnomanenſis.
Franciſci S. Nerei, & Achillęi Cuſentini.
Hadriani S. Chriſogoni de Corneto.
Renati S. Sabinę Baiocenſis.
Caroli S. Viti in Macello de Finario. Qui omnes Presbyteri Card. Diaconi autem
Friderici S. Angeli de S. Severino.
Hyppoliti S. Lucię in Silice Eſtenſis.

Maior pars iſtorum (qui anteà ſynodum videbantur deſiderare) falſitatis non formidarunt arguere, tabulis publicis, teſte *Paride de Graſſis to. 3. p. 680.* Vni autem querenti nomen ſuum ſibi inſcio, & inconſulto appoſitum fuiſſe, reſpondere impudenter Carvaialus, Cuſentinus, & Narbonenſis: *Tres ex nobis ſufficienter facere illum actum potuimus.* Iulius verò ad compeſcendos furentes menſe Iulio, ſacro annuente ſenatu, Apoſtolicâ auctoritate Concilium indixit Lateranenſe, ita ſuadente Cardinale *Antonio Montano*; purpurâ inſignito in præmium conſtantiæ, quâ ſpretis commendatitiis ipſius Pontificis, cum eſſet Auditor Rotæ, ſolummodo iuſtitiam in quodam negotio coluerat. Hoc perculſi decreto, qui ſynodum nunquam à *Iulio* indicendam falſo erant vaticinati, novos ad turbandam Eccleſiæ pacem ſtruxere dolos, ac novam litem de loco tuto, ubi & ipſi ferendæ ſententiæ libertatem nanciſcerentur, crearunt: locum ſolummodò tutum dicentes, qui principibus confœderatis, non autem Pontifici eſſet ſubiectus. Moniti à ſchiſmatico abſiſtere conventiculo, propoſitâ ſi redirent ad officium veniâ, reſponderunt inanibus confictis periculis Romæ tutos non poſſe conſiſtere; ad ſe autem ius ſynodi convocandæ devolutum, ſeq; Paulo Petrum reprehendenti comparantes; non advertentes Pauli reprehenſionem fuiſſe fraternam, non detractionem, vel maledictionem. Cum autem de communi loco neutri parti ſuſpecto, in quo Concilium celebraretur, ſchiſmaticorū declinaſſet poſtulatio; locum non mutandū ſacro placuit ſenatui, quia iam clarè apparebat, quòd ſchiſmatici larvatâ hypocriſi ad evertendam incumbebant maieſtatem Pōtificis, cum modicos factionis cœtus Eccleſiam appellarent, cui Pontifex cum univerſo Orbe terrarum cogeretur obtemperare. Pertinaces itaq; die 1. Septemb. An: 1511. Piſanum inchoarunt Conciliabulum, vel novantium ſynagogam, cui nullus Cardinalis, nullus Epiſcopus interfuit, ſed tres tantummodò impoſtores *Zacharias Ferrerius* Subaſienſis Abbas, *Antonius de Andreà* Protonotarius Apoſtol. & *Iacobus Galand* Locarum Archypresbyter nomine Cardinalium abſentium pronuntiarunt, plenum ius convocandi Concilium ad abſentem Cardinalium partem quamvis minorem, tanquàm liberam & ſaniorem deveniſſe, ob Pontificis ac ſacri ſenatus negli-

Concilium Lateranenſe.

Piſanū Conciliabulū

gligentiam, vel timorem. Non ceſſabat tamen ſacer ſenatus ſtudia conferre, ut furentes ab impio revocaret conatu literis, diplomatibus, Doctorum ſcriptis, inter quos Angelus Eremita, cœleſtibus interdum viſis illuſtrari ſolitus, datis literis ad Carvaialium, & ad Regem Ludovicum, ne Eccleſiam ſchiſmate laniarent, quia ni reſipiſcerent, uterq; iſte diademate, ille purpurà forent expoliandi. Ità actum, nam actione inſtitutà iudiciarià, dignitate Cardinalitià exuti ſunt Carvaialius, Guillelmus Prœneſtinus, Franciſcus Cuſentinus, & Renatus Baiocenſis, qui furore agitati vindictæ, Piſas erumpentes præcipites in tertià ſeſſione decretum Concilii Conſtantienſis de ſubiiciendo Pontifice ambiguo ipſi Concilio extorquentes, *Iulium* Rom. Pontificem legitimum, & nõ ambiguum atq; Eccleſiameum ipſo ſentientem paucorum deliriis declararunt obnoxiam. Cum tamen nec vero & generali Concilio Pontifex ſubiiciatur legitimus, niſi in causà hæreſis, ut in ſchiſmaticos ſcripſit Caietanus. *De comparat. auctoritat. Papæ & Cõcilii*. Prorumpere ulteriùs parabat ſchiſmaticorũ audacia, cum oborto inter Piſanos, & eorum familiares tumultu, die 12. Novemb. Mediolanum traducere decreverunt Conciliabulũ, donec de communi loco cum Pontifice conſenſiſſent. Die ſeptimà Decembris Mediolanum conceſſere, quorum ingreſſu pollutam urbem arbitratus Clerus Mediolanenſis, mox ſponte templa clauſit. *Guicciardinus libro* 10. *Acta Concil. Piſani pag.* 104. licet terrore perculſus Gallorum, populus viſus ex parte à tumultu ceſſare donec Gallorum irritatus acerbitate iugum tandem excuſſit.

Angelus Eremita.

Conciliabulũ transfertur Mediolanum.

Interim *Iulius* ægrè ferens rem bellicam à ſuis ſegniùs geri, cum tribus Cardinalibus in caſtra Mirandulana profectus, mortale ſubiit diſcrimen. Globus namquè ferreus tormento vibratus æneo, tentorium deiecit Pontificium læſo nemine. Hunc habes in ædiculà Lauretanà ſuſpenſum (*Turſellin. lib.* 2. *Hiſtor. Laur.*) cuius aram pretioſis muneribus exornavit cum Cruce argenteà ſub titulo, *In hoc ſigno vinces*. Die porrò XX. Ianuarii, urgente *Iulio* omni tormentorum genere, Mirandula ſe dedidit cum filià *Iacobi Trivultii* & oppidanis. XI. Februarii converſo Marte, copias delevit Pontificias *Alphonſus Ferrarienſis* Gallicis ſuffultus præſidiis. Eas ut repararet, & ſchiſmaticorum reprimeret audaciam, octo creavit Cadinales, cum quibus curas partiretur. Bononiam indè venit, ubi die Cœnæ dominicæ hæreticos anathemate perculit & *Mediolanenſes* Magiſtratus, qui Gallo favebant, Trivultiũ, atq; Ateſtinum. Maio ineunte Galli poſt expugnatam Concordiam Bononiã admonere caſtra. Iulius metu perculſus Cardinali Ticinenſi commiſsà urbis cuſtodià Ravennam venit. Legato cum animus deeſſet, miles, atquè conſilium ducenti namquè duntaxat levis armaturæ equites, mille pedites externos habebat, cæteri milites Bononienſes erant, quibus quindecim centuriones factionis Bentivolæ præfecerat, inter quos *Laurentius Arioſtus* qui diu in mole Adriani ſervatus cæteros ad ſeditionem accendebat. Serò autem Ticinenſis certior factus ſtoliditatis ſuæ, ſimulans huiuſmodi centuriones ab *Vrbinate* (nepos iſte *Iulii* Põtificis toto præerat exercitui) evocari, eos cum ſuis cohortibus ire iuſſit ad caſtra; iſti autem hoſtibus ad portas incubantibus, patriam ſe relicturos pernegarunt. Animo tunc fractus Ticinenſis, populo æquè nobilibus permoleſtus (tres enim viros honoratos mandante *Iulio* mulctarat capite) clam veſte mutatà, in arcem primò, indè Forum Cornelii fugitivus evaſit amiſsà ſupellectile. Fugà intellectà Arioſtus cum ſuis effractà Laminarũ ianuà Bentivolos acceſſivit. Bononiæ defectionem fuga conſequuta eſt exercitus Pontificii, amiſſis ſarcinis atquè tormẽtis. Die poſtero æneam Iulii ſtatuam deiecit populus, & fune per vicos abſenti traxit inſultans. Cardinalem *Alidoſium* (quem vulgo *Ticinẽſem* vocabant) pleriquè apud Iulium dubiæ fidei, alii timiditatis, alii impudentiæ accuſabant. Is ubi Ravennam ſe purgaturum acceſſit, invitatus à Iulio ad prandium fuit; proficiſcentem *Franciſcus Maria Ruvereus Vrbinas* regulus, Bononiæ defectione, & exercitus fugà accenſus, quarum culpam in eũ conferebat, pugione in pectus adacto ſuà manu interemit. Tantis ludibriis percitus *Iulius* eodem die accepti nuntii Romã Ravẽnà migravit. Inſtitutũ fuiſſe Romæ iudicium adversùs Vrbinatẽ de cæde Cardinalis refert *Stephanus Infeſſura* in *M.S. Vatic. n.* 111. qui eius fuit advocatus, & causà cognita à ſex Cardinalibus abſolutũ non uti innocuũ, ſed pœnitentẽ ex gratià, & indulgentià Pontificis *Guicciar. l.* 10. Plures enim tradunt Bononiam mobilis populi converſione atq; Vrbinatis militari imperitia, non Cardinalis legati perfidià amiſſam, licet demortui nomen ut infame maculatum fuerit. Cardinales enim dum Pontificium dolorem ex illius cæde lenire conabantur acceptum, proditionis labem intulère defuncto. Ravennà priuſquàm *Iulius* diſcederet, copiis *Petrum* præfecit *Cardinalem Sancti Cyriaci* ad Bononiam vindicandam; cui poſteà intra quadrimeſtre defuncto *Ioãnem Mediceum* Cardinalem ob florem iuventæ impigrũ, belloq. idoneum ſubſtituit. Bononià auctus Gallus maximã ſibi cõflavit invidiã; excitatus namq; *Ferdinãdus* Rex Hiſpaniarũ per *Ximeniũ* Cardinalẽ, ut omiſſo Africano bello, laboranti opitularetur Eccleſiæ, teſte *Gomeſ. l.* 5. Præmebat & expugnaſſet tũc Mutinam *Carolus Ambaſianus* Gallorum copiis, niſi S. Geminianus è Cœlo deſcendiſſet in ſuppetias. Spectris territus *Ambaſianus* Corrigium fugit, ibiquè vitam poſuit pœnitens belli geſti adversùs Eccleſiã Romanam: licet petitæ veniæ antequàm nuncium acciperet, ab hominibus demigravit. Succeſſit ei in imperio

Gallorum victoriæ.

Bononiam expugnãt.

Ludibria illata ſtatuæ Iulianæ.

Cædes Cardin. Alidoſii.

Io: Mediceus legatus

12. *Gaſto Fuxenſis*, qui cum Mutinenſibus minatus eſſet ubi Ravennà rediret, Mutinæ ſparſurum flãmas vates extitit: quippe anno proximo in prælio cæſus, Ravennã eius cadaver per Mutinam innumeris præeuntibus facibus eſt deportatum. Futuri prælii ingentes fuere apparatus. Inito cum Anglorum & Hiſpaniæ Regibus fœdere in gratiam Pontificis, Duce *Raymundo Cardona Neapol. prorege*, converſæ in Italiam copiæ, quæ in Africam traiecturæ erant, ita ceſſatum adversus Sarracenos, ut ſanguinem funderent Chriſtianorum. Advenit interim Annus 1512. quo Galli ſeditioſi Mediolani congregati, impulſore *Ludovico Gallorum* Rege, præſide *Bernardino Carvaialio* ſpe ſuà, atque procuratorum Cæſaris expectatione deluſi ſunt. *Maximilianus enim* cum hinc à *Ferdinãdo* Hiſpaniarum Rege deterreretur, ne ſchiſmaticà ſe pollueret ſocietate, ſuoſquè potiùs procuratores

Gaſto Fuxenſis.

ad Lateranenſe Concilium, quàm Piſanum legaret conventiculum: hinc ut datam fidem ſervaret, à Gallo moneretur; Gallorum potentiam cum inclinatam vidiſſet, revocatis legatis, quos Mediolanum miſerat, Hiſpano ſe coniunxit & Anglo. Helvetii à Sedunenſi Cardinale religionis ſtudio accenſi cum Pontificia, quàm Gallica maluiſſent ſtipendia Navarretum diripuere. Extremo Ianuario Cardinalis *Medices* in Æmilià legatus Hiſpanico ſuffultus auxilio Bononiam obſedit, ſed *Gaſtone* accurrente ſolvit. Hinc elatus *Fuxenſis* Brixiam, quæ ad Venetos deſecerat, contendens, nonnulliſquè Venetorum copiis in itinere fuſis, die XVIII. arcem ingreſſus, miſeram urbem, tantà implevit immanitate, ut quatuordecim millia cadaverum cumulata referat *Bonaccorſius in ſuo diario*. Vaſtatà Brixià, Galli Bergomum ad deditionem compulerunt, auctoquè novis delectibus exercitu *Gaſto* Bononiam retroverſus, Hiſpanos Pontificioſquè ſolo diſpulit terrore. Hiſce ſucceſſibus confirmati ſchiſmatici Mediolani in ſeſsione 6. die 24. Martii Pontificem accuſarunt, quòd de loco tuto non conveniret pro Concilio celebrando: cuius convocationem neceſſariam dicebant pro bono pacis, ex decreto Concilii Conſtantienſis, & ad ſe devolutam ob negligentiam Pontificis, qui aliud in Laterano non poterat congregare Concilium, poſt inceptum Concilium Piſanum, quia *Duo univerſalis Eccleſiæ generalia concilia eodem tempore ſimul eſſe non poſſent: directè enim contradicit articulo: Vnam Sanctam Eccleſiam*. Deindè eò dementię progreſsi ſunt, ut minas de abrogandà ipſi Pontificià auctoritate intentarent. Horum geſta cum *Thomas de Vio* inania oſtenderet; indignati curarunt, ut eius liber tyrannico *Ludovici* imperio flammis exureretur, maxima ipſius Thomę glorià; quid enim glorioſius catholico, quàm ſi eius ſcripta ab hæreticis comburantur. Ægrè autem ferens *Ludovicus* facinus ſuum in omnium oculis conſtitui, *Cabanilla* legato Ferdinandi conquerenti de promoto Piſano Conciliabulo reſpondit, *eam ſynodum fabulam eſſe, & declamatiunculam ioco excogitatam ad trahendum Pontificem in partes regias:* quàm vero triſti Gallorum exitu peracta ſit fabula, attende. *Gaſto* Regis avunculi mandato, & gloriæ ac regni cupiditate (quòd ei *Ludovicus* deſtinaverat) agitatus pugnam quærebat. Federatorum alia mens erat pugnam detrectantium, priuſquā ſex Helvetiorum millia advenirent in caſtra, & Angli cum Hiſpano Galliam invaſiſſent. Tunc enim parte Gallici exercitus revocatà, ſecura erat & incruenta victoria. Foiſſeius verò deficiente commeatu, cum hoſtem in aciem pertrahere non poſſet, Ravennam oppugnandam pergit, advenientibus tamen fæderatis manus conſerit, fortunà ſed luctuoſa Gallo incliante. Ad decem millia cecidiſſe referunt, trientem ex Gallis, reliquos Italos & Hiſpanos, qui ſervato ordine etiam quaſi victores cū abirent, indignatus Foiſſeius in eos paucis inſtructus equitibus irruit. Illi paucitate contemptà, laxatis phalangibus viam aperuere venienti, mox undiq; concluſum ad internecionem ceciderunt, Foiſſeio ipſo haſtà traiecto. *Odetus* eius frater patruelis à *Lautrechio* oppido *Lautrecius* dictus, viginti vulneribus debilitatus inter mortuos inventus, & ad ſuos relatus, ſedulà medicorum operà vires redemit. *Foiſſero* mortuo, Hiſpani nemine perſequente diſceſſerunt.

Queſtus in Papam.

Hæretici cōburunt libros Caietani.

Gallorum victoria.

Cædes Gaſtonis.

Io: Cardin. Medices Iulii Legatus ab Epirotis interceptus ad Severinatem Legatum Piſani Concilii deductus eſt. Ægidius Viterbienſis ſcribit terram minus imbris bibiſſe, quàm ſanguinis. Ravennates dum deditionem paciſcuntur & urbem negligentiùs cuſtodiunt: Vaſcones conſcenſis mænibus urbem irrumpunt, cives trucidant, Moniales violant, ſacra omnia compilant. Cladē Iulio *Octavianus Fregoſius* retulit; Aulà ad rumorem obſtupefactà rogante, ut tranſigeretur cum Gallo. Contra Hiſpani, Veneti rem non ita deſperatam eſſe, ut paucis impenſis non reficeretur exercitus. Papa omnibus verba dabat; nemo tamē animum eius rimare poterat. Gallo interim victoriam proſequi formidante, adveniente Helvetio milite, Iulius vires reparavit, & V. Non. Maii An 1512. Concilium aperuit Lateranenſe. Tantà pertinacià Helvetii cum Ludovico inimicitias exercebant, ut cum ſuperioribus bellis domo non exirent, quàm plurium menſium accepto ſtipendio, nunc floreno tantùm accepto alacres in caſtra prodierint. *Ludovico* Regi aqua & igni cum interdixiſset Pontifex, niſi Piſanum abiuraret Concilium, inter Maximilianum & Venetos ſex menſium impetraſset inducias; in Gallos progredi imperavit. Illi tantis viribus impares, præcipites extremà agmina carpente Veneto, venere Ticinum; quò Veneto appropinquante, timore correpti, urbe relictà, per averſam portam rapto agmine abierunt Italià relictà, quam tot cladibus devaſtarant. Cardinalis *Medices* qui vinctus trahebatur in Galliam eluſis cuſtodibus ſe in libertatem vindicavit. Ianuenſes electo Duce *Iano Fregoſio* Gallos abiurarunt. Gallis Italià pulſis, cum non minùs Hiſpanus timeretur, quàm Germanus, ne Mediolanenſem principatum occuparent extranei, in paternam ditionem reſtitutus eſt *Maximilianus Sfortia*, hactenus per Germaniam exul: nec multo poſt reſtituti Florentię *Medicei*, belli huius fructum, qui minus expectabant, collegere. Confluebant per hos dies Romam plurium Italicarum Vrbium, quę in priſtinam aſſertę libertatem Oratores; inter quos Bononienſes, Placentini, Parmenſes, Regienſes fidem Iulio & ſucceſſoribus iurarunt. *Alfonſus* Dux Ferrariæ cuius causà Gallus bellum ſuſceperat in Pontificem, inopinà rerum converſione perculſus, ne fæderatorum armis principatu exueretur, tentandam Pontificis clementiam ratus, unà cum Fabritio Columnà, quem in prælio Ravennate captivum duxerat, Romam venit, ſitq. *Iulio* ſupplex non in valvis Baſilicæ (ita indulgente Pontifice) ſed in conſiſtorio Cardinaliū, & ibi abſolutus. Cùm autē Ferrariā Pontifex ab eo repeteret, promiſſo Ateſtino Comitatu, ac 20000. nummoru cenſu, Alfonſus collato cum Fabritio Columnà conſilio, clā Neapolim aufugit, deinde in Illyricū equo ſtipatus à *Proſpero Columnà* in ſuū principatum reductus, & à Ferrarienſibus regià pōpà ſuſceptus non ſolùm Venetorum, ac Pontificis vim propulſavit, ſed Regium adiecit. Infelicior alterius Gallorum fæderati, nimirum *Io: Albretenſis Navarræ Regis* ſors extitit, qui ſervatæ cum Gallo amicitiæ odio, Hiſpanis armis eſt regno depulſus. Iure an iniuria? ſub iudice adhuc. A Ferdinando Hiſpaniarum Rege ſurreptum fuiſſe edictum Iulii Pontificis ſub die XII. Kal. Mar. An. 1512. quo eidem

Medices reſtituti.

Ferrarienſis Papæ recōciliatur.

Caſus Io: Regis Navarræ.

Ioan-

Ioanni ut ſchiſmatis reo, ac Ludovici Regis Romanæ Eccleſiæ hoſtis ſocio ius regium adimebatur, teſtis eſt Mariana *l.* 30. *c.* 8. Gallo abeunte, Veneti Vallegium, Aſulam, Piſcheriā primis agreſſibus quū cępiſſent, Benaci lacus oppida ferè omnia ad Rēpublicā rediere. Ad Cremonam poſtea itū, quā urbem Cardinalis Sedunenſis, excluſo Veneto arroganter occupavit.

Veneti urbes recuprant.

Crema, *Benedicti Crivelli* favore, qui Gallicæ cohortis in oppido pręfectus erat, ad Venetos rediit. Brixiā cum *Cardonius* Regis Ferdinandi nomine temerè occupaſſet, Papam Veneti convenere, qui cum fœderis Sacramentum oſtentaret ſe intemeratum velle; adveniente tamen Gùrcenſi Epiſcopo, legato Cæſareo, & pacem nomine Cæſaris ea lege dante, ſi Cæſari pręter eas quas habebat urbes, Vicentiā darent, triginta aureorum millia quotannis, cenſus nomine ſolverent; Veneti autem ſubſcribere recuſarent; Pontifex, qui ad diſturbandum adverſariorum Concilīu, Ceſaris auctoritate opus habebat, fœdus ſeorſim à Venetis, in hunc modum percuſſit. *Cæſar Piſani Conciliabuli actionibus antiquatis Lateranenſe Conciliū approbaret, Alfonſo Ferrariam, & Bentivolis Bononiam retinētibus opem ne ferret, Germanos ab illius ſtipendiis revocaret. Pontifex Venetos hoſtium loco haberet; Sacris prophaniſquè armis, quoad omnia ſua recuperaſſet, Cæſarem iuvaret: nullam eo inconſulto, pacis actionem cum illis inſtitueret; neuter abſquè alterius conſenſu cum quoquam nova fœdera, ſocietatemquè contraheret; Regi Ferdinando ſuus in hoc fœdere locus relinqueretur.*

Papæ fœdus cum Cęſare.

His ita conventis, & publicè promulgatis, *Gurcenſis* Lateranenſe Concilium, proximo conſeſſu præſens comprobavit, reprobatoquè Piſano impetravit in Venetos monitoria, qui arreptà occaſione, cum Ludovico priſtinum inſtaurarunt fœdus, quo Cremonam, Abduanamquè Glaream reciperent. Pontifex pœnitentià ductus, ſeipſum tacitè incuſabat, quòd tam durus, & illiberalis in Venetos anſam dediſſet querelis, quòd ipſe Gallos in Italiam evocaſſet. Quare in dies magis dolore confectus, cibi, ſomniq; incapax, ægritudine conſumptus interiit.

Iulii II. obitus.

13. *Obiit.* Diu cum morbo conflixit, minimè tamen curà eccleſiæ remiſsà, ſed cum celebranda eſſet Seſſio V. Concilii mandavit, Seſſionem non prorogarent, nec à Gallorū Rege paterentur circumveniri. *Paris de Graſſis tom.* 3. *M. S. Vatic. pag.* 972. Huc ſpectant numiſmmata, quorum in primo Iuſtitia oſculantur, & Abundantia. In 2. Roma armata Numine impellente (ut radii oſtendunt ſuperni) contra hoſtes Eccleſiæ. *Contra ſtimulum ne calcitres.* In 3. Paſtor oves agit in caulam: *Pedo ſervatas oves ad requiem ago*, quas ſcilicet devictis tyrannis enſe ſervaverat, pedo deducebat ad requiē. Unde *Bapt. Mant.*

Nummiſmata Iulii II.

Publicas res Chriſti tandem revocata tyrannis
Reſpirare poteſt, & ducere gaudia victis.

In 4. ſedente Paſtore ſub titulo *Tutela*, ſaltellant pecudes juxtà illud Virgilii

Ille meas errare boves, ut cernis & ipſum
Ludere quò vellem calamo permiſit agreſti.

In 5. Puella cum ſpicis, & cornucopia ad æmulationem priſcorum Cęſarum, ob providentiā, quà penuriā frumenti laborāti ſuccurrit Italiæ, *Annona publica.* Pontificatus periodum ornavit filius Regis Congi, cū honeſtiſſimo comitatu Romam veniēs ut Iuliū Chriſti vicarium adoraret. *Oſorius l.* 3. *Maffeus l.* 1. Iulium

Aaccusāt ſchiſmatici ut truculentū, qui 9. annorū ſpatio 200. hominū millibus mortis occaſionē dederit: Calumniātur etiā arma *Maximiliano* illaturū, & *Ludovico*, claves de ponte in Tyberim projeciſſe, ſtricto enſe altà voce inclamādo, *Claves Petri cū nō ſufficiant, Pauli enſis nō deficiet.* Bella Iuliū geſſiſſe nō negamus; ſed aliter Eccleſię libertatē, & urbes à tyrānis redimere nō valebat.

Calumniæ in Iulium II.

Etiā Pius II. Innoc. VI. Clem. IV. Leo IX. divinis miraculis clarus Leo IV. vir ſanctiſſimus teſte Anaſtaſio, bella geſſerūt. Omitto fœdera Zacharię, Stephani II. Hadriani, Leon. III. cū Frācorū Regibus pro recuperādis urbibus, quæ ad Eccleſiā ſpectabāt. Omitto veteris exēpla Teſtamēti, in quo Moyſes, & Aaron adverſùs Amorrhæos; Maccabæi in tyrannos fortiſſimè arma tractarunt. Horum bellicam reprehendat virtutē, qui *Iulium* carpit. Reliqua de clavibus projectis in Tyberim calumniæ ſunt hæreticorum, minimè ſuffragante *Petro Langio*; quo auctore blaſphemare gloriantur.

(Teſte *Herman. Contracto*, & *Leone Hoſtienſi*)

Arma Sacerdoti nō prohibita.


Corporis imminente reſolutione, mandavit *Paridi de Graſſis*, cadaveris curam ſuſcipere, non ut delicioſè tumularetur, ſed decenter. Ingraveſcente morbo, de ſimonià avertendà in Concilio curavit, diplomaq; ſeptimo iam ante anno editum in eos qui ſimoniacè ad Ponificatum anniterentur, à Concilio publicaretur. Paucos poſt dies diarrhęà conſumptus ſacro viatico ſemuniit, accerſitiſq; Cardinalibus ſanxit (teſte *Guicciard. l.* 11.) ius creādi Pontificis ad Cardinales tantùm, non ad concilium ſpectare; neq; ad comitia admittendos pſeudoCardinales, immò arcēdos aditu urbis, quibus ut homo proteſtabatur ignoſcere, ut Pontifex verò legum ſeveritate percellere. Tādem circa horam noctis 10. (inter diē 20. & 21. Feb.) in pace quievit. Vel die 21. Feb. probare conatur Oldoinus ex *Literis Leonis ad Intercamnenſes.* Corpus amplo funere nō ad S. Petri ad vincula, ſed Vaticano illatum in choro juxtà patruū Sixtum IV. indè ſub pavimentū ejuſdem Baſilicę tranſlatum, ubi adhuc jacet, licet ſepulchrum habeat nobiliſſimum in Eccl. S. Petri ad Vincula, quod in tabulà dedimus.

Sepultura.

Iulii geſta ſcripſere *Vbertus Folietta, Petrus Magnus, M. Anton. Caſanova, Petrus Bizarrus, Petrus Bembus Cardin. Godoffredus Buſſardus, Io: Anton. Flaminius, ut apud Ranuccīū Gherū, Andreas Mocenicus, Petrus Martyr Anglus, Bapt. Mantuan. Leonard. de Porto.*

Eius hiſtorici.

14. *Petri Baſilicam*, ſuperbo ſtructuræ genere primus inſtaurare aggreſſus eſt Iulius *Bramante* Architecto, Sabatho in Albis Anno 1506. lapidem ſuis manibus poſuit, cuius in facie *Aedem Principis Apoſtolorum in Vaticano vetuſtate, & ſitu ſqualentem à fundamentis reſtituit Iulius II.* Lygur *Pontif. M. An. M. D. VI.* In alterà verò: *Iulius II.* Lygur *P. M. A. ſui Pontif. III. M. D VI.* In tertià. *Inſtauratio Baſilicæ Apoſtolorum* Petri, *&* Pauli. *Per Iulium II. Pontif. Max. Vaticanum.* Habes etiam nummiſmia tabulę appenſum ſepulchrali in quo Petri templum. *Templi Petri inſtauratio. Vaticanus Mons.* Cardinalis cum eſſet



Oſtienſis, Sixti IV. avunculi ſui muneribus auctus, urbis ſuæ Oſtienſis mænia, turres, propugnacula diruta reſtauravit, & in grati animi monumentum hoc nummiſma percuſſit.

LEO

L E O D E C I M U S
PONTIFEX ROMANUS CCXIX.



ARgumentum Clementiæ in Io: Mediceo *Leonis* eſt nomen;cuius eſt,*parcere ſubiectis,& debellare ſuperbos*. Hinc teſtè Plinio *l.* 8. *c.* 16. cùm ſævit,à viris incipit, fœminas præterit, nec niſi magnâ fame fremit adversùs infantes. Hinc hominem primò fugientem ſuſpice,ſecundò fæminam; relictis infantibus, qui cum *Leone* ſalrellant.

Eligitur An. Sal. 1513. *die* 5. *Id. Mar. Coronatur* 3. *Id. April. Obiit An. Sal.* 1521. *Horâ ſeptimâ poſt diem* 1. *Decemb. Cum ſediſſet Annos* 8. *Menſes* 8: *dies* 22. *Vacat ſedes uſq; ad diem* 5. *Id. Ianuar*.

E L O G I V M.

Anni Sal.1Le. 1513.11

MOrtis iſte triumphus;
Quæ ad pompam ſeruat illius *Leonis* ſpolium,
Cuius ſolium Cœlum delineaverat ſomnio.
Nec aliter regna obiiciuntur mortalia.
Viſa mater in puerperio[1] Leonem eniti,
Licet ſeptem luſtris ignoraret vaticinium,
Eius tamen in tutelam agnovit Aſtra futura.
Laurentius Medices illi pater;
Qui etiã in exilio patriam ſervavit ab inimicis.
Liberè Florentià ſecedens, tot ſecum traxit
[A]Ut uno in ciue videretur exulare Reſpublica.
Laurentii ne periret imago:
Erexit natura filium in ſimulachrum paternũ.
Ioannem dicas Porphyrogenitum:
In quo purpura citiùs pubuit,quàm ætas,
Non annis collata,ſed virtuti.
Romam[a] vocatũ tantis inſtruxit arcanis pater,
Ut pergere videretur ad Orbis imperium.
Venienti feſtivus occurrit populus,& ſalutavit
Papam futurum.

Anni Sal.1Le. 1513.11

Præ-

Anni Sal.Le.

Præceſſit tunc vox populi vocem Dei;
Vel linguâ populi plauſit Deus:
Si vox populi eſt vox Dei.
Domum reverſus ut patri iuſta ſolveret,
Uno in funere[3] patrē amiſit, patriā, nō cōſtātiā.
V.luſtris fortunā ſolicitavit, ſed ſēper adverſam
Orbem pervagatus Chriſtianum, nil invenit
Quàm verba, & verbera.
Adeò mala ſarcina eſt ſpecies maieſtatis,
ut nullibi abſcondi poſſit.
Eò perfugiens, undè profugerat,
Ex Orbe in Urbem,
Cum deeſsent amici, ſe credidit inimicis.
Luſit fortuna Bononienſi[4] legatione:
Ut per eam Gallorū captivus rediret in vincula. B
Fugere cum poſset, noluit; (ret
Nè ſinè benedictione moriētes milites relique-
Eâ ſtetit in carcere maieſtate,
Quâ in Cruce Chriſtus:
Legatis manibus, et pedibus ſolvit ſchiſmaticos
Et in faciem Piſani Conciliabuli
Diplomata vulgavit Iulii Pontificis.
Libertatem[5] ne alii deberet, quàm ſibi,
1513.13 A ſeipſo reſtitutus non manumiſsus
Brevi victoriæ curſu,
Bononiam Petro, Florentiam ſibi redemit.
Auxilium opportunum.
Ætate namquè liberalitatem ſupergreſsus,
(Quæ etiam deficiente creſcebat ætatio) C
Ut alios divites faceret ſe egenum fecerat.
Solent Principes liberalitatem fouere ære alieno.
Pereunt illis ad pompam divitiæ,
Quæ ad vitam pauperis negantur extremam.
Iacet dives in Inferno,
Non in pœnam avaritiæ, ſed miſericordiæ,
Quę inopes neſcivit præponere canibus.
Aulæà ſepè cū Ioannes oppignoraſſet[6] & gazas,
Ne ſolus cœnaret, ſed ſemper cum Muſis,
Liberalitate emit, vel redemit ſolum & ſoliū.
1513.12 Defūcto Iulio[7] noviſſimus cū acceſſiſſet cōclavi
Solà maieſtate ità vota prenſavit,
Ut in eum coirent omnes ex ſtirpe regali:
Quòd in uno Ioāne crederent omnes creari Pōtifices. D
Leo[8] dici voluit,
Ne Clementiæ diſſonaret nomen.
Hanc exorſus à dilectione inimicorum,
Ex hoſtibus delegit hoſpites, & affines.
III. Idus coronatus[9] Aprilis,
(Quo olim victus à Gallis)
Equum calcavit miſeriæ ſocium,
Ne deeſſet, qui in excelſo throno caſū recordaretur,
Homines prævidēs adulatores, de Bruto providit,
Quod palpare neſciret. ([10]
Coronari renuēs, ni priùs propugnatà Rhodo,

A Et prorogato[11] Concilio,
Duos paſsus eſt hoſtes Schiſmaticos, & Infideles. Anni Sal.Le.
Ferro nè Italiam corrumperet, auro compoſuit,
Urbes[16] pretio redimēs, quas alii vendiderant.
Pater[17] pauperum, protector[18] Monachorum
Solos quos ignoravit, non aluit. 1514.3
Eleemoſinas licet arcanas vellet,
(Id ſatis publicum tatus quod Deus videt)
Celare tamen non potuit,
Quòd totus in eleemoſinis verſaretur.
Monaſteria quæ cōmodantur, dū cōmēdantur
Nonniſi ſub Abbatibus vivere voluit;
Quaſi non aliter ſervari poſſit.
Silentium, Pſalterium, Ieiunium.
B Mundi Deliciæ
Dū quotidiana mendicis alimenta miniſtrat,
Eorum clamoribus obrutus Deus,
Veras etiam forsàn querelas contemnet,
Leonē aurū decoxiſſe venarionib[9], [20] & aucupiis.
Peccavit Prodigus, non avarus;
Vendere non audens, donavit.
Redivivæ tunc in Italià Athenæ:
Erubuit Latium, non Græcè loqui
Cū Græcè interrogaretur à ſuo Leone.
Unum cum deeſſet Scientiarum imperium:
Accademias ornavit antiquas, novas addidit,
Ubi vincere, Pontifex ipſe gloriam putaret.
Ludos ſæpe miſcuit Muſicæ, equorum, artium,
C Quibus emolliti feroces Gallorum animi,
Italià pulſi, mulciti Muſis, corrupti deliciis.
Bellonam enervat inermis Minerva.
Muſas tamen non admiſit niſi pudicas;
Pudicitiæ[21] ne vim faceret, vim fecit ſaluti.
Tres illi hebdomadæ dies ieiuni,
Cæteris diebus cibus ipſe ieiunium fuit:
Ne peccare poſſet, etiam ſi vellet.
Medico nè aperiret pudenda,
Mori potiùs decrevit:
Et fuit pudor cuſtos vitæ, & vittæ;
Ne veneficio[14] periret, quòd paraverat medicus. 1517.12
Amavit in hoc ſcelere iuſtitiā, & non vindictā,
Eam ne offēderet, cæteras penè offēdit virtutes.
D Peccavit tamen & ipſe more Principum;
Qui cum ſoli regnare nequeant,
Suorum crimina ſubeunt,
Duo ſedēre Leone, cū laniarent Eccleſiam Urſi
Lutherus, [15] atquè *Selimus* [22]
Et Patrē, fratres, nepotes iſte ſuſtuliſſet veneno;
Ad delendam infamiam movens in Perſas,
Maiorē partem Oriētis Turco ſubiecit imperio.
Graviorem hoſtem *Lutherum Eccleſia ſenſit*; 1518.16
Tàm feracem, & ferocem,
Ut Cœlum terrere haud poſset, quàm fulmine,
Quo petitus & impetitus fugit in Aſceterium,

Ubi

Anni Sal.I.Le. 1519.17
Vbi timidi haud fiunt iuſti, ſed hyppocritæ. A
Literis non pauper, dives eſt creditus,
Quia ſcientias ſuas ferret in ore gladii.
Famam aucupatus doctrinæ, doctorū ludibrio,
Angelico & Stagyritæ non arriſit, deriſit.
Sic præludebat Eccleſiæ funera,
Quam pauperem in præſepe iacere voluit,
Etiam ſinè *Indulgentiæ* theſauro.
Obtrectatio & linor cum pronis auribus audiantur
Boreales omnes habuit auditores,
Quos ut ſubtraheret Cæſari, ſubtraxit Deo.
Corruptū ab eo Evāgeliū ut purgaret Carolus V.

Anni Sal.I.Le. 1520 18
Ignem adhibuit.
Nec aliter purgantur Hæreſes.
Si quid detrimenti paſſa eſt Religio:
Ille non intulit, qui prohibuit.
Hæreſim Leo tumulaſset naſcentem,
Ni blaſphemias ſuas occuluiſset hęreſiarcha:
Cuius forsàn veneno Pontifex periit.
Leonem apertè aggredi Mors timuit.
Obiit [16] more caſtrorum, ſinè ſacramentis; 1521.19
Prælætitia à Gallo vindicaſse Petrum:
Vtinàm ſacramenta priùs cogitaſſet, quàm triūphos.

ADNOTATIONES IN LEONE X. PONT. ROM. CCXIX.

Leonis X. natalia. 1. V*Iſa mater in puerperio Leonem eniti*. Ex patre *Laurentio Mediceo*, avo *Petro*, proavo *Coſmo*, matre *Clarice Vrſinà* Leo naſcitur Florentiæ, Anno 1475. tertio Idus Decemb. Gravida mater viſa abſq; dolore parere Leonem in Eccleſià S. Reparatæ, anſam præbuit *Ioannem* (Hoc nomine appel. labatur antè adeptum Pontificatum) appellandi Leonem. Impuberem adhuc linguarum cognitione, doctrinà ſupra ætatem, optimis moribus fulgentem *Ludovicus* XI. Galliarum Rex in gratiam patris *Laurentii* inſigni exornaverat ſacerdotio. Anno 1479 (Tempora non concordant, undè vel longè poſt creatum dicas Cardinalem, vel natum Anno 1467. non Anno 1475.) cum ſoror *Magdalena* nupſiſſet *Franciſco* filio *Innocentii VIII.* Pontifex purpurà ornavit Cardinalitià, vix annum ætatis agentē 14. Eà tamen conditione, ut per triennium Cardinalē ſe nominare non poſſet, nec ſe pro Cardinali habere præſumeret: C Studia. Lapſo triennio inſignia adſumeret Cardinalatus. Permanſit itaq; Protonotarius uſq; ad diem 9. Martii An. 1482. vel 1492. Interim Piſis Iuri operam dedit, & in Liberalibus ſtudiis egregiam navavit operam. Muſicem optimè calluit. Viros doctos dilexit, ac fovit: undè Muſicis, Pictoribus, Statuariis, Sculptoribus, ædes ſuas sēper patere voluit. *Iovius ib.*

2. *Romam vocatum* pater monitis inſtruxit ſalutaribus, quæ ſingulari notata libello directorium fuere vitæ futuræ. Parentis excitatus exemplo, frequenti divinæ Euchariſtiæ uſu, ſaluti conſuluit. In Politicis directores habuit *Oliverium Cardinalem Caraphum*, & *Franciſcum Piccolomineum*, qui in Pontificatu dictus eſt *Pius III.* Obitum Innocentii mors pręluſit *Laurentii Medicei*, cuius ad funera ut Ioannes honoratior deſcenderet, Innocentius eum Legatione donavit Hetruſcà. Quo D

Legatus in Hetruriam. 3. *In funere* patrem amiſit, & patriam; irruentibus in Italiam Gallis, ſub *Alex. VI.* coactus *Petrus Mediceus* urbes tradere, extor à patrià odioſus ſuis, ut popularem declinaret inſultum, Bononiam fugit cum fratribus, inter quos *Ioannes* habitu larvatus S. Franciſci, amiſſis bonis & libertate, peregrinus abiit inter Germanos. Plures cum eſſent in peregrinatione Carceri datur. ſocii, dietim ſors principem deſignabat itineris. Vlmam cum veniſsent, Magiſtratu iubente, civili detenti cuſtodià ducti ſunt ad Imperatorem *Maximilianum*, qui cognità itineris causà, laudavit dicens: *Indulgendum eſſe rumoribus tempus, quo ſeneſcant*; datiſq; commendatitiis ad *Philippum* filium, Regē Flāndriæ dimiſit honorificè. Germaniā cū peragraſſet, & Flandriam venit ad Gallos, à quibus Roani detentus iterum redemptus eſt fratre intercedente Petro, qui Mediolani erat apud Regem *Ludovicū*. In Italiā regreſsus, Saonæ ſubſtitit liberaliſſimè exceptus à *Iuliano Cardinali Roboreo*, qui iram fugiebat Alexandri VI. Vndè tres exules viſi commenſales fortunam querentes inimicam, qui poſteà thronum omnes ſubierunt excelſum. Premebat interim totam Italiam Gallorum armis *Caſar Valentinus Borgia*, cuius ope in patriam rediiſsent *Medicei*, ni eloquentià *Petri Soderini* excitatus Gallorum Rex retrocedere mandaſset. Non multò poſt veneno periit *Alexander*, & ſucceſsorem habuit *Pium III.* cui brevi defuncto ſucceſſit *Iulius II.* cuius nepotem Cardinalem Galeotū *Ioannes* literarum lenocinio eà ſibi devinxit neceſſitudine, ut *Galeotus* Ioannem annos agentem XXX.) Pōtificem deſignaret futurū, cum obitu Galeoti perculſus repentino, rerum ſuarū cæpit deſperare converſionem; intra enim decem & octo annos quinquies infeliciter moverat contra inimicos. *Iovius. ib.*

4. *Luſit fortuna Bononienſi legatione* adversùs Gallos, dum enim in Ravennati pręlio morientes milites benedictionibus iuvat, ac verè Apoſtolicus Deo commendat captos à Gallis, ad *Federicum Sanſeverinatem* Pſeudoſynodi legatum captivus Bononiam ducitur, ubi à nonnullis deriſus, Mutinà tranſiens etiam ſupra fortunam honorificè exceptus à *Blancà Rangonà* (cuius filios poſtea gratitudinis ergò Cardinales creavit) Mediolanum venit tanto honore, ut victor ſuſcipi haud poſſet obſequio maiore. Legatus Bononien. Schiſmatici autem victorià tumidi pſeudoſynodum proſequentes, cum in valvis Eccleſiæ ſępę audirentur à pueris citare *Iulium* Romanum Pontificem ad dicendam cauſam, cachinis excepti eo erant contemptui, ut in publicum non prodirent ſinè opprobriis, & Cardinalis *Carvaialius* ab eiſdem pueris exſibyllaretur ut Papa: fruſtra Gallo ſtrepente milite, qui pueros iratus perſequebatur ludentes. Contemptum auxit pſeudoConcilii *Iulius Mediceus*, qui cum ad *Ioannem* legatum Pontificia tuliſſet diplomata cum poteſtate abſolvendi milites excommunicatos, cum notitia pervenit in caſtra; tàm hominum frequens multitudo convenit veniam poſcentium peccatorum, ut ad exaranda chirographa ſcribæ non ſufficerent. Captivus ſervat maieſtatē legati. Hinc indignati pſeudolegati *Carvaialius*, & *S. Severinas* improberabant captivo privatas illas abſolutiones non niſi in deriſum fieri

Concilii legitimè congregati, ac Regis potentiſſimi, qui iniuriâ provocatus, iure eſſet excuſandus, ſi poſteà duriùs ageret cum captivis. Obmutuit *Ioannes*, ſed pro eo audaces reſpondere Galli hyppocriſim accuſantes ſchiſmaticorum, quòd ſpetie religionis Orbem deciperent Chriſtianum. *Iovius in vitâ Leonis. X.*

5 *Libertatem* redemit (teſte *Iovio*) ope *Viſimbardi*, & *Rinaldi Lacti*, qui Gallico militantes ſub ſigno, fugam procurarunt, cum in procinctu eſſet, ut Mediolano in Galliam traheretur captivus. Vrgebat cuſtos Cardinalem navem conſcendere, manu ad frenum expoſitâ. Cum audaciâ correptâ per quendã ſamiliarẽ Cardinalis, qui Gallo amputavit manũ, pugnâ initâ inter Gallos, & indigenas, qui advenerant ſubſidiarii; Ioannes curſu fugiens citato, Pado traiecto ad limina venit Ianuenſium, In oppidum *Bernardi Maleſpinæ* (affinis hic erat *Viſimbardi*) qui cognitum Cardinalem dimittere noluit, niſi priùs conſulto *Trivultio*. Is verè Italus reſpondit, *fortunam Gallorum uno non reparandam Cardinale.* Dimiſſus itaq. Bononiam, quæ undiq; inclinatâ Gallorum ſorte, Legatũ Mediceum honorificè ſuſcepit. Mantuæ poſtea habito fœderatorum conventu, & in eo tanquàm hoſtibus Florentinis reiectis unà cum Hiſpano exercitu Pratum venit, ut in gradum priorem ſtirpem Mediceam reſtitueret. Arriſit fors; nam Hiſpani cum oppidum illud omni crudelitatis & luxuriæ genere fœdaſſent: Florentia ne caſus experiretur ſimiles *Soderino* pulſo Die 1. Septemb. An. 1512. triumphali pompâ effuſis obuiam civibus ac prætenſo prædiuite umbraculo Io: cum Mediceis Domum reducit revoluto anno XIIX. quo fuerat eiectus. *Iovius ib.*

Florentiæ reſtituitur.

6 *Oppignoraſſet*. Liberalem magnificentiam cùm in Leone vel in minori fortuna nec egeſtas opprimeret, nec moderaretur fortuna; ſactum, ut mercatores nec cibaria crederent, quàm ſibi poculis oppignoratis argenteis. Spe tamen meliore vitam leniebat acerbam, ſolitus dicere: *Viro magnanimo nil deeſſe, ſi ipſe ſibi non deficiat. Cura Deorum vitam eſſe excelſi hominis.* Languentem, atquè depreſſum ad priſtinam majeſtatem revocavit inſperata legatio Bononienſis, quam ei *Iulius II.* contulit. *Iovius p.* 38.

7 *Defuncto Iulio*. Florentiâ Romam lectieâ veniens ob valetudinem eo plauſu eſt receptus quaſi Pontifex crederetur futurus: Spem augente vaticinio *Marſilii Ficini*, qui puero adhuc prædixerat Pontificatum. Eraſmus Cardinalibus Romæ ſtantibus, cùm adhuc Mediceus non aceeſſiſſet, publicè dixerat: neminem ex iis Papam futurum. Iuniores itaquè Cardinales ſenectutis tedio in Ioannẽ conſpirãtes, dum diſtracti mutuà ambitione ſeniores imperiũ potiùs accipere, quàm dare volebãt; triginta ſeptem annos natum (quę propè Conſularis eſt ætas) Põtificẽ dicũt, teſte *Petro Bẽbo l.* 2. *H. Venet.*, qui unà cũ *Iacobo Sadoleto* fuit ab epiſtolis adſcitus, priuſquã *Leo* egrederetur à conclavi. Primi ſuffragatores *Arragonenſis*, *Gonzaga*, *Marcus Cornelius Venetus*, *Alphonſus Petruccius* natalibus clari, & propè regii, duce *Franciſco Soderino*, qui cum fruſtra removere Cardinales tẽtaſſet, ex odio adversùs Mediceos (à quibus Florentia pulſus *Petrus Soderinus*) novus Vlyſſes donavit, quòd vendere non potuerat. Seniores etiam facile cõvenerunt, quòd ex tetro ac fetido vulnere, in loco ſtercorario, . ità deſperarent diuturnam. *Iovius n.* 64. Ea fuit iuniorum lætitia, ut *Cardinalis Petruccius* admodùm adoleſcens creationem Leonis populo nunciaturus Romano in has voces proruperit: *Pontificem habemus Leonem* X. *Vivant, vigeantquè iuniores.* Voces infauſtæ, nam ſtrangulatum *Petruccium* flebit Hiſtoria. *Paris de Graſſis* tunc temporis cæremoniarum magiſter electum refert in ſuis diariis Anno 1513. die V. Idib. Martii. die XV. Presbyterum factum, die Iovis XVII. conſecratum, die Sabathi XIX. coronatum, nomine *Leonis* propter innatam excelſo, regioquè animo clementiæ virtutem, anteceſſorum æmulatus exemplum, quibus *Alexandri*, & *Iulii* nomina placuerant auguſtiſſima. Impletum tunc Malachiæ vaticinium *de Craticulâ Politianâ*: quià *Politiani* diſcipulus fuerit, cuius craticulâ ideſt diſciplinà literatus evaſerat graviſsimus.

Vaticinia de Leonis X Pontificatu

Petrucii inſolentia

8. *Leo dici voluit*, nè clementiæ diſſonaret nomen. Nec feſellit; nam Pontifex dictus Petrum Soderinum *Mediceorum* hoſtem acerrimum Raguſio Romam evocavit, ſummo honore ſuſcepit, ac filiam ex Soderini fratre uxorem dedit *Aloyſio Rodolpho* filio Conteſſinæ ſororis ſuæ. Pepercit *Valorio*, quem properè Volaterrano carcere eductum patriæ reſtituit: haud dubiè *Capponio* & *Boſcolo* veniam daturus, niſi paulò antè Octovirali iudicio damnati periiſſent. Eandem animi magnitudinem erga Caravaialem, & Sanſeverinum (Hos Cardinalitiâ dignitate *Iulius* ſpoliaverat eo voto ut eorum corpora cremaret Romæ in campo Floræ, tanquàm auctores ſchiſmatis Piſani) Hi auditâ *Iulii* morte, Lugduno unà cum Gallo legato mari Romam contendentes, ut Põtificis creationi intereſſent, intellectâ aſſumptione Leonis, Piſas venere nullâ cautione quæſitâ, ibiquè honorificè excepti, Florentiæ liberâ cuſtodiâ detenti, donec Romam ducti, ac ſinè inſignibus Cardinalitiis Piſano abiurato Concilio, priſtinum recuperarunt honorem. *Guicciardinus*.

Leonis clementia.

Parcit rebellibus.

9. *III. Idus coronatur Aprilis* (dies pugnâ Ravenati celebris, quo in Gallorum poteſtatem venerat) in ęde Lateranenſi. Sed falluntur *Iovius* & *Guicciardinus* (teſte *Paride de Graſſis*) nã ad S. Petrum ante fores Baſilicæ Vaticanæ thiarâ redimitus eſt Leo tantâ põpâ, quantam vix Roma à ſæculis viderat. Vexillum Pontificium præferebat *Alphonſus Ferrarienſis*: *Rhodium Iulius eius frater patruelis*, armis undiquè protectus, quibus vix exutus, mortuo *Coſmo Pactio*, Florentinus Pontifex eſt deſignatus. Aderat *Franciſcus Vrbinas* urbis præfectus. Leo equo vectus, quo in Ravennate pugnâ uſus erat, incedebat: Et ne quid triumpho deeſſet, centum millia aureorum ſpargere quęſtores. *Guiccard. Iovius*. Coronatione peractâ ſcientiarum magni nominis pęceptoribus in urbem evocatis, gymnaſium inſtauravit Romanum. Quà ſpe excitati ſtudioſi ſuperiorum Pontificum mores cum Leonis laude lepidè adnotare cæperunt.

Coronatio Leonis.

Olim habuit Cypris ſua tempora, tempora Mavors.
Olim habuit, ſua nunc tempora Palas habet.

In alio arcu

Vota Deum, Leo ut abſolvas, hominumquè ſecundes
Vive Pie, ut ſoletus: vive diu, ut meritus.

Lętitia Pont. Rom. in coronate Leonis.

Nummiſma etiam populus percuſſit Romanus, (*Ægidius Viterbienſis*) cuius in fronte Leo, cui Angelus coronam affert, pede ſub dextro ſphęrulam tenet: in ambitu ſcribitur, *Vicit Leo de tribu Iuda.*

Nummus.

da. In alterâ parte S. Petri & imagines, & ſub illis ſcutaria Mediceorum parma,regno, Pontificiſq; clavibus decorata, cum inſcriptione *S. P. Q. R. Leo Pontifex Maximus*. Votum huius nummiſmatis forſàn erat; ut ſicut Chriſtus, *Leo de tribu Iudâ* venit in mundum pacem mittere, non gladium; ita Leo plenus clementiâ thronum aſcenderit in dilectione inimicorum, pacem Principum procurando. Inter principũ legationes inſignis fuit Venetorũ ex decem Senatoribus *Andrea Gritto, Petro Balbo, Petro Lando, Dominico Trivisano, Chriſtophoro Mauro, Hieronymo Contareno, Leonardo Mocenico, Marino Georgio, Paulo Capello, Georgio Emo*. Emanuel Rex Luſitaniæ lætitiam verbis exprimens,atquè muneribus, dono miſit Elephantem, Leopardum, Camellos cum Crucibus ex auro ſolido,vaſis, veſtibus gemmis ornatis, atquè lapillis. Coronatus Leo pro inſigni Pontificio ſententiam inſcripſit Davidicam, quâ anteà Alexander uſus fuerat, *Ad Dominum cùm tribularer,clamavi, & exaudivit me*. *Insigne Leonis.*

10. *Rhodo*. Rhodiis minante Turcarum Rege Selymo; priuſquàm Leo thiarã ſuſciperet, equites mox Rhodum redire iubet, noxarum veniâ propoſitâ iis, qui militare conferrent ſubſidium. *Petrus Bembus ep. 12. l. 1. ep. 2. l. 2.* Indè

11. *Prorogato Lateranenſi Concilio*, celebravit Seſſionem VI. in quâ cùm ageretur de citando *Ludovico* Gallorum Rege ſuper Pragmaticâ ſanctione tollendâ, Papa nil reſpondit; quâ victus clementiâ Rex 19. Decemb. per Oratores *Claudium Ep. Maſſilienſem*, & *Ludovicum de Soleriis* obedientiam *Leoni* profeſſus, Piſanno damnato Conciliabulo, & ſchiſmaticis Lugduni congregatis,præſules ad Lateranenſe Conciliũ, miſſurum promiſit, rogans ut de pragmaticâ ſanctione abolendâ actionẽ extraheret, donec Eccleſiæ Gallicanæ procuratores quamprimùm in urbem mittendi audirentur. *Acta Concil. Lateran.* Idem Conciliabulũ abiurarunt Galli Preſules *ſeſſ. 9.* irritâ *Pragmaticâ ſanctione*, quæ *Carolo VII.* Rege in Biturircenſi convenru,vigente ſchiſmate Baſileenſi adverſus Romanorum Pontificum auctoritatem lata fuerat, ut ex *Actis Concil. Later.* atquè *Conſtitut.* 20. *Leonis X*. Actum etiam in eodem Concilio de Bello Turcis inferendo, ſed nil concluſum. *Gallus reconciliatur Leoni.* *Pragmatica Sanctio tollitur*

12. *Vrbes pretio redimens*, Mutinam à Maximiliano Impetatore comparavit pretio triginta mille ducatorum, expulſo *Videfraſto*, qui arcem propugnabat Cæſare obliterato,atquè Pontifice.*Iovius p.65* Miſſis poſteà ad Reges Legatis pro pace Vniverſi,cùm Galli undiquè arma ſpirarent, fœdera à *Iulio* prædeceſſore percuſſa ſervare decrevit. Hinc ſolutis viginti quinque millibus aureorum *Maximiliano Sfortia*, Helvetios recreavit,qui initâ ad Novariam cum Gallis pugnâ,iterum Francorum deturpatis victoriis, à Leone pronunciati ſunt *Defenſores Eccleſiæ*. Petrus Bembus *l.4.ep.1.* Venetam tunc Hiſpani ingreſſi Provinciam Margheriũ populabundi irruerunt. Nõ tulit ulteriùs tantam ignominiam *Livianus*, redeuntem hoſtem onuſtum ſpoliis ad Creatium inter Vincentiam, & Veronam adoritur eâ fiduciâ, quaſi gregem inſectaretur impavidus;præcipiti tamen feſtinatione victoriam delevit, amiſſo exercitu, cui tanta ſtrages ab Hiſpanis illata, quanta lieuit per integrum diei ſpatium. Diſplicuiſſe *Leoni* Venetam cladem clàm cum eis conſpiraſſe,quòd ab eis crederet pendère Italiæ libertatem auctor eſt *Iovius p.71*. Romani ut Leoni gratum facerẽt, *Iulianum* civem dixere Romanum eâ populi lætitiâ, ut in Capitolio Plautinas recitarer comœdias. Gratus Leo minuit Salis vectigal,Romanos Conſervatores auctoritate auxit. Hinc ei ſtatuâ poſita in Capitolio lapideâ cum inſcriptione ſequẽti; *Optimi Liberaliſſimiq. Pontificis memoriæ S. P. Q. R.* *Gallorum, & Venetorum clades.* *Iulianus civis Roman.*

Obiit *Ludovicus* Francorũ Rex nimio fatigatus coitu cũ *Mariâ* Britannâ,locũq; dedit *Frãciſco I.* qui ſtatim rebus cum Anglo cõpoſitis, aſſociatis Venetis, ſuperatâ naturâ inter Alpes Cotias,& Maritimas in planò Salutiarum magno inſtructus deſcendit exercitu, & *Proſperum Columnam* Ducem oppreſsit Pontificiũ. Ea clades Pontificem, & Helvetios provocabat ad pacem; cum quaſi æſtro perciti triginta quinq; mille Helvetii Mediolano exeuntes, à Sedunenſi Cardinale huius belli tubâ concitati, eo prætextu quòd iam Galli cum Hiſpanis manus conſerent, caſtra Regis aggrediuntur ad *Marinianum*. Vſquè in quartam noctis prælium productum,furore magis et Andabatatum more, quàm arte. Feſſus tandem miles quievit,& quo quiſquè erat loco permixtus Helvetio Francus ſomnum cœpit. Sequenti die, albeſcente Cœlo iterum maioribus animis decertarum horis quinquè; cum eccè *Livianus* Veneti ductor exercitus cum quinquaginta tantũ prçcurrens equitibus,*Contareno* ſubſequente Legato cum copiis,Helvetii auxiliares copias adeſſe rati, ſervatis ordinibus Mediolanum receſſere, indè in patriam, relicto in arce præſidio, quâ ſe *Maximilianus* incluſit. Franciſco certatim ſe dedere urbes, ipſumquè Mediolanum cum *Maximiliano*, qui in Franciam ductus, ut ibi penſione triginta aureorum millium quietiùs viveret,quãquàm minùs glorioſè,quod ſtultus ſẽper optaverat. Rex iam omnibus charus,ęquè metuẽdus, cum Pontifice(Allobrogum Principe ſequeſtre)pacẽ iniit timore iſte perculſus, nè in diſcrimẽ Domus adduceretur Medicea;Parmã namquè Placentiam Gallus repetiturus ferebatur, Romamquè venturus devotionis ſpetie ſed cum exercitu. Pacis leges fuere: *Ex Parmâ & Placentiâ Pontifex Magiſtratus, præſidia deduceret militaria, quæ Gallico militarent ſub ſigno: ex Veronâ etiam copias ſubduceret ſubſidiarias,& amicitiam cum Cæſare diſſolveret. Franciſcus Mediceam familiam regiis armis contra hoſtes tueretur: Iuliano Leonis fratri ampliſſima in Galliis munera concederet:Nullius Eccleſiæ principis beneficiarii patrocinium ſuſciperet, quin potiùs Pontifici vectigales ſuos plectere meditanti, opem ferret*. His actis venere Florentiam Pontifex & Rex voto tamen diverſo. Iſte ut officiis à Leone invadendi regni Neapolitani poteſtatem ſurriperet. Leo ut blanditiis à Neapolitanâ expeditione revocaret.Florentiã venienti Leoni Anno 1515.die S.Andreæ ſacro feræ divulſæ ſunt civitatis, honoris ſpetie, creatis Legatis *Nicolao Fliſco*, & *Iulio Mediceo*, qui in ditionis Eccleſiaſticæ limite venientem Regem ſalutarent. Quatuor Pręſules obvii ad Parmam occurrerent.Tertio Non.Decemb.Bononiani venir,ubi cum Bononienſium ſummâ ſoccordiâ conopęum ex telâ, & chartâ videret detritũ S. S. Euchariſtiæ, ſibi autẽ auro intertextum paratum, juſtâ indignatione commotus,mãdavit vile illud lacerari,aliudverò pretioſũ S. S. Euchariſtię prætendi, volens ipſe eſſe ſiuè Balda- *Ludovici mors Succeſſio Frãciſci I.* *Anno 1515.* *Leonis pax cũ Gallo.* *Fædus Leonis cũ Frãciſco I.* *Bononienſiũ impudẽtia.*

dachino. *Paris de Graſsis.* Inter obſequia Pontifici à Rege ſoluta non ſolùm deoſculatus eſt pedem, ſuppedaneum tenuit, ſed & laciniam veſtis Pontificis ad thronum pergentis ſuſtinuit humiliter, Papà contradicente, dicens, ſe libenter ſervire Chriſti Vicario etiam in minoribus. *Paris.* XIV. Decemb. in conſiſtorio ſecreto, rogante Rege, Leo creavit Cardinalem *Adrianum Ep. Conſtantienſem* fratrem M. Magiſtri Rhodiorum Equitum. Factum etiam *Concordatum*, quo abolità *Pragmaticà ſanctione*, cujus vigore electio Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Abbatum non ſpectabat ad Regem, nec ad Pontificem, ſed ad Capitula.

Concordatum inter Leonẽ & Frãciſcum.

Non hoc tamen contentus Bituricenſis cõventus, ſalcem in meſſem extendens alienam, decidere nõ formidaverat Concilium eſſe ſupra Papam; Appellationes ad Curiam Romanam non permittendas cum aliis, quæ ſchiſma ſpirant, & hæreſim. Datum poſtea *Franciſco* Regi, eiuſquè ſucceſſoribus *Spirituale*: videlicet ad Eccleſias Cathedrales, & Abbatias etiam Monachales nominatio: Pontifex verò *Annatas* reciperet primi Anni beneficiorum vacantium non ex veteri, quę longè inferior erat, ſed ex eà, quę mox fieret, & vera tunc eſſe deprehenderetur, æſtimatione; licet deficiẽte teſtimonio, & ſcripturà ad probationem neceſſariis, ſpe ſuà fruſtratus Leo, ad veterem æſtimationem redire coactus ſit.

Spirituale datũ Regi.

Regem ſub initium repudiaſſe gratiam quaſi nocituram conſcientiæ ſuæ, ſcribit *Brietius.* Moriturum declaraſſe *Henrico II.* filio ſuo, nihil habere, quo tantum eius gravaretur conſcientià, quàm quòd electiones amoviſſet antiquas, & in ſe recepiſſet nominationes Eccleſiarum, & Monaſteriorum, licet Leo in *ſeſſ.* 11. *Lateran. Conc.*, non aliter conſuli potuerit Eccleſiæ Gallicanæ demonſtret; quòd *Ex electionibus, quæ in Eccleſiis Cathedralibus & Metropolitanis ac monaſteriis dati regni, à multis annis citrà fiebant, grandia animarum pericula provenirent, compleraquè per abuſum ſæcularis poteſtatis, nonnulla vero præcedentibus illicitis, & ſimoniacis pactionibus, alia particulari amore, & ſanguinis affectione, & non ſine reatu periurii fierent, cum electores ipſi etiam, ſi antè electionem per eos faciendam magis idoneum, & non eum quem promiſſione, aut datione alicuius rei temporalis, ſeu prece vel precibus per ſe, vel alium interpoſitis electionem procurare didiciſſent, eligere ſpontè iurarent, iuramentum huiuſmodi non ſervarent, ut nobis notoriè conſtat ex crebris abſolutionibus, & rehabilitationibus à nobis, & prædeceſſoribus noſtris petitis & obtentis &c.* Ad ſedandos Gallos vix Lateranenſe fuit ſatis Concilium, ſeditiones namquè ferro, & milite reprimuntur armato. Certatum quoquè libellis Academicorum & Senatorum, qui demùm gratiis quibuſdam deliniti, quaſi offà ineſcati canes latrare deſierunt.

Leo infenſus Rovereo.

Leoni deinde reconciliate *Franciſcum Mariam Rovereum* Vrbinatem regulum, *Iulii II.* ex fratre nepotem Rex aggreſſus eſt. Ille ducentis cataphractis equitibus Pontificis ſtipendio authoratus ſub Iuliano antea militarat; *Iuliano* mortuo, ſuccedente *Laurentio Iuliani* filio, in caſtra pergere recuſaverat, quin etiam mittere equites ſuos quòd iam cum Rege conveniſſet, vel convenire brevi ſperabat. Leo iniuriarum memor aut potius quòd Vrbinatem principatum ad *Laurentium* transferre deſtinarat, ut inceſſanter urgebat *Alphonſina Virginii Vrſini* filia, mater *Laurentii*, Regi aſſentire negavit. Immò ſecedente Gallo, Vrbinatem accuſavit clam cum Gallo in Pontificem conſpiraſſe: homicidã Cardinalis Ticinenſis non legibus, ſed Pontificis patrui indulgentià fuiſſe abſolutum. Milites Pontificios è pugnà fugientes Ravẽnate perſequutus fuiſſet. Sibi Florentiã redire conanti opẽ non tuliſſet. Movit ergo in *Rovereũ*, & brevi principatu ſpoliavit, quẽ Leo aſſẽtiẽtib' Cardinalibus trãſtulit in *Laurentiũ Mediceũ*.

Vrbini principatum dat Mediceis.

Solus *Dominicus Grimanus* Vrbinas Põtifex ſubſignare renuens, Romà migavit. Parantem *Franciſcum I.* invadere regnum Neapolitanum, ad ſua defendenda revocavit *Maximilianus* Imperator, qui contractis ingentibus copiis, rei fortiter gerendæ avidus, magnis itineribus, penè improviſus Mediolanenſis principatus fines ingreſſus pecunià deficiente, ſuſpectaq; Helvetiorum fide, repentè fugienti ſimilis receſſit, nullo alio operæ pretio, quàm ut magna tentaſſe videretur. Adſuerunt Francis in hac expeditione Veneti, qui mutuo Gallorum ſuffulti ſubſidio, Brixiam tandem atquè Veronam recuperarunt, bello abſoluto Cameracenſi, quo iam octavum annum Italia miſerè deflagrabat, inſigni Venetorum laude, qui tantam belli molem adversùs univerſæ Europæ principes ſuis ſoli viribus ſuſtinuerunt, expenſis centies quinquagies centenis aureorum nummum millibus.

Veneti omnia recuperãt.

Pax cùm ſperaretur diuturna, ecce *Franciſcus Maria Rovereus* ditionis recuperandæ avidus Anno 1517. quinquè millibus Hiſpanorum, & 800. Vaſconibus Vrbinum veniens, arridentibus populorum ſtudiis, quantumvis Pontifex numeroſos opponeret exercitus ſed bellandi imperitià impares, principatu redempto, in reliquam ditionem Eccleſiaſticam infeſta ſigna circumtulit. Hiſpano, Gallo conivente Rege procellam conflatam ratus Leo, ad ſedandam eoſdem adhibuit. Cęſari, ac *Carolo* Hiſpaniarum Regi (mortuo ſucceſſerat iſte *Ferdinando*) Roverei conſpirationem in caſtris Gallicis penè ob Lautrecii oculos factam indicabat. *Franciſco* Regi ſe neſcio quid de Lautrecio ſuſpicari ſignificavit: nihil prætereà addidit. Cæſar priſtino odio, innataquè conſtantià iam à Gallo alienatus ſocietatem cum Anglo coierat. Hinc ipſe & *Carolus* Franciſcum Leoni in ſuſpicionem veniſſe lætati imploranti promiſere ſuppetias, & ſuis ne in Pontificem arma ferrent, edixerunt. Carolus ſpoliato Rovereo Sorano principatu, quem *Ioannes Rovereus* Franciſci pater redemerat, quadringentos cataphractos Pontifici miſit in caſtra. Franciſcus etiam, ne deſperatus *Leo* ſe penitùs cum Auſtriacis coniungeret, trecentos cataphractos equites Lautrecio permittere imperavit: ſimul & ut novam ſocietatem coirent, à *Leone* poſtulavit: quia Bononienſem iam *Leo* violaſſet, culpà in Regem revulsà innocentem. Querelas augebat *Ludovica Sabaudiana* Regis mater, & *Leonem* palàm impietatis atquè crudelitatis accuſabat, quòd principem de ſe, ſuiſquè fratribus benemeritum ingratus ſpoliaſſet principatu, nec eius calamitate contentus eidem ſacris interdixiſſet: matri, uxoriquè dotem ſolvere recuſaſſet, ut miſerę ad cognatos confugere tenerentur. Hę querimoniæ *Leonis* ſuſpiciones augebant conceptas. *Laurentius* itaquè trecentos equites Gallos in Mutinenſi agro ſubſiſtere iuſſit, ut ab hoſtibus ſeparati ei minùs nocere poſſent. Renovata tandem iu

Novum fœdus Leonis cũ Gallo.

dem Romæ ſocietas hoc pacto inter Leonem, Franciſcum, Florentinos, Laurentium Medicem incluſo Vrbini ducatu, ſancita eſt. *Ditiones ſuas ſibi invicem tuerentur. Leoni in rebelles Rex opem ferret. Sacerdotiorum, ac decimarum, percipiendarum uti Bononiæ convenerat, Regis poteſtas eà conditione ut pecunia deponeretur apud tertiam perſonam in bellum Turcicũ dumtaxat impedenda: ſed clam inter ipſos convenerat, ut coactam pecuniam Rex etiam in privatos uſus converteret. Privatim ſe nullam opem in Ferrarienſem à Rege imploraturum Leo pollicitus eſt: quin etiam ut eum Rex in clientelam reciperet, permiſit. De Mutinà, Rhegio, Roberià reſtituendà Ferrarienſi magna controverſia fuit. Reſtituere Leo apertè non recuſabat, ſed in aliud tempus differebat: tandem intra ſeptimum menſem ſe reſtiturum promiſit, eo voto; ut ſi res ſibi benè ſuccederet, novis promiſſis* non magis, quàm Bononienſibus ſtaret. *Belcarius l. 15. n. 43.* Aucto interim exercitu Pontificio, duobus equitum, & quindecim millibus peditum ſe inſtruebant ad pugnam: cum inter milites orto diſſidio ſpreto duce, maior pars ad *Rovercam* defecit. Itali cum ſoli ſupereſſent, ſeditione excitatà quieverunt, maioris ſtipendii promiſſione ſuſceptà. Mirum ſanè, ubi ab inope regulo nulla pendebantur ſtipendia, tanta concordia, ac militum erga Pręfectos eſſet obſervantia: in caſtris autem Pontificis, ubi ad præſciptum diem ſemper integra numerabantur, tot ſeditiones conſequerentur. *Rovereus* viribus auctus aliquam urbem maritimam, ut res ſuas in tuto collocaret, oppugnare cupiebat. Hiſpani quæſtus avidi, quibus iam tertium menſem militantibus nullum ſtipendium ſolverat, Hetruriam fertilem, de bello nil ſuſpicantem adoriendam cenſebant; quorum conſilia ſequi coactus, Peruſium duxit, ſed iam præmunitum inveniens, acceptis decem aureorum millibus, ForumSempronii rediit. Nec meliùs Leoni res ſuccedebant urbanę, eius vità per *Alphonſum Petruccium* Cardinalem Şenenſem

Veneno tentatur à Cardinale Petruccio

14. *Veneficio* tentata. Apud amicos Cardinales *Raphaelem Riarium, Saulium Bandinelum Genuenſem, Franciſcum Soderinum, Adrianum Cornetanum* ſæpius queſtus erat, quòd beneficiorum immemor *Leo* ſe, *Borgneſiumq.* fratrem patrià, patrimonio, principatu expuliſſet. *Pandolphus* enim *Alphonſi* pater multum inſudaverat, ut Mediceos Florentiam reduceret. *Alphonſus* ipſe in creatione Leonis ad conciliandos Cardinales iuniores egregiam operam navaverat. Invenis inconſiderati querimonias audiebant non inviti, præcipuè *Riarius*, qui divitiis, ortu, menſæ magnificentià ad Pontificatum conſpirabat. *Bandinellus* Alphonſo intimus, & in creando *Leone* devotus, in quibuſdam poſtulationibus repulſam paſſus, tacitè querebatur. *Soderinus* Petrum fratrem à Mediceis patrià dolebat expulſum. *Cornetanus* mulieris fatidicæ oraculo deceptus, quæ *Leoni* ſublato *Adrianum* humili loco natum, ſolà literarum commendatione nixum ſucceſſurum prædixerat, ſibi blandiebatur. At non hic, ſed Batavus *Hadrianus* erat. *Alphonſus* itaquè deſperatione agitatus pugionem clàm in Cardinalium conventum ſæpiùs tuliſſe fertur, ut *Leonem* nec opinantem confoderet: ſed facinoris attrocitate deterritus, ſi ſummo Pontifici manu ſuà vim attuliſſe diceretur, veneno tollere deſtinavit, medio *Baptiſtà Vercellio* chirurgo nobili, dum fiſtulam *Leonis* imà in ſede natam curaret. Vulgatis interim in aulà querimoniis, Leonis indignationem ut declinaret Alphonſus in agrum ſeceſſit Latinum, *Antonio* ſecretario Romæ relicto, qui ſcelus perficeret. Eodem tempore creſcente rumore *Rovereum* Senas movere, id *Alphonſi* conſilio fieri *Leo* ratus, in *Alphonſum* cœpit diligentiùs inquirere, detectiſquè inſidiarium literis, *Alphonſum* ac fratrem *Borgneſium* quaſi in priſtinum ſtatum reſtituendos accerſivit. Dubitavit ille, & ſinè fidejuſſione Hiſpani accedere noluit, quà cum ſacramento impetratà *Alphonſus* repugnantibus amicis, exilii tędio, & ſpe fortunæ melioris Leonem adiit, ſed illicò comprehenſus cum *Saulio* Cardinale in molem concluditur Hadriani. Vinciuntur *Baptiſta Vercellinus, Pocointeſta Tiberianenſis, Antonius Ninus* cum notis arbitrariis quas mox interpretari coactus eſt coram *Mario Peruſco* rerum capitalium præfecto (conquerente Hiſpano legato contra ſibi præſtitum iuſiurandum Leonem impiè fallere: ac ſpretà Iulii prędeceſſoris conſtitutione, Cardinales ex animi libidine, nullo Cardinale præſente, bonis, vità mulctare) Surdus Leo *Vercellinum, Ninum, Pocointeſtam* in partes ſecari permiſit. Alphonſus cum in tormentis conſpirationis conſcios *Riarium, Soderinum, Cornetanum, Saulium* nominaſſet; negavit Riatius ſe conſpirationis conſcium: quòd ſolumodò *Alphonſum* querentem, & minantem, ſe mortem illaturum Leoni; hominem naturà levem re præſtaturum non ſperaſſet. Vocato iterum Cardinalium conventu, expoſtulavit Leo, quòd primores Collegii, Pontificis abuſi liberalitate, ob quam à multis accuſabatur, in eum conſpiraſſent, quem defendere debuiſſent. Illi ſi ante dimiſſum conventum culpam fateantur, ſe mitiùs cum illis acturum: dimiſſo conventu nullam veniam ſperarent.

His auditis *Cornetanus*, & *Soderinus* ad Leonẽ procũbentes cũ eoſdẽ audiſſe ſermones cum *Riario* profiterẽtur; quæſtionis acta in eodem conventu proferri mandavit. His lectis *Alphonsũ Senensẽ*, ac *Saulium Bandinellium* Cardinalitio gradu dejectos, Præfecto redditos nocte inſequenti *Alphonsũ* ſtrangularunt; *Saulius* Supplicium coniuratorum.
lento veneno ſuſtulere: *Soderinus*, ac *Cornetanus* decẽ aureorum millibus mulctati ſinguli: iſte clam ſe ſubduxit, nec amplius comparuit: ille Fundos Leone permittente ſeceſſit. *Riarius* centum aureorum millibus numeratis in priſtinum gradum reſtitutus Neapolim abiit, ibiquè obiit. Exaſperatos autem ob acerbitatẽ reliquos Cardinales ſuſpicatus Leo, alios in damnatorum locum ſurrogare decrevit. Pręfecto namquè non ſubmittendos Cardinales: vel ſaltem duos ex Cardinalibus pręficiendos primatii ſenatores poſtulaverant. Alii mitiorem ſententiam dixerant; viros inſontes, ut pecunia in ſumptus bellicos quęreretur dannatos vulgò muſſitabant. Hac de causà unum ſupra triginta creavit (ægrè conſentientibus tredecim antiquis) inter quos *Thomas de Viò Gaetanus* Generalis Prædicatorum, *Ægidius* Generalis Eremitarum, *Chriſtophorus Normannus* Generalis Minorum, *Hadrianus* Pontifex futurus Alii nõ proprio, Novi Cardinales.
ſed merito principum poſtulantium promoti. Alii ſanguine inſtigante, nàm duos ex ſororibus nepotes, & nonnullos ex iis, qui antè & poſt Papatum ei inſervierant. Plures etiam numeratà pecunià, cum non aliter Eccleſiæ patrimonium, immò vità defendere

dere poſſet in coniuratos. Eodem voto officia quædam excogitavit venalia, ut cubicularios, ſcutiferos, milites S. Petri, & ripæ portionarios. *Iovius Panvin.* Octo etiam promovit nobiles Romanos inter quos Vrſinum, Columnam, qui cum ſub *Iulio II.* purpurà

Prodigia.

defeciſſent, *Iulius* promovere noluerat, quòd Romanorum potentia ad depreſſionem ſacerdotii ſemper exurgat. *Guicciardinus l.* 13. Notant aliqui Romæ die quò Cardinles 31. creavit, Angelum in arce S. Angeli (ut ſub Alexandro VI) pari fulmine proturbatum; inopinam tempeſtatem in templo, ubi congregati erant, claves è manibus S. Petri excuſſiſſe; eodẽ tẽporis puncto cępiſſe etiam deronare Luterũ.

Rovereo interea cum pabulum deeſſet ad alendum exercitum, nec pugnandi copiam facerent Põtificii. Leo etiam Hiſpanorum, Gallorumq; haberet ſuſpecta ſubſidia, exauſto errario amicorumquè facultatibus, cõditionibus convenere ſequentibus, ut *Hiſpanis in quatuor menſium ſtipendium quinquè, &*

Pax cũ Ruvereo.

quadraginta: Vaſconibus, ac Germanis ſexaginta nummũ aureorum millia Leo dependeret: illi intra octavum diem è Pontificià, ac Florentinà ditione decederent, & Vrbinate. Rovereus quicquid in eodem agro poſſideret, Leoni poſſidendum relinqueret: tormenta omnia, ſuppellectilem, præſertim celebrem illam Bibliothecam, quam Federicus Roverei maternus avus magnà impenſà, parique condiderat diligentià, ſecum auferens, Mantuam liberè ſecederet: eumdem, Vrbinates omnes, quotquot in hoc bello à parte ſtetiſſent adverſà, Leo ſacris reſtitueret. Porrò poſtulante *Rovereo*, Hiſpanorum nomine Vrbinas Principatus *Leoni* traderetur: Hiſpanis autem contra ſuã exiſtimationem eſſe prçfatis recuſantibus, acrior proptereà diſceptatio fieret; veritus *Rovereus*, nè ab Hiſpanis *Leoni* traderetur captivus, ſe repentè ſubduxit. Hic Vmbrici belli exitus victo quidem pernicioſi, victori antem ex parte ignominioſi, quòd ad redimendam pacem, ſtipendium pendère coactus ſit iis, qui bello cauſam præbuiſſent. *Guicciardinus l.* 13. Præmebat interim

Lutheri natalia.

15. *Lutherus eccleſiam Dei.* Anno naſcitur hæreſiarcha, 1483. Salutis. Hora X. poſt meridiẽ in Saxonià, Islebii, ſub comitibus à Mansfeldià, parentibus infimæ plebis *Ioanne Ludero*, *& Margarità*. Nomen ſortitur *Martini* in baptiſmo, antiquo, & patrio more, quod nocte natus, quæ feſtum præcedit D. Martini, die ſcilicet X. Novembris. Cum verò paternum cognomẽ *Luder* minùs honeſtum videretur,

Studia.

poſtea *Luther* dici voluit. Erſordiæ literis excultus anno XX. magiſter artium creatus, cum in agro verſaretur percuſſum fulmine ſocium intuitus, metuq; perterritus nuncupato voto, religioſis S. Auguſtini inſtitutis, non ſinè multorum admiratione ſe aſtrin-

Monachatus.

xit; Quo animo? ignoratur: certè elapſo annuali tyrocinio, voto ſe Deo obligavit, ſtrenuè ſe in ſtudiis & ſpiritualibus exercitiis Deo militans per quadriẽniũ. Viſus etiam fratribus nonnihil ſingularitatis habere, ſivè ex Comitiali morbo, ſivè ex occulto cum dæmone commertio; Cum enim in choro Evangelium legeretur de eiecto ſurdo & muto, repentè concidit

Diabolo familiaris.

vociferans, *Non ſum, Non ſum.* Ipſe etiam de ſeipſo ſcribens in quodam ad populum habito ſermone, ait: ſe benè *cognuſcere diabolum, & ab eo ſe viciſſim cognitum, ſeq; plusquàm unum fructum ſalis cum eo comediſſe.* Sic in libro germanicè edito *de Miſſà Angulari*, Diaboli diſputationem ſecum noctu habitam commemorat. Anno domini 1508. Erfordià Virtenbergam venit, ubi in Accademià recenter erectà ab Electore Saxoniæ Duce *Friderico*, Phyloſophiam docuit. Poſt triennium orto diſſidio inter Conventuales adverſùs Vicarium Generalem, Procurator litis delectus à ſeptem conventibus Romam adiit ingenio acer,

Glorię avidus.

& ad contradicendum audax. Lite finità, Virtembergã reverſus, ac ſolità celebritate laureà inſignitus Theologicà, cœpit ubiquè nova exponere theoremata, ut diſputatione gloriam aucuparetur inanem. Ariſtotelem, Thomam Angelicum non magis faciebat, quàm doctores gregarios. Ac-

Indulgẽtię vulgatę à Leone X.

cidit tandem, Anno Sal. 1517. ut *Leo* X novas vulgaret per Orbem Indulgentias, occaſione templi S. Petri, quòd *Iulius II.* ſumptuoſà incæperat magnificentià: ut quemadmodùm Eccleſia Romana poteſ-

B tate ac dignitate cunctis per Orbem Eccleſiis refulget: ita Petri templum ſtructurę magnitudine & cæteris præferetur. *Leo* autem Papa vir liberalis, & ad erogandas quàm ad corrogandas pecunias pronior, rantæ ſtructuræ ſumptibus impar, ut pio ſubſidio multorum adiutrices manus acquireret, priorum exemplo (teſte *Vvadingo tom.* 8. *Annal.*) divulgavit indulgentias, eiquè præſecit virum cæteris graviſſimum (teſte ex ipſis hęreticis *Georgio Sabino* apud Ferrarium) *Albertum* Archiep. Mogunt. & Magd. S. R. E. Cardin. Germaniæ Primatem, Electorem S. R. I. Marchionẽ Brandeburg. &c. Tanto cum Principe *Leonem*

Calumniæ in Leonẽ X.

Pontificem pactum accuſat ſe diviſurum lucrum Indulgentiarum; portionem verò ſuam donaſſe *Magdalena* ſorori, quę in eam rem Epiſcopum *Arembaldum* delegavit hominem ſordidè avatum; & hoc ex con-

C ſilio *Lawrẽtii Pucci* Cardinalis Sanctorum quatuor, *non tantùm ut viventibus ſuccurat* (verba ſunt Guicciardini l. 13.) *ſed etiam ut defunctorum animas pœnis Purgatorii eximat; quia verò notum erat tales Indulgentias emungenda pecunia tantùm concedi, quam Comiſſarii illi impudenter flagitabant, qui mandata illa ab officiariis Papæ emerant, malevolentiam ipſe hominum plerique in locis ſibi conflarat, multaq. ſcandala, in Germanià præſertim pepererant, ubi eius miniſtri exiguo lucello merces illas ſuas addicebant, inque popinis ipſis facultatem liberandi animas ex Purgatorio alea exponebant.* Oh infelix Principum conditio; alieno teneri piaculo, & ſcelera ſubire ſuorum. *Leo* X. ſit poſteris in exemplum, Princeps omnium liberaliſſimus, quaſi prodigus avaritià notatur ſacrilegà, quòd aulici ſuo abuterẽtur officio. Vaticanum templum Leonem ſuis fraudaſſe eleemoſinis, ipſa obſtat moles,

D ad cuius ſtructuram tranſlati ſurgunt ad ſydera mõtes. Expilatæ eleemoſinæ priuſquàm Leonem inſimules, ipſum ſuſpice templum. Certum eſt ſolius capellæ Principis Apoſtolorum aulæa quinquaginta millibus aureorum paraſſe, quę noſtrà ſi supputentur ætate, ducenta excedunt nummum aureorum

Ædificia à Leone extructa.

millia. *Sfortia Pallavic. l. 3. ex Iovio.* Pulverem dicas fidelium eleemoſinas, vel pedes fictiles illius ſtatuę, cuius caput aureum, pectus argenteum, fæmora ferrea. In Vaticano namquè teſtudinem illam templi, quę ad lævam conſpicitur, lateribus Porphireticis fabrefecit: Pontificios lares collabenti vetuſtate deformatos ſuo nitori reſtituit. Vaticani laquearia, quę illis in porticibus ſurgunt, expolivit.

De-

Delubrum, quod ad maius eiuſdem templi ſimulachrum vergit, ornavit marmore. In Laterano pleraquè reſtituit labantia. Cubicula Pontificia *Michaelis Vincii* picturà inſignivit. Obliquam ſemitam, quę ad populi delubrum vergebat, in rectam dilatavit. Gymnaſium Romanum auxit, dotavit. D. Virgini Lauretanæ murorum illam ſpectatiſſimam congeriem ſundavit. Aram virginis muneribus honeſtavit. Candelabra argentea quatuor ſeſqui cubitalia auro interlita, librarum 50. umbella, Campana raræ magnitudinis, Leonis dona ſunt. Morimundanum cęnobium in valle Tilini An. 1481. cum eſſet commendatarius huius loci in antiquum ſplendorem reſtituit. Piſanā Accademiam à *Laurentio* patre inſtitutam, & penè collapſam reparavit. An verò eleemoſinas *Magdalenæ* ſorori donaſſet *Leo* affirmantem *Guicciardinum* Pallavicinus redarguit, quia in apochis Cameralibus nulla mentio, neceſſaria tamen ad cautionem quęſtorum donatione ſuppoſità, ſtudiosè forsàn à *Leone* conceſſa, ut a poſtulatis averteret conſangnineos, quos ſatiare haud poſſet, quàm peculio ſacrilego. Innocentia namq; Leonis in diſtribuendis rebus Eccleſiaſticis ea fuit; ut ęre proprio auaritiam redimeret familiarium, ne indignis conferret beneficia. *Iovius*.

Diſſidiū inter Auguſtinianos, & Dominicanos.

Moguntinus itaquè cum Fratres Eremitas S. Auguſtini concione atquè ſcripturà in evulgandis Indulgentiis celebres (eorum namquè ſunt libri *fodina, & eius ſupplementum*) aſſumpturus eſſet; plurium conſilio prælatus eſt *Io: Tetzelius*, Frater Ordinis Prædicatorum tanquàm magis idoneus, quòd recens eſſet tunc ſermonum eius de Indulgentiis memoria, quibus amplam per Indulgentias pecuniam congeſſerat fratribus Theuronicis in Livonià, qui premebantur à Moſcovitis. Egrè hoc cum ferrent Auguſtiniani; *Ioannes Staupitius*, vir genere nobilis, facundià & eruditione clarus, Generalis eorum per Germaniam Vicarius, charus Saxonię ducibus, præcipuè *Friderico* Electori S. R. I. (qui magnis ſumptibus inſtitutà Accademià Virtembergenſi, cum Collegio Canonicorum, in quo *Ionam* præpoſitum, *Carolſtadium* Archidiaconum delegit, *Omnium Sanctorum* inauguratà eccleſià, in quam undiquè reliquias congregavit Sanctorum, facile huic Principi inſtillavit frequentes Indulgentiarum abuſus, & Quæſtorum ſcandala, qui Germaniam expilantes, quærerent, quæ ſua, non quę Chriſti.

Io: Staupitii indignatio.

Lutherus etiam optatā diu adveniſſe occaſionē exultās, arrepto calamo mox ad ſupradictum Germaniæ Primatem *Albertum Moguntinum* epiſtolam ſcripſit indignabundus; in quà poſt captatam benevolentiam, in hæc prorupit. *Circumferuntur Indulgentiæ Papales ſub tuo præclariſſimo titulo, ad fabricam S. Petri. In quibus non adeò accuſo Prædicatorum exclamationes, quas non audivi, ſed doleo falſiſſimas intelligentias populi ex illis conceptas, quas vulgo undiquè iactant: videlicet, quòd credant infelices animæ, ſi literas Indulgentiarum redemerint, ſe ſecuras eſſe de ſuà ſalute. Item: quòd animæ de Purgatorio ſtatim evolent, ubi contributionem in ciſtam coniecerint.* Et poſt pauca: *Idcircò tacere hæc ampliùs non potui. Non enim fit homo ſecurus de ſalute per ullum munus Epiſcopi, cùm nec per gratiam Dei infuſam fiat ſecurus: ſed ſemper in timore, & tremore iubet nos operari ſalutem*

Lutherus ſcribit contra Indulgentiarum uſum.

A *noſtram Apoſtolus.* Infrà: *Cur ergo per illas falſas veniarum fabulas, & promiſſiones, prædicatores earum faciunt populum ſecurum, & ſinè timore? Cùm Indulgentiæ prorſus nil boni conferant animabus ad ſalutem, ſed tantummodò pœnam externam, olim Canonicè imponi ſolitam auferant. Ex Virtembergà Anno Sal. 1517. In Vigilià Omnium Sanctorum.* Hinc lector intelligat contrà Indulgentias inſurrexiſſe *Lutherum* non zelo, ſed ex odio in Dominicanos concepto, & Curiam Romanam, ut ipſe fatetur *ep. ad Argentinenſes*. Nulla enim alia doctrina ad opera religioſa tàm pigrum populum reddidit Chriſtianum, quàm novum Lutheri ſchiſma, publicè ſcribentis in ſuo Babylonico præludio, *Tàm divitem eſſe hominem Chriſtianum ut etiam ſi velit, non poſſit perdere ſalutem, niſi nolit credere. Nec ulla peccata eum damnare queant, eo quòd per fidem in* B *promiſſionem, quæ baptizato facta eſt mox abſorbeantur ac deleantur omnia peccatà, modò credat aut cogitet ſe baptizatum.* Epiſtolà non contentus privatà eadem die ultimà Octobris (teſte Martino Cruſio in *Annal. Svecorum l. 10. c. 6.*) propoſitiones promulgavit 95. contrà communem de Indulgentiis Eccleſiæ ſententiam. *Tetzellius* autem, qui Francofurti (ubi *Ioachim Marchio Brandeburgenſis* ſtudiorum erexerat Univerſitatem) degebat Indulgentiarum prædicator Apoſtolicus, & Hereticæ pravitatis inquiſitor, ingenio ferox, & corpore robuſtus, indignè ferens Lutheri protervam audaciam, ut par pari referret, Centum & ſex adverſas Luthero propoſuit.

Contentio inter Lutherum & Tetzelium.

Lutherus cum orſus eſſet, *Dominus N. I. C. dicendo*, Pœnitentiam agite &c. *omnem vitam fidelium pænitentiam eſſe voluit. Quod verbum de Sacramentali pænitentià Confeſſionis, & ſatisfactionis, quæ ſacerdotum miniſterio cele*C*bratur, non poteſt intelligi. Non tamen ſolum intendit interiorem: Immò interior nullà eſt, niſi foris operetur varias carnis mortificationes &c.* Contra Tetzellius. *Quiſquis dicit, Dominum N. I. C. dum prædicavit,* Pœnitentiam agite, *ſic docuiſſe pænitentiam interiorem, & exteriorem carnis mortificationem, ut non etiam intelligere voluerit pænitentiæ ſacramentum, eiuſquè partes Confeſſionem & ſatiſfactionem tanquàm obligatorias, errat.* Harum editione lis cōteſtata eſt inter duos Antagoniſtas, quæ pacem & unitatem turbavit Eccleſię, maximo infirmorum ſcandalo, & animarum detrimento. *Lutherus* ſuorum fretus conſilio, Latinum edidit librum, cui titulus *Reſolutiones diſputationum de Indulgentiarum virtute*, in quo ergà Pontificem ſubiectionem ſimulans, in ſe commiſerationem; *Invitus venio in publicum* (præfat. ad Leonē inquit) *præſertim ego indoctus, ſtupidus ingenio, va*D*cuos eruditione. Sed cogit neceſſitas, me anſerem ſtrepere inter olores. Itaquè quo & ipſos adverſarios mitigem, & deſideria multorum expleam, emitto eccè meas nugas.* Et infra: *Quare Beatiſſime Pater, proſtratum me pedibus tuæ B. affero cum omnibus quæ ſum, & habeo: Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam, vocem Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam: ſi mortem merui, mori non recuſabo.* Hac calliditate conciliatis ſibi Principibus credentibus, Monachū quærere veritatis patrociniū contra Indulgentiarum Quæſtores, ut hęreſis ſuſpicionem rejiceret in adverſarios, proteſtationem adjunxit quà judicio ſūmi Pontificis ſe totum ſubmittebat. Hinc illius miſer-

Poetæ pugnāt pro Luthero.

ſerta Poetarum turba, Theologos, Prælatos avaritiæ incuſabat, quaſi ille propter veritatem, & juſtitiā vexaretur ab Eccleſiaſticis invidis, avaris, & indoctis, qui in ocio, luxuquè viventes ſuperſtitioſè à ſimplici plebe pecuniam emungerent. Romę cùm adverſarii tentarent Lutherum in ius vocari, judicibus deſignatis *Hieronymo de Genutiis* Ep. Aſculano, Auditore Camerę, & *Silveſtro Prierate* Magiſtro Sacri Palatii: de inſidiis conqueſtus, ac judicibus ſibi ſuſpectis, ſuamquè prętereà oſtendens paupertatem, corporiſq. imbecillitatem, per *Fridericum* Ducem Saxonię ſolicitavit, ut cauſa remitteretur ad partes.

Lutherus Romam citatur.

Caietanus iudex legatus.

Commiſſa etiam Cardinali *Caietano*, Legato tunc temporis Apoſtolico in Germaniam & Theologorum Thomiſtarum Principi: coram quo timore plenus, ne rebellis appareret, Auguſtę comparuit Vindelicorum, menſe Octob. cum literis commendatitiis Ducis Saxoniæ, nulla ramen Cęſaris ſcriptà fidejuſſione. Benignè admiſſus, ac paternè admonitus tria pręſtare. *I. ut ad cor rediret, errata revocare; II. in futurum ab eiſdē abſtinere. III. ab omnibus ſe cōtinere quibus poſſet Eccleſia perturbari.* Ipſe cum nullos vellet erratus agnoſcere, poſt reiterata colloquia, tempus petiit deliberandi. Alterà die venit ſecundò ad Legatum, more quidem inſolito, nam cum tabellione, & quatuor Senatoribus: & perſonaliter coram Legato proteſtationem ſuam in hęc verbo ſcriptam ex ſchedà, quam prę manibus tenebat, legit notarius: *Ego frater Martinus Luther Auguſtinianus proteſtor me colere, & ſequi S. R. E. in omnibus meis dictis, factis, præſentibus, præteritis, & futuris. Quod ſi quid cōtra, vel aliter dictum fuit, vel fuerit, pro non dicto haberi, & habere volo.* Legato opponente Lutherum contrà *Extravagantem Clementis VI. de Indulgentiis*, negaſſe Eccleſię theſaurū continere merita Chriſti, & Sanctorum: ac contra bonorum opera, merita, de ſolà fide faſtuoſè loquutum; reſpondit *Lutherus* non eſſe ſibi conſcium aliquid dixiſſe contra ſacram ſcripturam, patres, vel decreta Pontificum, qui tamen cum & ipſi errare poſſent, immò erraſſent in ipsà extravaganti; paratus erat doctrinam ſuam diſputando demonſtrare conſonam Sacrę Scripturę, cui ipſi debent eſſe ſubiecti Pōtifices. Ex his Legatus facile intelligens Lutherum iam obſtinatum verba dare, nec decorum Legato cum hæretico diſputare, qui ad docendum veniſſet, ne ſi quid incautè Legatus proferret Apoſtolicus, anſam daret fidem exſibilandi catholicam, cępit in eum minari cenſuras, ni reſcipiſceret. *Lutherus* autem cum cognoviſſet Legato mandatum eſſe, ipſum vinciendi ac *Staupitium*, clàm impetrato Salvoconducto Cęſaris, ſe ſubduxit, ſcriptà priùs appellatione contrà Legatum ad Papam meliùs informandum, quam palam juſſit affigi, ad concitandam eis maiorem invidiam quamvis Auguſtà diſcedens, ut Legatum lactaret, gratias ageret *pro exhibità in ſe clementià, licet impetrare haud potuiſſet, ut cauſa examinaretur iuxta teſtimonia Sacræ ſcripturæ, ſed potiùs coactus palynodiam canere, quod conſcientia prohibebat. Cogentibus propterea amicis appellare, cum etiam Principi ſuo longè gratiorē ſciret Appellationem, quàm revocationē, in patriā redire filium tamen Eccleſiæ, atquè Pontificis, ad quem appellabat ut melius informādum contra legatum ſibi ſuſpectum ratione Ordinis Dominicani, atquè Doctrinæ Thomiſticæ, cui ipſe non erat adſtrictus.*

Lutheri audax proteſtatio corā Legato.

Appellat ad Papam.

Artes Lutheri

Domū reverſus *Lutherus* blandiùs ſcripſit, legati extollens clementiā, ſapientiam, humanitatem: culpā fatebatur irreverentiæ ſuæ in Papam, veniam petebat, tanquā ex animo pœnitens. Quod & per omnes conciones ſe populo annuntiaturū promittebat. Vnū enixè rogabat audire vocem ſponſę, quam certum eſt audire vocem ſponſi. Hæc honorificè ad Legatum ſcribebat: ad alios verò privatim, & publicè eumdem tyrannidis accuſabat, & ignorantiæ. *Video* (inquit) *libellos edi, varios rumores ſpargi de actis meis Auguſtenſibus. Quanquàm verè nihil ibi egerim, quàm quòd tempus, & ſumptus perdidi. Niſi id ſatis abundè fuerit operis, quòd novam audivi linguam latinam: ſcilicet, quòd veritatem docere idem ſit, quòd Eccleſiam perturbare. Adulari verò & Chriſtum negare, id ſit, Eccleſiam pacificare, & exaltare.* In II. appellatione ſuà Legatum arguit nimis Dominicanis affectum, *faciem aſſumpſiſſe iniquitatis, minaſquè diras, & crudeliſſimas tentaſſe, atquè ovem Chriſti petentem humiliter doceri veritatem, & reduci ab errore contempſiſſe.* In ep. ad Leonem X. eum accuſat. *Notum eſſe arbitror tibi, quid mecum egerit Cardinalis S. Sixti, Legatus tuus, imprudens, infelix, immò infidelis. In cuius manu ob tui nominis reverentiam, cum me & omnia mea poſuiſſem, non hoc egit, ut pacem ſtatueret, quam uno verbulo potuiſſet: Cum ego tunc promitterem ſilentiū, & finem cauſæ meæ facturum, ſi adverſariis mandaretur. At homo gloriæ, capit adverſarios iuſtificare, & mihi palinodiam mandare.* Ecquando Lector aſſuevit Eccleſia in gratiam hæreticorum, ora claudere veritati, & maxillam conſtringere. Si Eccleſia non poteſt obſtare futuris, ni præterita corrigat, quomodò impunitos prętertire poterat ſinè cenſurà libros erroribus plenos? eo tempore, quo Virtembergā publico non formidabat quoſcumquè citare ſcripto, hæreticę pravitatis Inquiſitores, habituros à Principe ſalvumconductum, liberum hoſpitium, & ſumptus? *Poſteriorem reſponſionem* (verba Lutheri in Actis ad Leonem) *meam etſi cum multà reverentià dedi, ac velut in arbitrium ſummi Pontificis repoſui: Non tamen id me feciſſe credas, quòd de reipsà dubitem, aut animi ſententiam ſim unquàm mutaturus, ſed quia oportuit reverentiam ſervare ei, qui vice ſummi Pontificis fungebatur.* Caietanus itaquè cognità Lutheri protervià per literas inſtabat apud Ducem Saxoniæ *Lutherum* ut hęreticum impœnitentem Romam mitti, vel extrà Saxoniam deportari. Cum *Staupitio*, & *Spalatino* (erat iſte à ſecretis *Federico* Electori) literas *Federicus* communicavit acceptas, qui tantum inſtetere, donec eidem *Luthero* etiam tranſmitteretur epiſtola.

Calumnię in Legatū.

DOmnē tunc movit Lutherus lapidem, quo ſibi animū Ducis conciliaret, ipſum in judicem eligendo, oblatione ſecedendi, ne mœſtitię foret occaſio. Vnum rogabat, nè Romam pergere cogeretur ad ludibrium, vel à ſententià recedere timore pœnarum, quaſi id æquius eſſet, quod validius. Damnationem verò ut effugeret, quam ſibi Romæ imminere ex Caietani literis intellexerat, *Appellatione* præcurrere cogitavit ad futurum Concilium, ne ſi poſt latam appellaret ſententiam, ſupremam videretur negare Pontificis auctoritatem. Proptereà in Actis publici tabellionis proteſtando ſe velle ſubjectum Eccleſię, Sedi Apoſtolicæ, atquè Romano Pontifici, declarabat tamen

Appellat ad Concilium.

quod

quòd Pontifex licet in terris Chriſti Vicarius cùm homo ſit non impeccabilis (ut patet in Petro, quem graviter reprehendit Paulus)ei obedire pararus erat oon decepto. Quòd ſi adverſatiorum calumniis Papa deceprus aliquid decetneret contta juſtitiam, vel Scripturã ſacroſanctam, uti literę minabantur Cajetani, ipſe ad futurum appellabat Concilium, cui parere Papa ipſe tenetur.

Romæ interim variè ſonabat Legati nomen. Severitatis accuſabatur ab iis, qui cauſam Dei minoris facientes, quàm hominis etiam Purpuræ pretio ſilentium comparandum fuiſſe dicebant hęreſiarchæ. Iſti vel non credunt, vel credunt ad tempus, & in tempore tentationis recedunt. Poſt varia conſilia decretum, *inſanam damnare Doctrinam, non doctorem, ut eſſet cuiquè locus pœnitentiæ.* Vulgatum eſt diploma die 13. Decemb. An. 1518. Lintii; cum die 28. Novemb. pręceſſiſſet appellatio. Leonis ſententiæ ſubſcripſere celebres Vniverſitates Coloniæ, & Lovanii. Ignis cum crederetur extinctus, *Maximiliani* Imperatoris (Principis ſanè armis inſignis, & pietate) morte, quæ Anno contigit 1519. die 12. Ianuarii, cæpit *Lutherus* magis inſoleſcere, ac ſummo Pontifici maiori contemptu rebellare. Fortiori itaq; occurrendum conatu cum Papa cognoſceret, *Carolum*

Miltitius ad Saxonē.

Miltitium virum nobilem, natione Germanorum cubicularium ſuum ad Electorem Saxoniæ *Fridericum* deſtinavit, ut illi *Roſam auream*, quam ſingulis annis Pontifices Dominicà quartà Quadrageſimæ conſecrare ſolent, in argumentum amoris offerret. In itinere audiit gratiſſimum vulgo Lutheri nomen. Ad Saxonem cum veniſſet, nec Roſam manu ad manus dare permiſſus, dedit per interpretem. Adverſùs aulam Romanam, & Electorem Moguntinum iratus Saxo clandeſtinam quærebat vindictam (*Pallavicin. l. 1. c. 3.*) occaſione territorii Elfordienſis. In Romanos, quia coadiutor electus alicuius Commendæ, Romà ſecedens, cum Bononię mortem cognoviſſet Commendatarii, nec adhuc ſignata eſſet Bulla, opus fuit, iterum grandi pecunià Commendam redimere, ob non expeditam bullam Coadiutoriæ ante obitum Commendatarii. Hinc facile ſtrepentem audiebat *Lutherum*, contrà avaritiam Curię detonantem. *Miltitius* cum vi crederet eum expugnari non poſſe, tentavit blanditiis proditâ Chriſti causà, ac læsà maieſtate legati Apoſtolici (Lutheri *ep. 11. ad Leonem*) curſans, & recurſans vix tandem

Lutherus ſpernit legatum.

intercedente *Friderico* Electore impetravit, ut ſemel, & iterum cum ipſo familiariter loqueretur. Mira profectò inſolentia (ut ſcripſit *Cochlæus*) & ſuperbia in monacho nondùm excucullato; qui cum reus ageretur apud ſummum Pontificem, ſupremum in terris iudicem ſuum propter hæretica dogmata, ac turbatam Eccleſiæ pacem, iactare auderet, ſe vix ad preces Principum aures dediſſe legato Apoſtolico. Quid in hoc colloquio contigerit? reſcribere pudet. *Miltitius* ut monachum placaret, fateri non erubuit *à ſæculo maiore non fuiſſe Eccleſiam gravatam ſollicitudine. In itinere maiorem populi partem cognoviſſe ad Lutherum inclinare. Rogare tamen uſquè ad lacrimas, ne ob Tetzellii temeritatem, forsàn à Caietano ſinè notà præteritam, Eccleſiam turbaret.* Indè avaritiam *Tetzellii* quęſtoris Indulgentiarum tam rigidè correxit, ut deſperatione ſuſtulerit. Morientem literis iuvaſſe,

A ac ſolatum fuiſſe ſe gloriatur *Lutherus*, quaſi & ipſe rigore *Moguntini* naufragium excitaſſet. Inducias tandem ut *Miltitius* componeret, ſcripturam obtulit cuius capita; 1. *Seductum fuiſſe populum circa Indulgentias. 2. Rumoris auctorē fuiſſe Lutherū. 3. Tetzelliū occaſionem dediſſe Luthero. 4. Archiepiſcopū Moguntinum auri ſacrà fame impuliſſe Tetzellium. 5. Tetzellium officii exceſſiſſe mandata ſibi commiſſi.* Ita ſperabat *Miltitius* demulcire Lutherum, dum crimen refundebat in ſocios, quibus reſpondit Lutherus *culpam eſſe Pontificis, qui cum pluralitatem Epiſcopatuum diſpenſaſſet in Moguntino, occaſionem dediſſet expilandi Germaniam per Quæſtores Indulgentiarum, ut Romana ſolveret vectigalia, exigi ſolita in collatione beneficiorum. Sibi etiam Leo imputaret, quòd ſimplex omnia indulgeret Florentinis ſuis, & ad eorum nutum Romanum regeret Pontificatum.* Conventum tandem, ut *Lutherus*

B literas daret *Leoni* ſummo Pontifici, obſequio plenas, confitendo ſupremam eius in terris poteſtatem cui contradicere non auderet in præteritis, vel in futuro. Silere etiam promiſit, dummodò ab adverſariis non excitaretur. At quomodò ſilere poterat *Lutherus*, cùm repetitis centennis ſcripturarum linguis idiomate Latino, atquè Theutonico orbem excitabat univerſum? Quomodò ſilere poterant adverſarii, erroribus penè vulgatis innumeris, niſi lingua amputaretur Religioni. Cautiùs itaquè procedendo arbitrium exhibuit boni viri *Miltitius*: Conſentiente *Luthero* Archiepiſcopus electus eſt Trevirenſis; Confluentiæ futurus erat conventus, adeſſe poſtea recuſavit *Lutherus* variis, & vanis de cauſis. Locum accuſabat inſidiarum plenum; ibidem ſtare *Caietanum* legatum, quem Chriſtianum negabat. *Leonem*

C non ſubſcripſiſſe, nequè delegaſſe Trevirenſem: tandem Lipſiam evocatum ad congrediendum cum *Ioanne Echio* duobus non poſſe conſiſtere locis. Diſputandi occaſio ex obeliſcis (adnotationibus ſcilicet reprehenſoriis) quibus *Echius Lutheri* de Indulgentiis propoſitiones privatim notaverat in gratiam amici, *quid de eis ſentiret*? rogantis. Eam iniuriam vindicaturus *Andreas Bondeſteinius*, à loco nativitatis dictus *Carolſtadius* (qui Lutherum inſignierat laureà Theologicà) ſcripſit in *Echium*. Iſte autem imperterritus ferocienti ferociter occurrens, anhelabat ad pugnam. Diſputandi cāpus *Lipſia* placuit, conſentiente Saxoniæ Duce *Georgio*, reclamante autē Epiſc. Merſeburgenſi Loci Ordinario, atq. Lipſienſibus Theologis. Priuſquàm illuxiſſet dies, amica quædam contentio

Diſputatio Lipſienſis inter Echiū, & Carolſtadium.

D inter *Lutherum* & *Carolſtadium* libellis etiam cōteſtata in magnum Echii contemptum: dum *Lutherus* pro *Carolſtadio* congredi cuperet humilitatis gratià, tanquàm *Echius* dignus non foret, cum quo cogrederetur tantæ dignitatis, & eminentiæ vir Archidiac. Virtembergenſis. *Carolſtadius* illum ſibi depoſceret ad vindicandū Lutherū. Scribebat præterea Lectori Lutherus *Echiū ſcriptura, Patrūquè verbis uti, veluti Anaxagora elementis; ut iuxta Apoſtolum* Timoth. 1. *non intelligat nequè quid loquatur, nequè de quibus affirmet. Carolſtadium venturum, victorem Echiani erroris, non fugitivum militem, ſed mortuum illum, & à ſe proſtratum Leonem, cum fiducià accepturum. Se verò in hac re non timere Papam, vel nomen* Papæ, *multo minùs pappos, & puppas iſtas.* Die ergo XXVII. Iunii An. 1519. magno apparatu venerunt Virtembergenſes comi-

res & libros ſecum afferentes. *Echius* uno tantùm famulo comitante Lipſiam venit ignotus ad ignotos. Humaniter omnes excepit Dux Georgius, qui præſentià ſuà diſputationẽ honoravit benignè admonens; caverent ab amaruleutià verborum, & infirmorum ſcandalo, ſolam veritatem prǫoculis habituri. *De libero arbitrio* diſputatum (præmiſsà proteſtatione, quòd ab Eccleſià Catholicà nemo diſcedere vellet) ſex dierum ſpatio. Verba Eccleſiaſtici fuere ab Echio argumenta propoſita, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adiecit mandata, & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te; Appoſuit tibi aquam & ignem ad quod volueris, porrige manum tuam. Antè hominem vita & mors, bonum & malum: quòd placuerit ei, dabitur illi. c.* 14. Eludebat Carolſtadius dicens, Salomonem loqui de homine in ſtatu innocentiæ, non poſt lapſum Adæ. Vicit tamen *Echius* urgens, quòd licèt Salomon exordiatur à creatione Adę; proſequitur tamen & ad homines loquitur prout in ſtatu præſenti. Patres etiam adducebat, qui omnes arbitrium hominis innocentis, & arbitrium hominis lapſi *ſano* aſſimilant & *infirmo*, ut Ambroſius: *ſaucio* autem & *claudicanti* Auguſtinus. Saucius tamen vivit, & claudus ambulat, fulcro licèt indigeat uterq; & auxilio particulari. Sua & ipſe argumenta protulit *Carolſtadius* auctoritate Scripturæ, & Patrum dicentium, quòd *non homo operetur bonum, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt. Sinè auxilio ſuperno hominem nil poſſe.* Hęc redarguebat Echius; *Si gratia Dei mecum operatur, ergo non ſola. Si auxilio indigeo ſuperno; ergo & ego ago pro viribus.* Vrgebat Carolſtadius auctoritate Patrum, *omne opus bonum à Deo eſſe*; cui cum reſponderet *Echius* eſſe quidem bonum opus *totum* Dei, ſed non *totaliter*: ut pomum, quòd *totum* cauſat Sol, ſed non *totaliter*, quia ad productionem pomi planta etiam concurrit. Auditâ diſtinctione *totius*, & *totaliter* irriſerunt Lutherani quærentes ab Echio, locum monſtraret, ubi Patres hiſce uterentur vocabulis. His tamen doctiſſimè occurrens reſpondit, etiam ab Arianis provocatum Athanaſium differentiam apud antiquos patres oſtendere inter vocabula *Homuſion*, & *Homouſion*, quòd *ſimilem*, vel *eamdem* ſignificabat ſubſtantiam, reſpondiſſe; non opus eſſe invenire vocabula; ſatis ſi reperirentur ſignificata.

Diſputatum tandem à Carolſtadio adversùs Echium dicentẽ; *licèt peccata venialia ſint quotidiana, iuſtus tamen non ſemper peccat.* Propoſitionem hanc ut hæreticã, atquè ſuperbam inſimulabatur, dicente Eccleſ. 7. *Non eſt homo iuſtus in terrà, qui faciat bonum, & non peccet.* Reſpondebat Echius committi fallaciã in ſuppoſito arguendo à perſonà ad tempus. Peccat iuſtus, ſed non ſemper, dicente Hieronimo in Pelagianum, *quòd homo cautus & timidus poſſit opportunè crimina* declinare. Quis dicet Laurentium peccaſſe in craticulà, ſi de eo canit Eccleſia. *Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Carolſtadio autem ex diſputatione iam feſſo, & exhauſto, ſucceſſit in certamen Lutherus die IV. Iulii uſquè in XIV. Longa vero Conſiliariis *Georgii* Ducis cum Luthero diſſertatio præceſſit, diù reluctante certis ſe ſubmittere iudicibus, volens omnes iudices ut nullum haberet. Reiecto itaquè populi iudicio (ut deſiderabat *Lutherus*) iratus tandem in Pariſienſes & Erſordienſes conſenſit Theologos. In hos, quod apud eos literis educatus, propitios ſperaret. Apud illos autem, quia nuper offenſos in privilegiis Cleri Gallicani, atquè Pragmaticà Sanctione, inimicos crederet Eccleſiæ Romanæ. Maluiſſet tamen Poetas iudices, quàm Theologos. Videntes itaquè Conſiliarii Ducis vultum eius irarum plenum, admonuerunt, ne per iram, ſed modeſtè ageret, ne ſcandalo fieret audientibus. Tum ille minarum ſpirans, ac cędis, conſilia cordis aperuit, dicens: *Non propter Deum hæc res cœpta eſt, neque propter Deum finietur.* Illi autem, ne ludibrio fieret Orbi proclamata diſputatio, verbum diſſimulantes, mitigabant animum eius. Diſputatum acriter de poteſtate Romani Pontificis, cùm in concluſione XIII. Lutherus aſſereret, *Romanam Eccleſiam cæteris ſuperiorem frigidis, & novis probari decretis Romanorum Pontificum, contra quos urgent hiſtoria à Chriſti nativitate uſquè ad Annum* 1100. *divina Scriptura, Nicenũ Concilium ſuper cætera ſacroſanctum.* Echius oppoſuit verba Chriſti *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, quæ Patres de Petro explicarunt, & ſucceſſoribus ejus; Lutherus reſpondere non erubuit, *Quòd ſi Auguſtinus cum reliquis Sanctis Patribus petram intellexerunt pro Petro; ego ſolus reſiſtam auctoritate Pauli*, arrogans ſibi nota verba Pauli, ignota autem Patribus omnibus. Replicante *Echio*, etiam *Arrio*, ac omnibus hæreticis morem eſſe, Scripturam adducere, cujus tamen interpretationem ſpectare ad communem conſenſum Patrum. Adjecit Lutherus *c. Prima, d.* 99. ex Africano Concilio, ubi prohibetur *Primæ ſedis Epiſcopus Princeps appellari Sacerdotum, vel ſummus Sacerdos, ſed tantùm primæ ſedis Epiſcopus.* Adiungitur, *Vniverſalis autem nec ipſe Romanus Pontifex appelletur?* In hac diſputatione hinc inde plura occurrunt falsò prolata; poſteris documento, ne extemporaneę diſputationi committantur negotia graviſſima. Primum eſt: quòd prima pars canonis eſt quidem Africani Concilii, in quo *primæ ſedis Epiſcopus* non accipitur pro Epiſcopo Romano, ſed de Africanis Primatibus, qui in Provinciali Concilio congregati haud poterant legem imponere Pontifici Romano. Verba autem *Vniverſalis non dicatur ipſe Romanus Pontifex*, non ſunt Africani Concilii, ſed ſummarium Gratiani ad capitula ſubſequentia, undè diverſis exarantur caracteribus, deducta ex epiſtolis Pelagii II. & M. Gregorii Pontificum Romanorum, qui titulum *Vniverſalis* ſuſcipere noluerunt oblatum, quia ex huiuſmodi titulo crederetur, quòd cæteri Epiſcopi dignitate, & Iuriſdictione non gauderent Epiſcopali, ut tempore Alvari *lib. de Planctu Eccleſię*, & Turrecrematę *in ſummà eccleſiæ*, Gulielmi Occami *in dialogo* à nonnullis credebatur, quòd ſolus Romanus Epiſcopus eſſet, & dicẽdus eſſet Epiſcopus. Remotà huiuſmodi difficultate, titulo *Vniverſalis* uſi ſunt *Sixtus & Victor*; immò eumdẽ Gregorium titulò *Vniverſalis* Synodus ſalutavit Chalcedonenſis, ut in *ead. ep.* quia caput eſt eccleſiæ univerſæ.

Diſputatio Echii cũ Luthero.

De primatu Petri.

Ex adversò Echius cœpit fortiſſimè oppugnare Lutherum, ex Concilio Conſtantienſi, in quo Huſſitarum dogmata damnata ſequentia.

Petrus non eſt, nec fuit caput Eccleſiæ Catholicæ.

Non eſt opus aſſerere, quòd in ſpiritualibus debeat dari caput, quod viſibiliter regat Eccleſiam militantem.

Dignitas Pontificia, & præeminentiam originem habuit à Cæſare.

Hi-

Hiſce damnatis clarum erat, dignitatem Pontificis exordiri à Petro in Eccleſià eſſe neceſſariam, nec ab hominum pendere arbitrio, nec Cæſaris auctoritate. Reſpondenti *Luthero* Acta Concilii Conſtantienſis facilè potuiſſe corrumpi ab impoſtoribus: non fuit difficile redarguere, ob recentem eorum memoriam. Adiicienti Luthero non omnes ſupradictas propoſitiones ut hæreticas à Concilio, ſed notà expungi diverſà; urgebat Echius, omnes illas propoſitiones à Concilio notari, vel ut *hæreticas*, velut *erroneas*, vel *ſcandaloſas*, vel *temerarias*. Eligeret Lutherus cenſuræ titulum. Victus Lutherus Concilia negavit eſſe infallibilia: erraſſe ipſum Conſtantienſe etiam in articulis fidei. Hæc ſi vera (arguebat Echius)

Cócilia negat infallibilia. ergo claudicant omnes articuli fidei, quos ab initio naſcentis Eccleſiæ decrevere Concilia. Nil ergo certi ſervat Eccleſia? Inter Concilia autem Conſtantienſe ſinè ſuſpicione adulationis erga Papam triumphat, quia in eo depoſiti omnes, qui ambiere Papatum: & in eo damnata Huſſitarum dogmata, cùm ſedes vacaret Pontificia. Cùm itaquè fautor, & Bohemorum patronus *Lutherus* appareret (ut palàm ei *Echius* objiciebat) Theutonicè interſtrependo, *mentiris* clamabat: deindè maturiùs reſpondendo rogabat, ne ei tantam impingeret contumeliam, quia ei ſemper diſplicuiſſent Bohemi. Laſſato tandem Luthero; *Echius* intrepidus, & infatigabilis *Carolſtadio* rursùs in arenam deſcendenti congreſſus eſt die 13. Iulii, eàdem horà provocatus, quà Lutherus ceſſaverat. Vt homo peregrinus, nec libris ſtipatus, nec amicis, ſi non argumẽtis, labore ſaltem vinceretur. Ceſſatum tandem die 15. Iulii, judicibus commiſsà causà. Domum rediere Virtembergenſes, glorià tamen minori. Cùm parũ fiduciæ haberent ex vivæ vocis diſputatione, ad libellos refugerunt, mox triumphum canentes, antequàm innoteſceret ſententia judicum: quamvis Lip-

Damnatur Lutherus à Pariſiẽſibus. ſiæ cautum eſſet, ne quid ederetur antè promulgationem ſententiæ. De Erphordienſibus nihil in publico conſtat, quidnam cenſuerint. De Pariſienſibus dubitare non licet, quin pro *Echio* judicaverint, cùm paulò poſt Lutheri 104. propoſitiones damnarint. Irarum plenus Lutherus, cùm Lipſiæ populo minùs plauſibilem fuiſſe ſuam ſentiret diſputationem, iram vertit in *Echium*, qui velut victor in ore omnium verſabatur, teſte *Melancthone* hæreſiarchà. De hac diſputatione epiſtolam ſcripſit *Hieronymus Emſer* vir apprimè diſertus, & eruditus cùm audiſſet Bohemos vanè gloriari, quòd eorum partes defendiſſet Lutherus, in quà modeſtè rei veritatem proſequutus, citra omnem Lutheri iniuriam aſſeruit, illum non defendiſſe Bohemos, ſed palàm contradixiſſe: Echium verò *fortiſſimum Theologum* actitet defendiſſe propoſitiones ſuas. *Lutherus* ignominiam reputãs, quòd *Echius* diceretur *fortiſſimus Theologus*, petulantiſſimè ſcripſit Venationem quamdam in *Capricornum Emſeri* (hoc enim inſighe *Emſera* familiæ erat) tot convitiis exuberantem, ut obrutus magis quàm invaſus *Emſer* videretur, qui tamen paulò antè illum Dreſdæ convivio exceperat. Hàc utebatur cautelà *Lutherus*, ut ex-

Confutatur ab Emſero. terreret adverſarios. *Emſer* tamen non expavit, ſed Nymrodum repercutiens Saxonicum, eò ſingulariter repulit jaculò, quo Lipſiæ *Lutherus* ſeipſum confoderat, faſſus *rem iſtam non eſſe captam propter Deum, nec propter Deum finiendam*. Licèt enim per menſes 20.

A eſſet cum *Emſero* libellis editis certamen, ictum illũ ſemper diſſimulavit. Tandem ubi ſæpiùs propter verbum illud ab amicis compellaretur, tàm gravem notam rejicere, libellum quendam Theutonicè ſcripſit, negans mendax quod palàm protulerat.

Diſputatione peractà, *Miltitius* tentavit iterum ad ſilentium *Lutherum* perducere ſed ſemper incautus, & polluto legationis officio crapulà, ebrietate arcana pandens, & vitia arguens Romana, ut auram captaret popularem, cuius poſtea confeſſio teſtimonium fuit adversùs curiam pro Lutheranà procacitate. Ad Eremitas itaquè confugit tunc in capitulo generali congregatos, ſperans ipſis intercedentibus Lutheri epiſtola ad Leonem X à Luthero impetrare ſilentium, ut ipſe gloriatur *Lutherus* epiſtolà, quam denuò ſcripſit ad Leonem dicens. Nihil hac diſputatione promotum, niſi maior confuſio Romanæ cauſæ; iam tertio *Carolus Milti-* B *tius* Patres Ordinis capitulo congregatos conſuluiſſe modum componendæ cauſæ, quæ iam periculoſiſſima eſſet. *Mittuntur* (inquit) *hinc ad me, cum viribus in me (Deo propitio) non ſit ſpes graſſandi, aliquot celebriores ex illis, qui petant, ut ſaltem tuæ Beatitudinis perſonam honorem, & literis humilitatis excuſem innocentiam tuam, & meam: Eſſe adhuc rem non in extremo deſperationis loco, ſi* Leo X. *pro ſuà innatà bonitate manum admoveret*. Leges poſtea pacis rebellis monachus ſummo audens præſcribere Pontifici ſubjungit. *Porro palinodiam ut canam, Beatiſſime Pater, non eſt, quòd ullas præſumas, niſi malis adhuc maiore turbine cauſam involuere. Deindè leges interpretandi verbi Dei non patior, cum oporteat verbum Dei eſſe non alligatum, quod libertatem docet omnium aliorum. His duobus ſalvis, nihil eſt quod non facere & pati poſſim* C *ac libentiſſimè velim: Contentiones odi, neminem provocabo, ſed provocari rurſus nolo, provocatus autem, Chriſto magiſtro, elinguis non ero*.

Lutheri exemplo *Vlricus Zuinglius* natione Helvetius, Parochus Tigurinus Helvetiorum turbavit Rempublicam. Diſciplinam dedignatus alienã priuſquàm reſonaret Lutheri nomen dicitur blaſphemaſſe Anno 1516. adversùs Indulgentias, Vota Monaſtica, Eccleſias, quòd Deus loco non alligatus ubiquè eſſet. Cultum irridebat Sanctorum, quaſi iſti detraherent Deo. Orbem iacere in tenebris univerſum, nec adhuc promulgato Evangelio, non minus Martialem, Ovidium vivere in patrià aſſerebat beatà, quàm Hieronymum & Auguſtinum. Plauſum tamen minimè ſortitus, Anno 1518 ſtrepente Luthero, in feſto S. Michaelis cœpit ex ſuggeſtu ſuos muſsitare errores in eccleſià Eremi, ubi curam gerebat ani- D matum, donec paſtor electus Tigurinus, audax Tiguri concionari, & venienti *Sanſoni Minoritæ* Commiſſario Apoſtolico ad publicandas indulgentias ſe opponere, quorum diſsidiis diviſi Helvetii adhuc vulnera plangunt.

Zuinglii hæreſis.

Interea Francofurti ad Mœnum congregati Electores, defuncto *Maximiliano* Cæſari ſubſtituerunt nepotem eius, *Carolum V.* Hiſpaniarum, utriuſquè Siciliæ, atquè Apuliæ Regem, Leone contradicente Pontifice, qui etiam vivo *Maximiliano*, impedimento fuerat, nè *Carolus* eligeretur Rex Romanorum. Cum enim duo dari nequeant Romanorum Reges; haud poterat *Carolus* Rex dici, priuſquàm *Maximilianus* à Leone miſsà coronà Imperiali, diceretur Impera-

Carolus V. Imperator

tor,quod in gratiam *Franciſci* Gallorum Regis ambientis imperium Leo recuſaverat, timens nè *Carolus* parto imperio, ſubiiciendæ Inſubriæ cupidine, Italiam opprimeret. Studiis itaquè omnibus in Gallum converſis, negabat Sacramenti Religione *Carolum* ſolvere, qui prohibitus erat Siculum, atquè Germanum regna coniungere. Gallum lactabant Germani, ut aurum emungerent; cum repentè de *Friderico Saxone* eligendo collata ſunt ſtudia Leonis Pontificis operà, atquè *Franciſci* Gallorum Regis; qui tamen divinà providentià apices reſpuit Cęſareos non amore virtutis, ſed delitiarum cupidine,& inertià; nam templa, quę ipſe coodiderat, funeſtari, altaria everti, moniales ex monaſteriis ad lupanar abripi, urbes ſeditionibus agitari permiſit. Saxone repudiante Carolum elegerunt An. 1519. annorum cum eſſet XIX. Certior electionis Papa factus, roganti Carolo diſpenſavit,ut cum Imperio regnum etiam retineret Neapolitanum.

A Leone diſpēſatur de regno. Neapol.

Hoc interregno, imperium moderante Saxone, fortior factus *Lutherus*, ipſum circumvenire *Carolum* in limine aggreſſus imperii, literas dedit, ſimulatà humilitate; quibus poſt affectatum Evangelicæ veritatis ſtudium, inquit. *Propter quàm tertius iam finitur annus, quo patior ſinè finè iras, contumelias, pericula,& quicquid poſſunt mali excogitare. Fruſtra veniam peto, ſilentium offero, pacis conditiones propono, fruſtrà eruditi meliora poſtulo. Vnum eſt, quòd in me paratur, tantùm ut extinguar cum univerſo Evangelio. Cum autem omnia fruſtra tentarim, viſum eſt tandem, exemplo S. Athanaſii, Imperatoriam Maieſtatem invocare, ſi fortè Dominus dignetur per eum ſua cauſa adeſſe.* Similes querimonię ſpargebantur in vulgus à Poetis, qui Theologis & Monachis infeſti erant, auctore *Luthero, Io: Capnione,* & *Eraſmo Roterodamo*, cum quibus nonnihil contentionis erat. Iure Conſulti nō pauci, aulici, qui opibus, & auctoritate pollebant, gliſcens laicorum in clericos odium callidis detractionibus augebant. Omnium incendebat animos *Vlricus Huttenus*, Germanus Eques, familià nobilis, ingenio acer, qui etiam priuſquàm Lutherus innoteſceret, multa pro Germaniæ libertate, contra Penſionum quæſtus,& citationum vexationes,quibus à Curià Romana accuſabat gravari Germaniam,carmine ſcripſerat, & ſolutà oratione.

Huttenus contra Clerum.

Hac occaſione *Lutherus*, quandam *Reformationem* Theutonicè ſcripſit ad Carolum V. & ad Chriſtianam nobilitatem Germaniæ, pompam & abuſus Romanæ Curiæ accuratiſſimè traducens, repetitis illis, quæ egere Pontifices contra Romanos Imperatores, vel Principes bella ferendo, diſcordias diſſeminando, ut depauperatis Regibus ipſi ſuam augerent potentiam. Cæſarem ut in Pontificem excitaret, pluribus S. Scripturę locis, conabatur oſtendere liberam habere gladii poteſtatem non tam in Laicos, quàm in Clericos. Laicos, non niſi fictè differre à Clericis, cum per Baptiſmum omnes conſecremur in ſacerdores, undè quilibet Baptizatus poſſit ſe iactare Presbyterum, Epiſcopum, Papam, licèt non omnibus conveniat huiuſmodi officium exercere. Poteſtati propterea Papali corpore, ſubſtantià reſiſtendum uti regimini Diabolico. His quanquàm atrociſſimè ſcriptis ſpecie pietatis, ſingulis paginis in fronte ſuperponebat nom n *Ieſus* ut lector crederet, omnia illa à ſpiritu Chriſti ſuggeſta eſſe.

Lutherus Carolū V. mulcet.

Furit in Papam.

Exclamabat indignum eſſe, Papam triplicem geſtare coronam, cum ſummi Reges unicam gerant. Papam eſſe non exaltati, ſed Crucifixi Chriſti vicarium: Cardinales inutilem immo perniciosum populum, qui Italiam, & Germaniam exugit. Ex familià Papæ partem retinendam Centeſimam, nonaginta novem abolendas: tollendas Annatas; & menſas Papales: abiiciendas Epiſcoporum confirmationes, Archiepiſcoporum pallia. Domum Datarii eſſe lupanar ſuper omnia lupanaria. Papæ nil iuris eſſe in regno Siciliæ, vim, & prædam eſſe omnia, quę poſſidet. Romanam excommunicationem cum literis, & ſigillis proiiciendam in balneum. Ius Canonicum à primà literà uſquè ad noviſſimam funditus delendum, præſertim Decretales. librū ſuum cū ſenſit à laicis æquo animo legi,& plauſu excipi, audacior factus facinus perpetravit ſæculis omnibus inauditum.

B

Cum enim audiſſet decreto *Caroli V.* libros ſuos Lovanii, aliiſquè Flandriæ locis cremari, deſperatione aductus, coadiuvantibus Accademicis Virtēbergenſibus *Federico* permittente Electore, totū corpus Iuris Canonici, Decretū, Decretales, Clementinas, Extravagātes, totumq. ius Pontificium Bullis Papalibus, literiſq. & ſigillis Indulgentiarum damnavit publicè, & in ignē proiecit. In actu incendii quaſi novus Propheta ſequentia proferens, *quia conturbaſti ſanctum Domini, te conturbat ignis æternus.* Non propterea Profeſſores Virtembergenſes ceſſarūt à Lecturà,& profeſſione publicà Iuris Canonici, quā multos per annos proſequuti monſtrarunt, vindictam quærere, non doctrinam, & veritatem.

Sacro, Decretales exurit.

Sceleris fama ut latiùs evagaretur, libellum edidit, in quo cauſam exuſtionis reddere volens, XXX. articulos ex volumine collectos Iuris Canonici velut

C

abſurdos commemoravit, & impios. Librum addidit contra ſeptem ſacramenta, cui titulus. *De Captivitate Babylonica Eccleſia, præludium Martini Lutheri.* Sacrum adiecit carmen *Hoſtis Herodes impie, Chriſtum venire quid times. Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia.* Innuens per hoc Lectori Romanum Pōtificem Herodi ſimilem, propter terrenum imperium perſequi Chriſti Evangelium.

Mittitur interim ad novum Cęſarem *Marinus Caraccolus*, unà cum *Hieronymo Alcandro*, ut per Germaniam eccleſiæ cauſam agerent contra *Lutherum*, & damnationem doctrinæ Lutheranæ vulgarent. Quod feliciter admiſſum pluribus in locis, iubente Cęſare; donec Virtembergenſi Accademiæ exemplar tranſmiſſum Romæ impreſſum, ſub pœnà amittendi privilegia non parentibus.

Marinus Caracciol. & Hieronym. Aleāder

Aberat tunc *Fridericus* Elector Aquiſgranum evocatus (teſte *Vlembergio de geſtis Lutheri c. 5.*) ut novo aſſiſteret Imperatori;

D

Profeſſores Vniverſitatis nonnihil territi, & conſilii inopes rem totam Principi perſcripſerunt: qui 18. Novemb. ex itinere cum in Haſſià eſſet, ita reſpondit, vt cum Luthero ſentire cognoſceretur, non tamen plaudere. Coloniam cùm veniſſet An. 1520. interpellatus iterum ab *Aleandro*, ut pro majorum ſuorum ergà ſedem Romanam obſervantià decreti nuper in Lutherum editi executionem promoveret, reſpondit: *velle quidem obedientem inſiſtere Eccleſiæ filium: verùm cū Eckius ſe abſente, Decreti Pontificii terminos egreſſus ita negotium involuerit, ut ei locum non reliquerit obedientia.* Saxonis pervicaciam *Eraſmo* adſcri-

Eraſmus Roterodamus.

ſcribunt *Roterodami*. Celebris iſte eruditione, Luthero familiaris, ſpatio novem annorum vitam duxerat monaſticam inter Canonicos Regulares: Indè Libertatis avidus non tam vitæ, quàm doctrinæ, apoſtata cucullū exuit magno nomine inter Poetas, & Humaniſtas, qui beneficio linguæ Grecę, & Hebraicę Scholaſticos irridebant Theologos, quaſi Chriſtianis non niſi Græcè, vel Hebraicè loqueretur Spiritus Sanctus. Hinc *Carolſtadius* in Lipſienſi diſputatione eum appellavit *Principem Theologorum*. Bellum gerebant Poetæ cruentum contra Theologos propter barbaram terminorum eloquutionem, ſingulariter contra *Dominicanos*, qui ut *Inquiſitioni* prępoſiti ſæpè impedimento erant, nè Humaniſtæ myſteria Fidei Gentilium vocabulis explanarent, vel Religionem novitate confunderent. Horum Princeps

Saxonem ſubornat.

Eraſmus interrogatus à Duce Saxonię quid ei videretur de Lutheranâ doctrinâ? reſpondit, *eum eſſe Eccleſię ſtatum, ut reformationem omninò deſideret, Lutherum non iniuriâ varios reprehendere abuſus, qui Prælatorum negligentiâ irrepſerunt, quorum emendationem boni omnes iampridem deſiderarunt. Non deſunt qui etiam probent inſtitutum; licèt eundemmet eius in ſcriptis ferociam, violentiam, acerbitatem.* Hiſce confirmatus Saxo *Aleandrum*, & *Caracciolum*, qui Bullæ Pontificiæ executionem urgebant, deinceps audire noluit. Ita cecidit Saxo illi volens adhęrere atheo, & apoſtatæ, qui erroribus innumeris, Luthero ad concutiendam Eccleſiam tela ſubminiſtravit, licèt ſerò ſapiens, & Lutheri inimicus, non Catholicus deceſſerit, nec Lutheranus. Caroli interim decreto per Flandriam, atquè Brabantiam, immò per civitates Imperii Coloniam, Moguntiam, expoſitâ Bullâ Leonis X. per lictores, atq. carnifices Lutheri libri publicè comburebantur.

Anglia comburit libros Lutheri.

In Angliâ, vbi Sanctio Pontificia magnâ eſt religione recepta, libri conquiſiti *Lutheri*, publicè Londini ſunt concremati, adſtante procerum ampliſſimo cœtu, ad quos *Io. Fiſcherus* Ep. Roffenſis, poſteà Cardinalis, ac gloriâ martyrii celebris concionem habuit de veteri religione tuendâ hypocriſi detectâ Lutheri, ne quis ſubornari pateretur ab impio. Leoni plauſit *Henricus* VIII. Rex Angliæ aureo libello de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis adversùs furialem Lutheri veſaniam, Anno edito Sal. 1521. Quod munus tàm gratum Leoni fuit, vt Regem titulo *Fidei Defenſoris* decorarit.

Henricus VIII Rex Angliæ ſcribit contra Lutherum.

Interim coactis Vormaciæ comitiis, ut in eis *Aleander* Lutherum validè accuſaret inobedientiæ, hęreſeos, ſeditionis, & impietatis, plures decerpſit Articulos ex libro *De Captivitate Babylonicâ* quibus ille non ſolùm ritus, & ſacramenta Eccleſię, verùm & leges Principum conculcabat. Articulos audi: *Septem non ſunt ſacramenta, ſed tria tantùm. Tranſubſtantiatio in Sacramento Altaris eſt purum figmentum. Impium eſt, & purum mercimonium Miſſa, quàm offerunt preſbyteri pro peccatis, pro defunctis, vel neceſſitatibus. Baptiſmus neminem iuſtificat, nec ulli prodeſt: ſed fides. Papa, Epiſcopus, nec alius homo ius habet unius ſyllabæ conſtituendę ſuper alium hominem, niſi id fiat eiuſdem conſenſu cum Chriſtiani ſint liberi ab omnibus.* Hos & ſimiles cum ex libro Lutheri recitaſſet Aleander; Principes, qui cum librum nondum legerant vehementer exterriti, atquè commoti, alter alterum intuebantur, in Lutherum, eiuſquè fautores murmu-

Errores Lutheri.

rantes. Quod ubi ſenſit *Fridericus* Dux Saxoniæ, declinandæ invidiæ gratiâ, negavit articulos illos eſſe *Lutheri*, ſed in eius odium effingi. Orta itaq. contētione, dum hic negaret, ille affirmaret; viſum eſt Principibus *Lutherū* ipſū eſſe accerſendū, ut ore ſuo cōfiteretur articulos ſuos, vel ſuppoſiticios. Lōga tunc cōſultatio fatigavit proceres, quâ cautione deducēdus foret? an ſolâ fide Cęſaris? timebatur enim ne venientem ut hæreticum ultimo traderet ſupplicio. Aliis indignum videbatur, ultrà fidem Cęſaris, aliud deſiderari pro unius Monachi ſecuritate. Ad evitandam ſeditionem permiſit Cęſar ut prò cautione eundi, & redeundi; nonnulli Principum ſuam fidē interponerent, eâ tamen conditione, ne ullibi concionaretur, vel populum commoveret. Miſſus ergò Vuittenbergam *Gaſpar Sturmius* fæcialis Cęſareus ut ſub publica fide *Lutherum* duceret, atquè reduceret, currum paravit in modum lecticæ umbroſum: Adduntur comites viri docti *Ionas* præpoſitus, *Schurfus* legum Ordinarius, *Amſdorfius* Theologus.

Luthero datur cautio ut veniat ad Comitia.

Quacumquè iter faciebat, frequens erat concurſus hominum, videndi *Lutheri* ſtudio. In diverſoriis multa propinatio, læta compotatio, Muſices quoquè gaudia: adeò ut Lutherus ipſe alicubi ſonora teſtudine ludens, omniū in ſe oculos converteret, & quàvis eâ lege Salvūconductum dediſſet Cæſar, ut in itinere nuſquàm prædicaret, nec ſcriberet: ipſe tamen legum humanarum contemptor, Erfordiæ Dominicâ *Quaſi modo geniti infantes*, publicè prædicavit, concionem ſuam typis excudi voluit. Quo in ſermone plura contra virtutem bonorum operum, ac contra leges humanas. *Sturmus* cum & ipſe *Luthero* occultè faveret, nihil horum prohibuit, aut Cæſari manifeſtavit. Vvormaciam venit Anno 1521. die 16. April. Die ſequenti in conſpectum Cæſaris, atquè comitii perductus, commonitus eſt ab illis, nè quid loqueretur non quęſitus. *Ioannes Eckius* vir eloquens, & iuris peritus aulicus Electoris Treverenſis Lutherum primò Latinè, deindè Theutonicè alloquitur. *Cæſarea M. hoc te Martine Luthere acciuit duabus de cauſis. Principio, ut libros hactenùs tuo nomine vulgatos agnoſcas, an tuis. Deinde iam agnitos an omnes pro tuis haberi, an quicquam ex eis revocare velis?* Ad hęc itineris comes Lutheri *Schurff* exclamavit, *Intitulentur libri.* Orator ergo plures recenſuit, qui Baſileæ, & alibi fuerant evulgati. Adhæc Lutherus: *Libros nominatos agnoſco meos. An illos revocem, cum agatur de Verbo Dei, & animarum ſalute, cuius gratiâ periculoſum eſt, quicquam incogitatum proferre, peto ſpatium deliberandi.* Ex eo cœpit Principum deliberatio, quam ita reddidit Orator. *Etſi Martine ex mandato Cæſareo ſatis intelligere potuiſti, ad quid accerſitus, & in cauſâ Fidei non actor ſpatium deliberandi: tamen Maieſtas Cæſarea ex ingenitâ clementiâ ſuâ diem unum tuæ indulget meditationi, ut cras compareas eâ conditione, ne ſcriptam proferas ſententiam, ſed verbis.* Hoſpitio cùm redderetur, ut in Actis, quę de ſeipſo conſcripſit iactatur, voces audiviſſe adulantium, *Beatus venter qui te portavit.* Altero die interrogatus an libros omnes tueri, vel quicquam retractare velit? Cum longis ambagibus terreret diem, quæ iam vergebat in crepuſculum; dixit Orator, ut ad rem reſpondeat, Ad hæc ita ſe reſpondiſſe Lutherus affirmat. *Quam ergo S. M. veſtra ſimplex petat reſponſum, dabo illud neque dentatum, neque cornutum. Niſi*

Libros pro ſuis Lutherus agnoſcit.

con-

convictus fuero teſtimoniis ſcripturarum, aut ratione evidenti (nam neque Papa, neque ſolis credo Conciliis, cum conſtet eos ſæpè erraſſe, & ſibi ipſi contradixiſſe) revocare non poſſum, nec volo quicquam: cum contrà conſcientiam agere neque tutum, neque integrum ſit. Deus me adiuvet. Amen. Ad hoc reſponſum horruit Ceſar, & prætorio remitti juſſit. Feria 6. Cæſar vocatis comitiis, Principes interrogavit, *quid ſibi videretur de Luthero?* Principes cum ſpatium quærerent deliberãdi; adiecit Cęſar velle primum exponere ſententiam ſuam; quam ſcripto ſuà manu exarato illicò legendã, & Pontifici per legatum obtulit communicandam.

Sententia Caroli V. in Lutherum

Vobis conſtat, genus me ducere à Chriſtianiſſimis Imperatoribus, à nobili natione Germanicà, à Catholicis Hiſpaniæ Regibus, ab Archiducibus Auſtriæ, à Burgundiæ Ducibus: qui omnes Eccleſię Romanæ filii ad mortem uſquè fideles, ſemperquè Catholicæ fidei defenſores extitere, &c. Horum ut colo memoriam, imitari etiam exempla decerno, præſertim obſervando, quòd ab ipſis in Conſtantienſi Concilio ſancitum eſt. Ab hoc recedere, uno ſuadente ſuà opinione decepto Monacho, & per mille Annos credere Chriſtianos omnes præteritos, ac præſentes in errore fuiſſe, conſonum non eſſe. Ea propter deliberavi Regna omnia mea, Imperium, Potentatus, amicos meos, corpus, vitam, animam exponere, nè virus ſerpat alteriùs. Hoc enim exigit nobilis, & maximè celebrata Germaniæ natio, nè ulla ſuperſit poſteritati ſuſpicio, ad tantos errores nos conſpiraſſe. Reſponſo audito pertinaci quòd heſternà die in noſtro omnium conſpectu Lutherus dedit, meam vobis ſententiam teſtatam facio; pœnitere me moræ, quòd contra ipſum, & eius falſam doctrinam procedere tàm diù diſtulerim. Mando propterea ut quàm primùm reducatur eà conditione, ne concionibus, vel ſcriptis in itinere populum commoveat. Et ſicut præfatus ſum me accingere adversùs notorium hæreticum: ſimul à vobis exigo, ut in huiuſmodi causà tanquàm boni Chriſtiani decernatis, quod debetis, & ut mihi facere promiſiſtis. Scripta hæc manu meà, die 19. April. M.D.XXI. Hæc Imperatoris tàm pii, & Catholici lecta ſententia, collaudata eſt, zeluſquè pietatis, ac avitæ religionis in pectore juvenili. Comitia itaquè jam conſpirabant remittendi Lutherum ſequenti die, cum noctu valuis inſcriptum paſſim per plateas Vrbis: *Væ terra, cuius Rex puer eſt.* Affixa etiam valuis Prætorii ſchedula, in quà ſingebatur, quadringẽtos Equites Germanos bellum indicere Archiepiſcopo Moguntino, qui per Germaniam inter Electores Decanus eſt, loco, & dignitate poſt Imperatorẽ proximus. In fine ſchedulæ mox erat appoſita ſeditioſa *Buntſchuch*, quæ fędus ſignificat populare, ſeu in ſuperiores coniurationem. Catholicis etiam ut longè maior timor incuteretur; non longè aberat à Vvormacià vir nobilis ac potens *Franciſcus de Sicking* magni nominis miles, qui in ſuis arcibus propinquis equitatum dicebatur habere collectum, exitum expectans cauſę Lutheranæ, cui impensè ſavebat. Moguntinus perterritus Comitiorum nomine rogavit Cæſarem, ut adhuc per duos dies interrogaretur, an vellet ab errore recedere? negavit Cæſar primò, tandem permiſit ut privatim interrogaretur. Elector Trevirenſis curam ſumpſit, cuius in domo plures convenere Electores, & Principes, humaniſſimè cum invitantes ad pacem, ſed fruſtrà.

Franciſcus de Sicking

Lutheri ſuperbia.

Tentavit Trevirenſis in ſecreto conclavi ſolus Lutherum; ſed cum iſte Concilia diceret fallacia, præcipuè Conſtantienſe; duriciem ille Cæſari retulit. Parabat iſte ſententiam, cum urgente Trevirenſi iterum ſpatium bidui conceſſum eſt; unde die 25. Aprilis minimè Eccleſiæ maieſtate ſervatà Trevirenſis Luthero pacem quatuor conditionibus obtulit. I. *ſi ſe Cæſari, ac Pontifici ſubmitteret. II. Si Soli Cæſari. III. Cæſari, & Comitiis. IV. ſi nonnullos tunc revocaret errores, in reliquis futuro ſe ſubderet Concilio.* Lutherus, iudices prævidens, à quibus foret damnandus, reiecit omnes. Papam ut hoſtem accuſabat. Cęſarem declinabat uti ſuſpectum, juxta illud. *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.* Concilio promittebat ſe ſubmiſſurum, dummodò in eo ſola adeſset Scriptura Sancta, remotis traditionibus Patrum, vel auctoritate Conciliorum præcedentium. Quod idem erat oculo penè cęco, qualis eſt hominum intellectus reſpectu divini myſterii, minutos exponere characteres, quos legere teneretur ſinè perſpicillis. Tunc adiecit Trevirenſis; ipſe remedia proponeret, quibus cauſæ occurri poſset. *Lutherus* reſpondit meliora non recurrere, quàm illud Gamalielis *Act. 5. Si ex hominibus conſilium hoc, diſſolvetur. Sin verò ex Deo eſt; diſſolvere non poteritis.* His dictis. Cęſar cognità hominis pertinacià, miſit ad eum eodem die, mandans ut intrà XXI. dies rediret ſub Salvoconducto ipſi ſervando dummodo concione vel ſcriptis in itinere populum non cõmoveret. Adhæc Lutherus ſe dixiſſe ait: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.* Egit deinde Cæſari gratias, & Principibus pro tam benignà audientià certiores tamen volens, *Verbum Dei non eſſe alligatum.* Tertiò die itineris fæcialem remiſit, & quòd ſolus timeret neminem; & ne occultiori conſilio eſſet impedimentum. Iſennacum enim cum perveniſſet *Saxoniæ Friderici* oppidum, ibiquè ſpreto Cæſaris mandato prædicaſset in die Inventionis S. Crucis, paululùm ab oppido egreſsus, ocultiſſimo conſilio ab amicis interceptus ſub ſpecie hoſtili, deductus eſt in arcem ipſi ignotam *Friderico*, ut ſanctè iurare Cæſari poſset, neſcire ubi lateret *Lutherus*: Sparſa interim fama, violata fide captum eſse Lutherum, tantus rumor Poetarum, ut nihil certius expectaretur, quàm cruenta in Cæſarem & Clerum ſeditio. In oppido *Alſtat* latuiſse dicunt per ſex menſes, ubi impios, ac ſeditioſos libros illos compoſuit *De Confeſſione ſecretà*. De *Abrogandà Miſſà privatà* ad ſuos fratres Auguſtinianos (qui primi omnium Miſsas abrogaverant) cum aliis. Solitudinem hanc arroganter ſuam *Pathmon* vocabat, velut alter Ioannes Evangeliſta in inſulam à Cæſare relegatus, cum Cæſar neſciret, ubi impius delitesceret.

Lutheri mendacia.

Eius impii libri.

Caracciolus, & *Aleander* literas obtulere Leonis tam gratas Cæſari, ut ter eas legeret. Gratias agebat Leo pro tutelà Religionis, quam Carolus ſuſceperat, rogans non deſiſteret, donec opus compleret. Publicà acclamatione cum lectæ eſſent in Comitiis, VIII. Maii (Dominica recurrebat S. S. Trinitatis) in eccleſià publicè, coram populo inſtante *Aleandro*, imperiale ſubſcripſit edictum, iam antea ſignatum à Moguntino uti Decano Comitiorum, in quo præmiſsis ſententiis Pontificis adversùs Lutherum, legitur. *Conſtat hunc unicum non hominem, ſed Dæmonem potiùs figura, & ſpecie humanà, cucullòque monaſtico*

Edictū Caroli in Lutherum.

co indutum, complurium hæreticorum extremè damnatas hæreſes, quæ tamdiù obſoleverant, in unam quaſi Lernæam paludem cogiſſe, multaſquè præterea recentes, & novas excogitaſſe hoc prætextu, quod fidem prædicet: quam propterea inculcat omnibus, ut veram ſinceramquè fidem deſtruat, & labefactet, ne ſub nomine, fucoquè Evangelicæ doctrinæ omnem Evangelicam pacem, & charitatem, bonarum rerum harmoniam, ipſam deniquè pulcherrimam eccleſiæ hierarchiam extinguat, evertat, diſſolvat, & obruat. Surius. Acerbius aliquibus viſum eſſe edictum refert *Vlembergius de geſtis Lutheri*, quòd Dæmonem appellet *Lutherum* indutum formâ hominis. Sed non ſinè causâ furiis Infernorum agitari plura demonſtrant. *Maximilianus* enim Cæſar Auguſtæ in Lutheri cucullo Dæmonem viderit latitantem. Vniverſitas etiam Pariſienſis (quam ſibi propitiam Lutherani ſomniaverant) die XV April. ſolemniter congregata, & iuramento conſtricta Lutheri dogmata ut impia, ſeditioſa, ſchiſmatica, blaſphema unà cum auctore damnaverat. Contra hanc ſententiam, *Philippus Melancthon* apologiam edidit, cui titulus, *Adversùs furioſum Pariſienſium Theologaſtrorum decretum* &c. quo *obſcuratum eſt Evangelium, extincta fides.* Hac non contentus Lutherus *Matrem omnium appellavit errorum, meretricem ſpiritualem, leprum hæreſis Antichriſtianæ, peiorem Montanis Ebionitis, ac cæteris hæreticis.*

Magiſtro dæmone Lutherus utitur.

Recenti hoc Caroli in Lutherũ beneficio vinctus Leo; cũ Fãnciſcus ad Leonis propoſitiones pro fœdere incundo, die non reſpondiſſet ſtatutâ (*Guicciard. Belcar.*) in quo agebatur, de aſſerendo Gallis Siculo regno, odioquè affectus clandeſtino quòd Parmam, & Placentiam à Iulio Eccleſiæ reſtitutas Gallus uſurparet; iniuriâ etiam provocatus *Lautrechii*, & *Medardi* Tarbellenſis Epiſcopi, qui Pontificia diplomata non ſinè coñtumelioſâ verborum licentiâ in Mediolanenſi ditione repudiabant, cum *Carolo V.* fœdus iniit Anno 1521. die 3. Iunii: ut *Franciſco Sfortiæ* Principatus reſtitueretur avitus: (Hæc in ſpeciem, nam verè Mediolani principatus *Iuliano* quærebatur *Mediceo*) coniungeret arma Cæſar ad Ferrarienſem gradu deiiciendum: annuam penſionem pro regno Neapolitano Cæſar ſolveret: *Iuliano* Cardinali & *Alexandro Medicæis* annua tribuerentur vectigalia. Ita ſolutâ amicitiâ inter *Carolum*, & *Franciſcum*, & bello polluta funeſto annorum propemodum duodequadraginta, quod impedierunt, quandiù vixere *Arturius Gufferius Boeſius*, & *Guill. Croius Cevrius* ambo principibus ſuis acceptiſſimi. Iis ſato ſublatis, Principes duo æmuli commiſſi ſunt, initiis à regno Navarræ deductis. Nuntio accepto *Carolus* primò irrupiſſe Gallum, elatis in Cœlum manibus exclamaſſe fertur: *Gratias Deo, quòd belli ſit ab hoſte principium. Brevi vel ipſe miſer Imperator, vel miſer Rex Franciæ futurus.* Primaria urbs ſolii Navarræi Gallo ceſſit irruenti *Pompeiopolis*. Cujus arcem dum fortiter defenderet *Ignatius Loyolanus*, nobilis Cantaber globo ſauciatus bellico in corpore, ut animo ſanus eſſet, à ſæculari militiâ ad divinam ſe tranſtulit: à quo poſteà ſocietas Ieſu magno Eccleſiæ tuendæ ſubſidio futura, nata eſt.

Leonis fœdus cum Carolo.

Ignatius Loyola.

Carolus verò ut *Franciſco* vicem reponeret, immiſſo milite in Ducatum Mediolanenſem poſt Parmam, ac Placentiam Eccleſiæ reſtitutas; obrutis favore Gallis, primo impetu Mediolanum non ſinè victoris admiratione recepit. Ex hoc victoriæ nuntio

16. *Obiit* Leo ingenti diffuſus lætitiâ, apoplexiâ correctus, nullis perceptis ſacramentis, ætatis Anno 46. inopinâ morte deceſſit, teſte *Bizarro Folieta* Lento dicitur periiſſe veneno per cubicullarium, aut pocillatorem propinato, de quo tamen *Iuliano* prohibente Mediceo, nulla inſtituta quæſtio, ne princeps aliquis potentior vocaretur in crimen. *Iovius*. Exenterato ventre invenere cor maculatum, hepatis partem corroſam, lienis partem ſimiliter vitioſam, ex quibus medici veneno dixere ſublatum, cum *Leo* ante obitum ſæpè doluiſſet interiora ſua quaſi igne comburi: Refert *Paris de Graſſis*, quòd quidam habitu ignotus mandavit cuidam Monaco monaſterii S. Hieronymi ſignificare Pontifici Malliani degenti ut ſibi caveret à veneno. Adiungit Iovius Pontificem pridiè mortis ſuæ improperaſſe *Barnabovem Maleſpinam* pincernam ſuum, undè vinum hauſiſſet tam acidum, & amarum. Suſpicionem augebat, quòd mortuo Leone horâ ſeptimâ noctis, ipſe *Maleſpina* ſurgente Aurorâ cum tota in luctu aula iaceret Româ egredi tentaverit cũ canibus ſpecie venationis, undè à furente populo carceri traditus, licet iubente Cardinali Iuliano abſolutus, ne Rex Galliæ vocaretur in crimen: cuius dolo vulgus naturâ loquax muſſitabat propinatum fuiſſe venenum. *Guicciardinus*. Bellum cum ſuſcepiſſet in Gallos, diſſuadenti Iuliano Cardinali Mediceo reſponderat non ſinè vaticinio; *non ægrè moriar, ſi P. e atiam, & Parmam Eccleſiæ reſtituam*; & verè eodem die obiit, quo nuntium accepit de Parmâ recuperatâ. Ego certè (ſcribit Iovius) non obſcuris medicinæ coniecturis innixus nunquàm crediderim ea membrorum robora, ac vim caloris in ipsâ corporis fermè æquali temperaturâ, ad producendam vitam maximè idoneâ, ſine veneno concidere potuiſſe. Erat enim ſtaturâ corporis admodum excelsâ, habitu ſuccoſo potiùs, quàm pingui, & per ſingulâ membra venuſtè commenſurato, teretibus ſcilicet, directiſquè cruribus, & manibus candore, formaquè longè pulcherimis; ſed una capitis amplitudo cætera membra enormi propè exceſſu, nec tamen ſinè dignitate ſuperavit: undè illi admirabile ingenium, memoria ſingularis. Deformabant etiam eum obeſæ malæ; oculi extantes, convoluti, & hebetes, verum ſi ad pupillam inſpicienda admoveret, ſupra fidem acutiſſimi: ſupplices enim libellos vel minutiſſimis literis, & crebris ſyllabarũ compendiis exaratos celerimè lectitabat. Admotis perſpicillis in venationibus adeò latè viſum extendebat, ut cæteros anteiret. Sermone ſuavis, facundus, in ſeriis gravis, in communibus lepidus ſeveritatem imperii, atq. curas mordaces ita eruditis Poetarum voluptatibus temperavit, ut eorum altercationes hilari vultu audiret; epiſtolas latinè dictaret, & Hetruſcè pereleganter, uti ad *Sanazarium* ſummis laudibus poema extollens *de Partu Virginis*. Ad *Angelum Troianum, Gentilem de Albertinis*. Carmina compoſuit Hetruſca amœniter; Latina non illepidè, ut cum Archipoetam de ſuâ conquerentẽ inopiâ interrogavit

Leonis X. obitus.

Species corporis.

Dotes

Dic mihi cur dites *non cernimus eſſe Poetas?*

Ad quem ſubito Archipoeta cum alluſione ad fabulã

Dis fierem, fieret ſi mihi mater Opes.

Vix dixerat, cum Leo ſequentia repoſuit.

Cal-

Culpa tua eſt: vitio ignavi nam carminis Opem
Quam reliqui longum, tu facis eſſe brevem.

Noverat quoquè literas Græcas nequaquàm ad oſtentationem ſed ad præſidia eruditionis Latinæ. Gentium omnium ac ſæculorum hiſtorias cum firmiter memoria teneret, in actionum ſuarum exemplum opportunè recitabat. Iudicio cum vigeret excellenti, inſignes Accademici ab eo ſuarum elucu-

Maieſtas.

cubrationum cenſuram expectabant. Sacra confecit, ac cæremonias eà obivit maieſtate, ut nemo antiquorum Pontificum, eo auguſtiùs & decentiùs

Benignitas, liberalitas.

ſactificaſſe diceretur. Divinà quadam præſentione petentium votis occurrens, etiam ſi negaret, eà benignitate ſupplicantium animos præoccupabat, ut ſpe novæ liberalitatis, repulſę dolorem extingueret. Quòd ſi rogantibus indulgeret, concepto pudore exigui muneris, uberiora ſe daturum ſemper dicebat. Hinc ſi plures competitores aliquod peterent beneficium, licet unus tantùm voto potiretur, cæteri non indignabantur ſecuri repulsà Principis petitionem haud minui, ſed augeri. Liberalitatis gloriam cum ſuper omnia anhelaret, eos dicebat principatu indignos, qui avarà manu fortunę uterentur beneficiis.

17. *Pater pauperum* neminem civem, vel peregrinum, qui pauló nobilioris artis famà vel literarū mediocri glorià polleret, indonatum reliquit. Advenas, peregrinos, qui cenantem ſpectarent Pontificem ſi eos præſertim veſte obſoletà conſpiceret, vacuos non permittebat redire. Crumenam quotidiè nummis aureis ſibi repleri volebat, ad incertas liberalitatis exercendę occaſiones. Sacerdotes quoquè, viros religioſos, ſacras virgines quæ intra ſepta religioſa pudicitiam colerent, menſtruis ſubſidiis iuvabat. Magnum veteranorum militum, & exulum alebat numerum, nihilquè vehementiùs contendebat, quàm

Tria Principi neceſſaria.

vt nemo calamitatem ſubiret. Tria magno Principi dicebat à *Laurentio* patre neceſſaria didiciſſe, quæ Principes laudabiles faciant: *Maturitas in conſiliis: celeritas in exequendo: cum amicis gratitudo.* Regimen duobus conſtare præcipuè *Annonà*, & *Iuſtitià*. Illa ſublatis monopoliis populum reddit obſequentem, & mercium efluentià cuncta vileſcunt. Iuſtitia ſit moderata, vt nequè ex clementià exiſtimationis iactura paretur, nequè odium ex nimià ſeveritate; *Vi & virtute* vt ipſe ſymbolo adſcripſit pilę manu impellente geſtientis, quam habes in tabulà ſepulchrali. *Iugum ſuave*; vt altero habet in ſymbolo ſi principem populi ament, non metuant. Naturà leniſſimus, exardebat tamen iratus, ſi renovaris improborum iniuriis, poſt primam delicti veniam iterum læderetur. Falſarios tanto inſequebatur odio, vt ſupra naturæ conſuetudinem ſummo iure corrige-

Nūmi.

ret: in cæteris criminibus clementia locum ſemper obtinuit. Huc facit Nummus, quem habes in tabulà ſepulchrali, in quo *Liberalitas* cornucopiæ effundit. Congeries muſicorum inſtrumentorum apponitur, vel quòd ipſe non levi notà, nimium amavit: vel vt illud annueret Virgilianum:

O Melibæe Deus nobis hæc otia fecit.

Huic nummiſmati, altero Roma reſpondet nummiſmate grata, in quo *Romæ* typus, prout picta in veterum nummiſmatibus conſpicitur ſub titulo C.P. id eſt *Parenti chariſſimo* devicta. Hinc gratitudinis teſtimonio ſtatuam ei adiunxit in Capitolio cum inſcriptione ſequenti.

A *Optimo Principi Leoni X. Med. Ioan. Pontif. Max.*
Ob reſtitutum, inſtauratamq; Vrbē, Acta ſacra, Bonaſq; Artes, Aſcitos Patres, Sublatum vectigal, datū cōgiariū
. S. P. Q. R.

Capitales vrbis inimicitias cum ad pacem reſtituiſſet, *Vrſinorū* præcipuè, & *Columnenſium* familias, in quo Pax *Columnenſium, & Vrſinorum* ſcuta comburit gentilitia, quo tempore teſte Cardinali *Ægidio* nummus repertus vetuſtus, in quo vtriuſquè familię inſignia iuncta erant.

Diù iacuit tumulo conditus ignobili; ſed meliore fortaſſe conditione ad ſpem laudis diuturnæ; nam Poetæ liberrimum genus hominum, per aliquot annos deploratà temporum conditione, certatim affixis carminibus tumulum nobilitarunt. Cadaver è Vaticanà baſilicà ad S. Marię ſuper Minervam, tempore Pauli III. translatum iuxta corpus Clementis B VII. ſequenti conditum Mauſolæo. Primi nominis illius ævi ſcriptores laudibus celebravere Leonem *Albertus Phigbius, Antonius Tibaldeus, Io: Mutius, Aurelius Mantuanus, Ludovicus Dominicus, Mathæus Herculanus, Paulus Iuſtinianus* Venetus, *Caius Sylvanus, Ianus Damianus Senenſis.*

Commēdas prohibet Monaſteriorū.

58. *Protector Monachorum.* Monaſteriorum commendationem inutilem, immò damnoſam expertus Eccleſiæ tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, quòd eorum ædificia partim Commendatorum negligentià, partim avaritià collabantur, volens Leo eorum indemnitati conſulere, prohibuit nè in poſterum commendarentur, niſi temporum conditio aliter exigeret. Xenodochia autem & alia pauperum uſuì deſtinata, Cardinalium adminiſtrationi commendari omnino vetuit. *Bulla Leonis in ſeſſ. 9. Concil. Lateran.* Tantas virtutes

Nimis indulget aucupio

C 15. *Venationibus* nonnihil fædavit & *aucupiis*. Pōtifice ſanè indignum exercitium. Venatoribus, Poetis, ſcuris officia occupantibus aulica nemo erat, qui Pontificem reprehenderet, & ſeriò malo occurreret imminenti. Omnia ludicra, fabulæ, aleæ, ſcena, cum Pontifici non diſplicerent; Cardinales *Ludovicus Aragonenſis, Hyppolitus Eſtenſis, Giſmundus Gonzaga, Alfonſus Petruccius, Marcus Cornelius, Federicus Sanſeverinas* eo vivebant luxu, ut ferarum, equorum, canum viderentur paſtores non hominum. Hinc ſtrepente

Vitia Leonis

Luthero, aula Romana fabulis implicata, & occupara theatro vel periculum non agnoſceret, vel neſciret occurrere, hæreſiarcham liberè per Germaniam graſſantem præteriens, opprimere tandem volens nō potuit: quod facile ab initio fuiſſet, ſi aulicos Theologos habuiſſet, & non Poetas. *Pallavicinus l. 1. c. 2.* D *ex Iovio in vità Leonis.* Vbi de Leone cum morionibus, furioſis diſputante excuſationem quære. Et quia minimè Guicciardino fides, prætereo theſaurum conſumptum Eccleſiæ; Officia inventa, in quorum ſtipendia redditus annuatim diminuti Eccleſiaſtici, nummorum ſupra quadraginta millia; gazam oppignoratam Pontificiam; Cameramquè Apoſtolicam grandi ære alieno gravatam. Fama etiam laboravit impudicitię (teſte Iovio) Cum tamen ne vim faceret

Calumnia impudicitiæ in Leonē.

20. *Pudicitia* conſtet, Leonem non ſolum à primà adoleſcentià in caſtitatis præſidium plura adhibuiſſe conſilia, atquè remedia, ſed Pontificem factum animo verè pudico, die Mercurii carnibus ſe abſtinuiſſe, die autem Veneris nihil guſtaſſe præter legumen

&


LEONIS X. P. O. M. MONVMENTVM IN ECC. S. M. SVPER MINERVAM.
Symbola Leonis X
SVAVE.
C. P.
ROMA.
LEO DECIMVS PONTIFEX.
VICIT LEO DE TRIBV. IVDA.
LIBERALITAS PONTIFICIA.
LEO X. PONTIFEX MAX.
LEO. PONT. MAX.
S.P. S.B.

Leonis caſtitas.

& oleta; die demum Sabathi cœnâ penitùs intermiſsâ ieiunium ſanctè & incorruptâlegè ſervaſse. Rependit Deus Pontificis caſtimoniam; cum petitus ad mortem ab *Alphonſo Petruccio* per chirurgum, qui fiſtulam circa pudenda veneno inficere pactus erat, vulnus Leo erubeſcens novo aperire medico, vitam pudore ſervavit. *Iovius*. Ab aulicis quandoq. deceptū non negamus, quorum forsân culpâ nimis prôdigus laxavit Indulgentias. *Pallavicinus*. Cęterum ipſe Leo Sacerdotium ullum nunquàm venale propoſuit; imò de Eccleſiaſtico honore ſollicitus, cùm libelli ſubſcribēdi porrigerentur, Cardinalis Laurentii *Puccii* (qui juris divini periſſimus erat, & in eo plurimùm confidebat) fidem implorabat, ne ſe imprudenter in errorem labi pateretur, qui pœnitentiam induceret, & infamiàm. *Iulium Blancium* è cubiculariis ſibi gratiſſimum importunis precibus poſtulantem, ut libello ſubſcriberet, quò duo regionibus diſtincta ſacerdotia, translato alterius redditu, unius tantùm Templi dedicationem ſubirent, eluſit percunctando *Quanti ea gratia clienti venderetur?* libero ore ducentis aureis reſpondenti, totidem è crumenâ ſolvit, ac libellum diſcerpſit. *Iovius*.

Selimi victoriç.

21. *Selimus* cum patrem *Baiazethem* priùs ſpoliaſſet imperio, poſtea vitâ ac in parricidii appendicem fratres interfeciſſet atquè nepotes, ad delendam infamiam movit in Perſas, quibus victis, Syriam & Ægyptum Turcico adiunxit Imperio, expugnatis validiſſimis urbibus Damaſco, & Cairo. Hinc *Leo* X. Pontifex dictus legatos ſacro adprobante Lateranenſi Concilio miſit ad Principes Chriſtianos pro ſollicitandâ pacé univerſali; in regna Pannoniæ, Bohemiæ, Poloniæ, quò *Selimus* ſigna converterat, *Thomam Cardinalem Strigonienſem* legavit cum poteſtate indicendi viris Eccleſiaſticis decimas ſubſidiarias in gratiam *Vlodiſlai* Regis Vngariæ. An hęc ſeriò agitata? poſteri dubitant; cù nonniſi verba, & decimas à Clero ſolutas inveniat. *Lutheri* ſchiſma maximè impedimento ſuit, nè Germani coirent: ipſo agente hæreſiarchâ cauſam Mahometis, palamq. ſtrepente, capienda non eſſe in Mahometanos arma, quòd Deo flagella tractanti obſiſtere homines non deberent. *Cochlaeus. Vlembergius. Serarius.* Anno tandem 1518. cùm Selimum Armeniç, Syriç, Ægypti, Arabię, Mauritaniæ ſpoliis ſuperbum portenta prçluderent Italiā populaturum; nam in Germaniâ è ſpinâ Dominicâ manaverat cruor: Romæ plures Imagines dejectç fulgure: Brixię medio aere conflixerant milites: in Saxoniâ crux coloris puniceì mediâ nocte fulſerat; quorum monitus Leo *Papa Paridi de Groſſis* ridens reſponderat; omnia hæc naturaliter contingere; propterea ſupplicationes, quas *Paris* ſuadebat, ſolutas; donec inſultante *Selimo*, ac noſtros ſcommate percellente (teſte *Pet. Mar. ep.* 578.) ſe punire velle eos qui cum Chriſtiani dicerentur, non colerent Chriſti legem; Romę & inde toto in orbe, Deo O. M. ſupplicationes fieri decrevit, ubi nudis ipſe pedibus inceſſit, diviniſq. imploratis auxilis, ad humana poſtea ſe convertit, miſſo ad Cæſarem Cardinale S. Sixti, ad Gallum Bibiennâ, ad Hiſpanum Gilio, Ad Anglum Campegio, ut quiquennalibus pactis induciis Chriſtiani undiquè irruentes, Turcam obruerent. Leo ipſe Pontifex Anconâ vela facturus cum triremibus profitebatur, ut Reges ſuo excitaret exemplo. Hęc quàvis magna expectatione cæpta, induciæquè ab omnibus principibus acceptę, qui ſe mirâ verborum magnificentiâ ſacrum bellum ſuſcepturos prædicabant; tamen quòd & longinquum, nec omnibus uſui, ſed vicinioribus tantùm crederetur; metu paulatim decreſcente, in ſpetiem potiùs quàm ſeriò pertractata, deinde penitus omiſſa evanuere. *Selimus* enim nō multò poſt ulcere in renibus ſerpēte, corpore ſimul eger, & animo abiecit belli conſilia, & Anno hujus ſæculi XX. Annos 36. natus in *Cinolio Tracia vico*, vbi cum patre conſixerat, iuſtas pœnas ſolvit impietatis; cuius ob mortem Chriſtiani ſacrum penitùs omiſere *bellum*.

Cęll portenta eſ det Leo

Expeditio deſignatur in Turcas.

Hæreticos, Infideles urget ad fidem.

Leonis religio viguit etiam erga Schiſmaticos Moſchovitas, ſeu *Ruthenos* miſſo *Piſone* Apoſtolico Internuntio, ut in ſemitam veritatis adduceret: erga *Maronitas* & *Abyſſinos*, qui circumfuſi undiquè Mahometanis non carebant erroribus: unde in Later. Concilio An. 1516. die 19. Decemb. tres legati Patriarchæ Maronitarum Montis Libani obedientiam eius nomine preſtitere Leoni; erga *Americanos*, cęteroſquè novi Orbis habitatores, magno ubiquè Sacerdotum diſcrimine, & Pontificis expenſis, quas elargiebatur liberalis. *Alexander* autem *Geraldinus* civitatis S. Dominici in novo Orbe Epiſcopus idola quædam, in quibus Dœmones reſponſa reddebant, antequàm ibi Chriſtus coleretur, muta facta *Leoni* X. tranſmiſit, hac adiectâ inſcriptione.

Idola antiqua

Hæc ſunt immania Numina à Leone X. P. M. victa, & ab Alexandro Geraldino Ep. Beatitudinis eius ſervo ab Æquinoctiali plagâ miſſa, quæ modò tacēt, anteà loquebātur.

Sanctorū reliquias ex adverſo Geraldinus à Leone rogabat, quarum thecis, hæc ſe adſcripturum pollicebatur, cum aliis ſimilibus inſcriptionibus.

Leo X.

Romanorum Pontificum primus Reliquias Sanctorum in hunc cardinem Mundi à totâ gente humanâ ſeiunctum, in quem nullum anteà nomen Dei noſtri pervenerat, eâ ratione miſit, ut fera barbarorum corda religione emmolliret, & multas Chriſto animas conquireret:

Finis Tertii Tomi.

IN-

INDEX ROMANORVM PONTIFICVM·

180	*INnocentius IV. pag.*	1	194	*Benedictus dict. XI.*	181	208	*Martinus V.*	465
181	*Alexander IV.*	19	195	*Clemens V.*	191	209	*Eugenius IV.*	489
182	*Vrbanus IV.*	27	196	*Ioannes dict. XXII.*	210	210	*Nicolaus V.*	54·
183	*Clemens IV.*	37	197	*Benedictus XI.*	251	211	*Callixtus III.*	561
184	*Gregorius* X.	49	198	*Clemens VI.*	267	212	*Pius II·*	579
185	*Innocentius V.*	63	199	*Innocentius VI.*	291	213	*Paulus II.*	629
186	*Hadrianus V.*	67	200	*Vrbanus V.*	303	214	*Sixtus IV.*	659
187	*Ioannes dictus XXI.*	73	201	*Gregorius XI.*	333	215	*Innocentius VIII.*	685
188	*Nicolaus III.*	79	202	*Vrbanus VI.*	345	216	*Alexander VI.*	707
189	*Martinus II.*	89	203	*Bonifacius IX.*	379	217	*Pius III.*	731
190	*Honorius IV.*	101	204	*Innocentius VII.*	399	218	*Iulius II.*	739
191	*Nicolaus IV.*	107	205	*Gregorius XII.*	407	219	*Leo* X.	765
192	*S. Cæleſtinus V.*	119	206	*Alexander V.*	439			
193	*Bonifacius VIII.*	147	207	*Io: XXI. dict. XXIII.*	447			

Alphabetum Pontificum, qui hoc volumine continentur.

181	*ALexander IV·*	19	201	*Gregorius* XI.	333	189	*Martinus II.*	68
206	*Alexand. V.*	439	205	*Gregorius* XII.	407	208	*Martinus V.*	465
216	*Alexander VI.*	707	186	*Hadrianus V.*	67	188	*Nicolaus* III.	79
194	*Benedictus dict.* XI.	181	190	*Honorius IV.*	101	191	*Nicolaus IV.*	107
197	*Benedictus* XI.	251	187	*Ioannes dictus* XXI.	73	210	*Nicolaus V.*	541
193	*Bonifacius VIII.*	147	196	*Ioannes dict.* XXII.	210	213	*Paulus* II.	629
203	*Bonifacius* IX.	379	207	*Io: XXI dict.* XXIII.	447	212	*Pius* II.	579
211	*Callixtus III.*	561	180	*Innocentius IV.*	1	217	*Pius* III.	731
192	*S. Cæleſtinus V.*	119	185	*Innocentius V.*	63	214	*Sixtus* IV.	659
183	*Clemens IV.*	37	199	Innocentius *VI.*	291	182	Vrbanus IV.	27
195	*Clemens V.*	191	204	Innocentius *VII.*	399	200	Vrbanus V·	303
198	*Clemens VI.*	267	215	Innocentius *VIII.*	685	202	Vrbanus VI.	345
209	*Eugenius IV.*	489	218	*Iulius II.*	739			
184	*Gregorius X·*	49	219	*Leo* X.	765			

Pag.	*lin.*	ERRATA.	CORRIGE
85	2	ægregiè	egregiè
—	45	inpropriâ	in propris
—	54	pœmorium	pomœrium
86	30	factas.	factam.
121	44	æqoavit	æquarunt
193	42	opulenti	opulentia
252	12	notatâ	notata
256	7	Senatum	Renatum
275	1	promiſcuere	promicuere
286	23	repulſis	repulsus
288	4	præjudicat	præiudicant
295	28	Veſtigia	Vectigal
296	36	ſed edidere	ſe dedidere
—	41	obruit	obruit.
302	9	podagrâ	podagrâ, &
339	31	inſtruerant	inſtruxerant
340	2	diſciſcentes	deſciſcentes
341	61	indcere	inducere
343	5	ferè	ferè, &
387	15	omnis	omnis eſt
—	38	nobiliâ	nobili
419	60	crebris	crebris epiſtolis
590	33	pariùs	parciùs
612	14	horreba	horrebat
683	10	Tyberum	Tyberim
736	8	abs	†
—	9	ſe geſto	abs ſe geſto,
750	35	miſſa Senatu	miſſa à Senatu
759	11	docenti	ducentos

O P E R A.

Io: Palatii iam typis data.

Monarchia Occidentalia in octo volumina diſtributa, à Carolo M. uſquè ad Leopoldum I. Et ſunt.

Aquila inter Lilia.

Aquila Saxonica.

Aquila Sancta.

Aquila Franca.

Aquila Sveva.

Aquila Vaga.

Aquila Auſtriaca I.

Aquila Auſtriaca II.

Apologia contra ſulium, &c. 12.

Armonia Contemplativa ſeconda edizziona regolata per tutti li giorni dell'Anno.

Aquila Romana foglio figurato.

Commentaria ſuper 4. Inſtitutionum libros 4.

Caccie ſotto nome di Raimondi.

Ornamenti di 120. figure in Tomaſo Kempis.

Leo Maritimus 12.

De Luminaribus Mundi Pontifice, & Rege quod M. S circumfertur,

Meditationi ſopra la Paſſione di Gieſù Chriſto 24.

Ovidio Iſtorico, Politico, Morale, editione 8. con aggionta

Geſta Pontificum fol. figurato vol. 4. à S. Petro uſque ad Innocentium XI.

Vita M. Antonii Iuſtiniani Venetorum Principis fol.

Vita di S. Pietro 4. figurato.

Typis danda.

Commentaria in Decretales.

Dante Iſtorico, Politico, Morale figurato 8.